ANTONII DANIELIS SONNEMANNI ... USUS MODERNUS NOVELLARUM CONSTITUTIONUM...

Anton Daniel Sonnemann

ANTONII DANIELIS SONNEMANNI
J. V. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD. IN ELECT.
UNIVERSITATE VIADRINA

USUS MODERNUS NOVELLARUM CONSTITUTIONUM DIVI JUSTINIANI

in quo non ſolum
IPSARUM CONSTITUTIONUM SENSUS
enodatur, verum etiam Earum uſus
tam in
JUDICIIS SECULARIBUS QVAM ECCLESIASTICIS
oſtenditur.

EDITIO NOVA
cui præmiſſa
chronologica omnium Novellarum diſpoſitio
ac recenſio.

FRANCOFURTI AD VIADRUM
APUD JOANNEM GODOFREDUM CONRADI MDCCXXV

L. B. S.

Multis romanam jurisprudentiam mutationibus obnoxiam fuiſſe, omnibus patet, qui originem atque progreſſum celeberrimi iſtius juris contemplantur. Ex quo enim romana gens ex legibus vivere incœpit, ab eo ſtatim tempore nova indies protulit, quæ faciem antiqui juris non

raro prorſus immutarunt. Hinc orta inſignis in tractando jure romano difficultas, cum ad ſolidam legum romanarum cognitionem adſpiranti incumbat, legum et jurium converſiones obſervare, et a primis pene reipublicæ incunabulis ad extrema usque imperii tempora Sanctionum ac Conſtitutionum varietatem conſiderare.

Nemo tamen fuit Imperatorum, qui tanto ſtudio ac fervore in legum ſive emendationem ſive mutationem delatus fuerit, quam IUSTINIANUS, qui imperiali ſua

auto-

autoritate antiquæ jurisprudentiæ principia pleraque evertit, novas decisiones substituit, et non tam de conservando jure antiquo, quam condenda nova jurisprudentia, sollicitus fuisse videtur. Non substitit Imperator in compilatione magni istius corporis, quod Institutionibus, Digestis atque Codice absolvitur. Produxerunt sequentia tempora novas quotidie constitutiones antiquo juri derogantes, ex quibus natum est novellarum volumen, quo *jus novissimum* continetur. Et illam certe appellationem meretur no-

vellarum collectio, cum noviſſimis illis conſtitutionibus prior jurisprudentia in infinitis pene capitibus fuerit mutata.

Ex eo autem liquet, quam utilis et neceſſaria ſit novellarum tractatio, quæ tamen plerumque in academiis negligi ſolet, in quibus communiter lectiones in Digeſtorum compendia inſtitui ſolent. Aſt cum in jurisprudentiæ ſtudio legum recentiorum notitia proſtet legum antiquarum cognitione, et poſterior ſola ad uſum faciat: nemo inficiari poterit, etiam in jurisprudentiæ romano-

juſti-

justinianeæ disciplina sedulo evolvendas esse novissimas Imperatoris constitutiones, easque omnino dignas ut peculiari diligentia excutiantur.

Egregium igitur suscepit opus Vir consultissimus atque doctissimus, ANTONIUS DANIEL SONNEMANNUS, *Professor olim extraordinarius Juris* in Electorali *Universitate Viadrina*, qui elegantissimo commentario novellas Justiniani excussit constitutiones, mira perspicuitate in illarum sensum inquirens, opiniones Doctorum solide examinavit, et, quod in omni Jurisprudentia præcipuum est, usum hodier-

hodiernum facili methodo demonstravit. Hæcque causa fuit, cur novo indutus habitu optimus ille commentarius publicæ luci exponeretur, qui cum cognitus satis sit Viris doctis nova non indiget commendatione. Accessit huic editioni *chronologica* quædam *recensio novellarum constitutionum*, ex qua tempus latæ constitutionis ejusque contenta sub uno conspectu haberi possunt: qui labor ad perquirendam harum legum occasionem eruendamque veram illarum sententiam facere poterit. Hæc sunt, quæ ad TVAM, *Lector Benevole* notitiam pervenire voluimus.



Prolegomena.

I.

NOVELLARUM Volumen agnoscit Autorem JUSTINIANUM, Imperatorem in tantum laudandum, in qvantum pervigile ipsius studium, insignis cura & industria erga jus & LL. optimas intelligi potest: ipse enim post compositas Pandectas, Codicem & Institutiones per reliqvos annos ex 38. qvibus imperavit, varias adhuc edidit Constitutiones, cum enim neqve LL. neqve SCta ita scribi possint, ut omnes casus qvandoqve inciderint comprehendantur, hunc qvid jurisdictioni præest, ad similia procedere, atqve ita jus dicere oportet. *L. 10. 12. ff. de LL.* Hinc Imperator qvæ partim in Institutionibus, Digestis, & Codice jam tum firmiter sanciverat partim in Novellis Constitutionibus magis magisqve ampliavit, declaravit & explicavit, partim etiam limitavit ad certa loca, provincias & Præsides, partim etiam prorsus correxit & emendavit, novisqve emergentibus negotiis jus novum constituit. Scotan. *Exam. Jurid. p. 1. tit. 1. qv. 29.* licet tamen correctio non præsumatur, nisi ex Præfatione Novellæ vel ex verborum necessitate illa evincatur. Matth. Stephan. *ad Nov. procem. n. 45.*

II.

Sunt vero Novellarum 168. & nec plures nec paun-

ciores numerari consentiunt omnes, inqvit Matth. Stephan. *ad Nov. 164. n. 7.* Ex hisce autem saltem editæ extant 165. cæteræ tres, dum hactenus nondum sunt editæ ex Cujacio jam sunt editæ, ut post *Nov. 165.* expresse positum est. Commentatores vero Novellarum eas hactenus non explicarunt, nullamqve earum in fine mentionem feci.

III.

Cœterum non omnium Novellarum fuit Autor Justinianus Imperator, sed aliqvas etiam licet paucas, edidit ipsius filius adoptivus Justinus II. Curopalates, ut *Nov. 140. & 144. &c.* aliqvas etiam edidit ipsius successor Tiberius II. ut *Nov. 161. 163. 164. &c.* qvi imprimis munificus & liberalis erga subditos fuit, ut potissimum patet ex *Nov. 163.* Nam sublatum pauperibus aurum multo abundantius est largitus, unde & qvo plura erogavit, eo amplioribus â Deo ornatus fuit beneficiis, ut P. Diaconus in Tiberio II. Pompon. Lætus & alii testantur. Sunt & præterea aliæ Novellæ ut Theodosii, Valentiniani & aliorum, editæ ante Justinianum, qvæ, cum omnes vim suam sanctione Justiniani amiserint. *L. un. § hunc igitur, C. de Just. Cod. confirm. & L. un. §. his igitur, C. de Emend. Cod.* De illis in opere hoc non fui sollicitus. Et licet Justinianearum Novellarum plurimæ sint topicæ sive locales ad certum tantùm locum restrictæ, ut patet ex *Nov. 3. 64. 35. & ex Nov. De his qvæ Constantinopolin veniunt* & aliis; multa tamen utilia & ex illis qvæ apud nos hodie obtinent posse erui, suis locis est notatum.

IV.

Qvamvis etiam fragmenta Novellarum ab aliis Imperatoribus latarum tam ante qvam post Justinianum Imperatorem adhuc hodie extent, inter qvæ eminent etiam Leonis Philosophi, in foro tamen pro causarum decisione non adducuntur, nisi forte in Jure Civili nihil sit de

illa

illa re decisum. Exemplum est in *Nov. 93.* Leonis, si sponsa ex alio gravida deprehendatur rescindi posse sponsalia, hic casus cum in Jure Civili decisus non deprehendatur, moribꝰ vero nostris â tali matrimonio qvoqve recedatur B. Dn. Lutherus *Tom. 4. Jen Germ. Tit.* **Antwort D. M. L. auff eine Ehe-Sache/** *verbis*: **Es geschehe dem Gesellen Unrecht und sey nicht schuldig für GOtt die Jungfrau zu behalten/ denn er findet nicht was er gesuchet hat.** Hisce igitur & similibus casibus Novellæ Leonis allegantur. *arg. L. 11. §. 5. ff. de A. E. V.* Obtinent qvoqve Novellæ Leonis, si qvis probare possit, hanc vel illam Novellam in specie usu esse receptam & si vel dubium casum Jus Digestorum, vel Cod. contineat, pro ut talis est in *L. 22. C. ad L. Corn. de falsis*, qvem decidit *Nov. Leonis 77.* Priorem casum qvem Lutherus habet decidentem vid. apud Finckelth. *Obs. 130.*

V.

Novellæ non sunt eo ordine latæ, prout collocatæ; Nam posteriores ordine nonnunqvam sunt constitutione priores. Exemplum est in *Nov. 156. & 162.* qvas inter hæc prior est illa. Aliud in *Nov. 158.* cujus casus jam tum in *N. 118.* contigisse videtur, qvod ex decisione ejus patet, nam in *N. 158.* circa successionem Impuberis concurrunt Thecla, amita & Cosma avunculus, de successione inter se contendentes qvam amitæ assignat Imperator, ut ex linea paterna provenienti & potiori. Cæterum post *N. 118. C. 4.* in omnibus successionibus Agnatorum, Cognatorumqve differentiam vacare præcipit, ita ut omnes tam â Patre, qvàm â Matre conjuncti secundum gradus proximitatem succedant.

VI.

Nomen Novellæ acceperunt inde, qvod novissimè sint latæ, nec enim semper aliqvod Jus novum proponunt sed & vetus interdum confirmant, interdum iterum

introducunt, qvod uſu jam erat obſoletum. Hinc non ſunt correctoriæ Novellæ niſi de eo vel ex præfatione, vel ex ipſo contextu conſtet. Interea tamen Novellas ſummam habere autoritatem, nec ſolum Legibus Digeſtorum, ſed & Cod. iisdemq; deciſionibus novis, qvæ emendato Codici noviter inſertæ fuerunt derogare, certum eſt & indubitatum dicente Hunn. *Encyclopæd. Jur. P. 1. cap. 6. tit. 1.* Aliqvot etiam locis in Novellis ipſis fuit demonſtratum.

VII.

Cum vero Novellæ iſtæ Conſtitutiones primum græcè fuerint conſcriptæ ac editæ ad textum græcum ut originalem & authenticum in dubiis caſibus eſt recurrendum, paucæ ſunt exceptæ qvas latinè conſcriptas eſſe volunt qvod ex ſtyli puritate colligunt Dd. qvas inter eſt *Nov. 9. 11. 33. 34. 35. 41. 62. 65. 104. 110. 143.* qvamvis tamen in cœteris Novellis latinitas non ſit inelegans, niſi qvod in uno vel altero textu ob prolixitatem periodorum ſenſus fiat intricatior, qvo tamen ipſo latinitati nihil decedit.

VIII.

Verſio qvæ in Corpore Jur. habetur, cui potiſſimum ſit adſcribenda, non conſtat, Cujac. *L. 8. Obſ. C. ult.* homini Græco ac erudito adſcribit Arthurus Duck *de Autor. Jur. Civ. L. 1. C. 4. th. 16.* duplicem Novellarum verſionem allegat, *primam*, qvæ fuit Juliani Anteceſſoris Conſtantinopolitani cum Scholiis Baſil. fol. 1570. non diu poſt Juſtinianum, qvam omnes laudare inqvit Alciatus *L. 2. παρεργῶν. Cap. 46.* *alteram* qva Acurſius & Interpretes utuntur, qvam dictus Alciatus appellat barbaram, autoritatem tamen ejus ex antiqvitate commendat Cujac. *loc. citat.* qvæ facta fuit ab Autore incerto latini ſermonis forſan imperito, autoritatem tamen habet in judiciis dicente eodem Duck *cit. loc.* Qvapropter & eam hic in multis

ſum

ſum ſecutus. Nam Cujac. *L. 12. Obſerv. 16.* omnibus Interpretibus Græcis & Latinis Acurſium anteponit, â qvo qvicqvid Barth. aliiqve aberraverint, ſomnia appellat, merito tamen poſt hunc Barth. ſeqvitur, cujus ingenio Numen adfuisſe Interpretes teſtantur, & poſt illum Bald. qvem nihil ingnorare Jaſon ſolitus eſt dicere, & teſtatur de eo Decius *Conſil. 283.* neminem mortalium autoritate Baldum adæqvare poſſe. Alias ſtatuunt & recenſent Dd. qvinqve Novellarum verſiones, ut prima eſt *Juliani* de qva paulo ante dictum, ſecunda *Bergontii Piſani*, Veteris Interpretis, qvem tempore Irnerii floruiſſe vult Antonius Auguſtini, qvi & Pariſiis A. 1567. latinè edidit Novellas: tertia *Gregorii Haloandri*, qvarta *Henrici Agilæi*, Baſileæ in qvarta 1561. qvinta *Anthonii Contii Tholoſani* Baſileæ fol. 1575. qvas interutra ſit melior, & textui convenientior, eruditi judicent, qvorum hic judicio & informationi me ſubmitto.

IX.

A Novellis plane differunt *Authentica*, qvæ in Codice reperiuntur, ſunt enim ſummulæ qvædam ex Novellis excerptæ ac LL. Cod. qvibus ſubjectæ derogant. Aliqvæ earum ſunt Imperatoris Friderici ut *avth. Habita C. Ne filius pro patre* plurimæ vero deſumptæ ſunt ex Novellis Juſtiniani Conſtitutionibus, qvæ non à Triboniano collectæ; ſed ab Irnerio JCto ſub Friderico Imperatore, qvas ille miſit ad JCtos Papienſes, ut ad LL. Cod. adjungerentur. De hiſce qvoties controverſia incidit, recurrendum eſt ad fontes, ex qvibus deſumptæ, ideoqve non valent, niſi in qvantum cum ipſis Novellis congruunt. Rittershuſ. *ad Jus Novell. P. 7. C. 14. circa fin.* Licet qvoqve aliqvi tradant, illas qvoqve avthenticas uſu eſſe receptas, qvas Irnerius propria adjecit autoritate, contrarium tamen ſtatuit Richter. *ad Avthent.* conf. Excell. Strauch. Irnerius *non errans* extat in Diſſert. Academ.

X.

Avthenticas dictas esse ad distinctionem epitomes, qvam fecit eorum Constitutionum novissimarum Autor Julianus, Antecessor Constantinopolitanus circa tempora Justiniani existimat Gudelinus *de Jure noviss. Lib. 1. C. 1.* â qvo dissentit Brunn. *Cod de Emendat. Cod. n. 7.* qvi sic ratione originis & dignitatis Novellarum putat dictas. Docere qvoqve nititur Alciatus *Lib. 2. Parergon. cap. 46.* qvem vid.

XI.

Ordo in Novellis nullus observatur, collectæ enim sunt post mortem Justiniani Imperatoris & meretur hic videri Chronologia annorum & Consulum, ubi habetur, qvibus annis Novellas itemqve Leges & qvos juris libros promulgaverit, aut constituerit Justinianus Imperator ex Huberto Giphanio, subjuncta operi Matthiæ Stephani *ad Novell. vid. paulo supra th 5.* Qvapropter etiam si contraria ê Novellis occurrant, non laborandum de conciliatione, nam posterior semper derogat priori. *arg. L. fin. ff. de Constit. princ.*

XII.

Unde ulterius notandum, Rubricas Novellarum â Dd. adjectas variare, nec qvicqvam pro causarum decisione facere, Cujac. *L. 20. C. 23.* Aliter se res habet in *ff.* & *Cod.* ubi Rubricæ & Tituli si integrum contineant sensum & ab Ut & NE incipiant, plenam habent probandi vim, & pro decisione allegari possunt, vid. Wesenb. *ad Tit. de Action. pr. n. 11. & seqq.* v. gr. *Qvod qvisq; Juris in alterum statuit, ut ipse eodem Jure utatur. Ne qvid in loco vel flumine publico fiat. Ne rei Dominicæ vel templorum vindicatio temporis præscriptione summoveatur. Ut qvæ desunt Advocatis partium, judex suppleat. Ut nulli patriæ suæ administratio sine permissu Principis permittatur.*

XIII. Di-

XIII.

DIvisio Novellarum perinde nulla datur & licet in Collationes & titulos sint distributæ, non tamen ea distributio Justiniano adscribitur; sed potius JCtis, qvi Collationes propterea Novellas appellasse dicuntur, qva ad Jus Romanum in pandectis digestum, & ad æqvitatem sunt collatæ-Stephani *proœm. Novell. n. 31. 40.* Hisce recensitis Novellis cohærent Edicta XIII. Justiniani Imperatoris, qvæ non ad certum aliqvem hominem aut populum sunt scripta; sed in genere promulgata, Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Ex. 1. L. 1. tit. 2. th. 68. in fin.*

XIV.

Novellæ, ut & cœteræ juris partes obligant in Foris & Scholis, in qvantum sunt receptæ, qvæ receptio, qvo tempore sit facta, hic non vacat examinare. Nusqvam vero ita recepta Romana sunt, ut vetera Jura qvibus statuentes olim sunt usi, qvibusqve adhuc in nonnullis uti consveverunt sint abolita, aut ut novorum statutorum legum cum Romanis etiam pugnantium condendarum potestatem, Principes, aliiqve Ordines sibi non retinuerint. Hinc hodieqve passim per universam Germaniam plurima edicuntur & promulgantur, qvæ â Romanis institutis immane qvantum dissident, nefas enim foret, si secundum LL. Romanas solas esset vivendum dicente Conringio *de O. J. Cap. 33.* unde hodie extant *Recessus Imperii & Deputationum Ordinationes Imperii ut Cameralis*, item, *Ordinatio Politica de Anno 1548. August. Vindelic.* communi Imperii Statuam consensu conscripta & promulgata, postea vero Francofurti in Imperii Conventu A. 1577. aucta, renovata & confirmata. Deniq; *Ordinatio Criminalis* Caroli V. in qva & Processus criminalis exhibetur & qvaliter singula delicta puniri atqve coerceri debeant, exponitur, qvæ omnes post has Constitutiones Novellas Justiniani singulari

lari ſtudio & diligentia evolvi & legi debent, utpote in qvibus accurate ex poſitum, & qvod antea obtinuit & qvod poſtea deſvetudine Inumbratum imperiali remedio eſt illuminatum. §. 5. *proœm. Inſt.*

NOV. I.

De Heredibus & Falcidia.

PROOEMIUM.

§. 1.

1. IMperator JUSTINIANUS ut rigidus juſtitiæ cultor & adminiſtrator hoc ipſo tam illis, qvibus à Teſtatore aliqvid relictum, qvam ipſis Teſtantibus hunc volvit exhibere honorem, ut ipſorum ſervetur voluntas cum enim nonnunqvam heredes adeunt qvidem, ut hic Imperator loqvitur res aliorum indevotè easdemq; percipiunt, qvod vero juſſum eſt non faciunt contra naturalem æqvitatem, qvæ vult commoda cujusqve rei eum ſeqvi, qvem ſeqvuntur incommoda *L. 10. ff. de Reg. Jur.* hic conſtituit nimirum *C. 1. h. Nov. §. 1.* repelli heredes niſi voluntatem teſtatoris adimpleant.

2. §. 2. Ulterius tradit ab Imperatore, aliqvibus perſonis, (ut filiis, nepotibus, parentibus atq; matribus legem imponere ut diſtribuant, qvandam partem, i. e. legitimam tanqvam *ſecundum ipſam naturam* iis debeatur, qvibus verbis aliqvi voluerunt innuere & tradere, jure naturæ liberis legitimam non deberi, maxime, cum omnia remedia qvibus legitima petitur de jure Civili ſint introducta *t. t. ff. & C. de inoff. teſtam.* qvodqve miles liberos ſuos ſcienter præterire poſſit, nec legitimam relinqvere teneatur

L. 24.

L. 24. C. de inoff. testam. L. 9. L. de test. mil. Qvod Jus Civile permittere non posset, si legitima præceptive esset juris naturalis. Hisce & aliis jungunt textum *Num. 27. v. 8.* 3.
ubi extantibus masculis fœmine â succesfione parentum excluduntur, pro cujus tamen textus explicatione vid. Selden. *de Succesf. Hebræorum. Cap. 1.* Cœterum qvatenus 4.
legitima portionem alimentariam continet de jure naturali liberis & parentibus deberi jam infinitis Doctorum autoritatibus comprobatum est, qvorum numerum ingentem allegavit Esbach. *Not. & Addit. Carpz. P. 3 C. 12. Def. 1.* vid. & Mynsing. *Cent. 6. Obs. 44.* pergit eod. §. Im- 5.
perator, interdum etiam fratribus deberi partem aliqvam, *L. Fratres, 27. C de inoff. testam.* & aliis personis, qvas LL. partim enumeraverunt, interdum etiam extraneo debetur ut patrono cui tertiam partem assignat Imperator §. *3. I. de Succesf. libert.* Aliis autem pergit Im- 6.
perator, *circ. fin.* hic nulla consistit necesfitas partem aliqvam propriæ substantiæ, dare sed sua potestas eis largitur ad qvoscunqve testator voluerit proferenda. Seqvi- 7.
tur hinc exceptis recensitis personis posse testatorem instituere, qvemcunqve vult, modo non prohibeantur specialiter. *vid. L. 17. §. 1. ff. de Pœnis. L. 1. C. 1. de Hered instit. L. 2. C. de Apostat. L. 1. C. de Hered L. 1. C. de Judæor. L. 6. §. 4. ff. ad SCt. Trebell. L. 8. 12. C. de hered. instit.* Insuper seqvitur, 8.
non esse necessum, ut fratrum liberis aliqvid relinqvatur Hartmannus Hartmanni *Lib. 2. tit. 43. Obs. 6. n. 14.* Qvamvis in foro conscientiæ fratres cœterosqve collaterales sine causa præteriri non posse existimet Sutholt. *Diss. 11. in fin. Corollar. 1.* pro qvo facit *L. fin. C. Qvor. bon.* vi cujus lex ipsa naturæ superstites consangvineos facit succesfore uxori ab intestato defunctæ sed virum extraneum vid. Bachov. ad Treutler. *Vol. 1. Disp. 13. th. 11. lit. C. circ. fin.*

CAP. I.

Si heres legata ſolvere noluerit.

§. 1.

HOc caput partim eſt *ampliatorium* juris veteris, nam *in* §. *19. J. de Action.* pœna conſtituitur dupli, qvi relicta ſacroſanctis Eccleſiis vel aliis venerabilib9 locis præſtare tergiverſantur, hic vero in Cap. 1. plane adimitur qvod
2. relictum, partim eſt *correctorium* & in ſpecie corrigit *L. 5. C. de religioſ. & ſumpt. fun.* qvæ vult voluntatem defuncti citra conſcientiam læſam omitti non poſſe nec heredes jure actionis; ſed judicis officio ad implendam volunta-
3. tem cogi vult, hoc autem Caput §. 1. heredem & qvemlibet honoratum voluntatem defuncti legitimam omnimodo impleri jubet, nam ſi negliget implere, intra annum â judice ea propter admonitus, amittit relictum, ſi ſit Pater, Mater, filius aut frater excepta legitima, qvam retinent idqve applicatur aliis heredibus inſtitutis ſi non ſint contumaces in implenda defuncti voluntate, idqve ju-
4. re accreſcendi ſecundum partes inſtitutionis. Si vero nullus ſit heres, aut qvidem aliqvi ſint ſcripti, hereditatem tamen non adeant, tunc ablatum illis qvi alias res hereditarias habent poteſt adjici, & licentia dari & legatariis & fideicommiſſariis & ſervis libertate honoratis adire, & hæc acqvirere, cautione tamen prius ab iis præſtita ratione perſonarum vel rerum, ut ſi perſona pauper ſit, qvæ facile non poſſit offerre ſatisdationem & ſic â petitione liberalitatis ex teſtamento ſubmoveri ipſi onus ſatisdationis remittatur *L. 6. ff. ſi cui plus qvam*
5. *per L. Falcid.* Sufficere tamen hoc caſu cautionem juratoriam *ad. d. L.* tradit Brunn. aut ſi res magnæ ſint relictæ, ſatisdatio fidejuſſoribus datis exigatur ab eo, qvi poteſt

poteſt dare, aut alia cautio præſtetur, nam antiqvam illam fidejusſoribus ſatisdandi neceſſitatem hodie non attendi; ſed univerſali conſvetudine eſſe abolitam tradit
Hahn ad W. *qvi ſatisdare cogantur.* Tendit autem eò hæc 6.
cautio, ut accipientes res hereditarias ea agant qvæ teſtatores agi & obſervari voluerunt. Qvod ſi neuter 7.
eorum, qvos paulo ante recenſuit Imperator velit adire, aut res hereditarias accipere, heredes legitimi vel ab inteſtato admittuntur, ut tamen & hi ſimiliter præſtent cautionem de complendis his, qvæ in teſtamento continentur ob rationem in textu additam *cum inordinatum nihil neqve confuſum fieri velit Imperator.*
Præfertur igitur primus in ordine cognationis, ut col- 8.
lateralis ex legitimo foro oriundus ob vinculi duplicitatem fratribus & ſororibus unilateralibus. *Nov. 118. C. 3.* Poſt alii proqvinqviores, donec ultimus in cognatione venienti relinqvat, deniqve etiam Fiſco, qva in parte videtur hæc Nov. eſſe correctoria juris veteris, & convenit cum hactenus traditis exacte. *Auth. Hoc amplius, C. de Fideicommiſſ.* Notanter autem in textu de Fiſco dicitur 9.
ſi voluerit; habet enim & Fiſcus abſtinendi beneficium, cum nullibi compellatur eſſe heres, ſed ſi velit, hereditatem capere poteſt, qvippe ſpernere non minus ut alius privatus alia bona Fiſcus poteſt. *L. 14. §. 14. ff. de Fideicommiſſ. libert.* Qvod jam attinet legatarios & fidei- 10.
commiſſarios in illis Imperator h. §. hunc ordinem obſervari vult, ut præferantur univerſales ſingularibus, aut multis exiſtentibus, majorem bonorum partem habens, qvia talis loco heredis habetur *arg. L. 5. ff. Qvod cum eo qvi in al.* ſic tamen, ut heres Trebellianicam deducat, Pegaſiano SCto abrogato, cujus præcipua capita in SCtum Trebellianum tranſtulit. *§. 7. I. de fideicommiſſ.* Qvod ſi 11.
nullus fuerit fideicommisſariorum per univerſitatem aut

legatariorum, ſed omnes æqvalem habeant fortunam, admittitur, qvi teſtatoris voluntatem implere vult. Si
12. nec legatarius ſpecialis aut particularis fideicommiſſarius voluntatem defuncti amplectuntur, ſervi libertate honorati juxta ordinem denominationis á domino factæ admittendi.
13. *Addit.* Igitur ſi de voluntate teſtatoris conſtet, ordo ſcripturæ non attenditur, ſi vero illa dubia, attenditur, habetur enim hic Index mentis ſcribentis qvoad ordinem dilectionis. Mev. *P. 2.*
14. *Dec. 226.* Hinc fideicommiſſum relictum pluribus v. gr. filiis teſtatoris vel nepotibus vel cognatis intelligitur ſemper primùm de illis, qvi primo ſunt vocati, & iis deficientibus de cœteris inter qvos eſt affectio ordinata, ubi ordo ſcripturæ inſpicitur, & ſic vocantur primum filii omnes, & his deficientibus nepotes Me-
15. noch. *Conſ. 200. n. 18.* Carpzov. *P. 3. C. 9. Def. 16. 17.* Extra caſum dilectionis, ſi fortaſſe legaverit ſtipendium tribus familiis, & incertum, utri primo loco debeatur, vel ſi Titius & Sejus alternis annis debeant habere uſumfr. ordinem ſcripturæ ſeqvimur. *L. Qvoties, 34. pr. ff. de uſufr.* Et hinc regula Dd. *primus in verbis, pri-*
16. *mus in voluntate.* Unde deducitur, ſi duo Aſſeſſores ſunt præſentati alternative, & paria ſint cœtera, primum eſſe confirmandum in dubio, qvod ex Blum. *de Jure Cam. tit. 7. §. 34.* probat Brunnem. *ad d. L.* Alias ordo ſcripturæ non impedit cauſam juris & voluntatis. *L. 77. §. 12. ff. de Legat. 2.* vid. Mev. *d. Dec.*
17. §. 2. Hactenus dicta ſancivit Imperator, ut locum habeant, ſi liberi, Parentes & certo caſu fratres non ſatisfecerint voluntati, ut præter legitimam debitam nihil retineant, extranei vero heredes debeant privari omnibus relictis, ne qvidem Falcidia retenta & ſi coheredes ſint vocati, illi admittendi, his non exiſtentibus, legatarii, fideicommiſſarii & ſervi libertate donati, & omnes ab inteſtato juxta ordinem §. 1. recenſitum, ſic tamen ut ſemper onus cautionis de qvo itidem §. 1. cohæreat.
18. *Addit.* §. 3. Licet verò magnus coheredum ſit favor, non tamen tantus, ut Subſtituto ſemper præferantur, licet conjuncti videantur, ſicqve habeant jus accreſcendi; eſt enim Subſtitutio potentior ipſo jure accreſcendi, nam ſubſtitutus habet teſtato-
ris

ris voluntatem ab ipſomet expreſſam, Conjunctus vero tacitam, h. e. præſumptam à lege; voluntas autem expreſſa anteponitur præſumptæ. Menoch. *Lib. 4. Præſumpt. præſ. 87.* hinc etiam primum 19.
ad ſubſtitutum hereditatem aut non aditam, aut repudiatam, vult venire. Verum hoc non exiſtente ad reliqvos ſupra aliqvoties nominatos, ut tamen ſemper compleant voluntatem defuncti, qvæ omnia Imperator propterea introduxit, *ne remaneat ſine aditione ipſius morientis hereditas.*

§. 4. Exheredatos autem liberos, ſi juſte à Patre ſint exclu- 20.
ſi, & nihil ex Patris habeant voluntate, non vocat Imperator licet decies millies velint.

Addit. Ratio in textu. Una eſt enim legis intentio, ut qvæ 21.
diſpoſita ſunt à morientibus, impleantur; eum enim, qvi ab ipſo teſtatore propria ſubſtantia pulſus eſt, qvomodo erit juſtum &c.

Addit. Qvær. hic, *ſi ob illatas injurias & os maledicum exhere-* 22.
dare potuiſſet Pater, morte tamen præventus omiſit, an ſic etiam ſecundum §. hunc ſit judicandus filius? R. Neg. Sed potius admittendus, cum injuriam remiſiſſe cenſendus ſit Pater & hic in materia pœnali & odioſa verſemur, qvæ reſtrictionem ſvadet potius, qvam ampliationem. *Cap. Odia X. de R. J. in 6to.* Interea omiſſa 23.
à Parente exheredatio vel expreſſa injuriæ remiſſio non poſſunt efficere, qvin à judice inſignis filiorum plectatur impietas, nam grave hæc delictum eſt, & ex officio judicis graviter puniendum, nec tribuitur hodie Parentibus id jus, ut ex ipſorum tantùm voluntate liberi pœnam ſentiant; ſed velut ob publicum crimen pro modo delicti per Magiſtratus vindicta juſtè exercetur. Mev. *P. 4. Dec. 184.* Nec deciſio §. huj. obtinet, ſi forte Pater filium ex- 24.
heredaverit, qvod ad Reformatam vel Romano-Catholicam Religionem tranſierit, nam qvod de filiis ob hæreſin exheredandis conſtituit Juſtinianus *Nov. 115. c. 3. verſ. Si qvis ex memoratis*, id ad Reformatos Romano-Catholicos & Lutheranos ut ſe vocant non eſt extendendum. Licet enim olim Pacem Reli- 25.
gionis Reformatis diſputaverit. Carpz. *Juriſpr. Eccleſ. Lib. 2. Def. 266.* & *de Lege Regia Germanorum Cap. 6. Sect. 4. n. 23. ſeqq.* eosdemqve Pontificii è Pace Religionis excluſerint, Mund. *de Muner. & honorib.* ſatis tamen expreſſe jam qvæſtio illa deciſa reperitur

ritur in I. P. Cæsar. Svec. de An. 1648. *art. 7. pr.* ibi: *ut, qvicqvid juris aut beneficii, cum omnes aliæ Constitutiones Imperii tum Pax Religionis & Publica hæc transactio, in eaqve decisio gravaminum, Cæteris Catholicis & Augustanæ confessioni ad dictis Statibus & subditis tribuunt, id etiam iis qvi inter illos Reformati vocantur, competere debeat*
26. nec locum habet, si in favorem liberorum facta exheredatio,
27. de qva casus elegans in *L. 18. ff. de liber. & posth. hered. inst.* nam talis exheredatio bona mente facta adeo jure valet, ut filio sic exheredato qverela inofficiosi non competat *L. 25. C. de inoff. testam.* vid Sande *Lib. 4. Definit. Frisic. tit. 2. Def. 3.* Atqvi hinc seqvi videtur, aliqva per obliqvum licere & concessa esse, qvæ tamen
28. directo non valent. *arg. pr. & §. 1. I. de Exhered. liber.* Igitur institutis & substitutis aut coheredibus aut renunciantibus, hereditatem non adeuntibus, legitimis & cœteris extraneis aut Fisco datur jus adeundi & jus pro herede gestionis habendi.
29. Aditionem sine dubio hic reqvirit Imperator, qvia nisi fuerit adita hereditas, eam non transmitti nec veteres concedebant, nec nos patimur ipsomet loqvente *L. un. §. 5. C. de Caduc.*
30. *tollend. L. 7. C. de Jure deliberand.* Gail. *Lib. 1. Obs. 131. n. 2.* Triplicem autem nonnulli faciunt transmissionis casum, *Suitatis, Sangvinis & Juris deliberandi*, ubi etiam hereditatem aditam transire
31. vult Gail. *Lib. 1. d. l.* Sui autem heredes hereditatem non aditam ad qvoscunqve heredes etiam extraneos transmittunt Duarenus *ad Tit. ff. de A. vel O. hered. Cap. 5.* Sichard. *ad L. 3 C. de Jure*
32. *deliberand.* Brunn. *ad Tit. C. de suis & legit.* Hodie teste Gudelino *de Jure Nov. Lib. 2. C. 18.* continuatur Dominium defuncti in proximum heredem, non modo in recta linea, verum etiam in transversa tamen eis abstinendi facultate concessâ, ac transmittit proximus qvi non abstinuit hereditate tanqvam maxime sibi acqvisitam in suum heredem, paucis locis exceptis, in qvibus cognatus transversæ lineæ ut jus hereditatis adipiscatur, eam adire debet seu apud Magistratum, ut loqvuntur, relegare, nam levantur illa qvæ jacent, atqvi hereditas qvamdiu adita non est, jacens di-
33. citur; licet qvoqve interdum moribus cum Inventario suscipia-
34. tur hereditas, de qvo infra. Debent qvoqve heredes tales, ut vult hic Imperator jus pro herede gestionis habere pro herede autem

autem qvis gerere videtur explicante ipſomet. §. *7. Inſt. de Hered. Qval. & Differ.* ſi rebus hereditatis tanqvam heres utatur, vel vendendo res hereditarias, vel prædia colendo, locandove & qvoqvo modo voluntaten ſuam declaret vel re vel verbo de adeunda hereditate, dummodo ſciat eum, cujus in Bonis pro herede gerit, teſtatum inteſtatumve abiiſſe ſeq; ei eſſe heredem. Præ- 35.
ſumitur autem filius pro herede gerere inhabitando ædes paternas Gail. *L. 2. O. 128.* Brunn. *ad L. 1. C. de repud. heredit.* Mev. *p. 4. Dec. 173. n. 3.* niſi pietatis aut cuſtodiæ cauſa adminiſtret vel gerat qvid, ut ſi jumenta aut pavit aut diſtraxit, non ut heres, ſed ut cuſtodiat. *L. Pro herede, 20. §. 1. ff. de acqvir. vel Omitt. hered.* Si 36.
vero actus ita dubii ſint, ut ex iis prudens judex æſtimare non poſſit, an aditionem hereditatis importent, nec ne, ſtandum eſt declarationi juratæ ejus qvi eos fecit. Carpzov. *P. 3. C. 14. Def. 22.*

Concludit deniqve hoc Caput Imperator ſtatuens, heredem 37.
extraneum, & qvemlibet honoratum inobedientem omni commodo hereditario privari debere & perſonis ſupra recenſitis ordine applicari, ex heredatis prorſus excluſis. Et legem hanc non ſolum qvi nunc ſunt, hominibus; ſed omni etiam poſt hoc currenti tempori poſuit *in fin. hic.*

Addit. Ut in pauca conferam qvæ in *Cap. 1. §. 2. 3. & 4.* ha- 38.
bentur, notandum, licet hodiè non amplius videatur dari deſtitutum teſtamentum cum per h. Cap. nolente implere voluntatem defuncti deferatur (1) Subſtituto, ſi & ille nolit, tunc (2) coheredi (3) fideicommiſſario Univerſali; (4) fideicommiſſario ſingulari vel legatario, (5) teſtamento manumisſis, (6) heredibus ab inteſtato, (7) Extraneo cuilibet voluntatem defuncti implere volenti, (8) Fiſco, *Auth. Hoc amplius, C. de fideicommiſſ.* Ex qvo ali- 39.
qvi aſſerunt, hodiè legatarium ipſum poſſe adire. Verum Novella hæc non intelligenda eſt de caſu heredis adire nolentis, ſed de herede, qvi qvidem adiit, verum defuncti voluntatem implere recuſat. Excell. Dn. Stryk. *Caut. Contr. S. 3. C. 3. §. 9.*

CAP. II.

De Lege Falcidia & Inventario.

Ex

1. EX qvo Imperator in Cap. præced. de incommodo heredum egit, hic tractat de eorum commodo, nempe de Falcidia ê legatis detrahenda, cujus deductio etiam obtinet testatore invito, cum privatorum cautione legibus non esse refragandum constet ex *L. 15. §. 1. ff. ad L. Falcid.* Cœterum hoc novo jure mutatum in *Auth. C. Sed cum testator. eod.* vi cujus detractio ejus expresse potest
2. prohiberi; hinc cum qvis bona sua in distributione aliqva coram testibus distribuisset, & petiisset, ut heredes non impugnarent ultimam voluntatem, **Seine Erben möch-**
3. **ten nicht darwieder seyn**/ cessat deductio, nam non contravenit voluntati defuncti qvi non prohibitus Falcidia
4. utitur Brunn. *Cent. 1. De. 62.* Si autem ita: **Es sol mein Eh-Weib nichts raus geben**/ qvia particula: **nichts**/ universalis est, prohibitam esse Falcidiam, Responsum â Facul-
5. tate Juridica probat idem ad *L. 15. ff. ad L. Falcid* perinde & sicut ob verba: sine diminutione esse prohibitam,
6. probat idem *cit. loc. n. 6.* Introducta tamen etiam est heredum gratia, ut qvasi præmio L. Falcidiæ allecti hereditatem adeant, & sic testamentum confirment, qvod alias irritum foret Hahn ad W. *h. t. N. 4.* Peretz. *Erotemat. ad*
7. *I. h. t. pr.* Igitur per L. Falcidiam & Nov. hanc heredes de legatis qvartam substantiæ bonorum detrahere pos-
8. sunt. Sancit hic tamen Imperator, qvoniam tueri vult deficientium voluntatem, si heredes beneficio hoc potiri volunt puta legis voluntatem servare, nec ex rebus
9. hereditariis per malignitatem qvid surripere; Nam qvi tale qvid faciunt, qvartam retinere non possunt. *L. 6. p. de his qvæ ut indign.*

10. §. 1. Igitur si heres metuat, ne post debita & legata exsoluta Falcidiam habeat, Inventarium conficiat secundũ modum & tempora dudum ab Imperatore sancita, nimirum in *L. f. §. 2. & 3. C. de Jure deliberand.* scil. (1) ut intra

30. dies

30. dies â delata hereditate, si comperit delatam, inchoetur & intra 60. dies alios absolvatur (2) ut in præsentia duorum Notariorum conficiatur, forte verò duo reqvi- 11.
runtur, si bona registranda in diversis provinciis sita. Brunn. ad *d. L. f.* alias hodie sufficit unus, (3) Ut res omnes in inventario inventæ illi inserantur, (4) Ut subscriptio fiat ab ipso herede vel si ignarus literarum sit, vel scribere prætereatur, speciali Tabulario ad hoc solum adhibendo, ut pro eo literas supponat venerabili signo antea manu heredis præposito &c. *d. §. 2.* licet vero has 12.
solennitates Justinianeas moribus nostris non observari doceant Sichard. ad *d. L. f. §. 2. n. fin.* Rittershus. ad *Nov. P. 6. C. 8. n. 10.* Mev. *P. 2. Dec. 356.* qvam vide, in dubio ta- 13.
men solennitatibus ab Imperatore præscriptis toties est insistendum, qvoties consvetudine alicubi aliud non esse receptum, probatur. *arg. L. 32. C. de Appellat. L. 27. C. de testam.* & docet ipse Mev. *P. 2. Dec. 356.* in Inventarii reqvi- 14.
sitis consvetudinem esse attendendam, & licet Carpz. *P. 3. C. 23. def. 6.* qvalemcunqve ejus defectum juramento suppleri tradat, Mev. tamen d. loc. hoc non concedit, si 15.
reqvisitum deficiens non sit substantiale: id vero adjicit Imperator in *h. Nov. d. L. f. C. de Jure deliber.* ut heres non creditorem solum; sed & legatarios & fideicommissarios metuens, ne damnetur, aut nihil lucretur convocet omnes legatarios, qvanticunq; sint in Civitate aut Procuratores si fortassis mulieres in Judico comparere non audentes aut valetudine præpediti vel pupilli & adulti, Curatores habentes aut aliqvi in vinculis sint, vel alia qvadam dignitate fulgeant, qvi pro iis compareant & Inventarii confe- 16.
ctioni adsint, si vero ex legatariis vel Creditoribus aliqvi absint, testes fide digni & possessionati, & optimæ fidei non minus tres debent adesse, (nam Notariis solis, qvantum ad hoc, credi non vult Imperator) coram qvibus debet

bet fieri Inventarium, ita ut si redeant legatarii, quærentes aliqvid rerum hereditariarũ forsan surreptum aut non manifestatum (servi licet causa Civilis sit) torturæ pos-
17. sint subjici, cum duplici tamen moderatione, ut vult Brunn. *ad L. C. de Qvæstion.* (1) ut illi tantùm servi torque-
18. antur, qvi administrarunt res hereditarias. (2) Ut ille qui petit servos torturæ subjici, juret, se non calumniæ causa id petere. Jurabit tamen & heres, ut hic vult Imperator & testes qui jurato dicent, *se adfuisse iis, qva gesta sunt, & vidisse qva acta, nec posse se malignitatis alicujus heredem arguere*, hæcqve revera à Testatore fuisse relicta. Est
19. hic vero notandum, testimonium de visu esse certissimum, & omnium optimum, & probationem ad Oculum & visum omnem aliam vincere probationem, sicut unicus testis de visu præferatur famæ, cum per visum verè probetur, per famam saltem præsumptive vid. Excell. D. Stryk.
20. *de Jur. Sens. Disp. 1 C. 4. n. 5. & seqq.* Quod si vero præsentes legatarii, vel omnes, aut qvidam certi-oratione facta venire noluerint, nec confectioni Inventarii adesse, heres etiam non præsentibus legatariis tribus testibus præsentibus descriptionem bonorum facere potest, remisso legatariis & heredi juramento, servorum torturâ, sicque adversus legatarios & fideicommissarios ex L. Falcidiâ præsidium
21. habere. Atque hactenus dicta si observentur, putat Imperator, se legem hactenus approbatam non minuere neqve injustitiam facere morienti; si enim sibi aliquos vult fieri heredes, & ex successione sua habere consolationem, putetqve sufficientem se substantiam habere, quæ tamen non
22. apparet, cum plus sæpe de facultatibus suis, quam in his est sperent homines. §. 3. *J. qvib. ex caus. manumiss.* sane circa hæc qvæ constituta morientis gratia, nunquam contrariabitur licet ignoraverit substantiam bonorum suorum.

23. §. 2. Si prædicto modo heres, non fecerit inventarium,

rium, non retinebit Falcidiam, & legatariis etiam ultra vires hereditatis tenetur, ita, ut etiam de suis ipsis satisfacere teneatur, præterea qvoqve heredem, non conficientem Inventarium, non solum amittere detractionem Falcidiæ, sed etiam Trebellianicæ statuunt. Vincent. Hondedæus *Lib. 1. Consultat. 126.. n. 38.* Spino â Cacer *Spec. Testam. Gl. pr. 35. n. 48. 54.* Jacob. Cancer. *Variar. Resolut. C. 2. De Inventar. n. 79.* â qvibus tamen dissentiunt alii, heredem non conficientem Inventarium Trebellianicam non perdere Stephan. Gratian. *Discept. for. L. 1. C. 34. n. 4.* ubi ait, contrariam sententiam non observari in praxi. Gail. *L. 2. O. 135.* 24.
ubi *n. 6.* inquit: ab hac sententia tanquam æquitati & juri consentanea judicem in judicando non debere recedere.
Liberos quoque ex causa non confecti Inventarii legitimam amittere præter alios docet Wissenb. *ad ff. Disp. 27. th. 23.* idque in foro Conscientiæ justum & de jure Can. quod in universa fere Europa receptum inquit ex Giphanio, cum utrobique heres, qui Jnventarium conficere neglexit, res quasdam hereditarias amovisse vel surripuisse præsumatur. Cœterum præter Gail. d. l. recte ab hac 26.
sententia recedunt Mynsing. *Cent. 3. O. 60.* Peretz. ad *C. de Jur. deliber. n. 15.* Treutler. *P. 2. Disp. 12. th. 19. lit. a.* Mantz. *de Testam. val. & inval. Tit. 12. qv. 52. per tot.* Limitat autem sententiam suam Gail. *d. l.* nisi de fraude & bonorum in- 27.
terceptione manifesto constet, statuunt quoque Spino â Cacer. *Spec. Test. Gl. pr. n. 8.* Vasquius *de Success. creat. §. 8. n. 16.* Covarruv. *ad cap. 6. n. 15. X. de Testam.* Surd. *Dec. 316. n. 16.* licet filiius ob non confectum inventarium legitimam non perdat, teneri tamen creditoribus & legatariis ultra vires hereditatis ad integra debita & legata de suo solvenda, in quam sententiam quoad creditores consenti- 28.
rem, utpote quibus ut heres patris ex vero contractu obligatus, & sic ad ejus debita solvenda obstrictus, *L. 14. C.*

29. *de R. V.* de legatariis vero aliud dicendum, quibus filius in legitima ob favorem potior, cum illi de lucro captando,
30. hic autem de damno vitando certet, nisi forte probari possit, dolo inventarii confectionem omissam, quo casu
31. locus esset sententiæ Gail. paulo supra allegatæ.

§. *Hæc autem.* Quod si testator circa bonorũ substantiam erraverit, & tantum reliquerit, ut nihil ferè apud heredem remaneret, & quidem minus Falcidia, erravit hic & non
32. pure & integre designavit; potest quoque expressim designare testator, ne heres sc. extraneo detrahat Falcidiam *vid. supr. ad pr. h. Nov.* Imo verbis æquipollentibus hæc Falcidiæ detractio potest prohiberi, quod deducunt ex ver-
33. bis textus *quadam juste & piè relinquenti lucrum &c.* Ex quibus verbis autem ex conjecturata voluntate testatoris prohibita censeatur & Falcidiæ ut & Trebellianicæ deductio latè tradit Menoch *Lib. 4. præs. 198. n. 10. seqq.* & licet aliqui
34. tradant Falcidium tacite prohiberi non posse, cum verbum: *expressim*, in textu hoc contineatur, dicit tamen Brunn. *ad auth. sed cum testator, C. ad L. Falcid.* communiter contrarium esse receptum, nec tutum â sententia in foro recepta recedere, imo in *Nov. 119. C. 11.* casus est, ubi propter tacitam ex conjectura seu interpretatione collectam
35. testatoris voluntatem cessat Falcidia, ut si testator prohibuerit, ne legatarius rem alienet ut sc. tanto magis ad
36. heredem legatarii res perveniat, quo ipso censetur heres
37. testatoris prohibitus Falcidiam exercere; si enim quarta Falcidiæ apud heredem maneret pro parte alienaretur Mantic. *de Conject. ult. volunt. Lib. 9. tit. 13. n. 16.* Rittershus. *ad Nov. P. 6. C. 5. n. 12.* Bocer. *class. 3. Disp. de legat. & fideicommiss. special.* vid. & Mascard. *de Probat. Vol. 3. concl. 1389.* Stephan. ad *Nov. 1. n. 27.* ibi: *Vel sine aliqua diminutione.*

38. Quodsi heres parere noluerit testatori, nec integra legata præstare, locus est substitutis & coheredibus &c. Ut Nov. præced. in Addit. dictum.

CAP.

CAP. III.

De Legatorum exæqvatione.

I. NOn debet heres mox ab initio qvibusdam integra solvere legata, & ad plenum sententiam testatoris servare, ab aliqvibus autem retinere; sed sententiam testatoris per omnia seqvi, nec ad pejora pœnitere. 1.

II. Nec concedit ab initio scientibus & incautè sol- 2.
ventibus, postea vero percipientibus legata lites inferre, & recipere â legatariis qvod exsolvit, nisi forte inopinabile qvoddam æs alienum appareat, qvod minuat substantiam & locum receptioni faciat.

Addit. Rat. Nam prima solutione amplecti videtur in o- 3.
mnibus judicium defuncti qvod derogat legi. *L. 6. §. ult. C. ad L. Falcid.* Qvod si heres ultra dodrantem per errorem facti sol- 4.
verit, non præjudicat sibi nec in iis, qvæ nondum solvit Brunn. *ad L. 6. §. 2. C. ad L. Falcid.* Aliud si sciens plus solverit, cum do- 5.
nasse videatur *L. 53. ff. de R. J. & L. 7. de Condict. ob caus.* ut si in jure erraverit, qvia debuisset consulere peritiores *L. 10. ff. de ignor. Jur.* si tamen heres cum Protestatione uni ob paupertatem, sin- 6.
gularem amicitiam legatum integrum solverit, aliis integra legata solvere non tenetur, qvia Protestatio conservat jus Prote- 7.
stantis & mentem ejus. *L. f. C. de usur. pupill.* Mev. *P. 1. Dec. 14. & 219.*

Limitat. Sententiam suam in f. h. cap. Imperator, sc. in casu, 8.
si inopinabile æs alienum appareat, ut Falcidia non detrahatur; hoc enim à parte heredis locum retentioni facit, cum bona non intelligantur, nisi deducto ære alieno *L. 39. §. 1. & L. 93. ff. de V. S. arg. §. 3. I. ad L. Falcid.* Mev. *P. 2. D. 161.*

CAP. IV.

Ut legata intra annum modis omnibus præstentur.

1. EX quo igitur Hæres adiit hæreditatem intra annum, ut definivit Julianus Epitomator ex judiciali definitiva sententia computandum, Hæres defuncti voluntatem implere tenetur, tam in solvendis legatis, quàm aliis jussibus exequendis. Hoc annô per culpam Hæredis transactô, ipse in Hæreditate relictis cadit, & Hæreditas ad alios juxta seriem C. 1. defertur.

2. §. 1. Pupillis autem & Minoribus subvenitur per Restitutionem in integrum, vel per actionem Tutelæ vel Curatelæ contra negligentes Tutores vel Curatores, ad hunc effectum, ut restituantur intra illum annum, quo relictum debuerunt solvere, ut cucurrisse non videatur. Non verò excipit â Lege Patronatus Successiones, nam legitimam servat in iis partem, quam definivit.

3. §. 2. Cum verò duplex sit testandi modus, aut in scriptam dispositionem delatus, aut in non scriptam voluntatem, hæc in omni voluntate sive scripta, sive non scripta observari vult, & in omni Persona, sive privata, sive militari, sive Sacerdotali, sive alterius, communem namque omnibus hominibus hanc L. ponit. Patrono quoque, si â libertis institutus fuerit Hæres legitimam suam servat Imperator, i. e. 3tiam partem, si ἄτεκνος moriatur
§. 3. *I. de Success. libert.* si quid ultra hanc relictum & liberti petierunt, ut Patronus aliquid det, vel faciat, Ordinem, quem C. præscripsit, servari vult Imperator, ut legalis pars apud eos ibi recensitos maneat, cœtera autem ad Ingenuos, cum successiones libertorum, & Ingenuorum æquaverit ferè Imperator.

§. 3. Qvia

§. 3. Quia autem Imperator communem omnibus hanc L. posuit in *fin. huj.* §. hinc nulla est differen- 4.
tia inter Testamentum Scriptum & Nuncupativum, Personam privatam, sive militarem, &c. ad hunc Effectum, ut qualiscunque persona sit hæres instituta, si voluntati defuncti morem non gerat, repelli possit ab hæreditate, & in solidum teneatur, si non fecerit Inventarium.

Addit. Tenentur & Palatini, vel Supremi Status Ministri, 5.
Superiori Legislatori obseqvium præstare, qvamvis enim ipsi ut Principum Vicarii ubiqve sint, & qvodammodò imperari videantur, Principi tamen præsenti, vel Lege, aut Edicto publico loqventi meritò parent, perinde sicut exoriente Sole cœteræ stellæ omnes, ne dicam omnium Planetarum lumina extincta videntur, majus enim lumen obfuscat minus, & ubi Leo pedem figit, ibi cœtera animalia qviescunt, arg. *Cap. Cum indubiis 3. X. de Consecrat. Eccles.* Manz. *in Fundam. Orb. & Urb. P. 2. § 9. n. 11.* aliud est si sermo sit de Imperatore in territorio alicujus Status Imperii præsente, nam tunc ejus jurisdictio suspenditur, qvia Statibus Imperii concessa est jurisdictio territorialis privativè vid. A. B. *Tit. 11.* Cap. Caroli V. & Ferdin. III. *art. 3.* Aliud iterum est si 6.
apud Landsassium Princeps moriatur, tunc de consvetudine non solent Principes turbare jura & jurisdictionem Landsassii, & hoc ideo, ne ex jurisdictionum confusione oriantur scandala, turbæ, & alia incommoda, & ne tales molestias creando animos fidelium Landsassiorum à se avertat. Sacerdotes & Clericos qvod attinet, Episcopali qvidem cognitioni à Marciano Imperatore sunt subjecti in *L. 25. C. de Episc. & Cleric.* & in *L. 13. C. de Episc. audient.* postea à Leone & Anthemio in *L. 33. C. de Episcopis & Cleric.* qvod privilegium auctum est à Justiniano in *Nov. 83. & 79.*

Cœterum qvoad alias LL. Civiles & Constitutiones ex æqvo 7.
& bono ordinatas, Civium Juribus Communibus uti, & Imperio S. Potestatis subjici vult Imperator; Et sanè eximi qvic- 8.
qvam ab Imperio S. Potestat. ratio nulla patitur, nam id ipsum qvod qvis eximi volet, aut nullo Imperio humano subjectum facit, aut alterius, qvàm Summæ Potestatis, latius id deducente

H. Gro-

H. Grotio de *Imperio* Summarum Pot. Circa Sacra *C. 4. n. 30. &*
9. *seqq.* Est igitur qvædam Clericorum exemtio, & qvidem ex beneficio Principum, ut & inter alia ostendit textus in *L. 47. C. de Episc.* non ex jure divino, ut qvidam Canonistarum nugantur, qvos refert Covarruv. *Jr. q. c. 31. n. 2.* Petr. Binsfeld. *de Injur. & damn. dat. c. 7. qv. 5.* Nec possunt Concilia qvicqvam concedere amplius, nisi qvatenus permiserint, & confirmaverint Principes,&Superiores.

EPILOGUS.

1. PRædicta igitur, ut ad communem omnium utilitatem scripsit Imperator, ut nimirum viventes relictis potiantur, & deficientes cum securitate moriantur, & quæ disposuerunt, ad Effectum perducant, ita hanc L.
2. ad omnes Populos & subjectos tum in Civitatibus, qvàm Provinciis vult pervenire, & observari, utqve metropolitani judices ad unamquamque Civitatem dirigant, & nullus maneat, L. hanc non audiens, *qvæ neqve in paupertate vivere neqve mori in anxietate permittit.*

3. *Addit.* i.e. Si Lex ab Imperatore hic præscripta, strictè observetur, & in Testamento relicta ad legitimos heredes vel legatarios perveniant, hi in paupertate non vivent, nec Testatores, qvod eorum voluntas non impleatur, in anxietate morientur,
4. cum sciant, etiam L. sepultis ministrare, nec enim cum nonnullis jurisprudentia qvæstus est incusanda, nam est res sanctissima, Civilis Sapientia, & pretionum mario non dehonestanda *L. 1. §. 5. ff. de Extraordin. Cognit.* nec seqvitur, Leges optimè callet, novit & applicare, E. dives est, & nunqvam in paupertate moritur, nam Experientia qvotidiana rerum Magistra contrarium docet.

5. Metropolitani judices juxta gl. hic erant, qvi in metropoli civitate alicujus provinciæ judicabant, qvi plerumqve erant Præ-
6. sides provinciæ totius. Sic Rex Francorum leges suas Ballivis eorumqve legatis destinat, hi vicissim eas singulis provinciæ suæ
7. civitatibus estimant &c. vid. *Glosſ. hic.* Hi igitur metropolitani ut

ut Vicarii Principis Constituentis inferiores erant, & operam adhibere teneatur, ut leges Superioris ad amussim observarentur, præstare qvippe debet minor majori obedientiam *Can. 9. dist. 93. pr.* Qvæ inter alia & in hoc consistit, ut mandatum Superioris suscipiat, ejusdemqve subeat judicem *Can. 38. C. 11. qv. 1. Gloss. d. l.* Vallensis *Paratitl. Jur. Can. de Majoritate & obedient. num. 3.* Zœs. ibid. *n. 4.*

NOV. II.

De non eligendo secundo nubentes mulieres &c.

PROOEMIUM.

CAsus in procœmio hoc talis proponitur, mater Gre- 1.
goria mortuo marito duos superstites habebat liberos, filium unum filiam alteram; dum autem filius de matre optimè erat maritus, & erga hunc gratum animum exhibere, nec extra competentem honorem dimittere parabat, ideoque ante transitum ad vota secunda ante nuptialem donationem filio donavit, retento sibi ususfructu. Cœterum abit ex hominibus filius, & mater & so- 2.
ror simul in hereditate succedunt. Ex quo autem non lon- 3.
ge post mater secundas nuptias contrahit, filia integram petit proprietatem prætendens eam sibi deberi quod ante nuptias donatio liberis acqviratur; sed mater excipit, non 4.
adesse ulterius donationem ante nuptialem sed jam tum esse permixtam bonis filii, ideoque dimidiam partem ad se jure hereditario pertinere, filia replicat, matri binubæ 5.
plane nihil juris esse circa hereditatem fratris, cum per transitum ad vota secunda omnia bona amiserit, quæ occasione mariti primi habitura esset, hinc qværitur, qvid juris?

CAP I.
De Electione sublata.

6. ℞. UT mater ad secunda vota semel transiens retentô usufructu proprietatem lucrorum nuptialium ad liberos communes transferat, adempta licentia eadem lucra in unum filiorum tantum transferendi.

7. *Rat*. Qvod lex malè præsumat de matribus secundo nubentibus, dum plerumqve novis maritis non solum res filiorum sed etiam vitam addicunt, *L. 22. C. de peric. administr. tutor*. Facit & hic ratio Imperatoris. qvoniam omnibus simul secundis nuptiis fecit injuriam ideoqve hoc casu proprietas ante nuptialis donationis tota ad filiam venit, usufructu, ut dictum apud matrem,
8. donec vivit, servandô. *L. 16. C. de usufr*. si vero mater præmoriatur filiæ tota ante nuptialis donatio competit, sed si filia, manet qvidem apud matrem, lucrum ex pacto filio non existente reliqvum tamen pertinet ad filiam, qvod transmittit ad heredes ab intestato.

9. *Addit*. Qvæ hic dicitur donatio ante nuptias, jam vocatur donatio propter nuptias §. 3. *Inst. de donation*. ab aliis Doctoribus *dotis amussis, ante factum antipherna* sive *contrados*, & est donatio, qvæ fit à marito uxori in compensationem dotis, Germ.
10. Das Gegen-Vermächtnüß ut adeo sit donatio propter nuptias qva nomine mariti res aliqva datur uxori propter nuptias, ut dum nuptiæ stabunt, uxoris fiat eodem jure, qvo dos apud maritum esse solet dotis remunerandæ gratia Hunn. *Encyclop. Jur. Part. 3. tit. 25*. Qvæ, licet de jure Novellarum strictissimam
11. cum dote æqvalitatem habuerit *auth. æqvalitas, C. de Pact. convent*. hanc tamen ubiqve fere locorum sublatam esse non diffitetur Esbach, *Addit. ad Carpzov. P. 2. Const. 42*. variis Dd. autoritatibus ibi allegatis, inde tamen ad totalem hujus donationis abrogationem non concludit. *arg. L. 19. & 20. C. de Donat. propt.*
12. *nupt*. vid. Simon van Leewen *Censur. For. Lib. 1. C. 10. n. 8*. Interim vero non debetur ea nisi constituta, nam est aliena illorum senten-

ſententia à jure qvi ipſo jure illam deberi putant, niſi id referatur ad maritum tantum, ut ex illius bonis tantundem pro ea debeatur, qvantum in dotem datum fuit etſi non conſtitutum. Mev. *P. 9. Dec. 52.* Qvæ alias circa hanc materiam hic adduci 13.
potuiſſent, paſſim ampliſſime à Dd. propoſita. vid. Brunn. ad *avth. Dos data, C. de Donat. propter nupt.* Perez. *Cod. d. t.* Rittershuſ. *ad Novell. P. 5. C. 1.* Scipio Gentilis *Tr. de donat. inter vir. & uxor. lib. 4. c. 16.* Sichard. *ad avth. Dos data, C. d. t.* Wiſſenb. *in Irnerio th. 19. 20.*

CAP. II.

De Alienatione dotis aut propter nuptias extraneo facta.

MUlier ſecundas Nuptias nondum experta, ſi in ex- 1.
traneum partem lucri ante nuptialis alienet, ſecundis nuptiis contractis in ſuſpenſo eſt alienatio, & ſi ſuperſtites maneant filii prioris matrimonii, evacuatur, qvod ſi autem ſuperſtites manſerint filiis omnino in totum alienatio evacuata eſt, Lex enim non reſpicit, qvod mulier in læſionem fecit; Si verò præmortui fuerint o- 2.
mnes matris filii, confirmatur donatio non in totum, ſed in qvantum liberi exiſtunt, nam hoc caſu in qvantum ad filii ſucceſſores transmittitur alienatio facta, in tantum hæc infirma eſt & ipſe Contractus, ſi vero ſola ſuccedens filio inveniatur, omnis iterum Contractus firmus erit.

Addit. Qvod ſi priore caſu, dum Mater alienationem in 3.
Extraneum fecit, in fraude fuiſſe allegatur, nec veritatem alienationis qvantum nimirum alienavit mediante juramentô aſſerat, id de legere tenetur, prout in ſimili caſu ſic judicatum eſſe refert Mev. *P. 9. dec. 37.*

Ampl. hoc C. Ut & extendatur ad maritum binubum, qvi 4.
pari ratione liberis prioris matrimonii dotem ſervare tenetur, nam bona materna Pater nec vendere, nec obligare, nec aliis relinqvere poteſt, qvia tantum nudum uſumfructum in illis habet,

qvem tamen per transitum ad vota secunda non amittit, qvia nec
5. sic Patria Pot. dissolvitur. *l. fin. C. de bon. matern.* Unde colligit Brunnem. nec Patrem teneri liberis prioris matrimonii reservare usumfructum, qvem habuit in bonis uxoris, qvia illum non acqvisivit principaliter propter matrimonium, sed potius propter
6. Patriam pot. De marito binubo hactenus dicta confirmantur in Statuto Lubecensi, ita, ut parens vota secunda petens teneatur aperire statum bonorum suorum, de his libros & instrumenta exhibere, de iis qvæ prodigè aut in perniciem fraudemve liberorum acta sunt respondere, & si qvæ durante viduitate sunt alienata qvæ alienari non debent in rationes & sibi acceptò referre Mev. *ad Jus Lubecens. ad Art. 21. in Addit. in f.* vid. infr. *Nov. 22. C. 23. & seqq.*

CAP. III.

De Successione si filius intestatus mortuus fuerit.

1. MAter ad secundas nuptias transiens filio ex testamento succedit, ita, ut præterita vel irrationabiliter exheredata ipsi qverela inofficiosi testamenti
2. concedatur, qvod si intestata decesserit, & proprios habuerit filios, ad eos pervenit hereditas, si non; sed fratres (sub qvibus etiam sorores comprehenduntur, *L. 35. ff. de Pact.*) una cum his in virilem partem admittitur.

3. *Addit.* Cæterum hoc mutatum per *Nov. 22. C. 46.* Ut distinctio bonorum sit facienda, an profectitia, an vero adventitia sive aliunde qvæsita, ut in illis succedat mater qvoad usumfructū; proprietatem vero liberis prioris matrimonii servare teneatur, in his vero pleno jure succedat. Hancqve sententiam videtur amplecti Richter. *de Successs. ab Intest. S. 2. M. 1. n. 5.* Berlich. *P. 3.*
4. *Concl. 23. n. 1.* Textor *de Succ. ab intest. n. 71.* Aliqvi vero simpliciter negant, ullum in successione respectum esse attendendum

dum an bona provenerint â Patre, an non. Stephan. *in Comm.*
ad Nov. 118. n. 38. qvæ sententia hodie juri & æqvitati conveni-
ens videtur; vultqve Imperator hoc fere observari, licet ad se- 5.
cundas nuptias transeat sive non, dum non vult adversus tran-
seuntes ad secundas nuptias majores pœnas facere, nec eas ad
necessitatem deducere amaram, & suorum temporum indi-
gnam, ut metu castarum nuptiarum licet secundæ sint ab his qvi-
dem abstineant, & descendant ad interdictas permixtiones: &
dum non licet legaliter castè vivere contra LL. interim luxu- 6.
rientur, nec enim hic secundis nuptiis iniqvus Imperator, qvod
legis necessitate secundarum nuptiarum amplexus â nobis exi-
gatur qvi enim dixit, *satius est nubere qvam uri. 1. Corinth. VII. 9.*
præcepit qvoqve in casu ustionis Conjugium, atqve sic rectius
statuitur, qvam olim Tertullianus, qvi bigamos Peccatores vo-
luit esse, & Anaxagoras, qvi adulterium secundas nuptias vo-
cavit, & Clemens Alexandrinus qvi fornicationes dixit. Osian-
der ad *Grot de J. B. & P. L. 1. C. 2. th. 9. obs. 3.* Hisce omnibus neqva-
qvam assentitur Imperator, nec in *L. 3. §. ult. C. de secund. nupt.* & in *L.* 7.
5. C. ad SCt. Tertullian. ad qvos duos textus hic provocat, matrem ad
vota secunda transeuntem hereditate & bonis filiorum privari,
sed modis omnibus cum fratribus aut filia vocari neqvaqvam
ex secundis nuptiis lædendam vult & jubet; Hoc tamen qvo- 8.
qve dicit, esse optimum atqve laudabile & ratione dignum, ut
mulieres ita se honeste tractent, qvatenus, qvæ semel ad virum
venerunt, servent inviolatum morientium torum, & non pro-
cul à virginitate ponit; qvapropter & non comtemnenda privile- 9.
gia ipsis concesserunt Imperatores scil. ut seqvantur forum ma-
riti defuncti *L. 65. ff. de judiciis.* Richt. *P. 1. Dec. 9. n. 4.* dignitatis
maritalis participes maneant, ejusqve sentiant fulgorem *L. 8. ff.*
de Senatoribus. L. pen. C. de nuptiis. ut ita mulierem recte dici Ca-
pitaneam, cujus maritus est Capitaneus scribat Benekend. *in Re-*
petit. L. 2. ff. de R. I. Fallent. 1. m. 1. p. 2. art. 1. n. 2. corruscat enim radiis
defuncti mariti *Nov. 105. C. 2.* Sin autem nonvaluerit forsan & juve- 10.
nis hoc patiatur, nec possit cõtra fervorem naturæ resistere, non est
torqvẽda propter hæc, nec interdicendæ sunt ei communes leges,
sed abstinendo ab omni luxuria ad viri alterius nuptias honeste ve-

niat & liberorum succesſione fruatur, ſic enim filios prioris matri-
11. monii ampliꝰ diliget, & non qvaſi qvos odibiles reſpiciet. Sicut e-
nim Patres ſecundas nuptias veniant, non fraudantur filiorum
ſuorum Succesſione, nec eſt lex tale qvid aſſeverans; ſic nec ma-
tres ad virum ſecundum venientes filiorum ſuccesſione privan-
tur, licet liberi ante ſecundas nuptias vel poſt eas moriantur.
12. Sed limitantur hæc communiter in *Nov. 115. C. 4.* de qvo infr.
Deo volente, & qvoad matrem & aviam ſi liberis ſuis impube-
ribus non petierint tutores. *L. 2. §. 23. ff. ad SC. Tertull. L. 2.
§. 2. ff. qvi pet. Tutor. L. 10. C. de legitim. hered.* Richter *de Succeſſ.*
13. *ab inteſt. S. 2. M. 1. n. 6.* Rittershuſ. *ad Nov. P. 7. C. 12. n. 1.* in tan-
tum qvidem, ut licet mater & avia ignoraverint, onus petendi
tutorem ſibi incumbere, hac tamen ignorantia non juventur.
L. 11. C. in f. Qvi pet. tut. cum hæc ſit ignorantia juris qvæ non
14. excuſat. Qvæ obtinent, modo mater ſit majorennis; nam in
minoribus 25. annis locum non habet hæc pœna *L. 2. C. ſi adverſ.
delict.* vel ſi intra annum non petierit tutorem, eo enim non-
dum elapſo, Succesſionem retinebit. vid. Excell. Dn. Stryk. *Tr.*
15. *de Succ. ab inteſt. Diſſ. 12. C. 3. n. 4. & ſeqq.* Pergit ulterius Impe-
rator ſtatuens, abſurdum hoc ſeqvi, licet præmoriantur filii
omnes filios aut nepotes non relinqventes pœnam tamen rema-
nere, nec matrem ſuccedere, nec ſi ſine liberis moriantur; ſed
inhumane ab eorum ſuccesſione expelli, fruſtra parere, fru-
16. ſtra ſimul & nutrire, ob legales nuptias ſubjectam pœnis. Sicut
ergo Mater Patri asſimilatur in donatione propter nuptias qvoad
pœnam & onus ita etiam in commodo ad vota ſecunda tran-
ſiens, ita ut qvod patres hoc caſu habent, id etiam matres vocen-
turqve ad filii hereditatem ſive ad ſecundas venerint nuptias,
ſive non.

17. *§. 1.* Donatio ante nuptialis matri ad vota ſecunda tranſe-
unti non acqviritur, ſed eſt lucrum à lege datum, remanens
prioris matrimonii liberis, imo nec acqviritur pro ea qvidem,
parte qva heres filii exiſtit *Auth. Ex Teſtamento, C. de Secund.
nupt.*

CAP.

CAPUT IV.

De Administratione Donationis propter nuptias, si mulier ad secundas nuptias transierit.

CUm olim Mulier ad secundas Nuptias transitum faci- 1.
ens posset donationem ante Nupt. si vellet, accipere, & filiis cautionem præstare, post mortem se eam restituturam, vel, cum illam præstare aut nollet, aut non posset, poterat qvidem Donatio propter Nuptias apud filios remanere; sed ut solverent matri tertiam partem centesimæ usuræ (i.e. si donatio propter N. esset forte 500. singulis annis obstricti fuerint solvere 10.) hic verò aliud constituit, nempe distingvit; An donatio consistat vel in 2.
rebus immobilibus, vel *mobilibus*, vel *mixtis*. Res immobiles 3.
maneant penes Matrem, ex qvibus usumfructum percipit, debitaqve diligentia adhibita proprietatem liberis superstitibus servat, reliqvum liberorum heredibus defertur. Qvod si in mobilibus consistat donatio, matri concessa est 4.
electio, an præstitâ cautione, fideicommissarii earum rerum administrationem velint suscipere, an verò ceu usurarum tertiam partem â filiis caventibus accipere, non autem potest exigere â filiis aurum, nisi fortè idonea sit Viri 5.
substantia, & habeat Aurum & argentum, & vestem, & si qvid alias sub nomine Donationis propter Nupt. sit promissum. Si sint *res mixtæ*, partem mobiles, partim immo- 6.
biles, si immobiles, manent penes matrem, ut ex illis alimenta habeat, si sint mobiles, modò sancita ab Impera- 7.
tore valent, Conf. *Auth. Sed si aurum C. de secund. Nupt.* Ritterschuss. *ad Novell. P. 4. c. 4. n. 14.*

Addit. Si donatio propter Nupt. in annuis reditibus consi- 8.
stat, idem juris erit respectu Matris, qvod est in immobilibus, nam dicitur,

dicitur in *L. 6. §. 1. C. de secund. Nupt.* ut potiatur Mater annonarum usufructu vitæ suæ duntaxat temporibus, alienatione earum penitus interdicta, ex qvo etiam deducit Brunnem. ad *Auth. Sed*
9. *si aurum C. d. t.* annuos reditus ad immobilia referri, qvod tamen aliqvibus de jure Civili ob *L. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog.* dubium
10. videtur. Cœterum ex communi Dd. opinione annuos reditus, si non sint ad modicum temp9 constituti, interim inter mobilia computari, fusius & LL. & Dd. autoritate probat Ruding. *Cent. 3. O. 3.* vid. Klock. *Tom. 3. cons. 104. n. 60. 62.* Anthon. Faber *in Cod. L. 16. t.*
11. *19. def. 11. n. 7.* Imo Jure Saxon. possessor annuorum redituum ab onere satisdationis est immunis, modo ad longum tempus ex publico debeantur qvia inter immobilia recensentur, ut statuit Berlich. *P. 1. Concl. 20. n. 40.*

CAP. V.

De Dote scripta & non numerata vel præstita.

1. SI desponsatæ personæ dotalia pacta confecerint, & sponsa sponsæ dotem, hic illi iterum donationem propter nuptias constituit, si matrimonii tempore dos marito non est data, & tamen onera matrimonii sustineat, hoc morte mariti solvatur, iniqvum est mulierem, qvæ
2. dotem marito non dedit, accipere donationem ante nu-
3. ptialem. Si autem dotem pro parte tantùm dedit, pro ea qvoqve saltem parte donationem propter nuptias exigat.

4. *Rat. hic,* æqvalitatis enim & justitiæ amator est Imperator, qvam ut alias in contractibus & judiciis vult observari, ita qvo-
5. qve in matrimoniis. Ergo mulier qvæ nihil omnino dat (pro dote) nihil omnino percipiat (de donatione propter nuptias) hancqve legem vult valere in casu in proœmio hujus Nov. proposito & in reliqvis pendentibus litibus &c. &c. ut & in omnibus de cætero provenientibus.

6. *Addit.* Occasione horum qværi potest, *an ob dotem promis-*

sam

sum & non solutam uxor ædibus expelli; & ad Patrem remitti possit? Respondent hic aliqvi affirm. Qvod cum non teneatur eô casu alere uxorem, utiqve nec teneatur illam in domo habere, cum qvi dedit alimenta, habitationem qvoqve præstare teneatur *L. legatis, ff. de Aliment. & cibar. legat.* Facit, qvod 7. dos pro oneribus matrimonii solvatur. *L. Dotis fructus ff. & L. pro oneribus. 20. C. de Jure dotium.* Dote autem malitiose non 8. data, maritus malitiose circumveniatur, nec alimentare uxorem possit. Cæterum contraria sententia qvod expellere non possit, 9. verior omnino est, cum prohibitum sit uxorem dimittere exce- 10. pta adulterii causa, adeoqve qvod lege cautum non reperitur, superstitiosis inventionibus præsumendum non est, nec maritus debit sibi de facto jus dicere *L. Extat, 13. ff. Qvod met. caus. L. 7. C. unde vi.* hinc cum nullibi inter causas dissolvendi matrimonium inveniatur dotis promissæ non solutio, uxorem omnino retinere est obstrictus, qvod multo magis obtinet, sic dote non 11. soluta retineat eam in obseqvio, nam tenetur qvis alere eum, qvem habet in obseqvio, ut late docuit Joh. Petrus Surdus *Tr. de Aliment. tit. 7. qv. 17.* ubi itidem & hanc qvæstionem tractat. 12. Non male qvoqve circa qvæstionem propositam distingvi posset, aut maritus nondum traduxit uxorem in domum suam & non cogitur traducere, si dos non solvatur, aut eam jam traduxit, & propria autoritate expellere neqvit; nam & hoc casu 13. valet illud tritum. Turpius ejici hospitem conjugalem qvam admitti. Ergo felices ter & amplius qvos irrupta tenet copula Horat. *L. 1. Od. 13.* vid. Græven. *Conclus. pr. L. 3. Controv. 48.* In- 14. terea si dos marito suo tempore non sit soluta, usuras ejus omnino petere potest, cum certet de damno vitando, ferendo onera matrimonii, *L. fin. §. 2. in fin. de Jur. dot. L. 2. C. de dot. promiss.* arg. *L. 54. ff. de donat.* nec enim potest dici, usurarum petitionem remisisse maritum. Perez. *Cod. tit. de dot. promiss. n. 2,* Carpzov. *L. 4. resp. 5.* Posito autem, usuras dotis solutas marito, 15. non tamen inde infertur, ipsam qvoqve dotem fuisse solutam, nisi maritus simul qvoqve promissoris fidem est secutus; nam dos, de qva fides est habita, pro soluta habetur. arg. *L. 19. ff. de Contr. emt. vend.* Mev. *P. 5, Dec. 64.* Si verò datis usuræ à marito 16.

non sint petitæ ab ejus heredibus exigi non possunt; videntur enim qvasi tacite remissæ & donatæ Carpzov. *P. 2. C. 42. Def.*
17. *ult.* & *L. 54. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Nisi qvando omiserit petere ex ignorantia, & sit talis maritus, cui jus ignorare permittitur, ut Minor *L. 9. Pr. de Jur. & fact. ignorant.* miles, *L. 4.*
18. *C. eod.* Rusticus, *L. 6 §. fin. ff. de Excusat.* Vel qvando uxor præmoritur & maritus donator supervixit qvo casu donatio con-
19. firmari neqvit. Pacian. *Consil. 103. n. 63.* Qvod si ex statuto maritus lucrum ex dote sentiat, & id dote ab uxore non soluta percipere eum tradit *Gail. L. 2. O. 79.* cum qvo sentit Hunn. *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 7. th. qv. 7. in fin.* dicit autem Mynsing. *Cent. 5. O. 100.* per dominos Camerales crebriori calculo conclusum fuisse, qvod marito solutæ tantùm dotis dimidia debeatur qvam qvoqve sententiam ut tutiorem magisqve receptam approbare
20. Salycettum ait. Cœterum conciliat hosce duos Dd. Græven, *Pract. Concl. 79.* Mynsingerum loqvi in terminis notabilibus & fortioribus, ubi sc. marito dimidia atqve ita restricta dotis pars
21. vi statuti lucro cedit. Qvod si statutum disponat, ut maritus lucretur certam dotis partem, idem habebit locum in dote pro-
22. missa, nam cum ratio illius præsumatur fuisse in compensationem onerum matrimonii, illud lucrum marito deferre; pariter
23. locum habebit in dote promissa, modo maritus sustinuerit onera matrimonii cujus qvoqve sententiæ esse Barbosam sub tit.
24. *Soluto matrimonio*, d. l. asserit. Cumqve Imperator in hoc capite mariti & uxoris jura qvoad dotem & donationem propter nuptias æqviparaverit, qvæ hic ratione dotis pro marito obtinent, eadem & locum habere in uxore ratione donationis propter nuptias, dicendum est.

NOV. III.

De Determinato numero Clericorum Sanctissimæ majoris Ecclesiæ &c.

PROOEMIUM.

1. PRincipi Summo competere potestatem in Ecclesias sibi subditas & personas iisdem ministrantes earumqve

qve decentem curam gerere oportere ſatis arguit procemium hoc, dum reſcribit ad Auguſtinum Epiphanium Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ Archi-Epiſcopum & diſponit de numero reverendisſimorum Clericorum. Nam *cum nihil immenſum bonum ſit, & omne nimium vertatur in vitium,* non vult, tot ulterius ordinationes Clericorum & Diaconisſarum fieri, ne ob nimias expenſas faciendas ingens mutuum Eccleſia facere teneatur, & paulatim ad novisſimam deponatur inopiam; noverat enim Imperator Sanctisſimam Imperii ſui matrem Eccleſiam anteqvàm aurum non minimum mutuum ſumat, hypothecas in optimis ſuis prædiis ruſticis & urbanis conſtituere & pignora dare, ulterius qvoqve ex qvo undiqve inveſtigavit deprehendit qvoqve ſingulos qvi in felicisſima civitate Conſtantinopolitana Eccleſias ædificarunt, non tantum pro ædificio cogitaſſe ſed etiam ut Clericis expenſas darent, nimirum cuilibet determinatam quantitatem maſculis & fœminis, ſub Diaconis, Cantoribus, Lectoribus & Oſtiariis, inſuper etiam Oratorii expenſas definierunt (ſcil. ut ſacræ ædes repararentur & ſartæ tectæ conſervarentur) cum igitur Deo amabiles Epiſcopi ad ordinationum multitudinem protracti, expenſarum qvantitas ad multam immenſitatem aucta, creditores jam undique multi, uſuræ auctæ, nec ulterius mutuare volentes adſint, interim alienationes necesſariæ & contra, leges & cauſæ indecentes ſuſcipiantur, dum nec prædia hypothecis & pignoribus ſufficiunt, creditores qvoqve ad inopiam deſcendunt, nec miniſtris Eccleſiæ dare ſufficiunt, & ad viam omnium infelicisſimam cauſa deſcendat: Ergò ſi qvis non fert libenter eum, qvi prodigus bonorum ſuorum ultra ſubſtantiam expendit, imo ſi de rebus aliis profanis cogitamus, ſane competenter de bonis Eccleſiis ſancit Imperator certæ medicinæ cauſam tradens.

2. 3. 4. 5. 6. 7.

 CAP.

CAP. I.

Ut numerus Clericorum qvi nunc est, maneat.

1. SCilicet, ut qvi hactenus sunt in majore Ecclesia & reliqvis omnibus venerabilibus domibus Clerici & Diaconissæ & Ostiarii maneant in eodem ordine & dignitate, nec enim vult hic Imperator diminutionem, futuro autem tempore nullam fieri ordinationem donec ad numerum antiqvum institutum Clericorum qvantitas redi-
2. gatur, qvæ fuit tempore cum ædificarentur Ecclesiæ. Qvia vero & olim majoris Ecclesiæ regiæ civitatis numerus Episcoporum (950. ut statuit Accursius) determinatus at valde brevis erat, postea vero in vicinia majoris Ecclesiæ in honorem S. Mariæ Dei paræ alia poneretur à Verina Leonis Imperatoris Conjuge, item à Porcatio veneranda
3. domus in honorem S. Martyris Theodori dedicata est, fuit itidem Ecclesia S. Helenæ copulata Majori ecclesiæ, ut adeo numerum ad antiqvam figuram redigere impossibile sit, nec enim sufficient tribus Ecclesiis pauci, hinc §.1.
4. sancit, non ultra 65. Presbyteros in majore Ecclesia esse debere, Diaconos masculos 100. & 40. fœminas, Sub-Diaconos 90. Lectores 110. Cantores 25. ita, ut omnis Clericorum numerus consistat in 425. Ostiariorum vero in 100.
5. Igitur in Majore Ecclesia & tribus venerabilibus domibus ei unitis tanta debet esse Clericorm multitudo, nullo horum, qvi nunc sunt excludendo nullo de cœtero adjiciendo in uno qvovis ordine iis qui nunc sunt, donec ad hunc numerum redigatur mensura.

6. *Addit*. Ex hactenus dictis satis patet, Ordinationem Clericorum, eorum Constitutionem & numerum dependere à Summa Potestate & qvidem si de novo Ecclesia qvædam fundetur, fundatis

datis enim & erectis Ecclesiis in constituendis Clericis non facile præjudicat, modo eos sufficienter alere & de condecentibus Salariis prospicere possit. In V. T. solus Deus Autor fuit Sacer- 7.
dotii *Lev. 1. & seqq.* & patet ex Paral. XXIV. 2. una vice numeratos fuisse 38000. Sacerdotes & Levitas V. T. de qvorum necessitate hac vice non disputamus vid. B. Dn. Olearius im Handbuch der Kinder GOttes / *P. 1. art. 74. P. 3. seqq.* apud Ponti- 8.
ficios sunt hoc numero ne qvidem contenti, sed ut computant viri docti cœnobiorum in qvibus Monachi vivunt 124000. Parochiarum verò 278000. reperiuntur in Germania, inde conjicit Lansius Consult. *Orat. Pro Italia pag. m. 752.* Ut si unum qvod- 9.
qve monasterium qvotannis senos aureos cum dimidio, Parochiarum qvoqve singulæ annuos qvinqvaginta duos conferrent, qvotannis XV. milliones, & XII. millia aureorum, i. e. Florenorum Rhenensium plus qvam XXXI. milliones confectum iri, ut adeo hinc numerare liceat ex 134. monasterium millibus ex- 10.
ercitum posse confici unius millionis & qvadringentorum qvadraginta millium, in qvo dicente Lansio non tam numerus, qvam ipsum genus s. qvalitas militum admirationem mereatur. Patet qvoqve ex *Cap. 1. h. Nov.* tempore Imperatoris distinctos 11.
fuisse Ordines & dignitates Clericorum, ut Presbyteros, Diaconos, mares & fœminas Doctores, Cantores, Lectores & Ostiarios, qvos omnes Pontificii adhuc dum retinere videntur, de qvorum officio Canonistæ passim tradiderunt; Imo & in Apo- 12.
stolica Ecclesia jam tum graduum fuisse distinctionem, cum Apostoli alii fuerunt, alii Prophetæ, alii Evangelistæ, alii Pastores & Doctores ê Nostratibus probat Brunn. *in Jur. Eccles. L. 1. C. 6. m. 11. n. 2.* Primatum vero Petro præ cæteris Apostolicis 13.
esse concessum, negant Protestantes; ad unum enim idemqve officium & functionem vocati & confirmati sunt. *Joh. XX.* Dicitur 14.
qvidem Petrus Apostolorum Princeps & Caput; sed hoc minime fit ratione potestatis despoticæ sed ratione personalium proprietatum. *Primatum Ordinis* duntaxat conciliantium. Habuit 15.
igitur *Primatum inter, non in Apostolos,* vid. Höpfner. *Saxon. Evang. pag. 420.* neqve dictum: *Tu es Petrus*, hoc satis evincit; nam 16.
Christus solus est petra, super qvam sumus ædificati, non autem

super

super Petrum, qvi turpiter dominum suum abnegavit *Matth. XXVI.*
15. *74.* qvapropter etiam à Paulo reprehensus legitur ad Gallat. nec
16. sanè Pauli vocatio minor est est cæterorum Apostolorum, cum ê
17. cœlo immediate facta *Act. IX. 3.* ita, ut non minus dominum i-
psum qvam cœteri Apostoli oculis suis viderit *1. ad Corinth. XV. 8.*
qvapropter & ab Athanasio *Tom. 2. fol. 6.* ὁ τῆς οἰκουμένης παιδευ-
18. τὴς, i.e. communis mundi Doctor appellatur. Qvin si Christo
Domino nostro placuisset, visibilem Pastorem & Caput vice sua
constituere, non improbasset rixam & altercationes, qvæ de Pri-
matu inter Apostolos oriebantur *Marc. IX. 34. 35.* conf. Dn.
19. Schelwich. *Cynosur. Conscient. qv. 17.* Licet qvoqve hodie apud
Protestantes tot Ecclesiasticorum officia, de qvibus antea dictum,
20. non sint, verus tamen in ipsorum Ecclesiis est Ordo Ecclesiasti-
cus, legitima ministrorum vocatio, adeoqve & veri ibi Pastores,
prout contra Pontificios late defendit B. Dn. Qvenstedt. *System.
Theol. P. 3. qv. 4. S. 2. Polem.*

21. Diaconos qvod attinet prima sui origine præfecti erant the-
sauris Ecclesiæ, ut inde pauperum, & præcipue Ecclesiæ mini-
strorum sustentationem curarent, postea etiam ad sublevandam
partem aliqvam ministerii Episcopi & Presbyterorum adhiberi cœ-
perunt, ut ad prælegendum aliqvid ex Scriptura ad docendum
22. exhortandum &c. Ziegl. *ad Lancell. L. 1. tit. 22. §. 1.* Imo cum
Apostoli in divina doctrina occupati ministrare non possent,
mensis, qvæ pauperibus parari solebant, septem Diaconos sive Mi-
nistros ejus operis gratia fuisse constitutos ex *Cap. 6. v. 5. Actor.*
probat Franciscus Duarenus *de sacris Eccles. ministr. & benefic. L. 1.
C. 12.* ejusmodi Diaconorum fuit unus Protomartyr Stephanus te-
ste Meisnero *Medit. Evang. Fer. 2. Nativ. Christ. sub pr.*

23. Hypodiaconi verò longo post tempore sunt instituti, qvod
Diaconi omnia qvæcunqve ad ministerium suum pertinent, obi-
re & exeqvi præ multitudine negotiorum non possent, nondum
24. institutis Ordinibus qvi inferiores dicuntur. Subest Ergo. Hy-
podiaconus Diacono, ut Presbytero Diaconus juxta vetus, prover-
bium δοῦλος προδούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου. vid. Ziegl. *d. l. §. 2. & 3.*
25. In nostris Ecclesiis recte titulum Diaconi retineri, utpote in Sacra
scriptura abunde fundatum accuratè deduxit Id. Ziegl. *spec. tract.*

de Off.

de Off. Diacon. *Diaconissas* qvod concernit, fuerunt qvidem o- 26.
lim in Ecclesia Apostolorum Virgines & Viduæ, qvæ inservierunt
Ecclesiæ, qvarum mentionem facit Apostolus *1. ad Timoth. V. v. 9.*
& hæ vocabantur Diaconissæ sed hæ neqve docebant ordinarie
neqve Sacramenta administrabant, sed qvæ fuerint earum offi- 27.
cia commemorat Epiphan. *Hæres. 79.* Ministrarum qvidem Dia-
conissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, inqvit, sed non
ad sacrificandum, neq; ut qvicqvam aggredi permittantur, verum
reverentiæ gratia muliebris generis ut propter horam balnei, aut
visitationis, affectionis, aut laboris, qvando nudatum fuerit cor-
pus muliebre, ne à viris sacrificantibus conspiciatur sed à mini-
strante muliere cui præcipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad
tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis 28.
ipsius, ita, ut ordo bonæ disciplinæ & Ecclesiasticæ bonæ Consti-
tutionis valde scientificæ munitus in mensura regulæ. conf. infr.
Nov. 123. c. 30.

CAP. II.

Ne liceat Clericis de minore Ecclesia in majorem per patrocinium transire, & de Clericorum multitudine non facienda.

Rationem hujus Capitis per inductionem facit hanc 1.
Imperator; Si Monachis non licet ex uno monasterio
ad aliud transmigrare, multo minus hoc Clericis
permittatur lucri & negotiationis ergo; Qvod si autem 2.
aliqvando talis migratio contingat, non aliter procedat,
qvam ut in officium deficientis migret, & ut numerus
supra *in Cap. 1. h. Nov.* præfixus non excedatur, hoc enim
nulla machinatione neqve ex alio modo fieri finit.

Addit. Ex dictis facile colligere est, non recte & lauda- 3.
biliter illos Pastores facere, qvi Officii sui pertæsi, hinc inde dis-
currunt & minore ad qvam legitime vocati Parochia relicta, ma-
jorem & ditiorem appetant, produnt qvippe eo ipso animi im-
poten-

potentiam & impatientiam qvasi intolerabilis nimirum sit divinæ evocationis mora, vel insolentiam & arrogantiam, qvod longe sublimiore honoris fastigio digni, nec inangusto angulo tantæ dotes qvas soli mirantur, concludendæ, vel deniqve avaritiam atqve habendi studium qvo rebus suis melius prospicere atqve
4. opes accumulare student, contra qvam fecit Paulus *1. ad Tessaloni-*
5. *cens. 11, 5.* multo minus illi se rectè gerunt, qvi vivente adhuc Pastore & loco nondum vacante expectativam ad opiniorem Parochiam à Patronis impetrant, nec enim potest esse, qvin hic votum captandæ mortis omni jure improbatum subsit, imo aliis melius forte de Ecclesia Christi meritis sunt impedimento, ne ê miseriore ergastulo ubi cum rerum egestate & inopia conflictantur ad altiora ascendere possent, imo pugnat cum legitima vocatione
6. à qva abesse debent, qvæ hic concurrunt, ut importuna cursitatio, certi loci determinatio, impudentissima emendicatio, & qvandoqve impudentissima Simoniaca largitio, vid. *Vol. 2. Consil.* Dedeken. *pag. 99. append. Consil. pag. 139.* & Carpz. *L. 3. Jur. Consist. def. ult.* diserte magis hac de re Concilium Antiochenum 1. Can.
7. 21. *Episcopus ab alia Parochia neqvaqvam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus, maneat autem in Ecclesia, qvam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret secundum pristinum de hac re termi-*
8. *num constitutum.* Alia vero qvæstio est, *utrum Minister Ecclesiæ bona cum Conscientia veterem suam stationem relinqvere & accedente legitima vocatione aliam qvandam novam conditionem suscipere valeat?*
9. Qvæ ut Theologica & conscientiam ministri tangens qvæstio
10. est, ita Theologis ejus decisionem merito relinqvo, vid. B. Dn. König. *Cas. Conscient. Append. de Stat. Eccles. Cas. 9.* Dn. Schelwich
11. *Cynosur. Conscient. qv. 11.* Interea tamen translatio ab una ad aliam Ecclesiam prohibita non est, si sc. cum causæ cognitione fi-
12. at, & eruditio cœteraqve ornamenta in Clerico id svadeant, nam prohibetur tantum μετάβασις, non μετάθεσις, qvam nonnunqvam eruditio, egregia dona, & spes, qvod in alia Ecclesia plus profi-
13. cere possit, exigunt. Vi Canonum indulgentia S. Pontificis super ejusmodi translatione alicui concessa stricte ad literam est servanda, ut si ad majorem dignitatem alicui transitus permittatur,

tur, vigore talis concesſionis ad Parem tranſire neqveat. *C. ult. X. de translat. Epiſc.* vid. Canoniſtæ paſſim *ad h. tit.*

§. 1. In minoribus Eccleſiis qvarum expenſæ majori incumbunt, Clerici qvoqve eodem modo & numero manere debent, nec ullus ordinari, anteqvam ad numerum ante determinatum *Cap. 1.* Clerici redigantur, nullo in medio penitus adjecto, ipſeqve Imperator tale qvid facere non vult, nec qvenqvam Judicum ſuorum legem ſuam formidantem, imo, ſi qvid tale fiat, Archi-Epiſcopus & Patriarcha Civitatis Conſtantinopolitanæ, licet juſſio de Palatio veniat, tali Ordinationi debent contradicere ſub pœna multæ Eccleſiaſticæ. 14.

Porro nec aliæ Eccleſiæ qvalescunqve emolumentum & expenſas à majori Eccleſia habentes multitudinem Clericorum faciant, aut numerum conſtitutum tranſcendant, ne in maximam incidant anguſtiam, cum forte pie inter ſe agere volunt, qvæſtu dividendo qvi tamen numero aucto non ſufficit. Si autem ultra numerum definitum majoris Eccleſiæ aut aliarum Eccleſiarum ordinetur Epiſcopus, & Oeconomi Eccleſiæ ad qvæſtus erogationem qvid fecerint, Patriarchæ, & poſteriores Oeconomi qvi fuerint, ut & omnes alii Clerici inqviſitionem facere, talia facta prohibere, & Imperio indicare debent, qvo ejusmodi erogatio ex ſubſtantia Oeconomorum aut Archi-Epiſcopi ex Eccleſiæ Subſtantia reſarciatur. Non igitur debet tranſcendi numerus Clericorũ, aut qvædam hic fieri calliditas, ne ſic confuſio fiat per adjectionem immenſam, ſecunda Collegia conſtituantur, plurimæ circumventionum cauſæ, aliæqve viæ avaritiæ pro alimentorum expenſis inveniantur. Hæcqve denuo prohibita ſub mulcta Eccleſiaſtica, & introducta, ut ſanctisſima major Eccleſia neqve debitis ſubjiciatur; perpetuo ædificioneqve anguſtietur; ſed ſemper abundet. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Addit. Circa principium hujus Capitis dicit Imperator, Se legem qvam aliis dat, eadem alligatum eſſe velle. *L. 4. C. de LL.* Licet enim inqvit, Legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus *§. fin. ff. l. qvib. mod. teſt. inf. L. 23. ff. de legat. 3.* Ut ut Exemplo bonum ita æqvitati maxime convenit, ut qvod in commune jubet, ipſe prius exeqvatur, vid. infr. ad *Cap. 8. Nov. 10.* patet qvoqve ex hoc Cap. nec unam qvamvis juſſionem Principum Palatinos 21. 22. 23.

 tinos

inos ſtatim exeqvi debere, imprimis ſi qvid jubeatur, qvod ſa-
25. luti publicæ & Eccleſiæ contraveniat, unde Reſcripta contra jus
impetrata, ab omnibus judicibus ſunt refutanda docente *L. Re-*
26. *ſcripta, 7. C. de precib. Imperat. offerend.* Magnus qvidem eſt Cæ-
ſar; ſed major eſt ratio & veritas ait Baldus in *L. Æmilius, ff. de Mi-*
27. *norib.* adeoqve ſi Princeps tanqvam homo affectibus & erroribus
ſubjectus, iracundia motus aut inadvertenter ſine cauſæ cogni-
tione tale qvid mandavit, aut eum affectibus præoccupatum juſ-
ſiſſe præſumatur, Palatini ejusmodi duras juſſiones exeqvi non
28. debent, ſed executionem usqve ad 30. diem differant ut interim
iræ affectus refrigeſcat, per textum auro pingendum, ut Maſilius
inqvit in *L. Si vin-dicari, 20. C. de Pœnis.* vid. Anton Gometz. *Var.
Reſol. tom. 3. cap. 13. circ. fin.*

29. Pœna Eccleſiaſtica multiplex eſt, alia infligitur *animæ*, ut
30. excommunicatio, alia *Corpori*, ſed ſine ſangvinis effuſione, alia
31. *bonis*, ut mulcta *C. 2. & 3. X. de pœnis.* Hanc in Eccleſia uſitatam
non niſi jure permittente judex Eccleſiaſticus vel Summus Prin-
32. ceps infligit, & exactam non niſi uſibus ſuis reſervat, alias enim
videretur potius à radice avaritiæ qvam ab intentione in pios uſus
diſtribuendi pervenire *d. C. 2. & 3.* vid. de Avarit. in extorqvendis
multis ſpecialis diſcurſus Dn. Ahaſv. Fritſchii Von Verbothener
33. und über mäßiger Geld-Buße. refertur qvoq; ad Eccleſiaſticas pœ-
nas *Carena* per Decretales Pontificum probata *C. 2. X. de Sponſa*
34. *duor.* & *C. 8. X. de accuſation.* nominatur alias *bannicum jejunium*
35. item *panis ſordidus, vilis, peſſimus.* Sumitur pro Qvadrageſimali
36. jejunio ſeu publica pœnitentia ac Epiſcopo Clericis & Laicis in-
dicta qva jejunare qvis ſpatio XL. dierum cogitur, & à Summo
Pontifice vel Epiſcopis indulgetur. vid. Dietherr9 *Supplem. Speidel.
voce Carena.*

CAP. III.

De reliqvis Eccleſiarum rediti-bus in pios actus & perſonas vere egen-tes per Patriarchas & Oeco-nomos erogandis.

Conſtitu-

COnstituit, ut aliæ expensæ qvæ fiunt ex Ecclesiasticis 1.
qvæstibus circa pios & Deo placentes actus erogentur, & illis ministrentur, qvi pro veritate egent, nec aliunde habeant alimentorum occasionem. Hoc e- 2.
nim Dominum Deum placat, non vero in patrociniis & studiis hominum expensas Ecclesiasticas locupletibus distribuant, ut inopes necessaria non accipiant. Inde Deo 3.
amabiles Oeconomi, & nunc qvi in præsentiarum sunt, & futuri erunt si præter sancita qvid fecerint, divinis suppliciis subjacebunt, & ex suis bonis indemnitatem Ecclesiæ præstabunt, *nec enim minor Imperatori cura est horum qvæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, qvam ipsius animæ.*

Addit. Vult Imperator illis dari, qvi verè egent nec aliun- 4.
de habent alimenta, non igitur illis, qvi laborem velut exqvisitum supplicium fugiunt, de qvibus dici meretur illud Comici: *male meretur qvi eis dat, qvod edant aut bibant, nam & illud, qvod* dat, perdunt, & *illis producit vitam ad* miseriam. Cœterum de illis infr. *ad Nov. 80. C. 5.* ubi de validis Mendicantibus agit Imperator. Omnino hic distribuendis pecuniis inter pauperes præpo- 5.
siti videant, ut stante æqvali egestate justo magis dent, qvam injusto & illi, qvi extrema laborat egestate, vel de cujus bonitate magis sumus certi. Surdus *de Aliment. tit. 1. qv. 93.* non igi- 6.
tur locupleti, qviqve se ipsum alere potest Idem *de Aliment. tit. 7. qv. 14. n. 5.* nec enim aliud qvid denotat *ἐλεημοσύνη*, qvam stipem misericordiæ causâ datam, unde misericordiā qvam elemosy- 7.
nam dicere maluit Lactantius *L. 2. c. 1.* Hanc autem non mere- 8.
tur locuples, qvin si ex reditibus ærarii Ecclesiastici daretur non egenti & aliunde sibi acqvirere valenti, incentivum luxuriæ acciperet, & egentes sine omni misericordia necessario victu destituerentur, contra Dei & Imperatoris præceptum & contra Christianam charitatem conf. hic. B. Dn. Lassen. in Lib. qvem vocat: Den Perlen-Schatz *P. 1. sub tit.* Die Freygebigkeit. Circa curam 9.
eorum qvæ Sanctissimis Ecclesiis prosunt imitatus Justinianum omni laude superior Imperator Carolus Magnus, qvi Christianam doctrinam omni studiô & an more prosecutus & promovit, nam Bi- 10.

blia V.& N. Testam. per descriptores dudum hactenus falsata, & vitiose descripta ex fonte Ebraico & Græco ad verum & genuinum sensum redegit, eadem in omnibus Imperii sui Ecclesiis suscipi & diligentissime adhiberi serio demandavit, Diacono suo Warnefrido præcepit, ut ad Evangelia dominicalia & festalia Postil-
11. lam scriberet, textibus è S. Patribus explicatis, inde ortum putant elegantem & utilem libellum *Homiliatium Doctorum* appellatum, cujus Autorem aliqvi faciunt Alcuinum Caroli M. Præce-
12. ptorem alii Paulum Diaconum, est liber ille typis excusus Basileæ anno 1493. in qvo habentur hæc Pauli Diaconi disticha:

13. Utere felix | Atqve togati
Munere Christi | Arbiter Orbis
Pluribus annis | Dardanidæqve
Luxqve Decusqve | Gloria gentis
Magne tuorum
Carole Princeps

vid. Joachim. à Beust. *in Postilla de Festis pag. 272.*

NOV. IV.

De Fidejussoribus & Mandatoribus, Sponsoribus, & Solutionibus.

PROOEMIUM.

1. IMperator L. antiqvam (*L. 3. C. de Fidejussor.*) olim per Consvetudinem reprobatam, per quam electionem habebat Creditor, an primum vellet Fidejussorem reum convenire, vult hic in Nov. ulterius extendere, & augere, qvod & in seqq. Capit. facit.

CAP. I.

Ut Creditores primo loco conveniant Principalem.

1. HOc C. Fidejussori Beneficium Excussionis sive Ordinis concessum, contra Creditorem, scilicet, ut primum

mum excutiatur Principalis debitor, qvi aurum accepit, qvo ſolvente in totum Fidejuſſor liberatur, ſi partem ſolvat, Fidejuſſor in reſiduum tenetur. Cœterum hoc ita, 2. ſi præſentes ſint ambo, & Principalis, & Fidejusſor, illo enim abſente, hic nihilominus tenetur.

Rat. hic. Cum acerbum ſit, Creditorem mittere alicubi forte 3. extra territorium, vel etiam intra qvidem; ſed extra judicium, cum posſit mox Intercesſorem, aut fidejuſſorem, aut Mandatorem, aut Sponſorem exigere. Concedendum tamen Fidejuſſori 4. certum temporis intervallum à judice, qvo Principalem in judicium deducere posſit, qvod ut fatetur Imperator, primum introduxit Papinianus *l. 49. §. fin. ff. de Fidejuſſor.* qvippe alias contra 5. juris formam induram conditionem acceptus intelligeretur Fidejuſſor *d. l.* Igitur terminô præterlapsô ſi non ſtiterit Principa- 6. lem, Fidejuſſor ad ſolutionem obſtrictus, factâ tamen prius à Creditore actionum Cesſione. v. *Auth. Præſente C. de Fidejuſſorib.*

Add. Occaſione textus hic NB. Mandatorem & Fidejus- 7. ſorem inter ſe differre, ſiqvidem Mandator non loco rei eſt; ſed alius qvidam reus & ſolvit, qvod aliter eſt in Fidejuſſore, qvi alienô tantum nomine obligatur. Hering. *de Fidejuſſ. c. 20. n. 24. §. 1.* Spon- 8. ſorem volunt eſſe, qvi ſponte ſuâ & non rogatus pro alio intercedit. Harpr. *ad I. de Fidejuſſ.* Differunt tamen Sponſor & Mandator, Man- 9. dator enim propriè is eſt, qvi alteri mandat, vel ut fidejubeat 10. pro ſe, aut pro alio *l. 22. pr. ff. mand.* vel, ut pecuniam alteri cedat, vel negotia ejus gerat, Harpr. *ad I. pr. de Fidej. n. 7.* Et licet vide- 11. antur in textu vocabula Fidejusſoris, Mandatoris, aut Sponſoris promiſcuè accipi, ſenſus tamen Verborum interprete Hering. *de Fidejuſſor. c. 3. §. 31.* hic eſt, qvod idem ſcilicet beneficium datum 12. ſit Mandatoribus, Intercesſoribus, Sponſoribus, & Fidejuſſoribus, ut prius eorum Principales conveniantur, qvàm Creditori ad illos aditus pateat. Ergò qvod hac ratione dicitur de Fide- 13. juſſoribus ſive Sponſoribus, id etiam dicendum de Mandatoribus. Hering. *d. l.*

Ulterius NB. per hoc *C. 1. Nov. 4.* ſalutare beneficium Ex- 14. cusſionis fuiſſe introductum, qvod propterea qvoqve Beneficium *Novæ Conſtitutionis de Fidejuſſoribus* vocant Speculat. de *Renunciat.*

ciat. §. 1. n. 18. Hering. *de Fidejussor. c. 27. P. 1. n. 18.* Excellent. Dn.
15. Stryk. *de Cautel. Contr. Sect. 2. c. 6. §. 21.* Vocatur *qvoqve Beneficium novum pro Fidejussoribus contra Juris Veteris Dispositionem introductum.* Tessaur. *dec. 166.* item Ordinis, qvod cum nullô antea certô ordine integrum esset pro Actoris libitu vel actionem ex stipulatu contra fidejussorem, vel alteram contra Reum sive debitorem instituere, ita, ut utra vellet, experiri posset, *arg. L. 21. C. de*
16. *Fidejussor.* olim enim licuit Creditori non excusso Principale etiam statim convenire Fidejussorem §. *2. Mandati*, qvod tamen
17. jam mutatum. Vocatur itidem tale beneficium Avthent. *Præsente C. de Fidejussor.* Coler. *de Processu Execut. P. 1. C. 10. n. 333.* Hering. *de Fidejuss. P. 1. c. 27. n. 20.* v. Dn. Lauterbach. *in peculiari. Differt. de Benefic. Excuss.*

18. Habetur & in hoc C. casus, qvo beneficio Excussionis non gaudet Fidejussor, scil. cum abest Principalis, plures partim annotarunt Dd. ad qvos me brevitatis causa remitto. v. Lauterbach. *d. l.* & Eckholz. *Tract. ad ff. de Fidejussor. §. 29.*

CAP. II.

Ut res apud alium constitutæ non possint vindicari, prius qvam personalis actio exerceatur.

1. CReditori licitum est vel agere personali actione contra debitorem, vel actione hypothecaria contra Possessorem pignorum vel utraqve simul experiri, sed
2. per hoc *Cap. Nov. 4.* hodie contra extraneos possessores pignorum i. e. si alius, qvam ipse debitor pignus possideat, non licet experiri, sed agendum est cum debitore,
3. postea contra fidejussorem, demum contra tertium pignoris possessorem, aliàs hic habet exceptionem excussi-
4. onis, qvod tamen de casu intelligendum, qvando non est
5. hypotheca specialis. Nam possessor hypothecæ specialis etiam

etiam non excusso principali debitore conveniri potest. *Nov. 112. c. 1. §. 1.* Qvod aliter se habet in hypotheca generali, ubi non nisi excusso debitore contra possessorem rei generaliter obligatæ agere licebit. *Nov. 4. cap. 2.* 6.

Ampl. hac Nov. Ut non saltem in mutuo locum habeat; sed & 7.
in Emtione, venditione, ut si qvis ab altero qvid emerit, deinde acceperit Confirmatorem (sic dictum, qvod contractum confirmet fidejussorem) & moveatur in aliqvo actio adversus venditorem, non statim confirmator est conveniendus, licet de bonis venditoris qvid teneat, sed prius adversus venditorem, deinde adversus Confirmatorem actio est instituenda, ut tamen & hic supra sancita observentur, modo principales debitores 8. 9.
præsentes, nec absentes sint, cum Imperator hæc in aliis contractibus in qvibus fidejussores accipiuntur & in heredibus & successoribus eorum velit observari.

Addit. Occasione horum qværitur ***an Creditor omissa perso-*** 10.
nali actione qvam habet contra debitorem, possit contra pignoris possessorem agere actione hypothecaria? Qvod qvidem affirm. in *L. 24. C. de pignorib.* sed in *avth.* subjecta, *Hoc si debitor,* distinguitur, an ipse debitor possideat pignus, & tunc salvam habet electionem 11.
creditor, an vero extraneus possideat, & tunc debitor prius excutiendus, anteqvam perveniatur ad possessores pignorum extraneos, qvod tamen limitatur (1) nisi debitor esset absens, *avth.* 12.
Præsente, C. de fidejussor. (2) nisi pignus venditum esset ea lege, 13.
ut pretium daretur creditori, & emtor non curavit, ut illa pecunia perveniret ad creditorem *Avth. Hoc ita C. de pignorib.* (3) ni- 14.
si qvis habeat hypothecam specialem qvam creditor excutere potest non excusso principali debitore *Nov. 112. C. 1.* Tessaurus *Dec. 57.* Berlich *p. 2. Concl. 24. n. 71.* qvæ alias commoda & incom- 15.
moda generalis & specialis hypothecæ sint, eleganter & docte expressit Excell. Dn. Stryk. *Caut. Contr. S. 2. c. 4. th. 16. & seqq.* ubi §. 17. addit: ne ullo onere vel ratione generalis vel specia- 16.
lis gravetur, utile esse, si subjiciatur clausula: *salvo jure variandi,* vel jedoch behalt ich mir frey / meine Special-Hypothec hinwieder fahren zulassen / und mich an andere des Debitoris generaliter verschriebene Güter nach Belieben zu halten.

CAP.

CAP. III.

De solutionibus ut debitore aurum aut pecuniam numeratam non habente addicantur creditori res ejus.

1. Regulariter qvidem aliud pro alio invito solvi non potest *L. 2. §. 1. ff. Si cert. petatur.* excipitur tamen in
2. hac novella casus necessitatis, nam si debitor ad restitutionem auri non sit idoneus, licentiam dat Imperator Creditori volenti immobiles res accipere pro auro; si vero nec emtor rerum immobilium adsit, freqventer satis creditore eas divulgante debent illæ æstimari & Creditoribus assignari pro qvantitate debiti, præstita tamen à debitore evictione, res meliores autem debent dari creditori, deteriores apud debitorem debiti solutione facta manere.

3. *Rat.* Nam si aurum non recipit, aut aliqvid rerum qvæ portari possunt non tamen propterea possessionem inutilem habebit. Et dicit Imperator, licet legem hanc non scripsisset ne-
4. cessitatis tamen ratione Creditores fuisse redactos ut si non idoneus sit pecuniarum debitor, nec ullus emtor immobilium, debitorem coactum iri ad cessionem bonorum, qvo casu tamen aurum nihilominus perveniret ad Creditorem, infelicibus igitur debitoribus modo antea dicto auxiliari voluit Imperator nec apparere acerbus creditoribus undiqve enim ita creditoribus est providendum, ut non graventur debitores.

5. *Addit.* Ampliatur verbis *& absolute*, ut hæc Nov. & Cap. 3. imprimis non extendatur saltem ad debitores ex mutuo obliga-
6. tos, sed & ad alios debitores ex contractu, qvid enim si emtor pro re vendita aurum debeat, qvid si conductor pro re locata ad pecuniam certam solvendam sit obligatus; sed neuter horum pecuniæ paratæ dominus sit, sane dubium non est, qvin ad hos
7. Nov. huj. beneficium sit qvoq; extendendum. vid. Eccell. Dn. Stryk *Diss.*

Diss. de Datione in solut. Vol. 1. Diss. 9. C. 2. n. 7. Ut vero datio in 8.
solutum locum habeat, ejus reqvisita ex *Novella hac* & *Avth. Hoc nisi, C. de solution.* contrahemus, & qvidem (1) ut debitor probet, 9.
se esse pauperem, nec habere pecuniam, (2) qvod qvæsiverit 10.
emtorem bonorum nec reperire potuerit, qvi justum pretium daret, (3) ut meliora offerat, (4) ut Creditor unum eligat ex melioribus, nam ipsi permissum est optimam rem in solutum accipere *d. Avth.* Gudelin. *de Jure Noviss. L. 3. C. 12.* qvo respiciunt verba *Recessus Imperii novis. de anno 1654. §.* **So viel nun / jedoch daß dem** Creditori **die Wahl besage gemeiner Rechten frey stehe.**
(5) Debitor det fidejussorem pro evictione (6) ut subtilis & ac- 11.
curata bonorum in solutum oblatorum æstimatio præcedat. *Mev. P. 4. Dec. 370. n. 9.* Cui dictus Recessus Imperii adstipulatur 12.
verbis. **Auf derselben Vorhergehende zwischen den vorigen und** 13.
gegenwärtigen Zeiten auf das Mittel gestellete Schatzung abzulegen. Inter res offerendas vero (1) debent esse res mobiles, 14.
his destitutus debet offerre res immobiles, qvarum emtores si non 15.
reperiantur; sed dentur optimæ ac præstantissimæ in suo genere & qvidem à judice facta earum æstimatione, & cautione de evictione, Creditori per debitorem præstita. Tenetur autem de- 19.
bitor juxta hanc Nov. bona meliora offerre Creditori in qvo Ecclesia privilegiata est, nam ipsi concessum res mediocres in solutum offerre, & qvidem partim frugiferas, partim steriles possessiones per *Nov. 120. c. 6. §. 2. in fin.* magis enim Imperator faven- 17.
dum censuit Ecclesiæ debitrici, qvam privato Sichardus *Avth. Hoc nisi, C. de Solution* Gudelin *de Jure noviss. L. 6. c. 14. vers. secunda distinctione.* Rittershus. *ad Novell, Part. 2. Cap. 3. num. 8.* Imperator accuratam & subtilem æstimationem reqvirit, qvo ipso indigitat, judicem non secundum voluntatem debitoris vel creditoris, sed ad præscriptum juris sine alterius partis læsione æstimationem debere instituere. Dn. D. Stryk *alleg. Dissert. c. 4. n. 14.*
Porro qvoqve fieri debet evictio, qvia instar venditionis est datio 18.
in solutum *L. 4 C. de Eviction. L. 24. pr. ff. de pign. action.* qvia enim 19.
invitus Creditor res alias accipere tenetur, ergo de his recte securrus esse debet. Et qvanqvam alioqvin venditor emtori ad 20.
evictionem præstandam non sit obligatus, nisi re evicta vel abla-

 ta,

21. ta, *L. 3. C. de Eviction.* hoc tamen casu specialiter videtur esse recepta, qvi non liberrima voluntate Creditor sed coacte res in
22. solutum accipit, ut ea propter magis ipsi prospiciendum, qvam qvi sua voluntate rem qvandam emit. *Id. d. l. n. 22.* ubi *n. 23.* de cautione qvam facere tenetur, addit, qvam ait Imperator debe-
23. re esse possibilem, Ergò Si fidejussores per qvos alias idoneè cavetur, *L. 1. ff. qvi satisdar. Cog.* sint inidonei in subsidium adjuratoriam cautionem admittendus Id. *cit. loc.*

NOV. V.

De Monachis.

PROOEMIUM.

1. IN futuro Monacho non exigitur summa Theologia modo non in fide erret & literas sciat, vult igitur Imperator
2. in præsenti Novella explanare qvid agendum ab illis decertatoribus, jejuniis & orationibus contra diabolum, ut jam de Episcopis & Clericis disposuit, de qvibus tamen constitutiones non absunt, ut vult Glossa etiam de Monachis agat.

3. *Addit.* Cæterum recte asserit Stephani *ad Nov. hanc pr.* Justinianum Imperatorem seqventem Novellam de Episcopis & Clericis edidisse prius qvam hanc de Monachis & Episcopis & Clericis lege lata Monachis etiam utriusqve sexus legem diceret.

CAP. I.

De Monasteriorum ædificatione.

1. MOnasterium ædificaturus manus operi non admoveat, nisi Deo amabilem Episcopum advocaverit, qvi manus extendat ad cœlum per orationem locum Deo consecret, figens in eo Salutis nostræ signum, adorandam & vere honorandam crucem, sicqve bonum & decens fundamentum ponat.

Addit.

Addit. Hic aliqvi incuſant Imperatorem, minus recte & Chriſtiane locutū eſſe, qvando crucem adorandā & vere honorandam vocat, & hoc idololatriam ſpirare aſſerunt, verum ab hac ſuperſtitione Imperatorem abſolvit & improprie dicto locô ſumi verbum προσκυνητὸν, pro eo qvod nos ad adorationem ipſius Dei & Salvatoris noſtri invitat ex collatione aliorum locorum in Novellis Walther. *in Poſtilla Harmon. Jurid. ad diem Paraſcev.* §. 130. Ut qvando Imperator in *Nov. 79. præf. in f.* τόπους vocat προσκυνητοὺς adoranda loca, item προσκυνητὸν βάπτισμα adorandum baptiſma, in *Nov. 6. C. 6.* προσκυνουμένους ὑπηρέτας, adorandos Inſpectores *Nov. 6. Pr.* προσκυνουμένην ἀνάστασιν, adorandam reſurrectionem, qvæ tamen omnia non adorantur, ſed ad Deum adorandum nos excitant. Non igitur vult Imperator talem ſigno crucis exhiberi reverentiam & adorationem, qvalem ſibi Deus poſuit, ſed ſanctum illud haberi propter eum, qvi per hoc ſignificatur, ſcil. Chriſtum mundi Redemtorem per crucis Paſſionem & mortem crimina noſtra expungentem vid. Dn. Wildvogel Conſiliarius Saxonico aulicus & Anteceſſor Jenenſis *in pereruditā Diſſert. de Signo Crucis.* 2. 3. 4. 5. 6. 7.

CAP II.

De Monachiſmum profitentibus non ſtatim veſtiendis.

Monaſterium ingredientes, ſive maſculus ſive fœmina, ſive liber, ſive ſervus, non differunt in qvantum unam mercedem in Chriſto percipiunt, per integrum triennium habitu monaſteriali non ſunt condecorandi, & Abbas in eorum mores inqvirat, an liberi an ſervi, & unde eis deſiderium vitæ ſiugularis accesſerit, an forte maligna occaſio ad hoc eos induxerit. Habebit igitur adhuc inter eos qui docentur & monentur, experimento percipiat eorum tolerantiam & honeſtatem, nec enim facilis eſt vitæ hominum mutatio, ſed fit cum animæ labore. 1. 2.

3. *Addit.* Jure divino nulla perſonarum ratio habetur ſed ex
4. omni populo, qvi Deum timet ipſi gratus eſt *Actor. X. 34.* Jure
humano & civili etiam qvidem juſtitia ſuum cuiqve tribuit,
nulla habita perſonarum ratione, ita tamen, ut alia jura huic alia
illi applicentur perſonæ juxta ejus dignitatem & excellentiam,
de qvo argumento egit Dn. D. Müller in *Diſſ. de Perſon. Excellent.*
5. idqve ſine ulla immutatione juris qvod in ſe certum, licet ob cir-
cumſtantiam unam vel alteram diverſimode applicetur.

6. Perſona qvoqve nonnunqvam in jure noſtro habet empha-
ſin ad dignitatem qvandam exprimendam, non tantum cum
epitheta id volunt, ut in perſonis *clarisſimis*, *illuſtribus* & aliis,
qvæ in jure pasſim nominantur, ſed etiam cum ſimpliciter ſub-
7. ſtantivo alicui vox *Perſona* adjicitur. Huc referri poteſt exem-
plum *in L. Liberto. 9. ff. de Obſeq. parent. & Patron. praſt. liberto &
filio ſemper honeſtam & ſanctam perſonam Patroni & Parentis videri
8. debere*, ut ita perſonæ vocabulum voci Patris & Patroni additum,
ſignificet dignitatem illam, qvam *natura* vel *lex* Patri ac Patrono
tribuit, ſicqve majorem honorem & obſervantiam eodem tamen
jure utitur filius erga patrem qvoad alium niſi qvoad illum de
eo velit aliqvid remittere, ut ipſi licet *L. pen. C. de pact.*

9. Definit hic Imperator, qvod per integrum triennium habitu
monaſteriali non ſint condecorandi, qvod hodie mutatum vide-
tur, dum communiter annum prabationis ſaltem reqvirunt, qvo
præterlapſo; in ordinem aſſumi ſolent, licet libenter conceda-
10. mus, ad id, ut qvis certus eſſe posſit de dono continentiæ ſibi
conceſſo, nec ſufficere unum vel alterum, niſi qvis jam longa
11. experientia edoctus fuerit & vires probaverit. Incumbit autem
& Abbati inqviſitio in ſtatum & vitæ genus, qvod ſane impro-
bandum non eſt, ne fugitivi, latrones, homicidæ, adulteri, &
ſimilis farinæ homunciones irrepant in monaſteria & ex Ora-
12. toriis monachorum fiant ſpeluncæ diabolorum. Igitur, cum mo-
nachus tria vota ſoleat præſtare, *votum Caſtitatis* ſive *continentiæ
perpetuæ votum paupertatis, votum obedientiæ.* Spino à Carcer. *Spec.
13. teſtam. Gloſſ. 12. pr.* Merito ſane inqviret Abbas, an hæc qvoqve
vota profitendis ſint posſibilia, de qvo ſane Chriſtianus dubi-
taret, ob ſummam virium imbecillitatem & liberum arbitrium
qvod

qvod post lapsum se per exiguum habere, merito nosse debet.
Præter hæc tria vota sensim accessit qvartum; Cum enim olim 14.
monasterio non sic essent alligati monachi, qvin illis licuerit sta- 15.
tionem suam mutare, & vel functionem aliqvam Ecclesiasticam
capere vel aliam professionem suscipere. Ziegler. ad Lancell. *L. 1. tit. 30. §. 13.* Successu tamen temporis præter alia abominanda
accessit etiam vinculum, vel potius laqveus IV. votorum, qvo 16.
Monachi vitæ monasticæ sic adstringuntur, ut, postqvam semel
ingressi fuerint, nulli liceat circa reatum perjurii illi renuncia- 17.
re, aut statu monastico relicto aliam capessere professionem,
cujus captivitatis autorem fuisse perhibent Benedictum, Mona-
chorum Italicorum pro-avum, ut ipsum appellat Ziegl. *d. l.* Præter 18.
hæc opera Pietatis & charitatis ipsis sunt prohibita de qvibus
superstitiosum potius, qvam pium Pontificis votum legitur. *Can.
Placuit. 16. qv. 1.* his verbis: *Placuit communi nostro Concilio ut nullus 19.
Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu
præsumat, neqve pœnitentiam dare neqve filium de baptismo accipere
neqve baptizare, neqve infirmum visitare, neqve mortuum sepelire, ne-
qve ad Ecclesiam secularem transire, neqve aliis qvalibuscunqve negotiis
sese implicare, sit claustro suo contentus, qvia sicut piscis sine aqva caret
vita, ita sine Monasterio monachus. Sedeat itaqve solitarius & taceat,* 20.
*qvia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum μόνος
enim græcè, latinè est unus, ἄχος, græcè, latine est tristitia & dolor si-
ve mentis ægritudo, unde dicitur Monachus, i. e. unus tristis, sedeat er-
go tristis, & officio suo vacet.* Propter hæc & alia hic merito qværi 21.
possit, an Pater Protestantium religioni addictus filium suum
Monasterio Romano-Catholico addicere qveat? Resp. De Jure 22.
Canon. ex *Can. Monachum, 20. qv. 1.* Monachum ex paterna fieri
devotione, satis patet, putantqve insuper filium ita salva con-
scientia devoveri posse, cum vita monastica sit occasio ejusmodi 23.
Boni, qvod æternam & temporalem felicitatem nostram promo-
veat, & remedium ad peccata evitanda, mundoqve valedicen-
di satis efficax. Cæterum qvia Patri non constat, an filius tria 24.
antea dicta vota, qvibus monachos suos Pontificii alligant servare
qveat, multo minus conscientiæ filii dominari possit Pater, aut 25.
ab alio officii genere in qvo Seculo, ut & Deo maxime prodesse

poterat, eum abstrahere potest, non nisi injuste eundem manciparet Monasterio, & tonsuram illam & coronam clericalem ipsi obtruderet. vid. Balduin. *Cas. conscient. Lib. 2. C. 8. Cas. 14.* Ziegl.
26. ad Lancell. *L. 1. tit. 30. §. 11.* vid. & de hac qvæstione, an prohiberi possit Protestantibus, ne filios in Jesuitarum Collegia mittant Virum excellenter eruditum Besold. *in Polit. Part. Prior. Lib. 6.*
27. *Diss. 1.* Qvod si autem filius proprio motu se vitæ monasticæ addixisset Patre non consulto, Pater tamen propterea eum exheredare non posset, arg. *Pac. Relig. de anno. 1555. §.* Und damit ꝛc. Junct. *Instr. Pac. de anno 1648. art. 7.* Sudhold. *Diss. 9. aphor. 56.* C. J. A. *Lib. 28. tit. 2. th. 27. in f.* Gudelin. de *Jur. Noviss. Lib. 2. c. 17. vers. insuper.*

28. §. 1. Ergo si per triennium integrum permanserint & optimos se & tolerabiles aliis Monachis & Abbati demonstraverint, monastica veste & tonsura sunt condecorandi & si vel liberi sint, sine calumnia permaneant sive servi & ad Deum accedant,
29. non debent inqvietari; sed in libertatem arripi. Si qvis ergo intra triennium veniat aliqvam in servitutem trahere volens; dum in probatione adhuc perdurat, ut fiat Monachus dicens, abripuisse eum aliqvas res & propterea recurrisse ad Monasterium, actor primum probabit, in veritate servum esse, & propter furta vitam malignam aut alia vitia pessima fugisse à Domino, & ad
30. monasterium venisse, igitur si verax ostendatur, & appareat, ob vitæ turpitudinem forte diffugisse, nec pro veritate sanctimoniæ habitum concupiscere, cum rebus ablatis domino reddendus, si
31. in monasterio fuerint, Dominus autem jurabit se servo nihil
32. mali facturum, suscepturum, ac domum reductum. Ergo ex hoc §. 1. videtur seqvi, si servus per integrum triennium se optimum & tolerabilem præstitit, nec in seqventem dominum habuit, posse relinqvi in Monasterio, & libertatem conseqvi, cum alias juxta Canones ordinandus debeat esse liber vel nativitate, vel per domini manumissionem cum honestas & dignitas Ordinis ecclesiastici civili servorum conditione deformari non de-
33. beat, ne per ejusmodi ordinationem Ecclesia, qvæ cultrix & nutrix justitiæ est debitis suis ministeriis destituatur. Dessel. *Erotem. Jur. Can. tit. de serv. ordinand.* Vallensis *X. tit. eod.* Ziegl. ad Lancell.

Lancell. *Lib. 1. tit. 25. § 2.* Si qvis igitur servum fugitivum per- 34.
seqvatur, eumqve vindicare præoptet, Dominus per actionem
præjudicialem jus qvod in persona alterius qvavis legitima ratione
habere prætendit, probabit *§. 13. J. de Action.* Qvamqvam enim 35.
dura illa servitus vitæ & necis, qvæ à Brutorum conditione ni-
hil distabat, optima sit ratione abolita, ipsa tamen servitus per-
sonalis moderata non discessit ab usu, & neqvidem salvo Reipubl.
statu aboleri potest, dicente Oldendorp. *Class. 3. act. 9. n. 5.* Ut 36.
adeo dominus perseqvens ratione servitutis fundatam habeat
actionem, inde si probaverit, verè suum esse, Imperator eum
una cum bonis restituti jubet, & ab ipsis monasteriis & Ecclesiis
qvæ alias favorabiles; nam omnium magistatuum debitum est 37.
auxiliatrices præbere manus Mev. *P. 2. Dec. 274.* ubi simul dicit:
hoc mereri ipsorum fugitivorum crimen jus dominorum æqvi- 38.
tatem & utilitatem eos sine mora ad glebam reducendi.

Seqvitur qvoqve ex §. 1. fures ad conservandam tranqvilli- 39.
tatem publicam merito à securitate, & juribus monasteriorum
excludi. Harpr. *ad §. 1. n. 26. I. de his qvi potest sui vel al.* cum non
mereatur beneficium, qvi beneficia per legem introducta con- 40.
temnit & negligit *L. Auxilium 37. ff. de Minorib.* qvod passim ad
alios facinorosos, ut latrones publicos grassatores, depopulato-
res agrorum, proditores & templorum violatores extendunt Ca-
nonistæ præsertim ob Bullam Gregorii XIV. P. M. in qva horum
criminum rei ab Ecclesiæ securitate penitus arcentur Farinac. *Tr.
de immunitat. Eccles. c. 8. 9. 10. & seqq.* Barbos. *ad Cap. inter alia n. 44.
& seqq. X. de Immunitate ecclesiæ* Marius Giurba *Cons. 50. n. 27.* Id sa- 41.
ne de cognitione Causæ principalis qværitur si dubium sit, *an
profugus immunitate monasterii ejusqve receptione dignus sit nec ne,
& an homicidium dolose, an vero per culpam aut casum commiserit,
qvis nam judex competens, an Episcopus Ecclesiæ, an vero Dominus ter- 42.
ritorialis perpetrati delicti?* Qvæstionem hanc late examinat My- 43.
ler. ab Ehrenb. *Tr. de Asylorum Jure cap. 11. §. 9. & seqq.* ubi Au-
tores pro & contra allegat, tandem §. 11. in magna Doctorum
varietate concludit, omnia consvetudini loci attribuenda, & 44.
juxta eam judicandum; sane hæc qvæstio apud Protestantes est 45.
extra dubium, nisi Princeps Summus Monasteriis aut Ecclesiis
Episco-

Episcopum aut Abbatem præfecerit, illiqve absolutam cognoscendi potestatem sine ulla provocatione concesserit, sic enim
46. Ecclesiæ suæ immunitatem defenderet, imprimis cum materia immunitatis Ecclesiasticæ sit spiritualis & sic potius ad Ecclesiasticum qvam secularem judicem pertineat. *L. Pateant*, §. *Hos vero, C. de his qvi ad Ecclesf. confug. Cap. f. X. de Immun. Ecclef.*

47. *Qvid si juraverit dominus servo, qvi furtum sibi fecit, modo res furtivas restituerit, se apud judicem non accusaturum, multo minus supplicium exigere velle, an juramentum servare sit obstrictus?* Resp.
48. Hoc videbatur affirmandum, qvia juramentum est pignus qvod-
49. dam & arrha fidei. Cic. *Lib. 3. Offic.* & omnis qvasi justitiæ fundamentum; Cœterum juramentum contra mentem legis aut in fraudem ejus præstitum, ipso jure nullum esse satis probat *L. Non*
50. *dubium, 5. inf. C. de LL.* nec contra bonos mores est obligatorium *Cap. Juramentum, de R. J. in 6to.* cum non debeat esse vinculum iniqvitatis; sed tres semper secum habere comites, *veritatem judicium & justitiam*, & si horum uno deficiente non obligat jura-
51. mentum *Can. & jurabant, c. 22. qv. 1.* non apparet, qvomodo justitiæ satisfiat, si delinqvens servus supplicio non offerretur, qvin
52. imo magis ad delictum incitaretur. Facit, qvod vanum sit juramentum, si qvis juret ea de re qvæ non est in potestate sua, vel ab alio dependet, ut à Superiore, veluti à Deo & à Magistratu, usqve adeo, ut in omni juramento horum potestas & autoritas excepta esse intelligatur, qvod uberius & per exempla demonstrat Setserus *de Jurament. L. 1. c. 26. n. 56.*

53. § 2. Confirmat in h. §. idem fere qvod in præcedente dixerat Imperator, Ergo si Actor se dominum non probaverit, & appareat ex testimonio fide dignorum accusatum, honestum semper & mitem fuisse apud dominum consistentem disciplinatum & honestatis amatorem tempus triennii tamen forte nondum
54. completum ab asperitate retrahentium ex Monasterio liberatus esto, & nihilominus in eo permaneat, prout & multo magis si triennii tempore expleto dignus monastica honestate est judica-
55. tus. Etsi enim forte in priori vita vitium ab eo gestum, *cum humana natura labatur qvodammodo ad delicta*, ad purgationem peccatorum tamen & virtutis augmentum triennalis temporis testimonium

monium sufficit. Rapta verò apud qvoscunqve etiam inveniantur modis omnibus prisco debent domino restitui.

Addit. Ex his deduci potest, si constet servum de qvo qvæstio est, honestatis amatorē fuisse, adhuc modo talem esse, semper enim 57.
ad eam partem accomodanda erit cogitatio, ex qva probitatis præsumtio semper subsistit Petrus Costal. *Advers. L. Qvintus Mutius, 51 ff.* 58.
de donat. int. vir. & ux. & si semel malus, semper malus præsumitur in eodem genere delicti. *Cap. semel. de R. J. in 6to.* Multo magis se- 59.
mel bonus & fidelis, talis semper præsumetur. Menoch. *Lib. 5.* 60.
Præs. 19. Ubi id exemplo Vasalli illustrat *n. 9.* maxime cum & præsumtio versetur circa habitum animi, ex qvo qvis justus vel injustus dicitur Menoch. *L. 1. A. I. Q. 14. n. 26. & seqq.* Vi aut 61.
furto erepta suis semper Dominis restituenda ubicunqve etiam deprehendantur, etiam sine omni pecunia, qva forte sunt emta *L. 23. C. de R. V. & L. Incivilem. 2. C. de furtis.* Nec enim natura pa- 62.
titur, ut aliorum spoliis nostras facultates & opes augeamus. *Cic. L. 3. Off.* maxime si à milite emtæ, qvia emtores statim ab initio 63.
probabilem habere potuerunt scientiam mobilia sibi esse vendita, alia furtiva, vi erepta Finckelthaus. *Obs. 56. n. 9. & seqq.* Et qvia 64.
semper apud qvemcunqve deprehenduntur furtiva restituenda, hinc heres, possidens qvæ defunctus male detinuit, ad restitutionem tenetur, & si res non amplius existat, æstimationem qvia 65.
potestate & fictione legis res furtiva ad heredē videtur pervenisse & fur in mora constitutus, qvod & intelligendum de fure ob repetita furta suspenso, cum criminalis actio civilem non tollat & suspendium dictetur ob interesse publicum, sed restitutio rei 66.
male partæ petatur ex hereditate ob Interesse privatum Brunn. *ad L. 7. ff. de Condict. furtiv.*

Addit. Allegatur in textu Vir in conversatione famosissimus 67.
Zosimus prope vicesimum centesimum ætatis annum agens, cum aliàs longissimum vitæ terminum tempus centum annorum elegerit Imperator, ut adeo possibile sit, ejusmodi ætatis terminum hominem attingere posse. Vide textum à paucis allegari solitum in *L. 56. ff. de Usufr.* ut illum vocat Finckelth. *Obs. 100. n. 17.*

§. 3. Qvodsi autem servus Monachus factus, monasterium 68.

H dereli-

derelinqvere aliamqve vitæ figuram sectari præsumserit, Dominus eum vindicaturus, si servum esse probaverit, in servitutem retrahere potest, sic enim æqva patietur mente, si à pristino domino in numerum Servorum redigatur.

69. *Addit.* Nam si libertus ingratus erga Patronum suum existens, modo coram judice id possit probari, una eum liberis postea natis in servitutem potest revocari, ita, ut denuo in libertatem pervenire non possit, nisi à Principe hoc Patronus impetraverit. *L. 2. C.* & Brunn. *ad eam, de libert. & eorum lib.* Multo
70. magis ille qvi in Deum extremè ingratus cultum semel susceptum abnegans, & Seculi vanitatem amplectens, dum merito eo major censetur culpa, qvo major ille qvi læsus habetur.

CAP. III.

Ut Monachi communiter habitent & dormiant.

1. MOnachi in monasteriis suis â se invicem non sint divisi, & propriis habitationibus utantur, communiter qvidem edant, dormiant qvoqve omnes in communi, qvolibet in propria sua stratura jacente, in domo una collocati, si vero ob multitudinem Monachorum una domus non sufficit, in duas forsan aut plures dividantur, non vero ut seorsim & apud semetipsos sint, sed ut in communi & alterutris testes sint honestatis & castitatis, nec somnum habeant desidiosum, sed meditentur bonum ornatum, increpent juniores ad seculum forte respicientes, exceptis in contemplatione & perfectione degentibus & vitam remotam in hospitio degentibus, qvos Anachoretas vocant, sic enim ad virtutem crescet amor, maxime in juvenibus, si cum Senioribus constituantur fiet enim seniorum conversatio juventutis educatio perfecta, & sic sint in Cœnobiis proprio suo Abbati obedientes, & traditam sibi regulam inculpabiliter observent.

Addit.

Addit. Vocat Imperator hic Monachos monasticæ Philoso- 2.
phiæ certatores; utiqve enim ipsis cum carne & sangvine luctandum est, nam facere docet Philosophia, non dicere. Seneca 3.
Epist. 20. imo si sine periculo volent in Aristotele philosophari, necessum est, ut prius benè stultificentur in Christo, ut dudum eos docuit vera Christi imbutus doctrina & sapientia ab ipsis tamen nunqvam approbatus Doctor Lutherus *in tom. 1. Jen. fol. 28.* In- 4.
gentes igitur Certatores erunt, non si Stoicorum aut Peripateticorum dogmata pulchrè teneant, sed si Philosophiæ rationem vita ac moribus exprimant, qvi proprius est Philosophiæ finis, & qvid tandem est, ut se proverbium habet. ἀνευτῦ πράττειν καὶ μεγέθυς 5.
λέγειν. Et qvid mirum hanc communem vivendi rationem religiosis esse præscriptam, cum antiqvitus eam multos etiam Clericos, ut sanctius viverent, ultro esse amplexos, constet, ex illis qvæ tradit Gudelin. *de Jur. Noviss. lib. 6. cap. 8.* vid. & *cap. 10.* & faciunt huc verba Episcopi Antonii de Gvevara *Part. 3. Epistol. pag. 44.* Ein Mönch/ so in ein Closter gedencket zu verharren / soll 6.
diese Eigenschafften haben/ daß er nehmlich halte/ was er angelobet/ daß er thue/ was man ihm anbefehlet/ daß er esse / was man ihm fürsetzt/ und daß er nicht murre über das jenige / was er siehet/ &c. i. e. Monachus in Monasterio perseverare cogitans, se- 7.
qventes habeat proprietates, scil. ut servet qvod vovit, vel spopondit, ut faciat, qvæ ipsi mandata, edat, qvæ in mensa opponuntur, nec ægrè ferat, qvæcunqve videt &c.

Adhibet in textu Imperator vocabulum *straturæ*, qvæ vox 8.
nihil aliud hic, qvam lectum indigitare videtur, Glossa qvoqve explicat pro loco vile ad jacendum disposito, qvem in finem allegat *L. 45. ff. de V. S.* ex qva tamen ne argumento qvidem talis explicatio potest colligi, sed habetur hæc vox in *L. 242. §. 4. de V. S.* ubi explicat Corvinus, qvod sit species Straturæ ex tabulis factæ, ac potissimum illa, qva pavimentum lapidibus stratum hyeme tegitur ut commodior sit usus, & ne lapides pedes nimium refrigerent, prout qvoqve sic explicat Gœddeus *ad d. l.*

Anachoretæ ut hic traditur, in contemplatione & perfectio- 9.
ne degunt, remotum habentes hospitium, hi sunt, qvi in soli-

tudinem ſecedunt & hodie Eremitas vocamus, vocantur & Heſychaſtæ, inde ipſorum heſychaſteria diverſa à monaſteriis. Cuj.
10. *in Expoſ. Nov. V.* Rigidior & aſperior eſt eorum vivendi ratio in eo diverſi à Monachis, qvod in totum ab aliorum converſatione remoti, hi tamen ex parte verſentur cum hominibus.
11. In favorabilibus tamen nomine Monachorum veniunt omnes religioſi. Panormitan. *Cap. Ex Parte, X. de poſtulat. Prælator.*

CAP. IV.

De Monacho, qvi monaſterium dimiſerit.

1. MOnachus, qvi ſe ſemel dedicavit Monaſterio, & ordine vel habitu monachi potitus, ê monaſterio diſceſſurus & vitam privatam electurus, res qvascunqve in monaſterium intulit eidem relinqvat, & nihil ſecum ejiciat.
2. *Rat.* Dum enim omnia jura & actiones ſuas in monaſterium tranſtulerunt Monachi, nihil omnino habent proprii, hinc etiam
3. omnis vindicatio ceſſabit. Hinc paſſim ab ipſorum Doctoribꝰ traditum legitur, poſſunt merito dici talia loca facta vel fienda
4. retia contexta ad laicorum bona capienda. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis, vid. Petr. de Ferrar. *in Pr. tit. 50. Gloſſ. 9. n. 4.* allegatus à Ziegl. ad Lancell. *L. 1. tit. 30. circa fin.*

CAP. V.

De viro vel muliere qvi qvæve ſolitariam vitam appetit.

1. MOnaſterium ingreſſurus anteqvam ingrediatur, liberrime de bonis ſuis diſponere poteſt, nam ex qvo ingreſſus non ullo modo eſt ulterius eorum domi-
2. nus. Qvod ſi filios habeat, ſi jam tum aliqvas res illis donaverit, aut per donationem propter nuptias, aut filiabus

pro

pro dote aliqvid contulit, modo legitimam habeant filii, 3.
nullum in aliis rebus habeant participium, qvod si nihil donaverit, vel minus legitima, & seculo renunciato conversationem monachorum elegerit, aut qvarta debetur filiis aut supplementum ex *L. Omnimodo, C. de inoff. testam.*
Si jam tum ante qvid acceperint, aut totum, si nihil, si uxo- 4.
rem habeat eamqve relinqvat, dotem ei servet, & pactum cum ea factum.

Addit. Seqvitur ex *h. Nov.* & *Cap. V.* qvod cum per ingres- 5.
sum monasterii seqvis & sua bona dedicaverit, non possit testamentum de illis condere, salvo tamen testamento prius facto, jure creditorum & salva liberorum legitima, ut recte deducit & colligit Brunnem. *ad Auth. Ingressi, C. de SS. Eccles.* & *ad Auth. Nunc autem C. eod. vid. infra Nov. 76.*

CAP. VI.

De Monacho monasterium dimittente.

MOnachus relinqvens monasterium & ad aliam vi- 1.
tam se conferens, bonis ejus monasterio relictis, forum sortitur coram cohorte Præsidis provinciæ,
ut qvi sacrum ministerium despexerit, tribunalis terreni observet 2.
servitium.

Rat. Nam à judice Ecclesiastico ad secularem transiens 3.
incidit in ejus jurisdictionem, hinc judex secularis pergit in processu tanqvam judex competens. Meichsnerus *tom. 2. lib. 1. Dec. 9. n. 6. & 7.* Si autem ob delictum enorme militiam non 4.
concernens conveniatur, juxta jus Civile in loco delicti accusari posse probatur in *L. ult. ff. de accusat.* Forum enim qvis sortitur ratione criminis & ubi qvis deliqvit, ibi puniri potest. *L. 1. C. ubi de crim. agi oport.* Et illic criminum judicia agitentur, ubi fa- 5.
cinus dicitur admissum. vid. Infr. *ad Nov. 123. C. 7.*

CAP. VII.

De monacho qvi de uno monasterio ad aliud transit.

1. Monachus relinqvens Monasterium in qvo habuit conversationem, si ad aliud transeat, bona qvidem ejus in priori Monasterio permaneant, sed Abbas alterius Monasterii eum non recipiat.

2. *Addit.* Patet ex dictis, bona Monachi renunciantis absolute monasterio priori remanere, non obstante, qvod sic onerosus
3. fiat posteriori; imputet enim sibi, qvod recipiat; nihil enim accipit, nisi acqvisita post translationem cujus jam factus est membrum. vid. Petr. Franciscus Linglois *ad L. Decis. Lib. 34. Dec. 17. q. 4.*
4. nec obstat, qvod spes succedendi jam sit qvæsita priori Mona-
5. sterio, nam ea perfecte ante mortem non potest dici acqvisita, & fundata in persona Monachi, cum eaqve ambnlat & sic transit ad posterius Monasterium. Zoes. *ad Jus Can. tit. de Regularitat.*
6. *n. 35.* Qvandoqvidem & professi monasterio semper eidem sunt subjecti, hinc regulariter sua deserta religione qvam sunt pro-
7. fessi ad aliam transire non possunt. Cœterum qvia juxta Pontificem *Cap. 18. X. d. t.* ubi Spiritus Dei est, ibi est libertas, & qvi
8. Spiritu Dei aguntur, non sunt sub Lege, qvæ non est posita justo, hinc professus transire potest ad alium locum arctiorem,
9. qvo tutius suam aperitur salutem, petita tamen licentia Superioris, tam ad evitandam contumaciam, tum ut ille advertat, an transitus istius sit finis fundatus in charitate, an vero in temeritate & vocato qvodam melioris atqve arctioris vitæ colore *d. cap. 18. §. Si verò, X. d. t.* vid. Ziegl. ad Lancell. *Lib. 1. §. 15.*

10. *Archimandrita* denotat Abbatem qvod μάνδρα græcè spe-
11. luncam significet vel gregem. Nam Monachi olim in eremis, speluncis & cavis montium habitabant, vel à grege pascendo sic dicti. Alciat. *in L. un. C. de Summ. Trinit.* & voluere per hoc vo-
12. cabulum Veteres ovium Principem denotare. Postea multiplicatis Monachorum Ordinibus, multiplicata qvoqve sunt nomina,

na, unde apud Dominicanos Abbas vocatur *Prior*, apud Franciscanos *Gvardianus*, apud Trinitarios *Minister*. Barth. Carthag. *Exposit. tit. Jur. Can. tit. de Stat. Monachor. obs. 1.* Communiter au- 13.
tem distingvunt Priores in *Conventuales & Claustrales*, illos per se cœnobio, in qvo non est Abbas præesse, hos vero sub Abbate esse & non nisi eo absente præesse dicunt, vid. Ziegl. ad. Lancell. *Lib. 2. tit. 19. §. 3. Conf. infr. Nov. 123. C. 19.*

CAPUT VIII.

Ne Monachi uxorem ducant aut concubinam.

SI qvis Monachorum meruit ordinationem clerici pu- 1.
ram servabit conversationem, nam si Clericus factus ad nuptias venire præsumserit scil. in gradu constitutus in qvo uxorem ducere possit, ut si Cantor, Lector 2.
vel in alio minore scil. gradu sit constitutus (nam aliis, licet non Monachis interdicitur, aut concubinas habere aut luxuriis vitam tradere) omnibus modis â Clero 3.
excludatur tanqvam priorem conversationem & solitariam vitam confundens, nec qvoqve tali sit integrum, ad 4.
militiam aut ad aliud officium venire nisi dudum in terminatis pœnis (intelligit Glossa in Constitutione græca expressis, qvã non habemus) subjici, velit ipse autem secum perpendet, qvalem magno Deo daturus sit satisfactionem.

Addit. Ex principio hujus Cap. satis arguere est differentia 5.
inter Monachos & Clericos, qvam & agnoscit Stephani *ad Nov. 5. pr.* & aliàs qvam plurimæ inter Monachos & Clericos â Canonistis statuuntur differentiæ, qvas velut in compendio videre licet apud Cujac. *ad Cap. 2. X. de condit. appos.* imo & hodie Monachatum 6.
& Cleritatum inter se pugnare & esse incompatibilia pluribus docet Marcus Anton. de Dominis *Lib. 2. de Republ. Eccles. cap. 12. n. 51. seqq.* Interea tamen commendat Justinianus Imperator, Mona- 7.
chos sui temporis, qvod cultui divino vacantes Sacris Scripturis incuberint, & de divinis eloqviis disputarint. *Nov. 133. C. 2.* Er- 8.
go

go si inter Monachos idoneus qvis repertus fuerit, cur ei sacra
peragere non liceat? nulla ratio subest sufficiens, nec qvoqve
9. pugnare statum clericalem cum monachatu, patet inde, qvia tem-
pore necessitatis Monachum Ecclesiæ præfici posse ipsi admittunt
10. Pontificii. vid. Barbos. *ad C. 1. X. de Capell. Monach.* In jure feu-
dali tamen Monachi & Clerici pro iisdem habentur *2. Feud. 26.*
11. *§. Qvi Clerici.* Vultej. *de Feud. Lib. 1. c. 3. n. 12. & Cap. 9. n. 123.* qva-
re de jure Feudali Monachi non minus ac Clerici à successione
feudi arcentur. *2. Feud. 26. 37.* Rittershus. *partit. Feudal. Lib. 1.
Cap. 15. qv. 19.* Berlich. *Part. 5. Concl. 39. n. 58.*
12. Adjungit Imperator pœnam, Clero dictandam, si post Or-
dinationem uxorem duxerit, qvam Constitutionem Pontificios
13. hodienum adhuc seqvi & observare in propatulo est; Pleriqve
enim Pontificiorum statuunt, non qvidem jure divino attamen
jure Apostolico & lege Ecclesiastica abstinentiam à conjugio sive
cœlibatum annexum esse Sacerdotio, ita, ut nec ducere uxores,
nec uxoribus antea ductis uti licere contendant post Ordinati-
onem, in qvem finem provocant ad Concil. Tridentin. *Sess. 8.
Can. 9.* & expresse Bellarminus inqvit *Lib. de Clericis, Cap. 19. §.*
14. *Contra hos. Votum continentiæ annexum est Ordinibus sacris, ita ut nec
ducere uxores, nec ductis antea uti liceat post Ordinationem positivo
qvidem jure; sed antiqvissimo & æqvissimo, qvod nullo modo expedit, ut
15. hoc tempore relaxetur.* Inde in Papatu multa sparguntur in hunc
statum contumeliosa, qvod sit contrarius *Orationi*, qvod impediat
Sanctitatem, qvod sit *illecebrosum lenocinium*, & *arcta ergastuli late-
bra*, *status carnalis*, in qvo qvi vivant, Deo placere non possint,
juxta delirum Papæ Syricii judicium *dist. 82. cap. 2.* vid. Meisne-
rus, *Meditat. sacris Evangelio-Dominicalibus, Domin. 2. post. Epiphan.
16. Part. prior.* Claudius Espencæus *Lib. 1. de Continent. Cap. 12.* Ex-
empla Sacerdotum ob conjugium combustorum recenset, qvin
imo docent Papistæ, Sacerdotem gravius peccare, uxorem du-
cendo qvam scortando, qvod Costerus asserit in *Encherid. cap. de
17. Cœlibat. Sacerdot.* Et hujus sententiam plurimos approbasse refert
Elias Hasenmüller Jesuitarum Societate olim addictus *in Histor.
Jesuitar. Cap. 6. membr. 2.* ubi asserit, se sub jurisjurandi religione
18. asserturum, suo tempore neqve in Italia neqve in Germania è
centum

centum qvinqve fuisse Sacerdotes, qvos novisset, qvi à Carnali
commixtione cum meretricibus se abstinuissent, & de ipso Pon- 19.
tifica Maximo Innocentio VIII. referunt, sedecim spuriorum liberorum Patrem fuisse, unde Marcus Marulus Spalatensis Ital9 seqvens de eo Epigramma confecisse legitur.

Octo recens pueros genuit, totidemqve puellas, 20.
Hunc merito potuit dicere Roma Patrem.

Non possum, qvin unius adhuc fœtæ historiæ mentionem faci- 21.
am, qvam refert celeberrimus Galliæ JCtus & Parlamenti Bur-
degalensis Præses Nicolaus Boërius *Dec. 38.* Ex qvo enim ex 22.
plurimis Canonistis & Glossatoribus probavit, juxta regulam Brigittæ ejusmodi monasteria licitè haberi, in qvibus mares & fœminæ mixtim sustentantur & aluntur, refert monasterium tale aliqvando Principem intrasse, & Abbatissam interrogasse qvot numero in Collegio marium & fœminarum essent, respondisse,
adesse viginti viros Canonicos & qvadraginta fœminas Cano- 23.
nissas, Respondisse Principem, male sic fuisse institutum, nume- 24.
rum potius invertendum & constituendum fuisse, ut qvadraginta numero essent mares, viginti fœminæ, cæterum illam dupli-
casse, optime fuisse institutum, qvemlibet enim Canonicorum 25.
suam sibi habere Canonissam, reliqvas hospitibus ad qvævis obseqvia esse paratas, ad qvod responsum subticuisse refert Prin-
cipem. Sane propter hæc & similia dicendum merito foret cum 26.
Ænea Sylvio anteqvam sub Pii II. nomine sedem Pontificiam
occupavit; *magna ratione Conjugium Clericis est ademtum, at majore* 27.
est restituendum. Et jure divino id omnino licite eos contrahere 28.
ex Scripturæ dictis & ex rationum monumentis satis â Nostratibus Theologis deductum & probatum est. vid. B. Dn. Schertzerus *Breviar. Theolog. Hulsemann. Cap. 21. th. 20. & seqq.* Et in *Systemate Theologico Tit. 27. §. 16.* & novissime Dn. Fridemannus Bechmannus *in Annotat. ad Compend. Hutteri loc. 20. §. 2. & seqq.* nul-
libi enim jus divinum obligat Sacerdotes ad cœlibatũ, sed his Con- 29.
jugium æqve ac aliis permisit liberum, & jugum hoc cœlibatus Sacerdotibus impositum est intolerabile proveniens ex doctrina Dæmoniorum, repugnans cum divina Conjugii Institutione tum humanæ in universum naturæ; tuetur vero hunc Pon-

tificiorum cœlibatum Grot. cujus verba allegat Osiander *in Observ. ad Grot. Lib. 3. de J. B. & P. Cap. 4. th. 11. obs. 2*

CAP. IX.

De Electione & creatione Abbatis & ut constitutio sit Communis, tam monachis, qvam Sanctimonialibus.

1. ABbate si opus habeat monasterium ille non fiat juxta ordinem monachorum, nec ille, qvi post primum ordine mox seqvitur, nec qvi secundus vel tertius ordine est eligendus; sed Episcopus percurrat per omnes, & qvi inter eos optimus deprehenditur, & dignus Præsulatu videtur, electus esto.

2. *Rat.* Oportet enim eos, qvi discernunt, qvod melius est, pejore relicto magis idoneum ad regendum admittere, illiqve obedientiam injungere, donec paulatim per eruditionem ad majora accedat.

3. *Addit.* Optimo jure Imperator Abbatem eligendum præ aliis virtutibus vult esse instructum, ne in eo ipse labatur, in qvo fratres reprehendere est obstrictus, & decet ipsum eas observare Leges, qvibus se solutum alias putat, & eleganter Cato ille apud Salustium, qvi mihi atqve animo meo nullius unqvam delicti feci gratiam, haud facile alterius libidini malefacta condonavi,
4. adeoqve turpe est Abbati, cum culpa redarguit ipsum. Huc spectant verba Bernhardi: Abbati Mauro aliqvando transcripta qvæ refert Zeilerus *Part. 2. Epist. 13.* Scito Maure, statim ab ipsa hora, à qva te ordini addixisti, factum esse Spectaculum orbis, & ea propter corpore castum esse decet incogitationibus, purum liberum in votis, affabilem erga fratres, cautum in verbis, compatientem in dictis, inqve sacris exercitiis assiduum.

5. *Addit.* De Jure communi tria ad Abbatis creationem concurrere debent, *electio*, *confirmatio* & *benedictio.* Electio à Capitulo seu Conventu fit, sicuti & Episcopi electio, nisi qvod de

de Prælatorum regularium electione singulariter statutum est in Tridentino Concilio *Sess. 25. Cap. 6. de regularibus* ut electio fiat per vota secreta & eligentim singulorum nomina nunqvam publicentur. Electionem seqvitur *Confirmatio*, per qvam jus plenum acqviritur administrationis & Jurisdictionis exercendæ, Abbas vero vel Præpositus non exemptus confirmandus est ab Episcopo, exemtus autem à Pontifice Summo vel legato à latere, si in provincia sit. *Cap. si Abbatem & ibi Gloss. de Election. in sexto.* Succedit deniqve *Benedictio* sive *Consecratio Abbatis*, per qvem veluti spirituale matrimonium, quod inter ipsum & Ecclesiam ejus electione inchoatum, & confirmatione ratum erat, magis adhuc consummatur, ut pluribus docet Laymann. *Theol. moral. Lib. 5. tr. 9. Cap. 13. §. un.*

§. Hactenus dicta de Abbatibus & in Abbatissis locum habere debent, ut non Moniales secundum ordinem eligantur, sed pro ut una præ altera virtutibus reperitur instructa, sic, ut & ad cætera monasteria & asceteria cujuscunqve ordinis hæc extendantur. 6.

Addit. Juxta *Cap. Indemnitati, de Election in 6to.* Abbatissa 7. XXX. debet esse annorum, Cæterum Concil. Trident. *Sess. 25. de Regularib. Cap. 7.* exigit, ut Abbatissa, Priorissa vel Præposita non eligatur minor LX. annis, qvæ octo annis post professionem expressam laudabiliter vixerit. vid. Franc. Vivius *Decis. Neapol. 314. n. 16.* Debet itidem Abbatissa esse virgo & sic vidua esse neqvit, qvantumcunqve caste vixerit in Monasterio Panormitan. *Cap. Cum in cunctis, de Election in 6to.* ubi firmat, non solum Abbatissa non possit esse, qvæ vidua fuit, sed nec, qvæ defectum in natalibus patitur. In administratione æqviparatur Abbati. Idem *Cap. 2. X. de his qvæ fiunt à Prælat.* Abbas tamen plus conseqvitur per benedictionem, qvam Abbatissa, qvoniam Abbas benedictus Monachos benedicit *Cap. 1. de Supplend. neglig. Prælator.* confert minores qvoqve Ordines *Cap. Cum contingat, de ætat. & qvalitat.* qvod propter sexus fragilitatem Abbatissa non facit Franc. Vivius *d. Decis. n. 10.* & conseqventer Abbatissa non potest confessiones Monialium audire, nec eas benedicere, nec prædicare &c.

8. Qvemadmodum vero qvidem sunt Abbates Principali titulo & dignitate coruscantes, qvi duplex hodie votum habent in Imperii Comitiis scil. respectu Scamni *Svevici* & *Rhenani*. illustr. Dn.
9. de Rhetz. *Institut. Jur. Publ. Lib. 1. tit. 15. §. 11.* sic qvoqve Abbatissæ tales sunt, qvæ vigore matriculæ etiam pro Statibus Imperii habentur & æqve die Gefürstete Aeptißin vocantur, qvas
10. inter præcipuæ sunt *Qvedlenburgensis*, *Buchaviensis*, qvæ Abbatia non procul à Biberac ad lacum der Feder-See cujus Moniales ad minimum sunt Comitissæ & Baronissæ, & pro lubitu
11. nuptias celebrare possunt *Herfordensis*. vid. Gastelius *de Statu Publ. Europæ. pag. 844.* In Comitus tamen regulariter tantum per Legatos comparent, & Imperii Recessibus post omnes Prælatos subscribunt, atqve hoc est ut dicit Dn. de Rhetz *J. P. §. 12.* Exemplum ubi prærogativæ sexus Masculini qvid tribuitur.

NOV. VI.

Qvomodo oporteat Episcopos & cæteros Clericos ad Orationem perduci & de expensis Ecclesiarum.

PROOEMIUM.

1. Maxima in omnibus sunt dona Dei â superna collata
2. clementia *Sacerdotium* & *Imperium* illud qvidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens; ex uno vero eodemqve principio procedunt, vitamqve exornant. Curæ igitur erit Imperatoribus, Sacerdotum honestas cum hi pro illis semper Deo supplicent, inde si Sacerdotium inculpabile undiqve & fiducia plenum imperium qvoqve recte competenter traditam sibi Rempubl. exornabit, bona erit consonantia
3. qvicqvid humano generi est utile, ipsi conferens. Cum igitur maximam habeat Imperator solicitudinem circa vera Dei dogmata & circa Sacerdotum honestatem, qvam si hi obtineant, credit per eam maxima sibi dona â Deo dari,

dari, eaqve ſunt, firma haberi, & qvæ nondum hactenus venerunt, acqviri. *Bene autem univerſa geruntur & competenter,* 4.
ſi principum fiat decens & amabile Deo, qvod futurum eſſe credidit, ſi Sacrarum regularum obſervatio cuſtodiatur, qvam juſti & laudandi Inſpectores & miniſtri verbi Dei tradiderunt, Apoſtoli & ſancti Patres cuſtodierunt, & explanaverunt.

Addit. Imperator ut felix reddat Imperium ſuum, agrorum 5.
domorumq; fertilitatem, de hoſtibus triumphos, & alia infinita bona Subjectis ſibi conciliet, curam rerum ſacrarum ſingularem & imprimis Sacerdotii præ ſe fert, nam Homerus Populorum felicitatem & omnium rerum copiam Diis adſcribit & Regum pietati, Carmen ejus tale eſt Odyſſ. 19.

Ὥςτέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅςτε θεουδὴς 6.
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
Εὐδικίας ἀνέχῃσι φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθὰς βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ.
Τίκτει δ᾽ ἔμπεδα μῆλα. θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς
Ἐξ εὐηγεσίης ἀρέτωσι δὲ λαοὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ.

i.e. *Qvemadmodum alicujus Regis Probi qvi Deum veritus* 7.
Virisqve multis & fortibus imperans
Juſtitiam colit. Fert autem atra terra
Tritica & hordea. Oneranturqve arbores fructibus,
Et gignunt ſana pecora. Mare autem piſces præbet
Ex juſto regimine atqve felices ſub ipſo vivunt populi.

Hæc ipſa ſibi qvoqve Imperator in præfatione promittit, verb: 8.
cum igitur, ſi omnia in Dei honorem dirigat circa vera Dei dogmata & Sacerdotes juſtam habeat ſollicitudinem. Liqvido ve- 9.
ro hic conſtat, Poteſtatem Secularem eſſe Superiorem Eccleſiaſtica & hanc ab illa dependere, nam perſonæ Eccleſiaſticæ juxta Apoſtoli ſententiam ſubjectæ ſunt Dei Miniſtro ſive ſummæ Poteſtati, & ſi aliqva eſt Epiſcoporum jurisdictio, eam omnem à Magiſtratu Politico datam dudum probatum eſt à Grot. *Lib. de Summa Poteſt. circa Sacra.* Conringio *de Summa Poteſtat. offic. circa Sacra.*

Sacra. Brunnemanno *Jur. Eccles. Lib. 1. Cap. 2.* & Henniges *de Summa Imperator. Rom. Potest. circa Sacra.* Non obstat *Cap. solitæ, 6. X.*
10. *de Majoritat. & Obedient.* in qvo Pontifex se suamqve potestatem
11. Soli, sed Imperatoris Lunæ comparavit, non itidem obstante politicismo, qvo Pontifex Romanus utramqve potestatem tam Secularem qvam Ecclesiasticam sibi vindicat, de qvo eleganter & latè Johannes Frid. Lange von der Lippe *de Ratione status cap. 30.* legendus, & Conring. *part. 2. de Republ. Romani Pontificis,* vi cujus etiam tyrannidem in Reges & Principes Christiani orbis exercet, de qva Laurent. Banck. Antecessor Franeckeranus
12. *peculiari Diasceps.* erudite docet. Qvicqvid autem horum sit, licet jurisdictio Ecclesiastica Statuum Imperii Principum olim suspensa fuerit, recuperarunt tamen eam per Pacificationem Religiosam, ut adeo jam duplicem jurisdictionem in diversis Consistoriis per idoneos & occurrentium rerum peritos judices rite exerceant Matth. Stephan. *de Jurisdict. Lib. 3. Cap. 4. n. 13. & Cap. 15.*
13. *per tot.* Inter alia verò jura Episcopalia recuperarunt Principes nostri curam circa Sacerdotum honestatem, qvam jure sibi olim
14. asseruit Justinianus, & omnes post eum Summi Principes; jure igitur & hi hodie vocant ministros Ecclesiæ (nisi alius jus Patronatus habeat) confirmant atqve ordinant, cui juri annexa est observatio cultus, & ut ministri munia divinitus concredita fideliter expediant, suasqve actiones ordinationibus Ecclesiasticis denen Kirchen-Ordnungen conformes reddant. vid. Dn Müller *in dissert. de Juris Episcop. in terris Protestant. reviviscentia, sect. poster.*
15. *Cap. 1. §. 5. & seqq.* Hactenus igitur hodie bene conveniunt & in una sede morantur Miles & Sacerdos Imperator & Pastor, Regnum & Patibulum, Corporalia & Spiritualia, arma & Sacra, Bellum & pax, bene etiam Episcopos politicam jurisdictionem & vicissim Principes Seculares Ecclesiasticam exercere potestatem ac proinde duplicem Personam Principis & Episcopi repræsentare, docet Carpzov. *ad L. Reg. Germanor. Cap. 3. sect. 9.* vid. Petr. de Marca *de Concordantia Sacerdotii & Imperii. Lib. 1. C. 3.*

CAP

CAP. I.

De Episcopi ordinandi moribus vita & honestate.

IN ordinandi ad Episcopatum vitam omnino est inqui- 1.
rendum, ut sit honesta, inculpabilis undique irreprehensibilis, utque bonum testimonium Sacerdotem decens habeat *1. ad Timoth. III. 2.* Nam longa debet vitam 2.
suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ, *Can. 2. D. 61.* vid. passim Canonistæ ad *tit. X. de Vita & honestate Clericor.* & *Ordin. Eccles. Saxon. art. 16.* annexa *part. 3. Jur. Eccles.* Dn. Fritzschii.

§. 1. Nec ex officiali aut curiali debet esse fortuna nisi XV. 3.
annis in Monasterio steterit à juventute, qvartam tamen substantiæ reddat Curiæ (hodie tres partes Glossa hic & Stephan. *ad Nov. h. n. 8.*)

Rat. Dum enim Seculi actionibus implicatus est nequaquam 4.
studeat seculum fugere, sed mutare saltem; igitur si tales Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis publicis absoluti fuerint, *Can. un. D. 53.* Qvodsi autem jam tum à prima ætate per XV. annos in Monasterio hæserunt, Constantiam suam satis probasse, & seculum fugere velle arguuntur.

§. 2. Neque Sacerdos sit Idiota, nec qvod grave nimis est 5.
ex Laicis ordinetur nec imaginariam suscipiat ordinationem ut 6.
qvi modo idiota, mox Clericus, deinde parvo tempore præter- 7.
lapso Episcopus appareat.

Rat. Nam miserum est, eum fieri Magistrum, qvi nunqvam 8.
fuit discipulus, eum fieri Sacerdotem, qvi nunquam in ullo gradu obsecutus fuit Sacerdos, *Can. 4. D. 61.*

§. 2. Debet esse aut in virginitate existens, aut si uxorem 9.
habet, eam ut virginem acceperit necessum est, non viduam, nec à marito primo per divortium separatam, nec Concubinam.

Rat. Nam qvi ducit viduam, Digamiam ejus probat, & ad 10.
eam

eam occasionem præbet, atqve facit, ut ea carnem suam in plures dividat, qvod non ita in virgine vid. Ziegl. ad Lancell. *lib. 1. tit. 25. §. 19. & ad §. 21. ibid.* hæc notatu digna verba & huc facientia adjicit : *Si qvis uxore defuncta aliam legitimè duxerit, vel si viduam duxerit, is etiamsi reliqvis donis ad ædificationem Ecclesiæ utilibus & necessariis ad miraculum usq; à Deo sit ornatus, à Ministerio Ecclesiastico arcetur, & removetur, qvi vero 100. adulteriis vel stupris millibus se prostituit, illi si modo legitimum Conjugium fugerit, etiamsi stipes vel asinus sit, nulla prorsus inhabilitas obstat, qvo minus ad Sacros Ordines promoveri, imo ad apicem non Episcopalem tantum, sed Pontificium etiam solenni acclamatione Dignus & Justus evehi possit.*

11.

12.

13.

14. §. 4. Nec Episcopus habebit filios, aut nepotes neqve legi odibiles (ut incestuosos) E contra caret Sacerdotio & qvi eum ordinat, foris Episcopatum sectabitur, utpote legem hanc offendens.

15. *Rat.* Ut eo opiniores ipsi præbendas percipiant, in eo enim latet arcanum politicum apud Pontificios, dum matrimonia prohibent, ne ducta uxore & susceptis liberis reditus Ecclesiæ imminuantur, vel ipsi parentes amore erga liberos ducti occasionem in bona Ecclesiastica grassandi arripiant, sicqve tandem omnes in Monasterio exules esse jubeantur.

16. Intereà insolitariæ vitæ solatium socios, contubernales, & sorores ut appellari volunt, sibi eligunt, cum qvibus pro lubidine cœlibatus intolerabile jugum ferentes vivunt, qvod ex doctrina Dæmoniorum provenire, & repugnare tum divinæ Conjugii institutioni, tum humanæ in universum naturæ tradit B. Dn. Ziegl. ad Lancell. *L. 1. tit. 25. ad §. 19.*

17. §. 5. Nec pecunia data debet emi Sacerdotium, solum enim debet respicere Domini Dei culturam, non vero plurimis humanis cogitationibus distrahi.

18. *Rat. alia.* Nam continet Simonia gravem injuriam in Deum; cujus divina dona inæstimabilia vili pretio æstimantur, non sine magna irreverentia, cum sit contra eorum excellentiam, ut per humanum contractum & temporale pretium acqvirantur, qvod non potest non continere & maximum vilipendium, & irreverentiam gravissimam divinæ Majestatis, qvasi ipsa Bonitas esset indu-

inducenda & cogenda pecunia ad ſua divina dona præſtanda, qvæ benè merentibus gratis abunde largitur, vid. Zœſ. *ad Decret. tit. de Simonia. n. 1.* Dictata fuit olim talibus pœna ſuſpenſionis 19. perpetua; qvam tamen Pius V. temporariam fecit & ad decennium reduxit. Sixtus V. male ordinatos & ab ordine ſic ſuſceptos 20. & ab omni ſpe ac facultate ad ulteriores aſcendendi ſuſpendit, ſed Clemens VIII. & hanc aliasqve pœnas mitigavit atqve ad juris terminos revocavit, teſte Deſſelio *Erotemat. Jur. Can. tit. de Simonia, qv. fin.* Poteſt tamen ut vult Zœſ. *loc. cit. n. f.* Pontifex 21. ſcienter conferendo beneficium Simoniaco, etſi id non declaret, facere, ut valeat collatio, qvod Pontificiis diſputandum relinqvo.

§. 6. Nec ineruditus exiſtens Sacrorum dogmatum ad 22. Epiſcopatum accedat.

Rat. Nam alios informaturus ipſe probe antea informatus 23. & eruditus ut ſit neceſſum eſt, debet autem talis eſſe ſcientia, ut Petr. Gregor. *de Benefic. Cap. 37. n. 14.* exprimit, ut utrumqve munus & docendi & judicandi expedire poſſit, cum ignominioſum ſit, eum, qvi ad docendos alios conſtitutus, doceri *Nov. 123. Cap. 1.* §. 2. Ex qva cauſa Honorius III. Pontifex removit ab Epiſcopatu promotum qvi faſſus fuerat, nunqvam ſe Grammaticam didiciſſe vel Donatum legiſſe, qvod refert Tholoſan. *Syntagm. Jur. Civ. C. 10. n. 13.* Nec vero late hic examinabimus, qva- 24. libus artibus & ſcientiis inſtructus eſſe debeat Epiſcopus; Perplacent verba Beati Dn. Brunnemanni *Jur. Eccleſ. Lib. 1. c. 5. th. 9.* *Mundus hodie non opus habet multa eruditione, ſed in pietate ut infor-* 25. *metur, qvæ plane videtur mortua. Experientia docet, pios eccleſiæ miniſtros plus ædificare in Eccleſia qvam doctos ſemipios; plus enim poſſunt in Eccleſia exempla, qvam nuda verba.*

§. 7. Ordinandus antea in Clero vel in monaſtica vita ut 26. ſex menſibus vixerit, neceſſum eſt, nec ut uxorem habuerit; ſit qvoqve in vita, monaſtica teſtimonii boni, vita bonus & honeſtus & gloria fruens bona, hocqve fundamentum Pontificatus deponens animæ ſuæ.

Addit. hic Stephani ad Nov. hanc *n. 3.* ne Laici omnino ab 27. omni ſpe Epiſcopatus conſeqvendi excludantur, Imperatorem limitationem addidiſſe, ut ſi qvis inter Laicos tanto muneri par 28.

& idoneus esse videatur, is prius inter Clericos & inter eos sex mensibus converſetur, qvod tempus poſtea Imperator coarctavit & trimeſtre fecit in *Nov. 123.*

29. §. 8. Legat Epiſcopus ante ordinationem venerabiles & undiqve probatas regulas, qvas recta & inviolata fides & Catholica Dei, Eccleſiaqve Apoſtolica diſpoſuit & tradidit, & ſic ordinationem impoſiturus, interroget ordinandum an ſufficiat cuſtodiendis & agendis qvæ ſacræ regulæ ſancierunt: ſi reſponderit, *ſe non poſſe ſervare*, nullo modo ei ordinationem imponat; ſi ſuſceperit & dixerit, *qvantum homini posſibile eſt, ſe completurum qvæ in illis continentur*, Ordinationem facturus eum monebit & dicet niſi obſervaverit, eum alienum à Deo futurum, à jam dato honore caſurum, neqve Leges civiles delictum hoc inultum relicturas, qvod juxta tradita Imperatorum Sacræ regulæ pro legibus debeant valere & ſuper hiſce profesſionibus unusqvisqve ordinandorum ſacram ſuſcipiet Epiſcopatus ordinationem.

30. §. 9. Nec Simoniacus debet eſſe Epiſcopus, ſed ordinationem puram percipere debet, & ſine mercede tanqvam à Deo
31. datam; nam ſciat alias ab Epiſcoptu caſurum, & munus ordinandi retributurũ, qvi tamen Epiſcopatũ amittere debet & à Clero cadere,
32. ſic, ut utriqve hæc munerum datio, talem præſtet retributionem ut unus non adipiſcatur, qvæ ſperabat, alter autem qvæ habebat amittat, pecuniis & rebus occaſione ordinationis datis Eccleſiæ asſignandis, qvæ omnia extenduntur qvoqve non ad Epi-
33. ſcopum accipientem ſaltem; ſed ad qvemlibet alium Clericum, qvi & ab ordine inter Sacerdotes cadet, & reddet aurum aut res
34. ordinationis cauſa datas, nam injuriam poſſa Eccleſia. Si qvis autem extraneorum in Clero non conſtitutus ob ordinationem pecuniam, aut aliam aliqvam rem accepit, maxime ſi adminiſtrationem alicujus rei habeat pœnam omnino à Deo expectet, & de Cœlo ſupplicia, id autem qvod datum & Eccleſiis ablatum omnibus modis in duplum ipſis reſtituatur, adminiſtratione qvam gesſit cadat, & perpetuo exilio condemnetur.

35. Qvicunqve & pecuniis aut aliis rebus emerit Abbatiam, cum jam Diaconus aut presbyter ſit, deinceps autem pecunia data ad Sacerdotium perveniat, Epiſcopatu non ſolum privabitur, ſed ſi forte

forte Presbyter aut Diaconus fuerit, ea dignitate cadet & omni Sacerdotali ordine excludetur. Ipso autem ordinationis tempore Episcopus eam impositurus, hæc coram cætu Ecclesiæ prædicere debet, ut ordinandus sciat, ordinationem facientem omnia hæc à Sacra Cæsarea Majestate habere, ut coram omnibus hæc audiens non solum habeat Dei timorem, sed & erubescat coram omnibus denunciationem & professionem ejusmodi faciens.

§. 10. Si qvis Episcopi Ordinationi contradicat & Simoniæ 36. vel alicujus delicti eum conscium esse dicat, non debet prius ordinari qvam inqvisitio facta, & innocens repertus. Qvod si ordinaturus contradictione posthabita nec inqvisitione facta currat ad ordinationem, reus erit Deo, qvi præcipue qværit omnium suorum Sacerdotum puritatem. Accusator autem calumniator deprehensus institutamqve actionem perseqvi diffidens à Sacra Communione debet segregari, *sicut enim bonam gloriam in eo, qvi ordinandus est, qvarimus, ita etiam calumniam in eo qvi frustra accusavit punimus.* Si nemo omnino accusaverit, aut denunciatione facta examen non instituat, aut vero eo facto, delictum non probaverit cujus insimulavit, cum jam inculpabilis per tot vias apparuerit, ordinatio facienda, multa & meliora cognoscit præcepta nec currit ad vitam impunitam, dum jam animo eruditus verba & opere corporis & Sapientia.

Addit. Episcopi, ut vitæ puritate reliqvos omnes debent superare, ita ut in eadem retineantur nullis non censuris coërceri optandum foret, hinc multo magis si ordinatio adhuc pendeat & nondum facta, & criminis alicujus rei postulentur, de eo prius inqviri & cognosci debet, anteqvam Cœtui præficiantur, imo satius est, interea officium ejusmodi intermittere, qvam cum ingenti scandalo pati ut ab Episcopo notorie Simoniaco aut fornicatore ordinentur Presbyteri similiter tales, à qvibus cum ingenti ecclesiæ offendiculo sacra peragantur. Igitur cum legitime instituta accusatio reus promoveri non debet *Cap. 4. X. de Accusat.* & à missæ celebratione abstinere jubeatur *Cap. 4. & 5. X. de Simonia.* Sed probata intentione Accusatoris infertur pœna per judicem delicto condigna probata autem censetur per duos testes idoneos delicti tamen non participes *Cap. 1. de Confessis.* sic mu-

lieri asserenti, se à sacerdote cognitam non creditur contra Sacerdotem, nisi in crimine excepto *Cap. 3. X. de testibus.* Cessante accusatore legitimo, ne crimina maneant inpunita, à judice instituenda inqvisitio personaliter tamen, ut vult Zœs. *ad Decret. tit.*
37. *de Accusat. n. 6.* inqvirere non debet, ne personam notet, cum licet infamatus, nihilominus tamen adhuc bonus præsumatur, ut qvilibet alius donec probetur malus & habeat jus defendendi famam suam qvam læderet judex super talem inqvirendo Zœsius *d. l.*

38. Calumniatori merito qvoqve hic pœnam dictat Imperator, qvia tamen non protinus is qvi non probat, qvod intendit, calumniari videtur, hinc ejus rei inqvisitio judicis arbitrio committitur, qvi reo absoluto priusqvam sententiam ferat, de accusatoris consilio qværet, qva mente ductus ad accusationem processerit, & qvidem si justo errore aut alià causa, qvæ à dolo excusat, motum deprehenderit, eum absolvet, si verò in evidenti calumina legitimam pœnam irrogabit de qva Vallensis. *Paratitl. Jur. Can. de Calumniator. conf. infr. Nov. 123. C. 1.*

CAP II.

Ne Episcopus ultra annum extra Ecclesiam suam degat.

1. *Limit.* Nisi Imperator concesserit, hinc Patriarchæ unius cujusqve Diœcesos compellabunt Episcopos suis inhærere Ecclesiis, ne longo itinere separentur, aut in pe-
2. regrinis demorentur, Ecclesias suas negligendo. Ergo si ultra annum qvem propter misericordiam constituit Imperator erraverint, & dereliqverint, nec ad Episcopatum proprium remeaverint, si sit Metropolita Regionis illius Patriarcha revocet cum legitimis inclamationibus (forte intra spatium 30. dierum) ubi-
3. qve sacrarum regularum observationem servans, ne scil. turpiter vel inhonestè citentur. Qvod si forte Episcopus per omnia maneat inobediens, à sacro Episcoporum choro expellatur, & Patriarcha introducat alium reverentia, verecundia & honesta-
4. te dignum. Si non Metropolita sed alius Episcopus ejusmodi qvid

qvid committat, hæc à Metropolita fiant. Nec enim sub eo prætextu Ecclesias derelinqvat, qvod alibi lites habeat, vel necessario qvid expediendum ad Ecclesiæ utilitatem & incrementum pertinens, nec enim decet habet rationem ut cum multitudi- 5.
ne ministrorum visitationes Ecclesiasticas faciat peregre, & expendat, indeqve nullum Ecclesiis lucrum aut juvamen præbeat, imprimis si Ecclesiæ forte habeant lites, ob qvas hæc & alia profert. Debet autem hasce movere per sibi subjectos Clericos, 6.
Apocrisiarios & Oeconomos, nec statim & in prima Instantia apud Imperatorem actionem instituere. De hoc igitur sancit 7.
Imperator in seqq. ne absente Episcopo Ecclesiis læsio contingat ob res earum neglectas vel multas ab eis factas expensas, dum forte in itinere & Episcopus, unde non fructum sed læsionem capiunt, hinc Oeconomi & administratores cæteri tali casu 8.
emergente referant ad Imperatorem ut impetrent, qvod competens est.

Addit. Patriarchæ unde dicantur notat Ziegl. ad Lancell. 9.
Lib. 1. tit. 5. §. 1. verbis: *Qvasi Patrum Principes.* Origo post Constantini M. tempora fuisse creditur primum Archi-Episcopis æqvales erant, deinde his superiores declarati, qvod, patet ex *Nov. 6. Cap. 8.* Qvatuor numero esse dicuntur *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, & *Hierosolymitanus*. Qvos inter & hodie iste ordo servatur. Sunt tamen & alii præter hos, Patriarchâ 10.
Inferiores ut *Aqvileiensis*, *Cantuariensis*, *Bituricensis* & *Gradensis*, qvi non integræ nationi plures Provincias continenti sed uni tantum priovinciæ præsunt. Constantinopolitano primus locus 11.
est relictus, qvi & in urbe Constantinopoli adhuc residet, cujus diæcesis omnium latissime patet illiusqve partes describit Dn. Lange *de Statu Principis Cap. 33.* Absentiæ spatium, qvod hic 12.
commune definivit Imperator determinavit Concilium Tridentinum *Sess. 23. Cap. 1.* & *Sess. 24. Cap. 12.* ut non excedat in Episcopis duos menses aut ad summum tres & subsit æqva causa cesset- qve detrimentum commissi gregis. Ultra si abesse velint causa 13.
legitimæ absentiæ est alleganda coram Pontifice aut Metropolitano aut Seniore Suffraganeo, ab eoqve inscriptis approbanda nisi notoria sit ratione officii. Idem in iis, qvi curam animorum

 habent,

habent, ne periclitetur grex commissus, non habentes curam animarum tres habent menses, qvibus ab esse ipsis impune est non tamen omnes absint eodem tempore, ne cultus divinus jaceat.
14. Admonet autem Concil. Tridentin. *Sess. 23. Cap. 1.* eos præcipue, qvibus est animarum cura, ne absint solennioribus diebus, qvibus præsentia Pastoris maxime refici & gaudere solent oves.
15. Ultra esse nulli licitum, nihil faciente consvetudine aut Ecclesiæ
16. Statutis. vid. *Sess. 24. c. 12.* vers. *Præterea.* Apud Protestantes tempus absentiæ est arbitrarium, nec Diaconis sine Inspectorum consensu & præscitu ab Ecclesiis suis abesse licet, in specie qvid in Saxonia hac de re sit constitutum, clarè docet Ordin. Eccles.
17. *tit. 15. §. 18.* sine Inspectoris consensu nullus Ecclesiastes ullum iter suscipiat, &c. Nec qvod visitationes Ecclesiasticas attinet, ex apud Nos cum multitudine fieri debent, aut cum expensis; ex
18. Juris Canon. dispositione introductum, Episcopo Diœcesin visitanti, procurationem sive victum deberi *Cap. Cum secundum, Cap. Cum Instantia, X. de Censibus.* Imprimis refert Dn. Fritsch. *Obs. Ec-*
19. *cles. 33.* ex Decreto Synodi Constantiensis Visitatores Episcopos speciali juramento esse obstrictos nihil pro visitatione postulare aut extorqvere, iis exceptis, qvæ ad moderatum victum & Visitationis sumptus necessarios pertinent vid. Idem *de Jur. Visi-*
20. *tandi cap. 7. n. 15. & seqq.* addit B. Dn. Brunnemannus *in Jur. Ecclesi. Lib. 1. c. 6. M. 12. th. 11.* Hodie in tanta Ecclesiarum paupertate bene esset, ut sumptus Visitationis à Superiore suppedita-
21. rentur, vel ut frugaliter instituantur. Deberet fidus Christi Minister sua qvadra vivere potius, vel solo pane vesci qvam visitationem omittere. Facienda secundum Ordinationem Consistorialem Marchicam *tit. 4. Cap. 3.* à Superintendente generali & Consiliario Electorali cum Proto-Notario, qvibus in singulis Provinciis adjungendi Pastores Civitatum Primariarum istius Provinciæ cum Officiale Electorale vel Viro nobile & qvodam viro
22. honesto civici ordinis. Nec verò omnes controversiæ Ecclesiam tangentes statim ad Summum Principem sunt deferendæ, sed si forte Ecclesiasticæ detineantur, legata pia supprimantur, stipendia, decimæ & similes res non persolvantur, deqvibus coram
23. Consistorio agendum Carpzov. *L. 1. Jurpr. Eccles. def. 138.* In Mar-
chia

chia juxta Ord. Consistor. *tit. 71.* itidem Procurator Fisci de hisce coram Consistorio aget. Imperator hunc in finem constitutos 29.
habuit Apocrisiarios (qvos Adresponsos interpretatur Imperator & Gothofr. *hic* & ad *Nov. 25.* Oldendorp. inqvit fuisse locum tenentes Episcoporum, ut Ecclesias gubernarent, negotia singulorum audirent, referentes ad Episcopos. Glossa legit Apo- 30.
chrysiarios vel Thesaurarios & Oeconomos) qvi fuerunt Actores seu dispensatores Ecclesiæ, qvibus rerum Ecclesiasticarum gubernatio & dispensatio erat concessa *L. 14. C. de SS. Eccles.* In *L. 3.* 31.
Cod. Theodosiani, de his qvi ad Eccles. conf. definiuntur, qvod sint qvi Ecclesiasticas rationes tractare consueverunt, & illi non Episcopalibus tàm Ecclesiis; sed aliis etiam & ipsis qvoq; Monasteriis & qvidem ab Episcopo, cui Ecclesia aut monasterium paruit præfecti fuerunt, ut patet ex *C. 4. in fin.* X. *de Jurament. Calumn.* Dicti aliqvando fuerunt Actores Ecclesiæ fueruntqve in una Ecclesia taliū sæpe numero plures teste Ziegl. ad Lancell. *L. 1. tit. 28. §. 2.*

CAP. III.

Ne Episcopi ad comitatum Principis accedant absqve Systaticis literis.

NOn se conferat qvis Episcoporum ad civitatem Constantinopolitanam sine literis Metropolitæ sui probabile testimonium, qvare necessario ibi præsens esse teneatur perhibentibus; si Metropolita proficisci vult, 1.
ab istius Diæceseos Patriarcha literas sumat, ejusdem necessariam esse præsentiam dicentes, & sic Imperatorem 2.
jubere hunc præsentari, nec temere & sine conscientia Metropolitarum aut Patriarcharum proficisci, vel etiam Apocrisiariorum uniuscujusqve diæceseos ex qva sunt, cū qvibus conferant causas, ob qvas venerunt, & sic deinceps perfrui debent Imperiali aspectu. Ex quo igitur ad- 3.
stiterint Imperanti, liceat Episcopis aut Referendariis Ecclesiarum negotia expedienda proponere & celeriter respon-

4. sponsum accipere, ita, ut si non justa ab Imperio petierint hæc accipiant, aut si non justa qværunt velociter revertantur unde sunt profecti

5. *Addit.* Templum dividitur à Canonistis in *Metropolitanum* & *Cathedrale*, illud qvod totius Provinciæ primarium est & præcipuum, ideoqve qvod in diæcesi cathedrale, illud in provincia Metropolitanum dicitur vid. Dn. Linck. *Tr. de Jurib. Templ. Cap. 2. n. 36.* unde ab hoc Metropolitani Episcopi, qvi in illis civitatibus Episcopatum gerebant, qvorum hæc fuit rario, ut unus illorum aliqvis de Collegarum sententia qvasi Magister Collegii constitueretur, qvi qvoties res postularet, Collegas, qvasi Senatum cogendi, & ad eos de Ecclesiarum negotiis referendi po-
6. testatem haberet, ita vero, ut neqve illi sine hujus, neqve hic sine illorum consensu & autoritate gravius qvicqvam gereret,
7. item, ut si creandus esset Episcopus, eo præsente & actore crearetur, sin ipse creandus ab ipsa Synodo duntaxat, sin abdicandus Communitate totius Senatus sententia removeretur pro ut ex aliqvot Capitibus Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Antiocheni & Ephesini ultimi docet Calvinus *Lexico Jur. verb.*
8. *Metropolitani Episcopi.* In Provinciis Occidentis Metropolitani omnes vocabantur Archi-Episcopi; in Græcia vero & per totum ferè Orientem soli honorarii Metropolitæ, qvibus nulla Provincia suberat, nulli Episcopi vocabantur Archi- Episcopi veri enim
9. Metropolitæ sese Metropolitas civitatum & provinciarum suarum Exarchos scribebant. Ziegl. ad Lancell. *L. 1. tit. 5. §. 2.*

10. Systaticæ literæ, i. e. dimissoriæ vel commendatitiæ sunt, sine qvibus nemo Episcoporum vel Clericorum coram Imperatore compareat, ne fugitivus præsumatur aut sine justa vel gravi causa
11. Officium vel Monasterium suum dereliqvisse videatur. Apostolus qvoqve *2. Cor. 3. 1.* Systaticarum literarum facit mentionem, utpote qvæ faciunt, ut qvis consistat, hocqve nomine celebris est
12. *L. 65. pr. ff. de A. R. D.* cujus notabilia verba hæc sunt: *idem accedet in his literis, qvas tua duntaxat rei gratia misero, veluti si petieris à me, ut te alicui commendarem, & eas commendatitias tibi misero literas.* Honorius & Theodosius Imperatores in *L. fin. C. Qvod cum eo qvi in al. potest. &c.* vocant *epistolas familiares*, qvibus

bus homines plerumqve commendant absentem, nam qvi harum literarum beneficio commendati plerumqve undecunqve & ad qvoscunqve venirent ceu gratissimi hospites excipiebantur, benigne curabantur, & plane tractabantur ut noti & amici per tesseræ hujusmodi testimonium redditi inqvit Nicephorus Callistus *L. 10. Cap. 21.* Formatæ ab Episcopis cum notis π.υ.α.π, i. e. 13.
Nomine Patris Filii & Spiritus Sancti datæ. Micrælius *in Syntagm. Histor. Eccles. Lib. 2. sect. 2.*

SECUNDA PARS LEGIS.

CAP. IV.

De clericis, qvales eligendi sint.

Clerici debent ordinari boni testimonii viri, literas 1.
scientes & eruditi, nam ignorantes nec unum ordinem debent suscipere, nec Clericorum, Presbyterorum tam sacras orationes docentium, qvam libros Ecclesiarum & Canonum legentium, volumus enim suscipere ordinationem sine qverela & inculpabilem, & sine aliqva contradictione & datione pecuniarum vel rerum. Nec or- 2.
dinandi debent esse Officiales, aut Curiales nisi secundum Leges supra constitutas vid. supr. ad *Nov. h. Cap. 1. §. 1.* qvas hic confirmat Imperator, ipsi autem ordinati Sacra 3.
præcepta in conspectu totius populi suscipient, idqve ob easdem causas propter qvas hoc ipsum supra in Episcopis sancivit Imperator.

Addit. Presbyterorum, de qvibus hic dicendi locus 4.
foret, nomen qvod attinet, qvamqvam à senectute sit sumptum, magis tamen maturitatem sapientiæ, qvam corporis canitiem indicat *Can. 5. Dist. 84.* Igitur in sensu Ecclesiastico Presbyter 5.
non Senem semper denotat, sed judicio maturum & prudentem, Claud. Espencœus *Epist ad Tit. Cap. 1.* Qvomodo differat ab Episcopo traditur *Can. 4. Dist. 68.* Distinguit tamen Ziegl. ad Lancell. *Lib. 1. tit. 21. §. 5.* essentialia ministerii ab accidentalibus; ad illa refert docere verbum, administrare Sacramenta, ligare & ab-

ſolvere &c. & in his Epiſcopum nihil habere præcipui dicit, in accidentalibus vero, qvalia ſunt diſponere res Eccleſiaſticas, regere alios Paſtores, curam & inſpectionem aliarumEccleſiarum habere, &c. inæqvalitatem aliqvam concedit & Epiſcopos ſuis Presbyteris ſuperiores eſſe dicit: id tamen certum, Salvatorem ipſum inter Presbyteros & Epiſcopos non diſtinxiſſe, nec ullum actum EccleſiaſticumEpiſcopis aſſignaſſe, qvem exercerePresbyteri de-
7. beant; ſed ipſi Epiſcopi dignitatis ſuæ augendæ ſtudioſi aliqva ſibi ſucceſſu temporis peculiariter vindicarunt dicente eodem Ziegl. ad Lancell. *Lib. 1. tit. 5. §. 3.* qvi paſſim in *d. Lib. de Presbyteris* conſuli meretur ut & Dn. Schilter. *Inſt. Jur. Can. Lib. 1. tit. 8.* Habuerunt qvoqve in veteri Eccleſia Lectores ad qvos pertinebat lectiones pronunciare, & ea, qvæ Prophetæ vaticinati populis prædicare, qvod ex variis juris Canonici textibus probat Dn. Schilter. *Lib. 1. tit. 10. § 4.* ubi & Lectores divinorum apicum eos vocaſſe Conſtantinum tradit ex *L. 7. Cod. Theodoſ. de Epiſcopis*, qvæ functio itidem ad Presbyteros & Diaconos noſtros pertinet.

CAP. V.

1. NEc Ordinandus, qvi ſecundas habuit nuptias, nec qvi ſe junctæ mulieri (qvæ proprium virum dereliqvit) conjugatus, nec qvi concubinam habet, ſed ſaltem uxorem legitimam eamq; unam & primã (*Nov. 123. c. 12*)
2. *Rat. hic*, Nihil enim ſic in Sacris ordinationibus diligimus, qvam cum caſtitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes, aut unius uxoris virum, qvi fuit, vel eſt, ipſam caſtitatem
3. eligentem. Si qvis autem Presbyter, aut Diaconus, aut Sub-Diaconus uxorem ducat vel concubinam aut palam aut occulte,
4. ſtatim ordine ſacro cadat, & eo loco ſit, qvo ſunt Idiotæ. Qvod ſi Lector ſecundam ducat uxorem, ob irrecuſabilem forte neceſſitatem ad ulteriorem gradum non promoveatur, neqve majori in Sacerdotio gradu perfruatur, ſed maneat in eodem gradu perpetuo, nec ad tertias nuptias veniat, ſufficiunt enim ſecundæ; Qvodſi ad illas venerit, ſed majorem ad gradum venire feſtinaverit, Idiota & Laicus erit & Sacro miniſterio cadens, *pudice enim*

enim nobis per omnia pertinet vivere. Igitur si præfato modo constituti Clerici ordinentur, facilis ad Episcopatum erit ascensus, & ex multis bonis viris facilius invenientur, qvi ad primum Sacerdotii gradum digni adducantur.

Addit. Qvæ hic dici poterant, supra passim fuerunt tradita. 5.
Tertias tamen nuptias sub pœna hic inhibet Imperator Lectori; 6.
hasce autem aliqvot Seculis post Imperatorem Justinianum licitas fuisse, ex historia Seculi X. constat, qvippe refert Flodoardus, Presbyter Ecclesiæ Rhemensis, *Histor. Eccles.* Leonem VI. Ponti- 7.
ficem contra omnem morem qvartā sibi junxisse uxorē & idcircò à 8.
Patriarcha Cōstantinopolitano fuisse excommunicatū. Ex eo tempore in Eccesia Græca disputatū est, an tertia vice nuptias inire liceat? qvæ controversia anno 21. d. Sec. X. decisa & constitutū, post 9.
tres nuptias nullas debere iterum esse licitas. Cæterum à Protestantibus Theologis, & JCtis hostium Polygamiæ succesfivæ argumenta dudum satis examinata, & refutata sunt, qvos magno nume- 10.
rô allegat Dn. Brucknerus *Decis. Matrim. P. 1. C. 15. n. 3.* Non etiam orthodoxi Christiani secundas, tertias, qvartas, aut qvotas libet etiam nuptias improbarunt; Imo nec ab ipso qvidem Salvatore qvinqveviram illam condemnatam legimus *Joh. 4. v. 18.* atqve ideo illud Montani, Tertulliani & Novatianorum de Monogamia merito fuit improbatum, ut videre est apud Augustinum *Lib. de Hæresib. Cap. 26.* & apud Theodoretum *Lib. 3. de Fa-* 11.
bul. Hæreticor. Et faciunt hic notatu digna verba Menochii *Vol. 1. Cons. 3. n. 40. Lex communis non solum tertias sed & octavas nuptias permittit Can. 31. qv. 1. Imo usu compertum, mulierem duxisse vigesimum secundum virum qui ipse jam viginti uxores sepeliverat* ex Hiero- 12.
nymo *L. 3. Ep. 26. tr. 7.* Cæterum qvod Clericos attinet, Apostolus qvidem *1. Tim. 3. 2.* Episcopo inter alia præscribit, ut sit unius uxoris (non plurium uxorum simul) vir, est tamen ea lex mere 13.
spiritualis ad statum Ecclesiæ externum spectans, perinde ut in veteri Testamento lex illa *Lev. 21. 7.* qvod Sacerdos scortum vile prostibulum & repudiatam à marito uxorem ducere non debeat, adeoqve pertinet ad bene esse, non ad esse simpliciter ministrorum Ecclesiæ scil. ne personæ cultui Divino dicatæ multitudine mulierum à curis officii ad curas domesticas distrahantur,

 & ut

& ut insuper castimonia vitæ etiam in conjugio aliis sint exem-
19. plo. Verum ejusmodi leges mutationem subire posse testatur praxis Ecclesiæ Romanæ, qvæ in harum divinæ & Apostolicæ legum locum substituit hanc; *Episcopus & qvivis Clericus in majoribus ordinibus constitutus, nullius uxoris vir esto*, qvæ licet ex aliis rationibus culpanda nec probanda sit, ex hoc tamen qvod per eam lex divina positiva totum genus humanam obligans mutata sit, à nemine hactenus taxatam fuisse, sibi non constare refert Brücknerus *decis. matrimon. Proœm. n. fin.* conf. Dn. Dietherrus *contin. Thesaur. Pract. Besold. Vol. 2.* verb. Andern Eh. vid. infr. *Nov. 123. C. 12.*

CAP. VI.

De Diaconissis minoribus L. annis non ordinandis.

1. JUra de Clericis supra constituta etiam in Diaconissis observari vult Imperator, nec enim in Novella, nec in crescente ætate debent esse constitutæ non salientes ad
2. delinqvendum; sed in media ætate constitutæ, circa L. annos, aut virgines, aut unius viri uxores, nec vero debent contrahere secundas nuptias; sed habebunt vitam irreprehensibilem, & non suspectam baptismatibus adorandis debent administrare, & aliis adesse secretis, in ministeriis per-
3. eas rite peragendis. Si ob necessitatem emergentem aliqva minor ætate ordinanda, Episcopus habeat potestatem eam in aliqvo ascetériorum ordinandi & potestatem in il-
4. lo habitare concedendi. Non autem debet viris ad mixta arbitrio suo habitare, sed separata & mediocris â multitudine monachorum testimonio & bona fama pollere de-
5. bent. Debent autem Diaconissæ ordinandæ, sive sint viduæ sive virgines non cum cognatis, aut qvos appellant *Dilectos* cohærere, (talibus enim nominibus utentes maligna suspicione vitam suam replent) sed aut solæ habitabunt aut cum

cum Parentibus ſolis & filiis aut vere fratribus, vel eorū familiaritate utantur, de qvibus ſi qvis quid maligni ſuſpicari præſumpſerit, ipſe ſimul inſipiens & impius exiſtimaretur, & ſi tale qvid de illa, quæ in Diaconisſarum or- 6.
dinem promoveri cupit, in vulgus ſpargitur, quod cum quodam verſata ſub imagine quidem bonæ appellationis, ſed maligna ſuſpicione, non in ordinem Diaconisſarum promovebitur; ſecus cadet â Diaconia, & ipſa & cum qvo verſata maligne ſubjecti erunt legi & reliqvis quæ Corruptores puniunt. Debent autem omnes ordinandæ Di- 7.
aconisſæ tempore ordinationis & moneri, & ſacrorum mandatorum præcepta audire coram reliquis dudum Diaconisſis, ut & ipſæ Dei habeant timorem, & adhærentem ſacris mandatis fiduciam ſcientes, ſi velum portare erubeſcant, aut eo ſemel induto miniſterium dereliqverint 8.
aut ad nuptias venerint, vel aliam omnino vitam elegerint, morti obligatas effici, & bona ipſarum ſanctisſimis Eccleſiis aut monaſteriis, in quibus ſunt, affici, quique eas aut uxores acceperint, aut corruperint, gladio obnoxios futuros bonis eorum Fiſco applicatis.

Rat. hic. Nam ſi in antiqvis legibus Virginibus (Veſtalibus) 9.
qvæ in talem errorem vocabantur, corruptis, mortis dammum incumbebat, multo magis in iis Imperator, qvæ â DEo glorificantur, definit, pudicitiam, (qvæ qvam maxime mulieres ornat) conſervari debere, ut ita qvod decet naturæ cuſtodiant, & qvod debetur Sacerdotio conſervent.

Addit. De Diaconisſis jam tum ſupra *Nov. 3. C. 1.* circa *fin.* ali- 10.
qva fuerunt tradita, ex hac *Nov. C. 6.* aliqvo modo conſtat, & alibi in externo miniſterio circa baptiſandas mulieres aliaqve charitatis Chriſtianæ officia ægrotis, peregrinis, captivis, aliisq; miniſtrandis ipſarum officium fuiſſe verſatum, ut autoritatibus Doctorum confirmat Dn. Schilter. *Inſt. Jur. Can. Lib. 1. tit. 9. §. fin.*

Aſceterium eſt locus in quo Moniales ſervantur, & ad pieta- 11.
tis ſtudia exercentur ab *ασκέω* græcis exerceo & *τηρέω*, ſervo, cu-

stodio, alias ἀσκητήριον, est locus meditationis & solitarium in qvo Theologiæ Studiosi animo vacuo & libero se olim exercebant, pro ut refert Calvin. *in Lexic.*

12. Præterqvam qvod Imperator hic mortis pœnam dictet Diaconissis ad nuptias venientibus, aliudque vitæ genus eligentibus, etiam eas ducentibus aut corrumpentibus gladii pœnam dictat, exemplo sumpto à Virginibus vestalibus, & hodie monialem corrumpentem multa simul delicta perpetrare constans ad-
13. huc est Pontificiorum assertio, nimirum (1) *incestum*, qvia filia Dei est Patris nostri *Can. qvi abstulerit, 12. qu. 2.* (2.) *adulterium*, tanqvam cum sponsa Christi, & in matrimonio spirituali existente *Cap. 21. X. de Election. & electi potestate.* (3.) *Sacrilegium*, quia persona est Deo dicata, & consecrata *L. 5. C. de SS. eccles.* (4.) *Stuprum.* (5.) *Furtum*, ratione ipsius deflorationis, & læsæ virginitatis prout hæc delicta ex Glossa & Doctoribus recenset Esbach.
14. *in Not. & Addit. ad Carpz. P. 1. Const. 25. Def. 2.* In Ecclesiis Reformatis cum virgines religiosæ votum perpetui cœlibatus non præstent, multo minus perpetuæ virginitatis & continentiæ, qvod in nostra potestate non est, nec qvoqve Sacra Scriptura præci-
15. pit; sed potius dissvadet *1. Cor. 7. 35.* conceditur ipsis potestas egrediundi monasterio & nubendi. vid. Balduin. *Cas. Conscient. Lib. 4. C. 4. cas. 8.*

CAP. VII.

De Clericis in aliam vitæ formam transeuntibus.

1. QVi semel factus Diaconus aut Presbyter, nullo modo derelinqvat Sacerdotium nec Sub-Diaconus, aut forte Lector pristinum relinqvat schema, & ad alteram vitam migret, si tale qvid egerit aut cum bonis suis in curiam vel si in paupertate degit, ad officialem deponatur fortunam.

TER-

TERTIA PARS LEGIS.
CAPUT VIII.
De Expensis Ecclesiarum & Clericorum multitudine non facienda.

NOn tot in posterum Clericorum ordinationes debent fieri, & quæ hactenus factæ, licet corrigi mereantur, factas tamen ob tempus permittit, de cætero autem ne damnum Ecclesiis fiat, fieri non vult. Ergo qvæ in majore Ecclesia & ad eam pertinentibus fieri debent, hac speciali lege complectitur. In cæteris extra hanc sancit, si qvis ab initio ædificaverit Ecclesiam, & certam ordinationum mensuram definiverit, juxta qvam expensas constituit, non prius in ea ordinandus clericus, nisi secundum numerum, quem ab initio constituit. Qvod si nec expensas, nec numerum Clericorum constituerit; sed Ecclesia major & sibi & aliis maxime necessaria subministravit, non tamen statim augebit Clericos forte commiserationis ergo, nec Ecclesiam majorem sumptibus prægravabit (nec enim sunt hæc pia nec Sacerdotibus digna, nec unum altare tegere & alterum detegere convenit) ergo ex quibus Dn. Deus dederit, ex iis possibilia administrabit juxta antiqvam consvetudinem, & nihil penitus innovabit. Qvare debent Patriarchæ & Metropolitæ providere, ut in qvo schemate Clerici sunt, in eodem maneant, metiendo uniuscujusq; Ecclesiæ virtutem, omnesqve sub se positos Episcopos ad mensuram justam deducendo, ut non ultra eam expensæ fiant in ordinandis aliis Clericis, cum constet, ob ejusmodi expensas supervacuas Ecclesias inopes factas. Et licet aliqvas eorum vix liberaverit Imperator, qvædam tamen adhuc generatæ jacent,

Margin numbers (right margin): 1. (beside "NOn tot in posterum…"), 2. (beside "go qvæ in majore Ecclesia…"), 3. (beside "debent, hac speciali lege…"), 4. (beside "as Ecclesias inopes factas…")

cent,

cent, qvæ ex tali angustia relevari non possunt hinc Patriarchæ, Metropolitæ & Episcopi providebunt, ut qvæ ab eis aguntur, Imperator discat, & approbet eos, qvi suam legem qvoad literam appositam ostendunt opera adimplere.

5. *Addit.* Qvemadmodum prudens paterfamil. ultra facultates suas erogationem non facit, nec sumtibus non necessariis familiam suam onerat, ita nec Ecclesiæ conveniunt expensæ minus necessariæ, sed ratio ipsi in tempore ineunda, qvot vel in
6. qvas res ipsi singulis annis necessario sunt faciendæ, ne postea ab aliis mutuam rogare pecuniam, & usuris se onerare teneatur, qvod Imperator hic & jam tum supra aliis locis prohibuit. Im-
7. primis hic qvoqve prohibet altare unum spoliare & alterum ornare, nam Canonistarum est assertio, reditus Ecclesiasticos, qvi supersunt ultra ministrorum victum, alienos dici, non proprie
8. qvidem; sed ex quadam metaphora, eo qvod pauperibus sint erogandi, idqve autoritate Hieronymi scribentis, bona Ecclesiarum dici pauperum qvoad debitum, qvia eis debentur, nec qvoad dominium, nec qvoad proprietatem. vid. latius Covarruvias
9. *Tom. 1. de Testament. cap. 7. n. 11.* Igitur licet superflui sint reditus uni Ecclesiæ, non tamen ex commiseratione aliis Pauperibus succurrere earumqve Ecclesiis benè fieri vult Imperator, qvod an Christianæ charitati satis conveniens, judicandum relinqvo: Non contemnendum hic pium satis consilium maximè religiosi JCti B. Dn. Brunnemanni qvod in *Jure Eccles. lib. 7. c. 6. §. fin.* suppeditat, ad qvod benevolum Lectorem remitto.

10. Notamus insuper ex hoc cap. reluitionem bonorum Ecclesiasticorum ad summam Potestatem pertinere, præsupposito creditorem pecuniæ mutuo datæ probare versionem ejus in utili-
11. tatem Ecclesiæ factam *arg. L. Civitas, 27. ff. de Reb. cred.* Nam cura horum bonorum eorumqve administratio jure Episcopali Summis principibus incumbit Illustr. Dn. de Rhetz. *Diss. de Secularisat. cap. 4. §. 6. & in Jur. publ. lib. 2. cap. 2.* Carpzov. *Jurispr. Consist. Lib. 2.*
12. *tit. 19. def. 299.* & sicuti omnis Ordo sine honestis divitiis *Nov. 90. C. 1.* ita & dignitas Ecclesiastica ob paupertatem vilescit *Clem. in pleris,* ibi: *ne mendicitatis opprobrio Serenitatem Pontificalis ob nubilent*

digni-

dignitatis de Elect. & elect. potest. Reinking. *de R. S. & Eccl. lib. 3. cl. 1. cap. 8. n. 4.* Inde optime, flagrante bello Germanico tricennali, Ferdinandus II. gloriosissimæ memoriæ Imperator aliqvot Romano-Catholicorum instinctu Edictum de restituendis bonis Ecclesiasticis an. 1629. promulgavit, vi cujus, florentibus præprimis rebus Cæsareis, Romano-Catholici non vulgarem spem de bonis hisce amissis recuperandis conceperunt, & qvamvis Protestantes in *Tract. Pac. Pragensis*, in qua restitutio bonorum Ecclesiasticorum tantummodo ad XL. annos, & sic ad modicum tempus est dilata, tandem tamen Protestantibus perpetua bonorum Ecclesiasticorum possessio est concessa, ut fusius ex *Instr. Pac. Osnabr. art. 5. §. 3.* patet. Quid si vero bona Ecclesiastica deficiant, 13.
eorumque reditus, Pastori ab Auditoribus Salarium petere licere, non est dubitandum, per ea, qvæ tradit Eckhardus *in Pastore Conscientioso class. 2. qv. 20.* ne alias locum inveniat, quod Augustinus alicubi dixit in Jure Canon. allegatum; Dabis impio militi, quod dare non vis Sacerdoti, vel illud, si non dederis decimam, auferam novem, si dederis decimam, multiplicabo novem; nam decimæ propterea dantur, ut hac devotione Deus 14.
placatus largius præstet, quæ necessaria sunt, & qvicqvid Ecclesiis spargis, tibi colligis. Non tamen etiam dixerim, Salario 15.
deficiente, officio abstinere, aut per alium officio fungi debere Sacerdotem, forte, qvod reditus ipsi destinati præripiantur, aut à Principe, nobile, aut aliis ministerio infensis; Sæpe numero e- 16.
nim contingit proh dolor! qvod, qvi officio fideliter fungi vult, illum periculo & egestati se exponere oporteat, sunt verba B. Dn. Lutheri, allegata à Mengering. *in Informator. Conscient. Evangel. Dom. Misericord. Domini P. 1. qu. 5.*

NOV. VII.

De non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiasticis immobilibus, aut in specialem hypothecam dandis creditoribus, sed sufficere generales hypothecas.

PROOEMIUM.

1. IMperator hac firma intentione & proposito est, omne, quod prius imperfectum aut confusum visum, expurgare, & ex imperfecto perfectum declarare, qvod, ut in
2. omni legislatione vult facere, ita & in alienationibus rerum sacrarum una lege complecti, qvæ Lex annos priores & removet & emendat, qvod deest, adjiciat, & qvod su-
3. perfluum est, abscindat. Qvippe â Leone, bonæ memoriæ Imperatore, lex scripta est de alienationibus Ecclesiasticis, conclusa in majore Ecclesia civitatis Constantinopolitanæ, cujus qvidem plurima, qvoniam cum omni vehementia
4. & Dei cultura posita laudat Imperator; Cæterum cum non generaliter in omnibus posita, correctione qvadam egere
5. credit. Est & ab Anastasio, piæ memoriæ Imperatore, scripta lex, de rebus Ecclesiasticis immobilibus non alienandis, sed nec similis est legi Leonis & imperfectione
6. aliqva laborat; est enim effusa & per loca extra civitatem Constantinopolitanam posita, nihilominus imperfecta mansit, eo, qvod pertineat solum ad Sacerdotium & diœcesin Patriarchæ hujus civitatis, nec ad alia loca extra e-
7. am se extendat. Licet igitur Anastasius Imperator Leonis Imperatoris legem corrigere animum induxerit, alia
8. tamen incomposita reliqvit. Ne igitur lex vacet, & imperfecta sit, & loco circumclusa, unam hanc legem omnibus dat Ecclesiis, Xenodochiis, Nosocomiis, Monasteriis, Brephotrophiis, Gerontocomiis & aliis sacris Collegiis, ex
9. qvo prius legem Leonis piæ memoriæ exposuit; Vult enim ejus lex, nec Patriarcham civitatis, aut Archi-Episcopum, Ecclesiæ majoris, aut Oeconomum debere vendere, donare aut alienare rem immobilem domum forte agrum aut colonum, aut mancipia rustica, aut civiles annonas (qvæ & inter immobilia sunt numeranda) qvæ competunt majori

jori Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nec debere tale qvid agi pro ulla compensatione aut alia qvalibet circumventione, hac cum interminatione facta emtori, ut restituat & reddat rem talem p.t. Oeconomo rerũ Ecclesiæ & qvidẽ cum fructibus omnibus, qvos à tempore venditionis percepit, utqve emtor amittat pretium, *nam qvod contra LL. actum est, ita ponit lex, ac si à principio non sit gestum.* Oeco- 8.
nomus autem contra legem hanc Leonis faciens, det omne Ecclesiæ, qvod hoc nomine lucratus est vel damni Ecclesiæ dedit. Præterea etiam lex Leonis ab officio ex- 9.
cludit Oeconomum, & dat non solum Ecclesiæ contra hunc actionem, sed etiam contra ejus Successores, sive ipse alienaverit, sive p.t. Episcopus, aut alius aliqvis Clericorum & Oeconomus vidit alienantem taciturnitate degeneri vel meticulosa, idqve passus, multo potius, si consensit & vidit, tale qvid permitti, nec prohibuit. Insuper Nota- 10.
rium, qvi super tali alienatione confecit Instrumentum, Lex Leonis perpetuo tradit exilio, nullam ipsi clementiam nec reversionem participans, & judices maximos officium suum hoc in casu impertientes, pro confirmatione donationis aut aliorum actuum, privatione cinguli (dignitatis) & bonorum punit. Interea tamen permittit 11.
Lex Leonis usum & usumfr. rei Ecclesiasticæ sub certo tempore, aut etiam ad vitam usqve, ita tamen, ut si qvis 12.
accepit, Ecclesiæ majori ejusdem quantitatis rem compenset sub proprietate, ut, qvantum usuarius vel usufructuarius ex re pro fructu accepit, Ecclesia eundem reditum iterum possit habere, vel post mortem usufructuarii vel ad definitum usqve tempus, ita, ut usus & ususfr. rei Ecclesiasticæ ad majorem redeat Ecclesiam & simul usus donatæ rei cum proprietate, qvam Ecclesia statim & in principio debet habere, & ejusmodi contractum sine periculo esse, ponit Lex Leonis. Qvodsi ab Ecclesia minus 13.

datur, illius, qvod ei incompensationem datur, statim habebit proprietatem, usum etiam sperando accipiet, & si contractus invalidus, eum, qvasi non factus, habebit, & vindicandi potestas competet Oeconomo, Ecclesiâ decepta.

14. Hæc igitur Lex Leonis, qvam Justinianus hic recenset, breviter decernit, & mulctam imponit, & in rebus Ecclesiæ saltem locum habet, omni sublata circumventione; de qva modo dictum.

15. Non tamen adversus ipsi refragantes potuit prospicere, qvidam enim dudum Jus Colonarium, qvod vocatur, adinvenerunt, qvod nec Imperatorum, nec aliis aliorum legibus hactenus fuit notum, qvo ipso non parvam meditati sunt contra legem circumventionem & perpetuas alienationes cogitarunt, qvod pensionem aliqvam perciperent.

16. Describitur autem hic in Novella Jus Colonarium, ita; *ut si domum valentem 100. solidos, & præstantem pensionem solidos 10. accipiat qvis ab Ecclesia, & det pro ea solidos 100 seu amplius, aut certe minus; & qvasi jam de propria domo se aggravet singulis annis, quasi nomine pensionis tres solidos dare, talis autem appellatur Paræcus vel Pensionator, ipsam autem domum sub tam parva pensione in perpetuum & ipse & hæredes ejus pos-*
17. *sidebant*. Cæterum hoc agi prohibet Imperator, & pro eo conscripsit legem. Dudum autem & ad Emphyteusin respexerunt Oeconomi & deminuerunt reditus eorum, qvi emphyteusin accipiunt, dantes illis emphyteusin, qvi du-
18. dum rebus Ecclesiæ majoris præsidebant. Hinc quod in aliqva Constitutionum suarum definivit Imperator, ad tres usqve personas & duos alios Successores accipi debere emphyteusin, hoc qvoqve fiat super aliis rebus majoris Ecclesiæ, non autem relevatio emphyteusis ultra sextam par-
19. tem ob fortuitos casus debet fieri. Quia autem sæpe numero nec sexta pars Ecclesiis relinquitur, reliqvis omnibus

bus emphyteusin accipientibus donatis, Anastasius Impe-
rator constituit, ut qvæ geruntur ex contractu Emphy-
teuticario in scriptura celebrentur & sine ea accipiens ad
solam vitam utatur fruatur, cum ea vero in perpetuum.
Non vero perfectam fecit, neque utilem legem, sed un- 20.
diqve imperfectam in sola diœcesi Patriarchicæ sedis Con-
stantinopolitanæ tantum valentem.

Addit. Imperator hic recensuit, legem Leonis & Anastasii 21.
Imperatorum Antecessorum, & subseqv. Cap. 1. partim supplet &
extendit, ut videbimus. Unde notamus, leges Antecessoris non 22.
obligare Successorem, cum utiqve hic non à persona Antecesso-
ris sui; sed ab ipso officio, in qvo illi succedit, ferendæ legis au-
toritatem habeant. Ziegl. *de Jur. Majest. Lib. 1. C. 5. §. 89.* Superi- 23.
orem enim oportet esse, qvi alteri legem vult dicere, *L. 4. ff. de
receptis. & L. 58. ff. de Judic.* atqvi Antecessor non plus habuit po-
testatis, qvam Successori relinqvit. Iniqvum etiam esset, si Ante- 24.
cessori liceret, Successoris conditionem deteriorem facere, debi-
tamq; ipsi libertatem aufferre, qvam rationem Dd. assignant com-
muniter, qvando Prælatum negant ad feudum conferendum te-
neri, qvod, cum nondum apertum esset, ab Antecessore erat pro-
missum. Vultej. *de Feud. Lib. 1. C. 1.* Borchold *Cap. 7. n. 19.* Rosen-
thal *de Feud. Cap. 6. Concl. 15. n. 13.* qvi enim alicui non potest tol-
lere actum, nec ei potest aufferre potentiam agendi, ut ait Bald.
Cap. 1. n. 7. qvi successor. dar. ten. Juris Canon. Interpretes dicunt,
qvod Papa Successori manus ligare non possit. *Gloss. ult. C. ult.
X. de rescript. in 6to. Gl. in Cap. non liceat, verb. Papæ, 12. qv. 2.* ex
qvo Bonifacius *d. Cap. ult. de rescript. in 6to.* Successori exemplum
suum proponens, non utitur verbo: *Jubendi*, sed ait; *qvod nobis* 25.
non licere patimur, nostris Successoribus indicamus. Imperatores credo
imitatus, qvi iisdem verbis utuntur in *L. Digna vox, 4. in f. ff. de
LL.* & Carolus M. Imperator Successores ad non alienandas vel
dividendas opes Ecclesiasticas, ut à Carolo Martello fieri consve-
tum erat, obligaturus, caute adjicit hanc limitationem; qvi no-
stram vel Progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum
imitari voluerint *Can. qvia juxta, 16. qv. 1.* Qvia enim legem præ- 26.

ſcribere non poterat, exemplum ſaltem relinqvere voluit. Cæterum exinde non ſeqvitur, leges Imperii ſive Regni fundamentales & publicam utilitatem directo concernentes, qvales hodie in imperio ſunt Aurea Bulla, Conſtitutiones de Pace Religioſa & profana, multiqve alii Receſſus, qvi ſe in Capitulationibus imperii fundant, vel ſimilem publicæ utilitatis cauſam continent, Succeſſorem non ſervare teneri, ſed eas pro lubitu infringere, mutare, vel in totum annullare poſſe, qvippe ad earum obſervantiam Capitulationis promiſſione & juris jurandi religione obſtringuntur; inſuper & hiſce legibus Reipubl. fundamenta innituntur, & per eas Princeps Reip. unitur, Ergo, ut unio hæc ſalva ſit, illæ Leges omnino ſunt obſervandæ, ut vinculum & fundamentum iſtius conſociationis. vid. Beſold. *de Succesſ. Reg. Diſp. 6.* §. 4. Schnobel. *Diſp. 12. & 21. in Corollar.* Tholoſan. *de Republ. Lib. 7. C. 20.*

27. Oeconomis Eccleſiarum ſuam hic qvoqve pœnam conſtituit Imperator; negligenter enim officio fungentes, æqvum eſt, ut damnum reſarciant, exemplo tutorum & Curatorum, pupil-
28. lorum & minorum. Qvo pertinent, qvæ tradit Carpz. *Jurispr. Eccleſ. L. 2. Def. 316.* qvod à curatoribus Eccleſiæ ſeu Præfectis ærarii Eccleſiaſtici qvotannis rationum redditio ſit exigenda & qvidẽ in præſentia non ſolum Collatoris ſive Patroni, ſed etiam Paſtoris & Superintendentis cujusqve diœceſeos. Late alias ipſorum officium deſcripſit Martin. Naurath. *de Rationar. in Addit.* §. 28.

29. Patet qvoqve ex textu, œconomum taciturnitate ſua ſibi nocere & præjudicare; qvando qvis enim obligatus eſt ad contradicendum, ſi ſcil. actus fieri aut ſubſiſtere non debet, ut &, qvando qvis potuit contradicere, ſed non contradixit, pro conſentiente habetur, tacitusqve conſenſus tunc idem operatur, qvod expresſus *L. 1. & 2. C. de remisſ. pign. L. ſi ſervus, ff. de donat. inter vir. & uxor.* latius hæc exponit Menoch. *de præſumpt. Lib. 6. præſ. 99. n. 15. ſeqq.* Bald. in *L. 2. C. de Acqvir. posſ. Cap. Qvi tacet, X. de R. J.*

30. Notarium qvoqve, ſi ſuper contractu prohibito inſtrumentum conficiat, graviſſime in lege ſuâ punit Imperator Leo; ſane, ſi verum, qvod ſcribit Cæſar Barz. *Dec. 50.* allegatus à Ziegl. *de Jur. Majeſt. L. 1. C. 26. th. 9.* & in Inſtit. ad Lancell. *Lib. 3. tit. 5.* §. 1.

§. 1. qvod creato Notariô, dicatur creatum qvodammodo unum 31.
Oraculum Veritatis, & hoc forte verum concederetur, si intra limites officii persistat, & debito modo eofungatur, sane, si contra hoc faciat, & falsum committat, faciendo actum expresse vel tacite à lege reprobatum, mox autoritate omni carebit, & potius cum diabolo in tenebris versari, qvam cum angelis luce veritatis frui diceretur; Hinc si falsa instrumenta scripserit, si sint im- 32.
munitatis, vel similia, igne comburi debere, scripsit Ant. Tassera, Notarius Patavinus *de Notariorum Erroribus. C. 8. n. 4.* Quamvis tamen hodie alio supplicii genere pro gravitate delicti puniri, tradat ex Carpzov. *Pr. Cr. qv. 92.* Dn. Fritsch. *ad d. Aut.*

Jus Coloniæ perpetuæ in textu prohibetur, estqve nihil a- 33.
liud, qvam potestas, prædium perpetuo & sine temporis præfinitione colendi, h. e. exercendi, curandi ad perpetuas inde utilitates & ad heredes transmittendi. *arg. L. 10. C. locat. L. 1. C. de Off. Comit. Sacri Palatii.* Ergo si tale qvid factum probetur, e- 34.
jusmodi jus si uniformis Canon per triginta & plures annos sit præstitus, in dubio potius pro censitico qvam emphyteutico habendum erit prædium, pro ut ita concludunt Frantzk. *Tract. de Laudem. cap. 10. n. 57. & L. 1. resol. 7. n. 22.* Berlich. *Part. 2. concl. 47. n. 23.* Wesenb. *P. 1. cons. 17. n. 30.* Omnis enim contractus ita interpretandus, ut res ad suam naturam redeat, res autem sua natura libera est, ergo pro libertate judicandum. *L. 20. L. 179. ff. de R. J.*
Emphyteusis autem speciem servitutis habet, utpote qvæ Cano- 35.
ne non soluto, in commissum cadit, Lauterb. *ad ff. Si ager vectigal.*
De relevatione emphyteusis hic dicitur, ultra sextam partem esse 36.
non debere de Jure Cod. *L. 3. C. de Jur. emphyteutic.* cum fundus alienatus est, domino qvinqvagesima pars pretii erogatur. Hodie vocatur laudemium, qvod alienata emphyteusi in alium, no- 37.
vus emphyteuta, in qvem sive contractu, sive testamento Emphyteusis transferatur, domino laudemium solvere tenetur, qvod olim erat qvinqvagesima pars pretii. Hodie regulariter pro 38.
singulis centenis pretii qvinqve præstantur, & qvibusdam locis majus esse laudemium introductum, ita, ut pro centenis de[illegible] debeantur, tradit Frantzk. *de Laudem.* vid. Struv. *Syntagm. [illegible] Feudal. cap. 10. aph. 12. 13. & in Jurispr. Romano-German. [illegible]*

undiqve Patriarcha, nec Episcopus nec aliqvis Xenodochus aut Prochotrophus, aut Nosocomus, aut Orphanotrophus aut Brephotrophus aut Gerontocomus aut monasterii virorum vel mulierum Abbas vel Abbatissa, aut qvilibet omnino Præsidens venerabilibus Collegiis licentiam habeant alienandi rem immobilem aut in domibus, aut in agris, aut in hortis, aut in alio hujusmodi consistentem neqve rusticum mancipium nec annonam civilem, nec per specialis pignoris occasionem tradere creditoribus. Et sub alienationis nomine generaliter 2.
posito prohibetur & venditio & donatio & permutatio & datio in emphyteusin perpetuam utpote non procul ab alienatione consistens. Ulterius omnes ubiqve Sacerdotes 3.
ab hujusmodi alienatione prohibet, subjiciens pœnis in Leonis Constitutione expressis, illamq; per omnia valere & ratam esse debere sancit; nec paterna voce latina legẽ hanc 4.
conscripsit, sed communi & Græca ut omnibus ob facilem interpretationem sit nota. Instrumenta igitur jam olim 5.
facta de alienatione rerum Ecclesiasticarum non attendit, utpote jam longo tempore facta; qvæ vero hactenus extant, proprium habeant ordinem & de cætero omnem interdicit alienationem bonorum Ecclesiasticorum sub pœnis antea supra in procemio prædictis.

Addit. Igitur cum Jus Civile tum Canon. *Can. in legibus, 10.* 6.
caus. 12. qv. 2. Can. Si forte, 15. & Can. Qvi rapit, 17. caus. 17. qv. 4. Imprimis verò honor Dei, in cujus favorem bona Ecclesiastica sunt destinata, tum voluntas eorum, qvi ordinarunt Ecclesias, tum ipsa Ecclesiæ utilitas, tum etiam indigentia pauperum, ad qvos sublevandos alia bona sunt destinata, prohibere videntur, ne ejusmodi bona alienentur & secularisentur: Qvod enim se- 7.
mel Deo dicatum est, in profanos usus amplius redigi non debet, nec ii, qvi bona Ecclesiastica per vim rapiunt sibi exinde commodum, sed potius damnum polliceri debent juxta illud: in communes usus qvisqve rapit bona Ecclesiastica præter opinionem

8. nionem mendicus erit. Et faciunt huc egregia verba Reinkingii
9. qvæ videri possunt in *Lib. 1. axiom. 29. Politiæ Biblicæ.* Qvare ut solide conscientiis hominum super bonorum Ecclesiasticorum usu consulatur, bona & possessiones, qvæ olim à piis Christianis ex singulari devotione ad Sacros & pios usus dedicata & donata sunt, in privatos neutiqvam converti debent, qvia publi-
10. ce interest, ut voluntates testantium conserventur. Et hæc est ratio, qvod & Sancti Patres juxta *Can. Voluntas, 4. caus. 13. qu. 2.* iisdem refragari voluerint præcipue cum Apostolus bene moneat, morte confirmato testamento nemini vel imminutionem facere permissum esse. Illustrat hoc egregiè Dassel. *L. 3. Chron. C.*
11. *86.* in verbis: *de bonis Ecclesiasticis nihil est in abusum trahendum, qvod si autem fiat, morbus, qui omnia inficit & consumit, accedit, & ple-*
12. *rumq; Sancti reposcunt ceram.* Qvod si præter Justinianum nostrum sane & Conradus II. Imperator alias Saliqvus dictus Promotor & Protector Ecclesiarum insignis audit, cum enim Episcopus Augustanus, & alii multi svaderent, ut bona Episcopatus Bambergensis ad se reciperet, qvod bona Ecclesiæ minus salutaria, Imperio autem summè forent perniciosa, non poterat ad hoc commoveri, nec qvod honori divino semel erat consecra-
13. tum in pompam & luxum impendi volebat: Insuper in Palatio & Residentia Limburgensi Monasterium condidit & magnificen-
14. tissima dote ornavit Chron. Hedionis. Alia mens erat Friderico II. Imperatori, cum enim adversus confœderatos in Italia & adversus Pontificē bellose defendere cogeretur, & pecunia deesset, necessitate urgente aurea & argentea Ecclesiarum vasa sua faciebat, inter alia Pisis cingulum tantæ deprehendebatur longitudinis, ut diebus festis eo ipso templum maximū potuerit cingi, qvod itidem suum fecit, & ad profanos usus traxit, qvod factum tantopere Pontifex Maximus detestabatur, ut Imperatorem tanqvam Sacrilegum de novo excomunicaret Crusius *Annal. P. 3. fol. 98.* Mich. Sachs. *Kayser-Chron. P. 3. pag. 161.* Quod si autem casus contingat, ubi bono-
15. rum Ecclesiasticorum alienatio est necessaria, ea omnino fieri debet cum decreto & consensu Magistratus Ecclesiastici sive Consistorii & (2.) nunqvam sine causa justa rationali & sufficiente. Carpz. *L. 2. Jurispr. Consist. tit. 19. def. 301.* Cujus alienationis

nis causæ è qvatuor potissimum elucescunt fundamentis, nimi- 16.
rum *necessitatis, utilitatis, pietatis & incommoditatis,* qvæ egregie & uberius deductæ à Mundio à Rodach, *in Vol. 1. cons. 1. n. 57 & seqq.* Passim etiam Imperator in seq. Cap. deducet. Sed de Secularisatione bonorum Ecclesiasticorum merentur legi peculiari dis- 17.
sertatione Illustr. Dn. de Rhetz. Cothmann. *Responſ. Academ. 100.* Havemann. *de Jure Episcop. tit. 7. §. 7.*

Locationem bonorum Ecclesiasticorum, cum hic non prohibeat Imperator, utiqve erit illa licita, modo tamen ut vult *Con-* 18.
stitutio extra vagans, Ambitiose, de Rebus eccles. non alien. locatio non fiat ultra triennium, sed si ultra illud sint locata putat Eccell. Dn. Stryk. *Addit. ad jus Eccles. Brunn. Lib 2. c. 15. ad & 9.* locationem totam esse nullam. Reqvirit autem & hic Carpzov. *d. l. def. 304.* ut subsistat ejusmodi locatio, præviam esse debere. 19.
Cognitionem pariter & decretum Magistratus Ecclesiastici: In Marchia Ord. Consistor. cautum, ne occasione locationis fiat a- 20.
lienatio, & prædia in conductores sub colore aliqvo transferantur, unde literæ reversales exigi solent de restituendis prædiis, qvandocunq; hoc fuerit desideratum verba Ord. Constit. March. *tit. 19.* ita se habent: *Parochi possunt agros suos Parochiales ipsi ad culturam redigere, aut pro lubitu sive Nobilibus, sive rusticis, qvanti possunt, locare, datis tamen Reversalibus à Conductoribus ut finito contractu, eosdem restituant qvæ reversales Consistorio debent insinuari & per ejus Notarium singulariter registrari.*

CAP. II.

De Principe qvi rem immobilem venerabili loco dederit.

CUm vero nulla lex adeo generalis, qvæ non patia- 1.
tur immutationem, *qvid enim erit stabile inter homines & immobile ut nullam patiatur mutationem, cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat?* Hic qvoqve

Imperator aliqvot exceptiones dat legi ſupra datæ ut eas in auxilio habens lex, ſtabilis & perpetua maneat.

2. Poteſt autem Imperator, ſi commoditas & utilitas aliqva Reipubl. id exigat & poſſesſionem rei immobilis ad Eccleſiam pertinentis reqvirat, ab Eccleſia & cæteris locis venerabilibus rem ad eam immobilem pertinentem, percipere, ſic tamen, ut indemnitatem Eccleſiis præſtet, & ipſis æqvalem, aut etiam majorem det recompenſam.

3. *Cur enim Imperator non det meliora, cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum eſſe & maxime ſanctis Eccleſiis, in quibus optima menſura eſt donatarum eis rerum immenſitas.*

4. Ergo ſi qvid tale fiat cum Pragmatica forma, i. e. cum conſilio Procerum & ſtatim recompenſatio fiat rei melioris uberioris & utilioris, ea permutatio firma eſt, & Prælati, ut & Notarii deſuper Inſtrumenta conficientes undique ſint ſine qverela, nullamqve pœnam â D. Leone dictatam, & à Juſtiniano Imperatore confirmatam metu-



5. ant, cum non multum differant ab alterutro, Sacerdotium & Imperium, & res Sacræ â communibus & publicis, *cum omnis Sanctisſimis Eccleſiis abundantia & Status ex*

6. *Imperialibus munificentiis perpetuo præbeatur.* Cœterum aliam omnem ſive venditionem, ſive donationem, ſive permutationem, ſive emphyteuſin perpetuam, ſive Imperio ipſi, ſive alii cuicunque perſonæ factam, omnino hic perimit Imperator, non tamen dationem alicujus pignoris in re immobili factam occaſione mutui â creditore accepti

7. fieri vult; & vult hæc valere in omni Eccleſia omniq; Monaſterio Noſocomio & Xenodochio & Brephotrophio & Aſceterio & Gerontocomio & omni abſolute Collegio nullo horum penitus aliquid ab iis accipere valente. Hinc

8. neque Conſtitutione Anaſtaſii piæ memoriæ ulterius op9 eſſe dicit, qvæ reqvirit Decreti interpoſitionem, cum enim

nim ipsum actus principium sit prohibitum, alia curiosa perscrutatione opus non est.

Addit. Permutatio bonorum Ecclesiæ licita est si meliora & 9.
utiliora accipiat, utile vero satis est, qvod inutile tollit. *Can. Non liceat Papæ 12. qv. 12.* Imprimis cum Summo Principe licita, qvi meliora præsumitur dare velle, cum enim bona, reditus, ac proventus necessarii ab illo ad Clericorum sustentationem, religiosæq; domus custodiam proveniant â Summo Principe. *Nov. 67. C. 2. Nov. 123. C. 18. Can. Nemo, 9. Dist. 1. Cap. Cum secundum Apostolum, 16. X. de Præbendis.* qvi reditus in Jur. Can. dicuntur dotes Eccle- 10.
siarum, *Can. Noverint, 10. qv. 1. cap. 8. X. de Consecrat. Eccles.* Qvidni ille meliora det, cum ipse multorum imo fere omnium bonorum Subditorum dominus audiat, qvod Guntherus in Ligurino 3. Magnanimum Principem Fridericum Barbarossam loqventem introducens sic expresit:

Qvicqvid habet locuples, qvicqvid custodit avarus 11.
Qvicqvid in occultis abscondit terra cavernis
Jure qvidem nostrum est, Populo concedimus usum
Rege figuratam Regis patet esse monetam,
Cæsaris & domino sub Cæsare fulget imago.

vid. Joh. Frid. Horn. *de Civitat. Lib. 2.* Arnisæus *de Jur. Majestat. Lib. 3. c. 1.*

Qvæ de permutatione traduntur, & ad venditionem exten- 12.
duntur, nam si res Ecclesiæ vendatur & melior ematur, subsistit venditio. *Can. Ut super, X. de reb. Eccles. non alienand. cap. 8. X. de his qvæ fiunt. Can. 12. qv. 2.* Menoch. *Cons. 114. n. 5.* Schneidewin. *ad §. 8. n. 8. I. de Rer. Divis.* Nam â qvacunqve dispositione ac prohi- 13.
bitione, etiam utilitatis ratio excepta intelligitur. *L. Jubemus 14.* ubi Bald. *C. de SS. Eccles.* qvæ multo magis procedunt, si Princeps 14.
circa hæc omnia antea consenserit; sunt enim Principes nutricii Ecclesiarum constituti ad muros ejus ædificandos, ad restaurandas templi ruinas, qviqve felicitatem suam ex eo maxime habent, qvando Ecclesiis licet esse felicibus Ziegl. *de Jur. Majest. lib. 1. c. 20. §. 3.* Falsum enim est, bona Ecclesiæ data aut relicta 15.
in manum mortuam seu Ecclesiasticam jurisdictionem ita transire, ut â Superioritate Principis prorsus eximantur, qvod post

Petr. Peck. *de Amortizatione bonor. cap. 10.* vult Ant. Perez. *Cod. de SS. Eccleſ. n. 11.* Aliud oſtendere *L. 14. C. de SS. Eccleſ.* & *h. Nov. 7. c. 2.* ut & *Nov. 120.* probat Ziegl. *loc. cit.* vid. Brunnem. *de Jur. Eccleſ. L. 1. c. 2. memb. 12. §. 18.*

16. Non eſt negandum, omnem Eccleſiarum abundantiam à munificentia Principum Summorum principaliter fluere, qvod efflagitat ſummus non ſaltem amor, qvo pii Principes eas ſemper ſunt proſecuti, ſed & inſignis cura, qvam erga eas geſſerunt; hinc ſupra *Nov. 3.* dixerat Imperator, ſe nihilo minorem Eccleſiæ qvam vitæ curam habere & Sacrorum nomine non tantum ipſe Dei cultus; ſed bona ſimul intelliguntur. Conring. *de*
17. *Majeſtat civ. autor. & Off. circa ſacra th. 10.* Exemplum de Conrado II. ſupra *Cap. 1. h. Nov.* allegatum, & aliud de Johanne Friderico Saxoniæ Electore glorioſisſimæ memoriæ ſuperius ſeculum laudibus in cœlum extulit, & ſatis deprædicat B. Lutherus *in den Tiſch-Reden, Cap. 25. Von Kirchen Gütern.* Taceo de aliis Chriſtianis Imperatoribus ut Conſtantino M. Carolo M. & aliis.

18. Interea tamen non nego, & aliunde ſæpe numero Eccleſias ſibi divitias acqviſiviſſe, nam & acqvirunt aut per donationem inter vivos, aut mortis cauſa, aut teſtamento; Certum enim eſt, ſive bona ſint, mobilia ſive immobilia, Eccleſiæ poſſe relinqvi, & nihil intereſt, utrum in teſtamento, an in Codicillis utrum per modum hereditatis an legati an fideicommisſi titulo relinqvantur, qvod Canoniſtæ paſſim uberius late deducunt. vid. Linck. *de Jur. templor. Cap. ult.*

19. Pertinent qvoqve ad licitum acqvirendi modum decimæ, qvas Eccleſiæ ubiqve fere accipiunt, qvas licet Jur. Can. Laicis dare expreſſe prohibitum *Cap. 15. 17. & 19. X. de Decimis.* Apud Nos tamen à Prælatis, qvi Pontificem non agnoſcunt, ex juſta cauſa ad Eccleſiæ utilitatem Laicis conferri poſſunt, & nihil intereſt, Decimarum præſtatione, an alio modo templis ſubveniatur, vid. Finckelth. *Diſſ. Feud. 3. th. 6. lit. C.* Struv. *Syntagm. Jur. Feud. Cap. 6. aph. 4.*

CAP.

CAP. III.

Qvomodo Emphyteusis Ecclesiasticarum rerum contrahi permittitur.

Emphyteusis tam Ecclesiæ majoris qvam aliarum 1.
adorandarum domuum fieri poteſt & in perſona Accipientis, & in duobus ejusdem heredibus, deinceps vero in filiis tantùm ſolis, maſculis aut fœminis, aut nepotibus utriusqve naturæ, imo & uxori & viro ſi expreſſe hoc dictum, alias non tranſit ad alium heredem, ſed durat ſaltem ad vitam Percipientis niſi filios aut nepotes reliqverit. Aliter autem ut dictum, rei immobilis aut man- 2.
cipium ruſticum, aut civilis reditus ullo modo permitti debet aut ſi relinqvatur, nullum debet habere robur.

§. 1. Qvantitas Canonis determinanda ſecundum 3.
penſionem ejus temporis, qvo fundus ad Eccleſiam pervenit, de minuta ſexta parte, qvod ſi per cladem aliqvam forte chasmate fundus perierit, aut domus in qva conſtituta, exuſta, penſio ſit minuta non, minus qvam antea dedit, reddat, aut dimittat potius, cum liceat potius conducere, qvam tales deminutiones in emphyteuſin celebrare; Qvodſi Eccleſiaſtica Emphyteuſis prædii ſuburba- 4.
ni detur, multo qvidem pretio digna, ſed parvas reddens penſiones, aut nihil omnino, æſtimatio debet fieri, & posſibiles reditus ex pretio collecto reputari, qvantum in viginti annis faciant.

§. 2. Si intra biennium Emphyteuta Canonem non 5.
ſolverit, emphyteuſin amittit, ut & expenſas meliorationis, ſi autem deterius fecerit prædium ſuburbanum aut domum Emphyteuta in priſtinum de ſuo reſtitutionem faciet & obligatꝰ ſit ad hoc ipſũ pro ſe, heredibꝰ, & Succeſſoribꝰ ſuis hoc nomine omnes ejus res & debiti reditꝰ ſine dilatione de-

6. ne debent exigi. Ulterius qvoqve in hoc §. constituit, nec ruinosas Ecclesiæ res alienandas; sed in emphyteusin potius esse dandas, facta ab Architectis duobus æstimatione, si in Provincia sit, aut etiam uno si eum solum Civitas habeat. Si vero in regia civitate sit, æstimationi intersint Oeconomi & qvinqve Presbyteri una cum duob9
7. Diaconis & Episcopo. Perinde autem est, sive ruina sit ex igne, sive ex terræ motu, sive ex alia qualibet causa.
8. Potest autem tunc talis Emphyteuta & ædificare & uti materiebus si habeat, & transmittere emphyteusin donec tandem ad Ecclesiam aut venerabilem domum, ex qva facta est redeat.

9. §. 3. Prohibentur pacta, qvibus ultra nepotes emphyteusis extenditur.

10. *Addit*. Prædia Ecclesiastica non prohiberi in emphyteusin concedi probat *Nov. hac 7.* & *Nov. 120.* Qvia vero emphyteusis alia *civilis*, alia *Ecclesiastica*, hæc Ecclesiastica bona cum civilibus per omnia fermè conveniunt, & licet in hoc constituant differentiam Interpretes, qvod civilis emphyteusis perpetua & ad qvoscunqve heredes sit transitoria *§. 3. I. locat. cond. L. 1. pr. & §. 1. Si ager vectigal.* Ecclesiastica verò ad tertiam solummodo porrigatur
11. generationem *h. Nov. 7. c. 3. pr. & c. 7.* Hæc tamen distinctio per *Nov. 120. c. 6. §. 1.* satis refellitur. conf. & *Auth. perpetuam, C. de SS. Eccl.*
12. Olim qvidem non permissum fuit prædia Ecclesiastica in perpetuam emphyteusin concedere, nam constringebantur certis qvasi personarum limitibus, scil. duorum Successorum ex filiis, aut
13. nepotibus primi acqvirentis *h, Nov. c. 3.* Sed hodie in perpetuum qvoqve emphyteusis extendi potest. *Nov. 120 c. 6. §. Licentia.* qvo jure utimur, ut nihil referat, utrum Ecclesiastica, an civilis emphyteusis, utrumve simpliciter, an vero emphyteutæ & heredibus vel etiam heredibus qvibuscunqve concessa fuerit, semper enim ad descendentes omnes transire videtur *§. 3. d. locati.* Cum paciscentes non sibi solum, sed heredibus suis prospicere
14. intelligantur *L. 9. ff. de Probation.* In eo tamen differentia rectè statuitur, qvod Emphyteuta si in civili per triennium & in Ecclesiastica

clesiastica emphyteusi per biennium pensionem solvere cessaverit jure suo cadat. *L. 2. C. de Jure emphyteut.* §. 2. *h. Cap.* Hinc *in* 15.
Avth. Qvi rem, C. de SS. Eccles. in eum qvi rem Ecclesiasticam in emphyteusin datam vel deterioravit vel intra biennium canonem non solvit, pœna sequens constituta est, (1) ut jure suo cadat, (2) ut totius temporis præteriti pensionem solvat & (3)
damnum datum resarciat. Ex qva *Avth.* patet, non pugnare in- 16.
ter se Emphyteusin vindicare, ut caducam & præteriti temporis pensionem petere, modo dominus prius animum qvod expellere velit Emphyteutam declaret, & postea præteriti temporis pen-
sionem petat. Hæc enim ex diversis causis contingunt, cum 17.
expulsio fiat ob contumaciam & contemtum, petitio vero pensionum præteriti temporis ex contractu vid. Brunn. *ad Avth. qvi*
rem C. de SS. Eccles. Ab hisce bonis Emphyteuticis differunt Ec- 18.
clesiastica censitiva de qvibus passim Dd. vid. Carpzov. *P. 2. C. 39.* Struv. *Syntagm. Jur. Feud. C. 2. aphor. 10. n. 3. & seqq.* & Excell. Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feud. C. 2. qv. 26.* ut & bona libellaria de qvibus illustr. Dn. de Rhetz. *Comm. Jur. Feudal. pag. 247.* & Frantzk. *de*
Laudem. C. 10. & seqq. Respuit autem Ecclesia Contractum libel- 19.
larium, qvia ex hoc rem possidens eam inconsulto qvoqve Domino, à quo rem accepit sub hac lege, vendere potest, qva
venditione maxime læderetur Ecclesia. Per precariam vero 20
melior ac pingvior Ecclesiæ redditur conditio, vid. Dn. Linck, *de Jur. templor. C. 11. n. 102. & seqq.*

In §. 2. statuitur pœna si Emphyteuta Canonem non sol- 21.
vat, qvæ est qvadruplex de qva paulo supra *n. 15. 16.*

CAP. IV.

Qvomodo usus fructus ad sacra loca pertinentium constituatur.

ECclesia bona sua in usum vel usumfructum dare po- 1.
test alteri, ita tamen, ut usuarius vel usufructuarius aliam rem immobilem fructibus æqvalem compenset Ecclesiæ qvoad proprietatem, retento usufr. dum vivit, mortuo eo, & prædii Ecclesiastici & prædii in com-

pensationem dati plena proprietas ad Ecclesiam transeat.
2. *Addit.* Vocatur hic Contractus alias *Precaria* vulgo *eine Precarey*, respectu ejus, cujus ad preces concessa, dicitur qvoqve *Præstaria*, & qvidem respectu Episcopi vel Abbatis, qvi præsta-
3. bat. Sic fit mentio præstariæ apud Lehmann. *Chron. Spir. lib. 2. cap. 42.* Germanice vocatur: *Eine Herren-Gnade*, vel *Precarey*, item, *Beeth*, ut patet ex libellis, qvos vulgo vocant *Precarey-Büchlein*, ubi sæpius inveniuntur verba *Korn-Beeth*, *Wein-Beeth*, *Mehl-*
4. *Beeth*, *Taffel-Beeth*, &c. Hoc nomine qvoqve olim censum fuisse denotatum testatur Speidel. *in Speculo Juridico-Polit.* verb: *Land-Beeth*, eo, qvod non per modum Imperii sed blanditiis sibi subveniri Principes petierint. Circa originem precariarum
5. variant Interpretes; nonnulli enim originem & prima qvasi semina altius repetunt & ad tempora Urbani Episcopi, qvi anno Christi 227. vixit, referunt, nonnulli vero recentiores esse pu-
6. tant vid. Frantzk. *de Laudem cap. 13. n. 4.* Cujac. *Lib. 4. Obs. 7.* Potest etiam pariter in aliis prædiis non Ecclesiasticis constitui, addi etiam solet pactum, ut certo tempore ex. gr. de qvinqvennio in qvinqvennium renovetur *Cap. 1. & ult. X. de precar.* qvæ concessio cum ad dies vitæ regulariter saltem duret, cum ea convenire dicunt *die Schupff-Lehn* in Svevia, qvæ morte possessoris expirant. vid. Excell. Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feud. c. 2. qv. 31.*

CAP. V.

Qvibus pœnis subjaceant qvi alienationes prædictarum rerum fecerint.

1. Decrevit autem Leonis piæ memoriæ Constitutio ferme pœnas in venditores rerum Ecclesiasticarū; Cœterū Justinianus Imperator non saltem interdicit venditiones; sed etiam donationes, permutationes, perpetuas Emphyteuses & pignorationes rerum immobili-
2. um. Sunt enim amatores periculi, qvi præsumunt ad Interdicta â Cæsare & circumventionem facere legum ex voluntate & præsumtione qvam habent, qvæqve omnibus

nibus modis sunt interdicta & homines non nunqvam ad mortem civilem deducere, qvalis est deportatio, qvæ contingit Notariis si super alienatione rerum Ecclesiasticarum prohibitum conficiant Instrumentum. Necessarium igi- 3.
tur existimavit Imperator in unoqvoqve contractu certam etiam statuere pœnam. Ergo si qvis emere præsumpse- 4.
rit rem Ecclesiasticam, aut Ptochicam, mox qvidem pretio cadat, restituat autem cum omni medii temporis incremento nulla ipsi competente actione contra Ecclesiam aut venerabilem domum; Contra Oeconomos vero, aut 5.
qvi vendiderunt, habet actionem, ut si non propter Dei timorem metu tamen amissionis bonorum suorum segniores fiunt circa venditonem. Qvodsi per donationem 6.
res Ecclesiasticæ aut Ptochicæ sint donatæ, donatarius illis omnino cadat, & aliud tantundem ex his bonis Ecclesiæ restituat. Si autem permutatio bonorum Ecclesiæ â pri- 7.
vato, excepto Imperatore facta, permutans datam sibi rem amittat, & redeat ad Ecclesiam, unde progressa est, & qvod pro compensatione dedit, maneat apud eam, qvique actum contrarium legi susceperit, utraqve cadat & pœnæ subdatur, propriis bonis cadat & qvæ speravit, non acqvirat, sic tamen, ut qvi cum Oeconomo contraxerunt, adversus eum actionem retineant.

Addit. Qvod alias dici solet: 8.

Non minor est virtus, qvam qværere parta tueri.

Id potissimum verum est in bonis Ecclesiasticis, qvæ non tam facile acqviruntur, qvam consumuntur & distrahuntur, qvare non minor circa conservationem eorum debet esse cura, qvam circa eorum acqvisitionem; qvamvis enim olim ex multis & mille modis ac technis apud Pontificios Ecclesia fuerit locupletata, qvas inter in Galliis qvondam fuit perniciosissima, ut qvi testamento Collegiis Ecclesiasticis nihil legasset honore sepulturæ careret, qvem tamen morem postea Curia Parisiensis sustulit. Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 19. def. 298.* Qvo pertinet, ut 9.

si qvis subito & præter opinionem mortuus sacrificulus aliqvis
Pontificis jussu mortuo testamentum condere, & qvæ vellet, Ec-
clesiæ legare poterat Brunneman. *Jur. Eccles. L. 2.* honestas tamen
divitias merito Ecclesia qværit, & , qvæ ex liberalitate piorum
profluunt, cum enim ipsa sit justitiæ cultrix, nec injustitiam in a-
liis fovet, multo minus ipsa illicitis acqvirendi modis studiosa
10. sit. Si tamen licitè semel acqvisitæ divitiæ, Administratores bo-
na non dilapidabunt, aut accepto pretio in alios transferre de-
11. bent, qvòd severè hic prohibet Imperator: Ex qvo enim bona
Ecclesiastica ad nutriendos Clericos & conservationem cultus
divini sunt destinata & oblata Deo, cum digni habeantur, ut de
altari victum sumant, qvi ei inserviunt. *Cap. 2. Cap. Episcopis, Cap.
Exstirpandæ, §. ult. X. de Præbend.* vel ob hanc solam causam rectè
prohibetur, ne vendantur & per conseqvens Salaria Ministrorũ
Ecclesiæ diminuantur, nam sicut omnis ordo sine honestis di-
12. vitiis *L. 6. C. de Suspect. Tutor. Nov. 90. cap. 1.* Ita & dignitas Eccle-
siastica ob paupertatem vilescit *Cl. inplerisq;, de Electione & Elect.*
13. *Potest.* Reinking. *de R. S. & E. L. 3. class. 1. cap. 8. n. 4.* Etsi ex hisce
vel aliis rationibus pluribus titulo oneroso Ecclesiæ bona trans-
ferre non licet , multo minus titulo lucrativo per donationem
14. qvam & hic graviter inhibet Imperator subjuncta pœna, sicut
enim tutor ad augendum & conservandum patrimonium pupil-
li obligatus, non vero promovere debet qvæ ad illud diminuen-
dum evertendumve pertinent , proinde, si qvid donavit, illud
pupillus à possidentibus vindicare potest. *L. 16. C. de administr.
tutor.* & *L. 46. §. ult. ff eod.* vid. Brunn. ad *L. 28. ff. de pactis.* Ita
15. Oeconomus neqvaqvam per donationem Ecclesiæ Patrimonium
diminuat, sed si fecerit, de suo suppleat *c. 5. h. Nov.* Nec fa-
16. cit si tutor de bonis pupillaribus donaverit, & Minor major fa-
ctus ratificaverit X. in præsentes, & XX. inter absentes donatio-
nem subsistere Dd. ad *L. f. C. de temp. in integr. restitut.* & ad *L.*
17. *1. & 2. C. si advers. don.* Alia tamen in Ecclesia est ratio, utpote
in minorennitate ob favorem ejus semper stante & juribus Mi-
norum fruente, majorennis autem tempore legitimo præter-
lapso donare potest, & jure suo non uti *L. pen. C. de Pactis.*

Neqve *Permutatio* unius rei Ecclesiasticæ cum alia fieri per-
mitti-

mittitur, nisi ab Imperatore fiat ob rationem jam tum in *Cap. 2. h. Nov.* allegatam cum qvo convenit *Auth. Sed & permutare, C. de SS. Eccles.* ad qvam notat Brunnemannus, cum de Principe saltem loqvatur, ad alias personas & alios casus extendi non debere. Extendit tamen Stephani ad *h. N. n.33.* ad Ecclesiam vel 19.
alium locum religiosum, qvem cum alio item loco religioso causa cognita & aliis debiti solennibus observatis permutare posse, ait *Nov.54. c.2.* cum in tali permutatione nullum metuendum sit Ecclesiæ damnum, qvod ab aliis forte immineret.

An bona Ecclesiastica infeudari possint? hic qværere solent Feu- 20.
distæ? Resp. Varias hic variorum DDrum opiniones recensere jam non vacat, verissima videtur sententia Vulteji *Lib. 1. de Feud. C.5.* qvam & approbat Carpzov. *Disp. 4. Feudal.* Prælatum res Ecclesiasticas qvascunqve etiam non infeudari solitas exceptis Titulis (per qvos intelliguntur non qvævis bona Ecclesiæ, sed illa saltem prædia, qvæ speciatim Clericis ad sustentationem vel alimenta sunt destinata Excell. Dn. Stryk. *in Exam. Jur. Feud. cap. 5. qv. 5.*) decimis & primitiis, modo Prælatus antiqvitus infeudandi potestatem habuerit arg. *1. Feud. 6. & 2. F. 35.* alias ne- 21.
gandum non est, Prælatos tantum esse Administratores rerum Ecclesiasticarum Besold. *Part. 2. Cons. 30. n. 3.* Qvæ de Prælatis modo dicta etiam in *Cap. Sede vacante,* obtinent, ita ut & hoc res infeudari solitas concedere possit juxta assertum DDrum. *Cap. 2. X. de Feud.* Qvod nonnulli limitant, si Ecclesia sit Cathedralis ita, 22.
ut illa sede vacante res Ecclesiasticas in feudum concedere neqveat *c. 1. X. ne Sede vacante &c.* Cæterum hæc limitatio neqve d. 23.
textui neqve rationi satis convenit, qvare cuilibet Capitulo hoc generaliter erit concedendum; qvando vero res infeudari solita dicatur hoc ex ipsa infundatione etiam unica sive ante si post Pontificis Urbani constitutionem *1. Feud. 6. pr.* solenniter facta colligendum erit; nec enim hodie hoc tempus attenditur, sed 24.
& illa bona infeudari solita dicuntur, quæ semel legitime in feudum sunt concessa, de qva concessione, si non constet, communiter tantum temporis spatium Feudistæ reqvirunt, cujus initii non existit memoria *Cap. 1. X. de Præscript. in 6* conf. Schrader. *de Feud. P. 4. C. 2. n. 25. seqq.* Richter. *Vol. 1. cons. 321. n. 5.* Alii in hac 25.

 qvæstio-

qvæstione qvæ bona dicantur infeudari solita ad judicis arbitrium esse recurrendum statuunt teste Menoch. *Arbitr. Jud. Qv. Cas. 10. n. 5.* vid. B. Dn. Linck. *de Jurib. templ. cap. 11.*

CAP. VI.

Ut liceat res Ecclesiæ generali hypotheca subjicere non autem speciali.

1. *Addit.* Addit Imperator hanc qvoqve Constitutionem valere debere in Abbatissis muliebrium asceteriorum aut monasteriorum, ita, ut creditor specialem sibi hypothecam constitui patiens amittat debitum, actione tamen salva relicta contra Oeconomum.

2. Ratio hujus Constitutionis est, quod firmior & potentior sit hypotheca specialis qvam generalis, & plus juris per illam constituatur Creditori Mozz. *de Contract. loc. de Pignor. & hypothec. Tr. de Sub-distinctione Pignor. & hypothec. n. 35.*
3. Imo specialis hypotheca magis afficit rem, & ad hoc prodest ut si debitor postea hanc rem distraxerit, creditori mox, non excusso prius debitore contra emtorem vel pignoris possessorem detur actio ad rem repetendam *Nov. 112. c. 1.*
4. Qvod aliter se habet in hypotheca generali, ubi non, nisi excusso debitore contra possessorem rei generaliter obligatæ agere licebit *Nov. 4. c. 2.* Carpzov. *P. 2. c. 18. def. 18.* vid. Excell. Dn. Stryk. *de C. C. Sect. 2. c. 4. th. 16.* conf. infr. *Nov. 120. cap. 4. & 5.*

CAPUT VII.

Qvibus pœnis subjaceant, qvi perpetuam Emphyteusin contraxerint.

1. Qvicunqve suscipit Emphyteusin perpetuam ab Ecclesia, vel temporalem quidem, cœterum contra hujus Legis tenorem, amittit eam & ad præstationem Canonis obligatur, non secus, ac si subsisteret Emphyteusis. Notarii, qvi ad hæc Instrumenta conficere præsu-

præsumunt, perpetua exilii pœna plectuntur, & judices coram qvibus ejusmodi conficiunt, & cinguli, & bonorum casum vel jacturam juxta Leonis Imperatoris Constitutionem sustineant.

Addit. Qvæ hic dici debebant, jam tum supra ad *Proœmium* 3.
h. Nov. verb: *Notarium qvoq, si super*, & *Cap. 3. h. Nov.* sunt proposita.

CAP. VIII.

De non alienandis sacris vasis.

PRædictæ pœnæ etiam statuuntur in Oeconomos, qui 1.
sacra vasa aut pignori dant, aut vendunt aut conflant propter alienationem, imo majori pœna eos dignos esse sancit, qvanto circa sacras & Deo dicatas res impie præsumunt agere.

Addit. Limit. 1. qvæ in textu habetur satis alias à DD. ex- 2.
plicata, licita est enim sacrorum vasorum distractio, si redimantur captivi *L. Sancimus, C. de SS. Eccles. can. Aurum, can. Sacrorum, can. Sicuti, 12. qv. 2.* aut tempore intolerandæ famis præbeantur pauperibus alimenta *d. c. Aurum, 12. qv. 2.* Schurff. *Cent. 2. Cons. 70.* 3.
num. 1. Aurum enim habet Ecclesia, non ut servet; sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus *d. c. Aurum*, & gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere, & ignominia Sacerdotis, propri- 4.
is studere divitiis Schneidew. *ad §. 8. I. de Rer. Div.* Wesenbec. *Cons. 59. n. 9. 10.* nec absurdum est, animas hominum qvibuscunqve vasis vel vestimentis præferri. *L. 18. C. de SS. Eccles.* Vocantur autem, ut id in transcursu notem, vasa & vestimenta sacra, qvorum in cultu divino usus aliqvis est à Justiniano Imperatore in *§. 8. I. de Rer. Div.* donaria; Nam qvæ Græcis ἀναθήματα 5.
ab ἀναθεῖναι appellant, qvod dicata Diis è tholis, columnis aut parietibus templi suspenderentur ea Latini donaria dixerunt. Hinc 6.
apud Macrobium *Lib. 3. Saturn. cap. 11.* legimus: *Ornamenta sunt clypei, corona & hujusmodi donaria.*

Limit. 2. hic. Nisi distrahantur vasa ob redemtionem captivorum,

rum, ubi animæ hominum liberantur à mortibus & vinculis vasorum inanimatorum, idem etiam panibus civilibus ut tempore ejusmodi necessitatis distrahi & alienari possint.

8. Per *panes civiles* qvorum in textu fit mentio, intelliguntur certi reditus vel annona in pane solvenda, de qvibus panibus civilibus pereruditа dissertatione egit B. Dn. Henricus Linck. Antecessor Altorffinus ad qvam B. L. remitto.

CAP. IX.

De eo qvi per Pragmaticam rem Ecclesiæ comparaverit.

1. IGitur contra hactenus sancita nemo conetur Pragmaticam sanctionem proferre, qvæ jubeat rem aliqvam ad Ecclesias spectantem alienari, sive persona major vel in dignitate sit constituta sive minor, & ex populo, & si tale qvid dictaverit Qvæstor, pœna 100. librarum au-
2. ri ipsi imminebit; si qvis etiam judicum ejusmodi insinuationem suscipiat, eadem pœna plectetur, Notarius qvoqve succumbat, si aliqvod desuper instrumentum con-
3. fecerit. Insuper & Episcopi & Oeconomi, ejusmodi Sanctiones Pragmaticas refutare (i. e. non debent seqvi) nisi
4. circa ipsum Sacerdotium sustinere malint. Oportet enim ea, qvæ communiter & generaliter in omnium sanciuntur utilitatem, potius valere, qvam aliqva suscipi, & studeri ad corruptionem communium Legum.

5. *Addit.* Pragmatica Sanctio est, qvæ fit de Consilii sententia solenniter ad suggestionem alienam precesve. Vultej. *ad* §. 7. *J. de J. N. G. & C.* vel ut vult Hotomannus, dicuntur Principum Rescripta non de privatorum negotiis, sed Corporum, Ordinum & Collegiorum causis de Consilii sententia emissa. Ziegl. ad Lancell. *Lib. 2. tit. 27. §. 12.* dicit: esse Rescriptum Principis in publicis negotiis cujusqve Universitatis vel Provinciæ ad suggestionem alicujus Corporis, Collegii, Civitatis vel Provinciæ, inde ut opina-

opinatur deducto verbo, qvod Pragmaticis & viris peritis in consilium adhibitis interponatur; ejusmodi sanctio in præjudicium Ecclesiæ facta nihil operatur. *L. Rescripta, 7. C. de precib. Imperat. offer.* & verba ejus potius impropriandа sunt, qvam ut in damnum & Ecclesiæ præjudicium vergere debeant, Panormitan. *Cap. Dilecti filii, 2. X. de Decimis.* Wesenbec. *P. 5. Consil. 107. num. 74.* 6.
Qvod procedit, licet annexam habuerit clausulam: *Ex certa scientia*, vel clausulam: *Motu proprio*, qvæ nihil in præjudicium tertii operantur. Mynsing. *ad cap. causam, n. 5. X. de testib.* Ant. Faber. *in Cod. lib. 1. tit. 2. def. 22.* & *tit. 12. def. 1.* 7.
Ratio ex præsumpta Principis voluntate dependet, nec enim præsumitur Princeps alii, multo minus Ecclesiis, qvarum præcipuam & specialem habet curam, sine causa in jure legitime qvæsito præjudicare aut præter meritum damnum inferre velle. *L. Nec avus, 4. C. de Emancip. liber.* 8.

Qvod attinet Qvæstores, sub Imperatoribus Qvæstura erat dignitas eorum, qvi Legum & precum curam habebant, & Responsa Principis subnotabant *L. ult. C. de divers. Rescript.* & de his agit. *Nov. 114.* & *Auth. Gloriosissimi, C. d. t.* Ut adeo Cancellarii munus olim gesserit Qvæstor; 9.
Manebant tamen interea alii in Provinciis, qvi proprie circa pecuniarum curam erant occupati & hi à solo Principe eligebantur, qvi intelligebant pecuniam esse nervum rerum gerendarum vid. Rosin. *Antiqvit. Roman. lib. 7. c. 22.* & Alexand. ab Alex. *lib. 1. Genial. dier. cap. 2.* 10.

CAP. X.

De Administratore qvi rem Ecclesiæ alienavit.

OEconomi, vel aliorum Collegiorum Præsules nemini, neqve qvi in potentatu sunt rem Ecclesiæ concedant, alias pœnæ Sacrilegii & aliis sub lege contentis Rei sunto. 1.

Addit. Voce Potentatus utuntur Julius Cæsar *Lib. 1. de Bello Gallico* Liv. & Arnobius *Lib. 1. qvod tuis si viribus Potentatuiq; conveniens* & intelligitur maxime de illis, qvi cum potentia & pote- 2.

 state

ſtate ſunt in *L. 1. C. de general. abolition.* videtur denotare illum, qvi per potentiam qvaſi fuit oppreſſus.
3. Præter ipſum Sacrilegium ejusqve pœnam de qva in *Conſt. Crim. art. 172.* alia ſunt & Sacrilegia, de qvibus paſſim Dd. vid. Menoch. *de Arbitr. Jud. Quæſt. L. 2. caſ. 389.* & Brunn. ad *Parat. Weſenb. tit. ad L. Jul. peculatus, qv. 4.*
4. committitur qvoq; & caſu, qvi hic in textu habetur, item ſi qvis Divinæ Legis ſanctitatem aut neſciendo aut omittendo aut negligendo violaverit & offenderit. *L. 1. C. de crim. ſacril.* item ſi qvis immunitatem Eccleſiæ violaverit confugientes ad eam ſua autoritate abſtrahendo *L. 2. C. eod.* Menoch. *de t. I. Qv. L. 2. caſ. 389.*

CAPUT XI.

De Monaſteriis non alienandis.

1. VEnditionem aut Monaſteriorum permutationem ſevere interdicit, qvodſi factum, omnibus modis infirmum declarat, & pretiorum caſum imponit accipientibus, venditorem qvoqve plectit, & rei caſu & pretii amiſſione Eccleſiæ ejus loci & Monaſteriis tribuendo, ita, ut qvod male alienatum eſt, rurſus ad monaſterium veniat, qvin & ſi hypotheca ſit conſtituta, &c. ea infirmanda, & Monaſterio rurſus aſſignanda.

2. *Addit.* Atqvi non hæc ex ratione; ac ſi Monaſteria & alia Eccleſiarum bona in Patrimonium Chriſti demigraverint, nec enim hic in terris ſingulare patrimonium habet Chriſtus, cujus jam tum ſunt omnia bona in cœlo & in terra. *Math. 18.* Sed qvia ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transfe-
3. rendum. *cap. 51. de R. J. in 6to.* dum patrimonium Chriſti & pauperum bona ſemper amplificari & augeri æqvum eſt. Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. tit. 19. def. 298.* vid. Brunnem. *ad d. cap. 51.* Bene
4. ergo loqvitur Alſtedius *in Encyclopæd. cap. 19. aph. 7. Si bona Eccleſiæ eripiantur, nec diſcus i. e. Oeconomia, nec fiſcus i. e. Politia florere poſſunt.*
5. Cœterum hic commode qværitur, *an Proteſtantibus bona Eccleſiaſtica ad certos uſus ſacros deſtinata, ſi uſus illi aut ſuperſtiti-*

esi aut jam impietate contaminati deprehendantur, ad alios usus, sive profanos, sive pios salva conscientia convertere & impendere aut etiam possidere possint? Sane fatendum est, qvod illa bona cultui su- 6.
perstitioso & idololatrico fovendo fuerint olim destinata, scil. ad Missarum celebrationem, ad defunctorum animas é Purgatorio liberandas. Cum igitur hæc bona aut otiosis ventribus in Papa- 7.
tu inservierint, ant in luxum absumpta Protestantes Principes superiori Seculo recte fecerunt qvod in meliores Ecclesiæ & Reipubl. usus eadem transtulerint, ita judicante Burcholdense *ad Instr. Pac. part. 2. disc. 9. n. 14.* Qvin si præsupponamus cum Illustre Dn. de Rhetz *in Dissertat. de Secularisat. cap. 3. §. 9.* Funda- 8.
mentum hoc Secularisationis qvod Ecclesia qvibuscunqve bonis gaudeat, qvibuscunqve item Privilegiis inhærentibus debeat omni Summæ Potestati, qvæ proinde illa vicissim tollere, nexu priori liberare, & in usum promiscuum reducere potest si qvædam Reipubl. necessitas urgeat *R. J. de Anno 1542. §. Aber der Kirchen-Kleynodien*, non video, cur prohibeatur, in alios & magis pios usus Ecclesiæ bona hactenus profanata erogare maxime cum ita non Donatorum temeretur intentio; hinc est traditum DDrum Principi tempore belli & ne- 9.
cessitatis licere templa munire, & ex iis fortalitia construere, argumento desumpto ex *Cap. 8. h. Nov.* Si enim pro redemtione captivorum res sacræ alienari, & vasa sacra frangi possunt, cur non æqve concedamus, posse animas hominum conservari, & defendi muris potius templorum, qvam ut vel homines interficiantur, aut in captivitatem detrudantur? hocqve multoties in 10.
Belgio durantibus bellis civilibus accidisse ex historiis constare tradit Myler ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imper. P. 2. Cap. 77. n. 7.* ubi hanc tamen addit declarationem qvod cessante necessitate templa in pristinum statum sint reponenda. *Cap. fin. ibi: in pristina loca, X. de Custod. euchar.*

CAP XII.

Si sterilis ager ad Ecclesiam pervenerit.

1. PRout autem damnosæ bonorum Ecclesiasticorum alienationes prohibitæ, sic in acqvirendo damnosæ possessiones sunt interdictæ, ut si minus idonea prædia pro idoneis Ecclesiis sunt vendita cum deprehensa statim
2. sterilia fuerint & Ecclesiis nocuerint; Ergo Rectores Ecclesiarum circa contractum celebrandum sint cauti ne fœnea qvædam possessio aut donetur, aut vendatur Ecclesiis aut monasteriis aut Xenodochiis, aut Nosocomiis aut aliis venerabilibus Collegiis; nam contractus pro non facto erit & qvod per circumventionem datum, recipietur ab eo, qvi dedit; Oeconomus autem Abbas, vel alius Præ-
3. fectus de suo damnum restituet. Cœterum sterilem agrum vendens & pro eo aurum accipiens, ipsa, domus venerabilis eum emens & accipiens, lucrabitur qvidem aurum, qvi vero id dedit, habebit contra Oeconomum qvi contractum celebravit, actionem.

4. *Addit.* Convenit cum *h. Cap. Auth. Sicut, C. de SS. Eccles.* & dicitur ager sterilis, qvi fructum non fert Pantschmann. *de Locat. & conduct. qv. 1. num. 2.* perinde ut sterilis pecunia, qvæ non parit usuras, qvæ & otiosa dicitur. *L. 3. §. 4. ff. de Contr. & util. tutel.*
5. *act.* Imo si privatus non tenetur rem sterilem emtam retinere, sed pretium & usuras potest repetere. *L. 20. §. 16. ff. de hered. petit.* Cur Ecclesia favore digna ut rem fœneam, ê qva nil nisi fœnum capitur retineat? cum nec conductor ratione sterilitatis ad mercedem teneatur vid. Mozz. *de Contract. tr. de accident. loc. cond.* Pantschmann. *de Locat. qv. 1.* Menoch. *A. J. Qv. lib. 2. cas. 76. seqq.*
9. Id videtur hic adhuc esse singulare, cum ad res donatas Edictum Ædilium Curulium non pertineat. *L. 62. ff. de Ædil. Edicto.* cum non debeat de gratuito munere conqveri donatarius, si ut loqvendi mos est, *eqvi donati dentes inspicere non oportet*, Ecclesiæ tamen inidonea prædia non sunt donanda, qvod tamen sic intelligo, si ea oneri futura sint ipsi, vel qvod aliis hypotheca affecta, vel de illis multa sint fisco solvenda conf. de bonis Eccles. immobil. alienandis infr. *Nov. 46. 54. c. 2.* & de Sterili agro *Nov. 120. c. 8.*

NOV.

NOV. VIII.

Ut Judices sine qvoqvo suffragio fiant.

PROOEMIUM.

IMperatori incumbit omnes dies & noctes cum omni 1.
lucubratione & cogitatione transigere, si qvid utile & placens Deo præbere velit; nec enim in vano vigilias potest ducere, sed in hujusmodi consilia eas expendere & noctibus sub æqvalitate dierum uti, ut subjecti sub omni qviete sollicitudine liberati consistant Imperatore pro omnibus cogitationem suscipiente. Invenit enim plurimam 2.
hactenus electionibus Judicum ingressam injustitiam eamqve non olim; sed ex qvibusdam temporibus violenter accessisse omnesqve fere subjectos ad inopiam compulisse, ut ad extremam inopiam pervenerint, nec consveta & legitima tributa sine maxima necessitate persolvere potuerint. Cum enim Collatores novis institutis judici- 3.
bus semper aliqvid lucrari studerent, qvod & imitabantur Præfecti, qvomodo istud sine damno subjectorum potuit fieri cum ab his damna recuperare semper voluerint judices?

§. 1. Cogitavit igitur Imperator, qvomodo hæc in 4.
meliorem statum reduceret, qvod eventurum credit, si Præsides Gentinm & civiles provinciarum Administratores puris utantur manibus, & ab omni abstineant acceptione pro illis, sint verò iis contenti, qvæ â Fisco dantur, qvod non aliter fit, nisi & ipsi dignitatem vel administrationem sine mercede percipiant, nihil illis qvi conferunt honorem dent, nec alii hominum ulli. Et licet qvæstus 5.
immo-

immodicus imminuatur Imperio, ſubditi tamen maximum percipient incrementum, ſi â judicibus indemnes conſerventur, & Imperium & Fiſcus abundabit, utens ſubjectis locupletibus; Imo uno hoc introducto ordine
6. plurima rerum & innumera erit ubertas. Et ſane omnibus eſt manifeſtum, eum qvi aurum dat, & ſic adminiſtrationem emit, non dare ſolum, qvantum occaſione ſuffragiorum inventum eſt, ſed & dare ulterius commodum aliqvod illis, qvi adminiſtrationem dant aut ſpondent, & ſic uno principio illicito dato neceſſum eſt pluri-
7. ma alia mala dari; hoc autem qvod dat non de ſuo forte præbet, ſed mutuat ab alio, & ut mutuo habere poſſit, alium expenſis & uſuris ſubjicit, dum computare apud ſe potius debeat, tantum percipere eum ex provincia, ut poſſit habere debita ſortis, uſurarum & damnorum pro
8. mutuo; computare vero interim qvoqve debet expenſas largiores ratione Aſſeſſorum militumqve circa ſe verſantium, & qvendam ſibi qvoqve â tempore ſeqventi, qvo
9. forte adminiſtrat, recondet qvæſtum. Ex eo igitur qvod ſic â ſubjectis exigitur, Fiſcus qvam maxime imminuitur, nam ea qvæ oportebat illi inferri, ad propriam redigit utilitatem, qvi adminiſtrationem habet inopem facit Imperatori collatorem, ejusqve inopiam qvæ per eum agi-
10. tur ipſi Imperatori reputat. Interea Præſides Provinciales ad acceptionem reſpiciunt, multos reorum dimittunt delictum iis vendentes, plurimos autem inoxiorum condemnant, ut noxiis præſtent, & hoc non ſolum in cauſis pecuniariis agitur, ſed & in criminalibus, ubi de vita
11. hominis agitur; fugiunt æqve ex Provinciis & confluunt ad ſedem regiam omnes ingemiſcentes & Sacerdotes, & Curiales, & Officiales, & Poſſeſſores, & populi & agricolæ, judicum furta & injuſtitias accuſantes; Cæterum hæc
12. non fiunt ſola, ſed & civitatum ſeditiones & publicæ turbæ ple-

bæ plerumqve fiunt & ſedantur ob timorem mali judicis. Et ſane una hæc omnium malorum eſt occaſio & accipe- 13. re ſuffragium â judicibus neqvitiæ eſt principium & terminus & maxime verum illud ſacrorum eloqviorum, *qvod avaritia omnium malorum ſit mater, maxime qvando non privatorum, ſed judicum inhæret animabus.* Nam malo judice omnes 14. per pecuniam abſolvente, qvilibet ſine periculo furatur, & latrocinatur ſine reatu, nam qvicqvid fit illicitum, pecunia redimi poteſt, hinc homicidium & adulterium & invaſiones & vulnera & raptus virginum & commerciorum confuſio, contemtus Legum & judicum ita putant eſſe venalia, prout optimum aliqvod mancipium. Non 15. licet hic exponere, qvot mala ex furto judicum Provincialium peſſima fiant, nemine eos redarguente, cum repente excipiant ſe dignitatem & honorem pecunia emiſſe.

Addit. Juſtinianum M. Imperatorem ſummo ingenio ex- 16. celſo judicio, & prudentia admiranda fuiſſe inſtructum, ſi qvis dicere nollet, ex hac certe præfatione ſatis convinceretur, qvæ maxime docet, publicæ ſalutis fuiſſe ſtudioſiſſimum, qvam imprimis mox ut Imperialia jura ſuſcepit demonſtravit, dum ad reparandum Reipupl. ſtatum animum induxit; nam ſub finem tituli Cod. *de Caduc. toll.* non minus pie qvam prudenter inqvit; 17. qvod communiter omnibus prodeſt, hoc rei privatæ noſtræqve utilitati præferendum eſſe cenſemus noſtrum eſſe proprium, ſubjectorum commodum Imperialiter exiſtimantes; nec enim ad 18. id Princeps â Deo eſt conſtitutus, ut molliter ſe curet, & ærarium ſuum locupletet, ad ſubjectorum ſibi ſalutem promovendam datus, ad hanc totas noctes & dies conſumit, & ad hanc diadema iſtud ſacrum ſibi â Deo impoſitum eſſe cognoſcit, & verba hæc menti ſuæ impreſſa cogitat: *Agis cum Deo Princeps, qvi te* 19. *incolumem ſoſpitemqve præſtabit, ſi Tu cæteros; ſin contra Ille qvoq; â cuſtodia Corporis tui oculos dimovebit & Te relinqvet votis, qvæ non palam ſuſcipiuntur,* prout Principi ſuo Bono inculcat Barlæus Orat. de

de bono Principe, atqve hisce Plinii verbis suam finit Disserta-
20. tionem. Hisce boni Principis vestigiis insistit Imperator, & cum corruptum Præsidum Provinciarum Statum optimè nosset, qvanta sorditie & impietate judicia Sacra temerata & conspurcata forent, medicinam in tempore adhibere voluit, ut patet ex seq. Cap. *b. Nov.* qvam post vulneratam causam remedium qværere; Statim enim

- - - - - immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Ovid. *Lib. 1. Metamorph.*

21. & magnorum malorum initia priusqvam radices agant prudenter reprimenda, ut de Scipione commemorat Polyb. *Lib. 2. Histor.*
22. *Cap. 28.* Ipse igitur laude dignissimus Princeps, si mox ipse obicem ingentibus malis ponere qveat, nec aliorum consilia explorare ipsi opus sit. Hoc Romulum Urbis Conditorem fecisse refert Dionys. Halicarnass. *L. 2.* ubi à *C. 7.* usqve ad *14.* describit, qvo-
23. modo rem Romanam ordinarit. His constitutis honores & Potestates in singulos Ordines distribuit. Regi qvidem eximia munia fuerunt hæc: primum, ut Sacrificium & reliqvorum sacrorum penes eum esset Principatus, per eumqve gereretur, qvicqvid ad placandos Deos attinet. Deinde ut Legum ac Patriarum consvetudinum custodiam haberet, omnisqve juris, qvod vel natura dictitat, vel pacta & tabulæ sanciunt, curam ageret, utqve de gravissimis delictis ipse decerneret, qvod pluribus placuisset, ratum haberet. Hæc Regi attribuit munia, & prætere-
24. rea Summum in bello Imperium. Utinam! hæc Principes omnes sibi commendata haberent, imprimis verò in Vulturios Judices Argentangina laborantes oculos defixos haberent; nec homicidia, nec adulteria, nec raptus virginum aliaqve nefanda delicta venalia proponerentur ut aliqvod mancipiorum optimum
25. ut verba Imperatoris mea faciam. Nec vero ejusmodi judices anterioribus Seculis judicia, qvæ DEUS ipse Sanctissimus sanctificavit tantum violarunt & conspurcarunt, adhuc hodie peculatorum & Repetundarum reorum numerus fert ingens, qvi cum Alexandro VI. Pontifice libenter venderent templa, Sacer-
26. dotes, ipsumqve altaria, Christum; modo emtores possint reperire,

xire, *nam in rebus humanis secula & personæ intereant, causæ & eventa eadem recurrunt*, sunt cedro digna verba Famiani Stradæ de *Bello Belg. L. 1. pag. 2.* De Collatoribus, qvorum hic fit mentio in Novella, qvi consedunt tributa alias tribunariis dictis agit Imperator infr. in *Nov. 128.*

CAP. I.

De Magistratibus sine suffragii datione creandis.

SAncit præsente lege Imperator, ad qvam condendam 1.
Conjugem â Deo sibi datam & Johannem Præfectum Prætorio, Exconsulem & Patricium in consilium traxit, nullam administrationem neqve Proconsularem, neqve Præsidalem, neqve ullam aliam debere dare aliqvod suffragium, neqve pro administratione ulli judici qvam- 2.
libet dari donationem exceptis paucis, qvæ pro singulis dantur, codicillis & chartis ipsis Notariis pro scriptura & similibus, qvorum qvantitas speciali Edicto subjuncto in *f. h. Nov.* est expressa.

Addit. Etsi Γυναικοκρατία prohibita, nec facilè Fœminæ ad 3.
Imperium admittuntur, nonnunqvam tamen nimio erga fœminas amore Principes ductos Consiliorum fecisse participes, Exemplum Justiniani docet, dum præsentem legem communicato cum Conjuge consilio condidit. Duplex est autem imperium muliebre 4.
(1) cum certo modo Imperium ipsa exercet & administrat, (2) qvando Conjugem Imperii sceptra tenentem gubernat, & in Imperii negotiis cum in publicis tum in privatis ad nutum & placitum suum disponit. Sic Cato dicere solitus: Nos imperamus hominibus cunctis, uxores verò Nobis. Et de Themistocle legitur, Athenienses imperant Græcis, Themistocles Atheniensibus, Themistocli Uxor. Plutarch. *in Themist.* Et posteriori modo 5.
Conjugem Imperatoris Theodoram Imperii fasces simul habuisse probant Historici; nam novos eosqve varios qvæstus ingeniosissime reperisse, & gemino subditos onere pressisse notat Zo-

6. naras *in Justin. Imperator.* §. *1.* Inde refert annua tributa exaggerata & nova excogitata, alios ut perperam de religione sentientes mulctatos, alios ut immodestè & petulanter viventes opibus
7. privatos, de qvibus tamen hac vice plura non addo. Per suffragia ut explicat Brunn. *ad L. Si qvi uni. C. de Suffrag.* intelligendæ sunt commendationes Aulicorum, qvi desideria Supplicantium & ambientium sua suffragione adjuvare solent, his si qvid promissum sit, & supplicans id impetraverit, solvi debet, qvod promissum, si sit res mobilis, si verò immobilis gesta scripta, sive monumenta scripturæ reqviruntur, nullo tamen casu suffragator
8. propria autoritate, ea qvæ promissa sunt, arripere potest. Hoc vero loco per suffragii dationem denotatur, ut Præsides absqve ulla datione pecuniæ ad officia mittantur, qvo nomine erat actio ex condictione, si certum petatur de suffragio, qvæ dabatur contra eum, qvi officium civile, vel militare per dationem suffragii adeptus erat, qvi deinde à suffragatore pecuniam muneris causa dederat, condicebat, vel qvod inhoneste solverat, vel dona-
9. verat, illicitè repetebat ex *L. 2. & 2. Cod. Theodos. Si cert. petat.* Steph. *ad h. Nov. n. 14.* Duos alios species actionum suffragii notat Excell. Dn. D. Schwendendorff. *Summar. act. for. exposit. cap. 3. M. 37.*
10. Insimul hic notat Stephani Præsidum appellationem hic esse generalem, & contineri sub hoc titulo Proconsules, Comites, Vicarios, Consulares & Defensores civitatum, cum & illi in Civita-
11. tibus vice Præsidum fungantur. *Nov 15.* Specialiter autem ut videre est *in h. Nov.* prohibetur pro obtinendis Provinciis pecuni-
12. am dare, vel officia pretio redimere. Non autem putandum, hoc Caput vetare, ne prorsus honores petantur, cum legum ambitus eos tantùm tenuisse constet, qvi per pecuniam aut malis artibus clam invadere magistratus, & Populi Romani honores obrepere conati essent; Nam, ut inqvit Tacitus Lib. 11. Annal. *apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisqve civium, si bonis artibus fiderent, licitum palam petere magistratus, ac ne ætas qvidem di-*
13. *stinguebatur.* Nempe apud Romanos, qvorum Respubl. facilè Principem inter omnes locum obtinet, qva ratione & peti & ferri Magistratus consveverit, nemo DD. est, qvi nesciat. vid. Rosi-
14. nus *Lib. 7. Antiqvit. Rom. cap. 4.* Heider. *Cap. 2. Polit. pag. 328.* Ergo in

in crimen ambitus qvis non incidit, si solis precibus honores vel munera conseqvi studeat C. A. *ad L. Jul. Ambit. lib. 3.* Menoch. *A. J. Q. cas. 401. n. 4.* Unde Cic. *Orat. contra Salust.* duplicem facit ambitum, alterum concessum & laudatum, qvem ipse vocat popularem, alterum verò infamem ac Legum severitate notatum. Cæterum hodie nullum ferè munus aut officium est, qvod non 15. pretio aut pacto veneat, & ut loqvitur Grœnwegen *de LL. abrogat. pag. 338.* Candidatos officiorum honorumqve suæ imperitiæ conscios omnem movere lapidem, atqve suas suorumqve vires intendere, ut veluti Simiæ collocentur in solio ab his, qvi plerumqve ita in nonnullis causis inverecunda petentium inhiatione constringuntur, ut etiam non concedenda tribuant. vid. *L. 1.* 16. *C. de petit. honor. sublat.* suntqve tempora nostra simillima iis, de qvibus Poëta conqveritur.

Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper ubiqve jacet.

Primis qvidem temporibus Romæ nulla lex de ambitu neqve per 17. Consules, neqve per LL. XII. Tabul. neqve per SCta lata est, qvod sc. honores omnes & dignitates tantum virtuti tribuerentur & dignis. Sed hodie, proh dolor! hic passim peccatur, & a- 18. pud Seculares & apud Ecclesiasticos, apud qvos plus valet in officiis delegandis aut pecunia, aut favor, aut affectus, aut sanguis, qvam dotes divinæ, qvam dignitas vera, & animorum vel Corporum aut morum commendationes certissimæ, uti conqveritur Damhouder. *Prax. Crim. Cap. 31. n. 3.* conf. Tholosan. *Lib. 36. cap. 29. Syntagm. Jur.* & Theodoric. *Cap. 9. Crim.* ubi plura de ambitu.

CAP. II. & III.

Ut Inscriptio horum capitum indicat, sunt localia & ad certorum locorum vel provinciarum vicarios & Præsides restricta, & sic ad nos non pertinent.

CAP. IV.

Ut nulli judicum liceat mittere Vicarios.

1. NUllus judex sive civilis sive militaris debet mittere per Civitates provinciæ, qvibus præsidet, loci Servatores i. e. Vicarios, si qvid enim tale fecerint, & alios in suum officium elevare præsumpserint, ipsi administratione carent.

2. *Addit.* Si enim industria personæ electa censetur, cum gravia & ardua mandantur, Menoch. de *A. J. Q. Lib. 1. qv. 68.* judicis officio alicui mandato grave & arduum fuisse munus concessum nemo negaverit. Et licet aliqvo modo jurisdictio judicum propter usum & exercitium, qvod habent, propria esse dici possit, sicq; pro lubitu alium in locum suum substituere, vid. Ziegl. *Dicast. concl.*
3. *6. §. 6. L. 4. ff. de Off, ej. L. 5. ff. de Jurisdict.* impropriè tamen hæc dicuntur, & merito limitantur, si Princeps per expressam Legem, ut hic, alium mittere vel dare prohibuerit.

CAP. V.

Ut Comitis Orientis & Præsidis Antiochiæ officium misceatur.

Et Cap. hoc locale est ad Nos non pertinens.

CAP. VI.

Ut omnes privati Præsidibus subjaceant, & Executores qvoq; Urbis Constantinopolitanæ.

1. OMnes privati Præsidibus provinciarum debent esse subjecti, & qvidem in omnibus causis & universis pecuniariis & criminalibus accusationibus, milites qvoqve, licet peculiares habeant Judices & in Fiscalibus &

& criminalibus, iis omnibus modis ſubjecti ſunto. Judices qvoqve qvascunqve ferentes ſententias, non debent 2.
plus ſportularum nomine percipere, qvam Sacra conſtitutione eſt expreſſum, qvod ſi neglexerint, omne damnũ
Collatoribus perſolvent. Habent autem Collatores licen- 3.
tiam de hoc non ſolum ad judices, â qvibus ſunt miſſi, referre; ſed & poſſunt ipſum Summum Principem adire, ut ipſe cauſam hanc cognoſcens, competenter exeqvatur.
Qvodſi aliqvi Judices violentias Collatoribus irrogaverint, 4.
poſſunt illi eos examinare, & reos deprehenſos privare cingulo, & Imperatoris poteſtate in provinciis fungi; Sicut enim eos omni injuſto lucro prohibemus, ita etiam purè cingulis utentes omni honore & reverentia & honeſtate frui, ſancit Imperator.

Addit. De Jure Novellarum Milites Provinciarum Præſidi- 5.
bus etiam qvoad criminales & fiſcales cauſas fuiſſe ſubjectos, ex prædictis conſtat. Cæterum de Jure Can. non poſſunt conveniri coram alio, qvam Magiſtro Militum *L. 6. C. de Juriſdict. omn. judic.* ſive cauſa ſit civilis, ſive criminalis, niſi pro functionibus, debitisqve publicis in judicium vocentur. *L. un. pr. C. in qvib. cauſ. mil. for. præſc.* vel niſi privatas negociationes exerceant ſine commeatu, hoc eſt literis, qvibus licentia, ut ad tempus abſint, conceditur *L. un. C. eod.* vel niſi non militare ſed commune delictũ commiſerint *L. f. ff. de Accuſat. L. 4. §. 5. & 6. ff. de re militar.* vid.
Burger. *Obſ. Jurid. Militar. Cent. 2. obſ. 26.* Communiter hodie di- 6.
ſtingvunt inter delicta *militaria* & *communia*, ut ſi illo caſu miles arma vendiderit, excubias deſeruerit, à caſtris emanſerit, aufugerit, vel qvæ ſunt alia crimina relata à Tiberio Deciano in *Tr. Crim. lib. 7. cap. 15.* coërcitio & cognitio pro more militari pertineat ad ſolum militiæ Magiſtrum, qvem Auditeur vocant, prout explicat Acurſ. *in L. 6. C. de Juriſdict. omn. jud.* verb. *Conſtat militarem reum* &c. æqvum enim eſt militem delinqventem à Magiſtratu qvoqve militari, ut qvi ſolus notitiam habet rerum militarium, puniri. Bocer. *de Bell. & Duell. c. 12. n. 4.* Cœteroqvin, ſi ex 7.
enormi & communi delicto, qvod in Paganos & milites pariter

cadit, veluti ex homicidio, ſtupro, rapina &c. pœna veniat militibus imponenda, nihil certè obſtat, qvo minus admittatur inqviſitio & coercitio Magiſtratus loci, in qvo delictum eſt commiſſum, cum in caſu hoc nulla notitia & ſcientia rei militaris reqviratur Anthon. Mathei *Lib. 48. tit. 13. C. 5. n. 12.* Sande *Deciſ. Friſ. lib. 1. tit. 1. def. 4.* Brunn. *ad L. 1. C de Exhibend. & transmitt* &c. De
8. conſvetudine tamen à militaribus Officialibus non obſtante hac diſtinctione remisſiones pasſim efflagitari & plerumqve obtineri, præter qvotidianam experientiam teſtantur Clarus *Lib. 5. Sentent. §. fin. qv. 35. n. 42.* Reinking. *de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. c. 17. n. 115.* vid. hac de re plur. Heigius *P. 2. qv. 25. per tot.* Oldekop. *Obſerv. Crim. lib. 2. tit. 6.* Mev. *P. 3. Dec. 72.* Perez. *Cod in qvib. cauſ. mil. &c.*
9. De Sportulis, qvarum hic mentionem facit Imperator, uberior ſe forte dicendi locus offeret ad *Nov. 53. §. Sancimus.* vel ad *Nov.*
10. *112. §. ad excludendas.* Singulare qvid adhuc hic Imperator concedit Collatoribus, ut, ſi minores ſibi violentias intulerint, judices de iisdem ipſi cognoſcere posſint, & ſi digni cingulo privare qveant, creditur enim ipſis in pertinentibus ad eorum officium arg. *L. f. C. de Ponderator. & auri illat.* & ſtatur eorum dicto, ad inqvirendum contra eum, qvi fraudis arguitur Bald. *Vol. 5. conſ.*
11. *34. n. 7* ideo ſicut Collatores officio ſuo ſine concusſione fungi debent, ſic illi, adverſus qvos id exercent, non debent ſe acerbos præbere, nec contumelioſos, ſed moderatos, & cum efficacia benignos, & cum inſtantia humanos, uti de Creditore loqvitur
12. Ulpian. in *L 33. in fin. ff. de uſur.* Alias ſi debitores contumaces ſint, ſeſeqve impudenter opponant, eos ad ſolutionem cogent Provinciarum Præſides, vimqve ſuam & autoritatem exercentes, decernant misſionem in poſſesſionem bonorum, fructuum ſeqveſtrationem, aut publicam bonorum ſubhaſtationem *L. 4. & 7. C. de Exactor. tribut. in fin.* & Præſide provinciæ adjuvante & manum porrigente agit Imperator *Nov. 128.* & *134. cap. 2.* ita ut penes Præſides & Provinciarum Rectores necesſitas maneat exigendi, à qvibus expectatur autoritas. *L. 6. C. de Exactor. tribut.*

CAP.

CAP. VII.

De Jurejurando â Præsidibus præstando, qvod pecuniam nec nomine qvidem suffragii dederint.

ADministratores jurant, se nihil penitus, nec qvodlibet præbuisse, nec occasione suffragii, nec patrocinii, neqve promittere, neqve de Provincia profiteri dirigere, nec Præfectis nec aliis dignitatem habentibus, nec iis, qvi circa eos sunt constituti, nec alii cuilibet per occasionem patrocinii. sed sicut sine suffragio accepit administrationem à publico percipiens annonas, qvas licitè accipit, ita eam puris manibus custoditurum Deo & Imperatori pro ea rationes redditurum. Nam qvalescunqve sint, qvi dignitatem hanc in posterum sunt occupaturi, sive ipsi conentur qvid accipere ab iis, qvi administrationes accedunt, sive Proceres ipsi, sive ipse Præses ultra ea, qvæ â consvetudine jam definita sunt, sciant, non vulgarem ipsis pœnam debere infligi, & majores judices ad administrationem accedentibus accipere aliqvid conantes, vel ipsum Præsidem nec statim abnuentem oblatum, non solum qvadruplum totius, qvantum perceperunt, debere reddere, sed & magnam sustinere indignationem & privationem dignitatis incurrere, qvi vero circa eos sunt, & obedientes ipsis aliqvid accipere tentaverint, ipsi qvoqve ad restitutionem qvadrupli teneantur, & bonis & dignitate careant, subjecti insuper supplicio delicto eorum congruenti.

1.

2.

Addit. Præsides, Officiales & Gubernatores non debent eligi ambitione & pretio, sed probatæ vitæ testimonio secundũ Jethronis consilium Mosi datum, de constituendis judicibus *Exod. 18, 21.* qvi non qvemvis ex promiscua hominum fæce ad judicandi munus 3.

munus vult evehi, ſed ſvadet evehendos eſſe viros timentes
4. Deum, Sapientes, & qvi oderint avaritiam. Aliàs verum erit, qvod Alphonſus Arragonum Rex, narrante Anthon. Panormitano Lib. de dictis & factis ipſius refert, Harpyas ſcil. non amplius Inſulas incolere, ſed ex illis in Curias migraſſe, ibiqve jam ſuum con-
5. ſtituiſſe domicilium. Sanè omnium ſordidorum mercaturæ generum, qvæ multa & varia ſunt, nullum ſordidius, nullum turpius, nullum deteſtabilius Magiſtratuum & Honorum mercatura. Bodin. *lib. 6. de Republ. Cap. 2.* nam pecuniæ hoc caſu virtuti præfe-
6. runtur h. e. tritici granum unioni; Et præſumitur habere animū male faciendi, qvi pecuniam dat pro habendo. Ziegl. *Dicaſt. Con-*
7. *cluſ. 7.* atqve ſe indignum reddit Officio, qvi illud mercatur, & Conſiliariis Principum pecuniam pro commendatione ſolvit vid. Myler. ab Ehrenb. *in Hyparchologia, cap. 7.* cumprimis ſi idoneus
8. muneri non ſit. A jure itaqve & ratione divortium faciunt Officiorum publicorum nundinationes in Gallia uſitatæ, qvas nec ipſe Bodinus, arrogans licet Gentis ſuæ Patronus, probare audet; ſed pro ſordidisſimo, turpisſimo & deteſtabili augendi ærarii mo-
9. do cenſendos autumat *Lib. 6. de Republ. cap. 1.* Neceſſum enim eſt, ait Alexander Severus apud Lampridium pag. 574. *ut, qvi emit, vendat; ego non patiar mercatores Poteſtatum, qvos ſi patiar, damnare non auſim,* & eleganter Sen. *Lib. 1. de Benefic. cap. 9. Provincias ſpoliari non mirum, qvando qvæ emeris, vendere Jus Gent. eſt,*
10. *vice verſa æqvum eſt, ut, qvi non emit, non vendat.* Qvemadmodum autem occaſione ſuffragii officium comparari non vult, ita nec ipſam juſtitiam eſſe venalem; ſed ſi qvis adminiſtrationem habens, aut ſi illi obediens aliqvid accipere tentaverit, ad reſtitu-
11. tionem qvadrupli aliis inſuper adjectis pœnis teneatur. Datio verò illa munerum diverſimode expediri poteſt, non ſolum per modum donationis, vel remisſionis debiti; ſed etiam ſi pecunia gratuito utenda data, aut minoris locata venditave res ſit arg. *L. 2. ff. de Calumniator.* aut cujuscunqve contractus velamentum interceſſerit *L. f. C. ad L. Jul. repet.* Menoch. *A. J. Q. lib. 2. caſ. 342. n. 33. 34.* Qvæ cum alias à DD. propoſita, actum agere nolo. vid. B. Dn. Schultzii hic olim Profeſſoris benemeriti *Diſſert. de*
12. *Argentangina judiciali, Cap. 2. & seqq.* Permiſſum tamen eſt Judici

Xenia

Xenia *Ehren- oder Gast-Geschencke* accipere, si modo non excedat, sed meminerit proverbii οὔτι πάντα, οὔτι πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, i. e. neqve omnia, neqve qvoqvis tempore, neqve ab omnibus; Nam valde inhumanum est, à nemine accipere: sed passim, vilissimum est: & omnia, avarissimum *L. 6. § 3. ff. de Offic. Proconf.* Mynsing. *Cent. 2. obs. 75.* vid. Dn. Joh. Philipp. Lynckeri *Tr. de Barattaria cap. 5. §. 4.*

13. *Ampliat* Imperator hanc suam sententiam, ut & judex statim, ex qvo ipsi aliqvid offertur, illud debeat respuere, nisi pœnæ hic propositæ se obnoxium reddere velit, nam etsi promissa tantum fuisset pecunia nudo pacto, vel simplici pollicitatione, & tamen soluta non fuisset, tenetur Judex, cum à principio assensum præstiterit, & promissum acceptaverit. Menoch. *de A. J. Q. Lib. 2. cas. 342. n. 28.* Modò promissio fuerit certa & specifica de certa summa, aut retradenda; secus verò, si fuerit generalis & incerta, v. gr. se gratum fore. vid. Dn. Lyncker, *cap. 6. §. 15.*

14. Est qvoqve & hic notandum de cohorte officialem teneri, & Administratorem vel Magistratum pro suo Ministro, eo, qvod malorum opera fuerit usus; tenetur igitur pro suis Ministris ad pœnam qvadrupli, & sic ad pœnam civilem, non ad criminalem vid. Paris de Puteo *Tr. de Syndicatu*, verbo: *Officialis, cap. 10. n. 5.*

15. Dum autem dicitur, obedientem aliqvid accipere tentantem ad restitutionem qvadrupli & ulteriorem teneri pœnam, id verum est, si eundem Magistratus Principali offerat, eo ipso enim liberari tradit antea citatus Paris de Puteo *d. Tr.* in verbo: *Familiaris, sive familia potestatis, cap. 5. n. 15.*

CAP. VIII.

Ut Præsides tributorum exactioni diligenter incumbant.

1. DEcet Administratores Provinciarum Fiscalia vigilanter inspicere, & ab indevotis & pauperibus cum omni fortitudine tributa exigere, in nullo pati, se flecti, nec lucrum aliqvod considerare, paterne autem se

2. devotis exhibere. De cœtero subjectos omnes reservare sine violentia, nihil ab ullo eorum percipere, æqvi sint in judiciis, iidem in publicis disciplinis, dum delicta exeqvuntur, scil. innoxios custodiant, qvi puri sunt, reis autem juxta legem pœnam imponant, sic præsidendo Collatoribus, tanquam patres filiis, diligendo innocentes, reos monstratos castigando & puniendo, omnemqve justitiam in publicis & privatis documentis eis servando. Non
3. verò ipsi hoc soli agant, sed & semper Consiliarium sumant, qvi circa omnes sunt, ut non ipsi qvasi videantur innoxii esse judices, per alios autem delinqvant & furentur, cum magis turpe sit, participes injustitiarum suarum
4. sumere. Potest igitur Præses aliqvot honestiorum & qvi tributa fiscalia sciunt, Curiales & ad Magistratum opportunos, simul ad administrationes dirigere, qvis enim non diligat eum, & honestate magna compleri putet, qvi decreto Imperiali, judicioqve culminis Præsidalis ad dignitatem venit, ipse habens testimonium, qvod sit optimus & gratis dignitatem suscipiat, non in Provinciis privatim populo vacet, nec coacervet qvod dedit, nec undiqve aurum sibi colligat, sed ut hoc solum habeat studium, qvo Deo & Imperatori se commendet, gloria fruatur optima, & recompensationem speret præcipuam.

5. §. 1. Qvod si qvis præter hoc aliqvid egerit, & dum Judex in administratione est, furti reus appareat, & probetur, ut acciperet administrationem, aut aurum dedisse, aut ex administratione accepisse, (utrumqve enim noxium) pœnam confiscationis bonorum & exilii sustinebit, & in corpore verbera & supplicium. Ipse qvoqve, qvi acci-
6. pit qvid ab eo, malis maximis subjicietur; nam puras à Provincialibus judicibus exigit manus Imperator, ut Col-
7. latores custodiat. Habebunt autem Provinciales licentiam, ut, si administrationem Provinciæ habens, qvid apud eam

eam injustum egerit, aut, si Collatores damnis aut calumniis subjiciat, si Episcopi & Provinciæ Primates propterea preces ad Imperatorem dirigant, exponentes delicta Administratoris, ut mittere qvem velit in Provinciam, qvi in ea delictum est examinaturus, & si deprehensus reus, ibi injustitiam fecisse, ille qvoqve delictorum pœnas subeat, ne alius qvisqvam tale qvid agere præsumat, & ad exemplum respiciat.

Addit. De fiscalibus causis, uti Principis saltem est Jurisdictio *L. 1. & 2. C. ubi fiscal. vel dom.* Mev. *P. 6. Dec. 143.* Ita hic Imperator Præsidem omnimodam habentem jurisdictionem *cap. 12. h. Nov.* earum vult esse vigilantem & Collatoribus assistentem, ut justo tempore inferantur, & omni cum fortitudine exigantur. Mev. *P. 1. Dec. 149. n. 21.* Æqvos tamen etiam in judiciis vult esse Præsides Imperator, ipsa enim æqvitas & justitia virtus est, qvæ 9. Trajanum justitiæ ac juris humani diviniqve tam repertorem novi, qvam inveterati custodem, perpetua nominis celebritate mactavit, Aristidem evexit, & Romani Imperii vim ad summum transtulit apicem. Nec fallit illud Boëtii *Lib. 1. de Consulat. Philosoph.* Annum bonum non tam de magnis fructibus, qvam de 10. justè regnantibus existimandum. Interea tamen placuit, in omnibus causis æqvitatis potius, qvam stricti juris rationem esse habendam; *L. 8. C. de Judic.* Imprimis in exactione tributorum au- 11. reum illud Theseum æqvalitatis filum rectò tenendum, ut scil. æqva & uniformis sit contributio, nec per bonam malamve gratiam hi subleventur, isti præmantur, commoda civium non di- 12. vellenda, omnesqve eadem æqvitate continendi, Cic. *L. 2. Offic.* ut sol & dies omnibus in commune nascitur. Plin. in *Panegyr.* Prout autem Collatores tanqvam patres filios amore debent pro- 13. seqvi, si sint innocentes, ita & reos monstratos castigabunt Præsides, ut alii à sceleris immanitate abstinere discant, & apochas solventibus b. f. præstent. *Nov. 128. §. Insuper definimus, Nov. 17. §. compellas etiam, L. 1. §. Sed & aurum, C. de Apochis publ.* Jure Cod. si qvid Exactor retinuerit, vel in usus suos converterit, in duplum tenetur. *L. 7. §. Qvodsi ad nos, C. de Exactor. tributor. L. 2. 3. C. de his*

14. *qvæ ex publ. collat. illat. sunt.* Nec sufficit ipsos judices minores esse innoxios,& nihil eorum, qvæ hic prohibita committere, prohibentur qvoqve alios injustitiarum suarum participes facere, tantò majus enim censetur esse delictum, qvantò à minoribus commissum esse dignoscitur *L.34.ff. de Injur.* tantò minus aliis injustè facientibus assistere & delicta probare debent, qvantò magis ipsi iniqvi judices abstinere jubentur, dum assistentia delicti dicitur actus delicto proximus. Bart. in *L.66.ff. de furtis.* Bald. in
15. *L.1. C. de Nili aggeribus non rumpend.* & si maleficii societas coita sit, nulla est societas, qvoniam nulla inhonestarum rerum est societas. *L.59.ff. pro Soc.* Manz. *de Contract. Summar. de Division. Societat. n. 11.*

16. *Addit.* Notanda pœna Judicis in administratione aurum accipientis, qvæ est confiscationis bonorum & exilii, & in corpore verbera & supplicium. Ex LL. XII. Tab. capitale erat, si ju-
17. dex pecuniam ob rem dicendam accepisset; puniebant qvidem etiam Athenienses ob tale crimen judicem, sed multò levius; mulctam enim duntaxat dicebant, teste Julio Pollice *Lib. 8. c. 1.*
18. & interprete Thucydide ad *Lib. 6.* ne tamen impune esset, munera ob sententiam dicendam accepisse, aliæ successerunt LL. qvibus aliæ pœnæ ipsis, qvi sordibus corrumpi paterentur, irrogatæ,
19. de qvibus in *L.1.3. 6. L.7. §. ult. ff. ad L. Jul. repetundar.* Noviori Jure, si Judex in causa pecuniaria corrumpi se patiatur, triplum ejus, qvod datum, aut ejus, qvod comissum, triplum Comiti rerum privatarum præstare tenetur, & dignitatem amittit; in criminali causa, bonis confiscatis, in exilium mittitur. *Nov. 124. c. 2.*
20. Qvemadmodum & ille ab officio removetur, qvi per sordes & ambitionem, non qvidem sententiam dixit, litem tamen ita protelavit, ut instantia lapsa sit, & perierit. *L. 13. §. 8. C. de Judiciis.* vid. Ziegl. *Dicast. Concl. 20. n. 5.*
21. Imò & qvi in causa mala judici dedit munera, litem perdere, sive causa cadere debere, ob studium corrumpendi Judicem, probat Rittershus. *Comment. ad LL. XII. Tab. Class. altera, cap. 5.*
22. Promittit Imperator, se, si in Provincia delictum qvis admiserit, illic qvoqve id puniturum, etenim cum nec subjecti, nec ipsi Administratores vel sponte, vel propositis præmiis à malo abstinere

volunt,

volunt, necessum est, ut adhibeantur pœnæ, qvibus absterreantur & alii à similibus delictis. Non enim tantùm pœna adhi- 23.
betur, ut delinqvens luat, qvod ipse promeruit, & ita emendatur, *L. 20. ff. de Pœn.* sed etiam ut alii inde exemplum petant, ne similia delicta perpetrent, hinc illa formula sententiis inseri solet, *Ihm zu wohlverdienter Straffe, und andern zum abscheulichen Exempel.* Jam verò absqve pœnis, qvibus improborum delicta 24.
puniuntur & coercentur, Resp. non potest consistere, cum pœnarum inflictio sit pars justitiæ, qva remota, regna, Augustino teste *Lib. 4. de Civit. Dei,* nihil aliud sunt, qvam magna latrocinia. Et ait Anton. Gvevarra *Lib. 3. C. 6. Horolog. Princip.* Principum officium est, potius in Republ. sua vitiosos, qvam apros in silvis venatum ire. Vult autem Imperator in ipso loco delicti punire; 25.
Nam convenit, ibi esse supplicii, ubi delicti est exemplum, arg. *L. 28. §. pen. ff. de Pœnis.* & juxta illud vulgatum: *ubi te invenero, ibi te judico* ex Tessaur. *Dec. 91.* Sande *Decis. Frisic. lib. 1. tit. 1. dec. 6.* & aliàs tritum est, ratione delicti reum sortiri forum, *Auth. In qva Provincia, C. Ubi de Crim. agi oport. L. 3. ff. de Off. Præs. L. 7. §. pen. & L. ult. ff. de Accusation. Nov. 69. c. 2.* Nam delictum dat qvasi 26.
jurisdictionem illi Judici, qvi alioqvin non erat Judex *C. Licet ratione, X. de Foro compet.* Qvod tamen hic de Imperatore dicere fas non est, utpote à nutu cujus & arbitrio Provinciarum Administratores dependebant. Imò præcipua ratio, qvod delinqvens in loco delicti puniendus, hæc videtur, qvod in terrorem aliorum, utqve ad exemplum respiciant, ibi conveniat exeqvi supplicium, ubi est admissum, cum & facilior probatio haberi possit, ubi delictum est perpetratum. arg. *L. 2. C. ubi de ratiocin.* Qvamvis tamen sæpius eos ad Principales esse remissos, legamus; qvare nebulo ille & Pseudolegatus, cujus mentio fit in Mercu- 27.
rio Gallo-Belgico *tom. 6. lib. 1. pag. 198. & lib. 2. pag. 140.* Qvi Anno 1605. Coloniam Agrippinam veniebat, ibiqve ut & apud Serenissimos Electores, Trevirensem & Palatinum pro Magnæ Britanniæ Regis Legato sese venditabat, ad dictum Potentissimum Regem est remissus, & licet pœnam in se infligi peteret in Germania, hujus tamen gratiæ particeps factus non est, sed gravissimo supplicio in Anglia est punitus.

CAP. IX.

Ut Præsides L. Dies faciant in provincia sua, postqvam eis successum est.

1. ADministrator Provinciæ deposita dignitate per L.
dies in Provincia debet commorari, & publicè se
monstrare, ut ab omnibus conveniri possit, qvod
si ante L. dies fugiat, & capiatur, velut aliqvod inhone-
stissimorum mancipiorum, Collatores habebunt licentiam,
eum in Provincia detinendi, & qvod ipsi datum, tanqvam
à fure recipiendi, præsente Episcopo, & causam exami-
nante, donec restituat omne qvod furatus convictus est.
2. Ipsi qvoq; Provinciales, si senserint Administratorum fur-
tum, licentiam habebunt repetendi, magis autem referre
ad Imperatorem, ut ipse cognoscens, qvod auro vendide-
rit justitiam, pœnis debitis subjiciatur, licet tamen & cœ-
lestibus supplicibus reus sit, dum transcendit jusjurandum,
in qvo accepit administrationem. Si verò non comple-
3. tis L. diebus ex Provincia fugere sit ausus, ubiqve loco-
rum potest apprehendi qvidem, revocari tamen in Pro-
vinciam, in qva administravit, debet, & omne, qvod in-
ventus fuerit accepisse, restituat in qvadruplum.
4. *Addit.* Præsidis officium in multis consistebat, scil. (1) Si
qvando per metum, vel impresſionem qvis ad confesſionem
falsam erat adactus, debebat impedire & executionem prohibe-
re. (2) Impedire, ne inferiores à potentioribus opprimantur.
L. 6. §. 2. ff. de Off. Præs. (3) Sine injussu Principis non exire Pro-
vincia *L. 15. ff. eod.* (4) Justitiam non facere venalem, vel ob admi-
nistrationem nihil accipere. (5) Non poterat cum Provinciali-
bus contrahere, *tot. tit. C. de Contr. Jud.* ne per metum concus-
sionis, vel inviti, vel vilius venderent *L. 11. C. de his quæ vi metu-
ve causa.* In specie non poterat emere ab illis *L. 46. ff. de contr.
Emt. vend.* nec Provincialem ducere in uxorem *L. un. C. Si qua-
cunq;*

cunqve pradit. potest. Qvodsi igitur accusatus fuisset adversus horum unum vel aliud fecisse, tenebatur per L. dies in Provincia commorari, donec omnibus, à qvibus erat conventus, respondendo satisfecerat. 5.
Habent autem hic Collatores licentiam retrahendi aufugientem Præsidem, & potestatem recipiendi qvadruplum, ut à fure manifesto, qvia enim fidem publicam violavit, gravius qvoqve puniendus, licet alias velint DD. delictum in administratione commissum mitius puniendum. *L. tres tutores, 55. ff. de Per. & Administr. tut.* ad qvam legendi DD. 6.
Possunt verò, ut vult Glossa, durante officio etiam Collatores de tribus Præsidem deferre (1) de furto, (2) de accepto, (3) de dato occasione administrationis, qvibus casibus solum Principem, vel ejus delegatum dicit posse cognoscere ad instantiam Episcopi & Collatorum; alias enim Episcopus in causa Principis Jus non dicit, nisi ipsi à Summo Principe causa delegata sit, nam constat, jurisdictionem ecclesiasticam non habere potestatem cogendi externè & violenter. Ziegl. ad Lancell. *L. 3. tit. 1. §. 2.* verbis: *Ecclesiastica verò sunt.* 7. 8.
Patet qvoqve ex textu, contra delinqventes fugitivos procedere licere, nec manus injectionem privatam prohibitam *L. 10. §. 16. ff. Qvæ in fraud. cred.* Inde & communi Germaniæ consvetudine contra eos decernuntur literæ Patentes reqvisitoriæ ad omnes ubiqve Magistratus & Judices, qvo repertos comprehendi & detineri jubent, qvas *Steck-Brieffe* vocant. Mev. *P. 2. Dec. 247.* 9.
Idem qvoqve in Administratoribus fugientibus locum habere publica svadet utilitas, hic tamen singulariter provisum est, ut rationes per Administratorem super gestis eo in loco reddantur, ubi administravit, sive administratio fuit publica, sive privata *L. 1. C. Ubi de ratiocin.* Cui conseqvens, ut, licet ab eo loco jam discesserit & alibi degat, tamen evocare liceat *arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* Non obstante Privilegio, ex qvo postea aliud forum vel exemtionem ab aliis judiciis habet. Mev. *P. 7. Dec. 392.* 10.
Sanctionis hujus ratio est prægnantissima, qvod scil. eo in loco, ubi gesta est administratio, & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possint præstari documenta *d. L. 1. in f. C. Ubi de ratiocin.* vid. Martin. Naurath. *de Rational. p. m. 35.* 11.
Et licet Scotan. *in Exami. Jurid.* 12.

Jurid. h. t. arg. *L. 19. ff. de Judic.* etiam in loco domicilii, qvem ob eam causam conveniri posse putet, non puto tamen, invitum teneri respondere, sed provocare posse ad locum administrationis.
13. Idem est in Clerico, qvi administrationem aliqvam secularem coram Judice seculari acceptavit, qvi & ab ipso Judice seculari pro ratione administrationis reddenda potest conveniri, si sui lucri causa administrationem susceperit, secus, si miserabilis personæ curam ex commiseratione suscepit, cujus Clerici generales sunt procuratores. Brunnem. ad *d. L. 1. C. ubi de ratiociin.*

CAP. X.

Ut omnes Provinciales Præsidibus suis debitum honorem, & solitas acclamationes deferant.

1. Licentia in prædicto Capite subjectis concessa, qva à Præsidibus accepta possint recipere, in furto ipsis tantum est hic concessa, nam si erga immorigeros vehementissimi sint, propter fiscalium exactionem aut delictorum executionem, nihil adversus eos debent aliqvid moliri subditi; nam pœnis amarissimis subjugandi, si Præsides, qvi puris usu sunt manibus, & fiscalium exactionem, civiliter fecerunt, postea deposita administratione injuria afficere sunt ausi, nec cum omni favore post L. dies Provincias relinqventes deduxerint ex illis.
2. Considerent igitur, qvi post hanc legem futuri sunt judices Provinciarum, qvanta perfruituri sint gloria, si innocentes deprehendantur, qvantas itidem sint incursuri difficultates, qvi legem hanc solvere annituntur; absurdum enim erit, siqvidem Judices in vilibus furtis deprehensos torqvere volunt, ipsi autem, si in maximis furtis Rei monstrati, innoxii manere malint, nec subjectis esse exemplo, ostendendo se illis honeste, libere à furtis, & undiqve laudabiliter,

sicqve

ſicq; accipere teſtimonium & ſpem ad majorẽ dignitatem.

§. 1. Non debet autem vel judicibus, vel alii alicui oppresſio vel injuſtitia aliqva inferri, multo minus debent 3.
illi durante adminiſtratione ob civilem aliqvam cauſam conveniri, nam Imperator ipſis promittit honeſtatem ut judices ei puritatem, devotionemqve reſtituant, & ſcripſit Imperator præſentem legem, qvam Deo vovit & præſentibus Epiſcopis, ob ſubjectorum utilitatem, eorumqve in- 4.
demnitatem ut per omnem agantur qvietem, nec cogantur Provincias relinqvere, & in peregrinis affligi, utqve omnibus liceat magis Judices ut Patres ſuſcipere, qvã fures & Sollicitatores, eorumq; ſubſtantiis inſidiantes.

Add. ad §. *1.* Vult Imperator, durante adminiſtratione ob civilẽ cauſam judicem conveniri non debere; aliud in tutoribus fraudulenter adminiſtrantib9, qvos, licet ſatis offerant, à tutela tamen eſſe removendos, ſatis arguit Imperator §. *12. I. de ſuſpect. tutor.*

§. 2. Oportet qvoqve ſubjectos cum omni devotio- 5.
ne ſine iminutione publica tributa perſolvere, ita qvidem, ac ſi non ab Adminiſtratoribus compellerentur, nam ſe ipſos ita devotos præbebunt, ut opere ipſo oſtendant, ſe propriam debere devotionem Imperatori ſuo, ob clementiam erga ſe ſingularem, qvia enim manifeſtum eſt, 6.
judicibus undiqve imminere periculum fiſcalium, qvia proprio ſuo periculo adminiſtrationes asſumunt, ſubjecti hoc agnoſcant, & indevotionem omnem evitent, nec voluntates ſuas ita inobedientes præbeant, ut opus ſit Præſidum vehementia, qvam interdum ob inevitabilem fiſcalium exactionem asſumere tenentur, qvippe militares ex- 7.
penſæ & hoſtium incurſiones multa egent diligentia, nec posſunt citra pecunias agi, cauſa nullam recipiente dilationem, dum non poteſt Imperator Romanorum terram adſpicere deminutam, qvi Libyam omnem reparavit, Vandalos in ſervitutem redegit, & plurima & majora ad-

huc â Deo percipere & agere sperat, pro qvibus omnino fiscalia tributa sine imminutione & devotè secundum de-
8. finita tempora exigi convenit. Qvapropter, si Subjecti devotè occurrant judicibus, & hi facilem & præparatam fiscalium illationem exhibeant, judicum laudabit studium, & subjectorum approbabit voluntatem, & undiqve una qvædam erit optima, consonaqve Præsidentium, & qvibus præsident, congruentia magna.

9. *Addit.* Si Magistratus jure potestatis qvid faciat, licet ad contumeliam alterius spectet, injuria non est. *L. 33. & L. 13. §. 6. ff. de Injur.* Ergo si ex consvetudine, vel necessitate, v. gr. ob tributorum exactionem, vel ex pacto, vel ex permissione Magistratus alium pignorat, injuriarum non tenetur. Mev. *P. 2. dec. 331.*
10. vid. Excell. Dn. Stryk. *Diss. de Facto judic. de fact. cap. 3. & seqq.* & sicut manifestæ injuriæ paratum est adversus inferiores Magistratus superioris auxilium, ita & in dubio semper pro Magistratu est præsumtio, qvod juste & legitime fecerit. *L. 2. C. de Off. Civil. Jud.* Alciat. *de Præsumption. reg. 3. præs. 9. pr.* & sancta & venerabilis ipsius persona debet esse civibus, & circa illam servandum, qvod ex simili ratione de Parentibus & Patronis disposuit *L. Liberto. 9.*
11. *ff. de Obseq. Parent. & Patr.* scil. autoritas ejus debet esse venerabilis omnibus, qvem contemnere contra naturæ est rationem, *arg. L. 2. ff. de Justit. & Jur. L. 9. ff. de Jurisd.* Menoch. *de A. J. Qv. L. 2. Cas. 194. n. 36.* Gœddeus, *ad L. 6. ff. de V. S. n. 6.* cum sit mini-
12. ster Dei in terris, *Rom. 13. Psal. 143.* Ergo qvia parentis instar Magistratus habet Mev. *P. 7. Dec. 265.* & autoritate debet esse omnibus venerabilis, injuriam ipsi illatam merito pro atroci haberi debere, docent *L. 7. §. 7. ff. de Injuriis* Anton. Mathei *ad ff. L. 47. tit. 4. c. 1. n. 6.* C. A. *eod. loc. tit. 10. th. 28.* Berlich. *P. 5. concl. 66. n. 1.* vultqve Imperator in textu amarissimis pœnis eam plecti debere, Gloss. explicat parricidii, forte, qvod Magistratus instar Parentis sit, ut hic liberorum, ita ille civium æqvalem
13. curam gerere debeat. Tuetur hic insuper Imperator honorem & observantiam Magistratuum â Provincialibus exhibendum, si officiô bene functi, nec intra L. dies abierunt, ita, ut qvis eos accusa-

accusare non potuerit, nam & ex Provincia eos deducere incumbit. Votivis acclamationibus olim subditos majores Magi- 14.
stratus, ut Reges & Imperatores sub initium regiminis excepisse, ex historiis constat, easqve communi Gentium consensu esse receptas, ex omnium temporum, Populorumqve historiis patere, dicit & probat Dn. D. Becman. in *Diss.* qvam vocat: *Laudes Regales*, 15.
cap. 1. th. 5. De Carolo M. notavit Sigonius *de Regno Italiæ lib. 4.* qvod ipsi sit acclamatum: *Carolo Augusto à Deo coronato, Magno & Piissimo Imperatori Romanorum vita & victoria.* Hodie Imperatoribus audivimus acclamatum: Vivat, Vivat Leopoldus, Josephus, Rex Romanorum! In *L. un. C. de Veteran.* hæc formula legitur, *Auguste, Constantine, Deus te nobis servet, vestra salus, nostra salus, verè dicimus, jurati dicimus.* Votivis ejusmodi acclamationibus 16.
Provinciales Præsidem adventantem excepisse, verisimile facit inscriptio hujus Cap. maxime, cum & istis temporibus tales acclamationes usitatas fuisse *d. Diss. cap. 3.* passim probet Excell. Dn. Becmann. ulterius qvoqve Provinciales Præsides ex Provinciis abeuntes eosdem deduxisse, verba in *pr. h. Cap.* arguere videntur. Ipsi porro Magistratus & Præsides, dum in administratione 17.
sunt, puros Deo & Imperatori manus servent, & idem committere caveant, qvod in aliis severissimè punitum volunt, qvippe si Summi injuste erunt, infimi qvoqve tales erunt, juxta vulgatum Germanorum: ***Wenn der Abt die Würffel aufflegt, hat das Convent Macht zu spielen.*** qvi rectè vivit, non tantum docet, qvomo- 18.
do vivendum sit; sed & simul ostendit. Ita videmus, verbis præceptisqve moneri qvidem omnes; sed moribus moveri magis 19.
& exemplo, & qvantò facta dictis sunt præclariora, tantò factis prælucere satius est, qvam dictis. Frustra præcipias, qvæ ipse prætereas. Dicam in transitu, inqvit politissimus Galliæ Scriptor 20.
Gramondus *Lib. 8. Histor. Gall.* Regem primum regni sui mobile, motu secum violento rapere omnia in pietatem, aut in vitia, qvalis Rex, passim tales aulici, talis regni nobilitas omnis; Nec solum in animos transit, sed & in ipsa corpora Regium exemplum, neqve alia ratio colli inflectendi Alexandri Satrapis fuit, qvam qvia inflectebat ipse, qvi suis instar omnium erat. Ideoqve Ma- 21.
gnates exemplo nocere dicuntur magis, qvam peccato, cujus atrocitas crescit cum dignitate; Nam *Omne*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, qvanto major, qvi peccat, habetur.
Juvenal. *Sat. 8. vers. 139.*

22. Igitur summo jure & æqvitate Principes juxta easdem LL. vivunt, qvas subditos observare jusserunt. *§. f. I. Qvib. mod. test. inf. L. 23. ff. De Legat. 3. L. 4. C. de LL.* & laudat Tacitus agricolam *Cap. 19. §. 2.* qvod â domo sua exorsus sit disciplina. Hinc & præceptum salubre Pittaci Sapientis apud Ausonium *in Ludo de septem sapient: Pareto legi, qvisqve legem sanxeris,* & Ovid. *Lib. 6. Fastor.*

Publica nimirum tunc res sibi constat, & aeqvum
Imperium, cum Rex, qvod monet, ipse facit.

23. Subnectit adhuc Imperator, qvare præsentem Legem tulerit, nimirum ob subjectorum utilitatem, indemnitatem & qvietem conservandam, qvæ omnia Monarchicè imperantes observare, & in Legibus ferendis fideliter custodire, Politici Aristotelis Philosophiam docentes, annotarunt. vid. Arnisæus *Doctr. Pol.* Clasenius & alii infiniti.

24. *Addit. ad §. 2.* Proponit hic Imperator necessitatem tributorum, qvam & in Republ. reqviri, intellexit Tacit. *Lib. 4. Histor. Cap. 74.* eademqve ex ratione, qva hic Imperator eadem urget,
25. cum ait: *Neq; qvies gentium sine armis, neqve arma sine stipendiis, neqve stipendia sine tributis possunt haberi.* Et Aristot. *L. 7. C. 8. Polit.* docet: Pecuniarum qvondam copiam ad usus civiles & militares desiderari, qvæ sæpenumero petenda est ê tributis & vectigalibus. vid. Philipp. Melanchton. *in Loc. theol. de Magistrat. Civil.*
26. *pag. 588.* Igitur si salvam & defensam Rempubl. malint subjecti, opere ipso se devotos & proclives præbeant ad contribuendum, ne Præsidum opus sit vehementia, qvo casu etiamsi proclives sint, non necessariis tributis esse onerandos tradit Boxhorn. *Inst. Pol. lib. 1. cap. 10. §. 16.*

CAP. XI.

Ut omnes Deo gratias agant hujus Legis lata gratia.

DEO

DEO & Salvatori noſtro JEſu Chriſto vult gratias 1.
offerri pro hac lege lata, ut ſubjecti posſint patrias
faculcates habitare caute, & proprias firmisſime, &
judicum frui juſtitia. Nam idcirco eam poſuit, ut & ju- 2.
ſtitiam, qvæ in Lege eſt, DEO posſit vovere, & ſeipſum &
Imperium commendare, ne oppresſos videatur deſpicere, qvos Deus, cujus benignitatem ſeqvitur, tradidit;
Deo igitur hanc legem vult conſecratam, & inhoneſta & 3.
ſervilia furta perimere, & ſubjectos â Provincialibus judicibus in qviete conſervare, qvapropter & gratis ipſis adminiſtrationes dedit, ne delinqvere ipſis liceat, & ſubjectis abripere, qvorum cauſa omnem perfert laborem, detrectando inſuper imitari Anteceſſores (Zenonem & Anaſtaſium) qvi pecuniis ordinabant adminiſtrationes & ſibi ipſis auſſerebant licentiam, Adminiſtratoribus nocentibus juſte increpandi, nec Collatores proprios, cum ſimilis delicti participes eſſent, â malis judicibus abripere poterant.

Addit. Merentur hic addi, qvæ de hac Nov. prædicat 4.
Henricus Agylæus, & ſimiliter profert Matth. Stephani *ad h. Nov. n. 16.* eam dignam eſſe, qvæ grandiuſculis literis, & qvidem aureis deſcribatur, eoqve loco affigatur, qvaſi ubi ſpecialiter ſit conſpectu Principum Virorum, dignam qvoqve, ut Principes Viri, eam ab ineunte ætate in manus ſumptam, nunqvam per omnem vitam de iis deponant, ſed perpetuo meditentur, qvam deniqve ſolam ex omni Philoſophia asſumant in exemplum gubernationis. Qvin & ipſe Imperator tanti hanc Novellam fecit, ut eam in templis recondi voluerit inter ſacra vaſa, tanqvam donarium, ſive anathema qvoddam. Qvo itaqve judices ab- 5.
ſterrerentur â ſimili emtione muneris, & mala ex tali contractu, inſtar herbæ irriguæ ſuccreſcentia averterentur, Imperator Juſtinianus ſaluberrimum remedium eſſe judicavit *juramentum*, ſcil. ſe nihil dediſſe, neqve promiſiſſe, uti ex formula juramenti, qvæ habetur poſt Epilogum hujus Nov. ſuo loco pluribus patebit. vid. Dn. D. Schultz. *Diſſ. de Argentangina, Cap. 2.*

CAP.

CAP. XII.

In qvibus causis à Præside detenti fori præscriptionem non habeant.

1. PRæsides Provinciarum ea sunt præditi potestate, ut nemo illis præscriptionem fori opponere audeat; neqve in criminibus, neqve in tributorum exactionib9
2. neqve in seditionibus publicis, qvod in *pr. h.* §. *1.* extenditur, qvalicunqve sit etiam privilegio præditus, inde subsumere licet etiam in ejusmodi criminibus & causis etiam Clericos, Studiosos & milites coram Præside respondere obligatos esse, & videtur propterea Editio glossata inscriptionem huj. Cap. facere hanc: *Ut omnimodam Jurisdictionem Præsides habeant.*

3. *Rat. in fin. huj. Cap.* Cum enim Judices Provinciarum compleant officium uniuscujusqve maximorum judicum, & pro omni alio cingulo Provinciis sufficiant, & ad ea, qvæ ex nostris LL. super eis sunt decreta, qvis præsumat, aut fori præscriptione, aut hujusmodi aliqvo apud eos uti?

4. *Addit.* Prædicta autem crimina propterea hic exprimere voluisse videtur Imperator, qvia tributorum solutione intermissa, diminuitur ærarium publicum, & ipsa Provincia & militia publica periclitatur. Seditione vero publica commissa in insigne
5. tota Respubl. conjicitur discrimen, & Imperium qvasi detrectatur; qvare justissimum est, ut nefariæ seditionis autores, qvaliscunqve sint etiam dignitatis, sangvine pœnam luant, ibiqve con-
6. sistat pœna, ubi culpa est orta. In criminalibus etiam nullam delinqventes habent fori prærogativam, cum omnem honorem
7. reatus excludat *L. 1. C. ubi Senator. vel Clar.* Imo & milites, peculiares judices habentes, non utuntur Privilegio, si conveniantur ex causa functionum publicarum, i. e. tributorum hic & *L. fin. C. Ubi qvis de Cur. &c.* (2) Si conveniantur ex causa negotii privati & compendiorum ex *L. 10. ff. de R. J.* (3) Si milites per Provincias sociantur, i. e. mercaturæ causa societatem Imperatoris con-

consensu contraxerint. (4) Si prædia conduxerint, vel Fisci, vel aliorum. vid. Brunn. *ad L. un. C. in qvib. caus. milit. for. præscr. &c.* conf. dicta supra ad *Cap. 6. h. Nov.* Interea tamen restricta fuit 8.
Præsidis potestas ad solos Provinciales, *L. 3. ff. de Off. Præs. Cap. 6. h. Nov.* Sic, ut non competierit ei jus deportandi, qvod à potestate ejus erat exceptum, *L. 2. §. 1. ff. de Pœnis. L. 6. §. 1. ff. de Interdict. & releg.* & Princeps tanqvam singulare sibi reservaverat, ac certis tantummodo Magistratibus specialiter concesserat. *L. 1. §. 4. ff. de Legat. 3. L. 6. §. 1. ff. de Interd. & relegat.* Jus tamen in me- 9.
tallum damnandi, & in specie gladio animadvertendi competiit Præsidi *L. 4. L. 6. §. 8. ff. de Off. Præs.* vid. dict. supr. *ad Cap. 9. h. Nov.* nihil tamen ipsi juris competiit adversus delinqventem, & malè dicentem Majestati, illum enim remittere, necessum habuit. *L. un. C. Si qvis Imper. maledixer.* Quæ tamen remissio hodie lo- 10.
cum non habet, qvod Status Imperii in subditos suos etiam Cæsaris intuitu jurisdictionem eatenus habeant fundatam, ut, si pro admissi gravitate in ipsos animadverterent, Cœsar nihil eo sibi casu sumeret, id qvippe in Cap. Leopoldi statuitur verbo: *Eingesessene und zum Lande gehörige von der Bothmässigkeit und Jurisdiction.* vid. Illustr. Dn. de Rhez. *Jur. Publ L. 1. tit. 1. §. 18.*

CAP. XIII.

De Latrunculatoribus, Viocolythis & Aphophlistis.

NOn debent Præsides Provinciæ Latrunculatores, 1.
aut violentiarum inhibitores, aut armatos in Provinciam destinare, & qvidem sub pœna XXX. librarum auri, & majore ac vehementiore indignatione Imperatoria, Metuendos se qvidem justè & legitimè debent præbere, non verò concessa abuti potestate.

Addit. Latrunculator in Jure est Judex, qvi tantum de cri- 2.
minibus, non vero de re pecuniaria judicat. *L. 61. §. 1. ff. de Judic.* Clasen. *ad Art. 12. Const. Crim.* Interpretes Judicem maleficiorum vocant; imaginem ejus hodie referre videtur, qviâ militibus Germanis *Provoost*, voce Gallica parum deflexa, Prevost appellatur. 3.
Hic

Hic in textu indigitatur, qvi ad conqvirendos & perseqvendos
4. latrones à Principe mittitur. Qvinam autem fuerint viocolythi & aphophlistæ, ex textu Græco ad *Cap. 13. huj. Nov.* Gothofr. explicat. Cœterum qvare hic prohibet Imperator tales mitti, nonne interest publicè, Provinciam malis hominibus purgari, &
5. vias publicas tranqvillas & securas præstari? Resp. Imperator forte metuit & prohibet, ne mittantur, qvi pecuniam accipiant, & scelera de hinc occultent, & in iis conniveant, aut etiam sint impedimento illis, qvi jam antea ad tale officium legitime sunt constituti, adeoqve nec hic Præsides concessa sibi abutantur potestate, ne amittant eam; cum Privilegio vel potestate publica abutens merito privationem ejus & summam Concedentis indignationem incurrat, per ea, qvæ doctissimè tradidit Excell. Dn. Stryk. *Diss. de Abusu Jur. Qvæsiti*, præsertim *Cap. ult.* Aliam etiam rationem vid. *ad Nov. 145. infr.* Pœnam in contra facientes Præsides statuit XXX libras auri, qvæ sat gravis est, si scil. libra auri computetur ad LXXII. solidos. *L. Qvotiescunqve, 5. C. de Susceptor. præpos. Arcad.* & sic erunt juxta computationem nostræ monetæ 4320. Imperiales.

CAP. XIV.

Qvomodo aut apud qvem jurare debent Magistratus, & de exigenda ab his cautione.

1. PRæsides Provinciarum coram Episcopo Metropolitano, & qvi in eis Primates sunt, jusjurandum præstant de inculpabili tributorum exactione, præstita cautione, (scil. fidejussoria.) Formula juramenti habetur in *fin. h. Nov. ad tit. 3.* cui in fine horrenda & gravissima adji-
2. citur imprecatio, sc. si non hæc omnia ita servavero, recipiam hic & in futuro Seculo in terribili judicio magni Dei Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi: & habeam partem cum Juda, & Lepra Giezi, & Tremore Cain, insuper & pœnis, qvæ lege eorum (i. e. Imperatoris & Conjugis Theodoræ) continentur, ero subjectus. *Addit.*

Addit. Formulam juramenti qvod concernit, ad normam 3.
Pontificiæ religionis eſt concepta; cum autem in verbo Dei ea
tantùm jurandi formula, qvæ per Deum ipſum fit, permiſſa ſit,
Deut.6.13. Matth.5.33. & ſeqq. ſæpisſime inter Proteſtantes &
Pontificios in fœderibus, inveſtituris, & aliis actibus in qvæſtio-
nem venit, an *Per*, *Super*, vel *Ad Sacrum Evangelium jurare liceat?*
Vel, ut Imperator hic in *Tit.3.* præſcribit, *Per qvatuor Evangelia?*
(i. e. â qvatuor Evangeliſtis compoſita) Reſp. Pontificii uno ore 4.
id omnes affirmant. Abbas *in Cap. Etſi Chriſtus, n. 6. de Jurejur.* Pe-
tra *de Poteſt. Princ. C. 19. n. 27.* Improbant vero Weſenb. *ad ff. de
Jurejur. n. 6.* Setſerus *de Jurament. Lib. 1. c. 15. n. 6.* Diſtinguit Bux-
dorff. *Diſſ. Hiſtor. Polit. Jurid. in XVII. priora Aureæ Bullæ Capita,* 5.
Concl. 29. lit. B. inter Juramentum, qvod fit *Per* vel *Ad*, *Bey und zu
dem Evangelio*, & qvod fit *Super*, vel *tactis Evangeliis*, *Auff das
Heilige Evangelium*, illud prohibitum, hoc permiſſum cenſet. Inte-
rea Eccleſia Orthodoxa Seculi VI. non improbavit hanc formu-
lam jurisjurandi, teſte Strauchio *Diſſ. ad Univerſ. Jus Juſtin. 25. §.
23. in fin.* & publicè tum receptam, & omnibus notisſimam fuiſſe,
dicit. Qvod execrationem hic adjectam attinet, notandum, in 6.
primitiva Eccleſia fuiſſe receptum, ne pia Teſtatorum intentio
negligeretur, fundationes pias Teſtatorum diris & execrationibus
qvibusdam munire, ut â profanatione Sacrarum, & Deo dicata-
rum rerum eo magis homines abſterreantur. Illuſtrationis gra- 7.
tia lubet ſeqventem adjicere; Si qvis forte, qvod abſit, & qvidem
per Dei miſericordiam, & patrocinia S. Gregorii, & omnium
Sanctorum evenire non æſtimo, & ex Propinqvis aut Extraneis,
& ex qvalibet conditione ſive poteſtate qvalicunqve calliditate
contra hoc teſtamentum, qvod pro Dei Omnipotentis amore, ac
veneratione S. Gregorii, & omnium Sanctorum ſanxi, aliqvam
concusſionem inferre tentaverit; Primum qvidem iram Dei O- 8.
mnipotentis incurrat, auferatqve Deus illius memoriam de terra
Viventium, & deleat nomen ejus de Libro vitæ, niſi reſipuerit,
fiatq; pars illius cum his, qvi dixerunt Domino, Domine recede â no-
bis, & cum Dathan & Abiran, qvos terra aperto ore deglutivit, & vi-
vos infernus abſorbuit, & perennem incurrat damnationem, ſo-
ciusqve Judæ Proditoris effectus æternis cruciatibus retruſus te-

9. neatur. Besold. *Thes. Pract.* vocabulo: *Stifftung.* Similem fere imprecationem Diplomati suo attexuerunt Illustrissimi Guelphones, cum Cœnobio Weingartensi, â se fundato, qvàm maximè cautum vellent, verba eorum hæc sunt, ut allegat Speidel. *in Spec.*
10. *Jur. Pol.* eodem vocabulo: *Stifftung. Wer diese vorgenandte Gut immer dem Gottes-Hause entführe, oder mit Willen geschwächt, und mit keinerley Sache unnützbar mache, den thue Gott in den ewigen Bann und Fluch, und scheide ihn von allen Himmlischen Seelen, und schlage ihn den ewigen Todt, denselben Gottes-Feind, und seines theuren Bluths laden wir, umb dasselbe maye für Gottes Richter-Stuhl an dem Jüngsten Tage, zu antworthen Gottes Bluth, S. Martin, S. Oschwald, unser auch mit einander klage. Diese Handfest war mit unsern Geboth geschrieben, und gegeben, da von Christi Geburth waren vergangen 1000. Jahr, 9. Jahr, zu mitten Brachend, Ammen.* Sensus horum verborum forte hic est: Qvisqvis bona hæc Cœnobio sacro subtrahit, aut ex proæresi infirmat, aut alio modo inutilia reddit, hunc Deus in æternum proscribat & anathematicet, eumqve â cœlestibus animabus omnibus separet, & æternæ morti
11. tradat: hunc Dei hostem, ejusqve Sanctissimi Sangvinis ad judicium Dei citamus, ut die novissimo respondeat Sanctissimo Dei Sanguini, S. Martino, S. Oschwaldo, & nostræ adversus se institutæ actioni. Scriptum juxta præceptum nostrum, & datum præteritis â nativitate Christi millibus annis, & novem annis,
12. medio Junii, Amen. Olim & qvibusdam in locis consvetum fuit, ut Fidelitatis juramento execrationes qvoqve annecterentur; Sicut de Philippo de Croy, Duce Arschottano legimus, qvi, cum de Castello Antwerpiensi fortiter tuendo, juramentum præstitisset, huic Secretarius Hispanicus de Escovedo subjunxit seqventia: *So ihr das thut, so wolle euch GOTT helffen, wo aber nicht, so hol euch der Teuffel mit Leib und Seel. Darauff sagte ein jeder: Amen.* i. e. Si hoc feceris, Deus te juvet, sin minus, te Satanas qvoad corpus & animam petat. Ad hæc omnis populus dicebat: Amen, referente ex Wilhelmo May *de Bello Belgico fol. 314.* Myl. ab Eh-
13. renb. *de Princip. & Stat. Imper. P. 3. C. 92. §. 3.* Apud Nos tales execrationes non qvidem sunt freqventes, Testatori tamen voluntatem piam qvocunqve modô munire, permissum est. Inde adhuc

adhuc hodiè comminationes graves in qvibusdã legatis, Templis, aliisve locis piis relictis, adjectas videmus, ut testatoris intentioni in ejusmodi comminationibus confirmatæ refragari, periculosum opus sit.

NOV. IX.

Ut Ecclesia Romana centum annorum præscriptione gaudeat.

ECclesiam Romanam centenaria præscriptione gaudere vult Imperator in Contractibus, causis, rebus & actionib9 omnib9, qvam legem ita circa finem ampliat, ut non solum in postea, emergentibus causis, tenorẽ suum exerceat, sed & in iis, qvæ jam sunt in judiciũ deductæ. 1. (2.) Ampl. ut prosit hæc Lex tam Catholicis totius Occidentis Ecclesiis, qvam Orientalibus, ubi aliqvid SS. Ecclesiæ possident. 2.

Ratio huj. Constitutionis in textu, ut divinarum rerum tuitio sit dignum Deo Omnipotenti donarium, nec iniqvis hominibus impium præscriptionis auxilium remaneat, & tutus peccandi locus etiam scientibus relinqvatur, nec improba temporis allegatione sese tueatur, tempus pro puritate prætendens. 3.

Addit. Ampliat Schneidewin. *Comment. ad Inst. de Usucap. n. 26. seqq.* procedere (1) hanc præscriptionem tam in rebus mobilibus, qvam immobilibus, corporalibus & incorporalibus, & sic usucapionem triennalem in rebus mobilibus Ecclesiæ locum non habere. (2) Procedere etiam in Imperio, ita, ut contra Imperatorem vel Cameram Imperialem non currat alia præscriptio, nisi centenaria. Schneidew. *d. l.* 4. 5.

(3) Ampl. Math. Stephani *de Jurisdict. Lib. 3. P. 2. C. 13.* in bonis Academiarum, scil. illa rerum suarum dominium non amittere, nisi qvadraginta annorum spatio, & intra illud tempus actione in rem vindicari posse. Idem *ad h. Nov. n. fin.* Cæterum postmodum Imperator denuo per Nov. 111. & 131. c. 2. sustulit hanc centenariam præscriptionem, & qvadraginta annorum sub- 6. 7.

 stituit

ſtituit. Rationem mutati juris, & ſublatæ C. annorum præſcriptionis ibidem afferri, tradit Math. Steph. *ad h. Nov. n. 30.*

NOV. X.

De Referendariis Sacri Palatii.

1. REferendarios in multitudine non vult eſſe conſtitutos, qvi, cum per ipſius largitatem in immenſum hactenus vocati, ut in XIV. numerus eorum exiret; vult igitur certa eorum numerũ comprehendere menſura, & neminem adjici, donec in VIII. Viros perveniat numerus, ut perpetuò ſint VIII. conſtituti.

2. *Rat. hic,* Multitudo enim numeroſa nihil habet honeſtum, qvoniam in paucis ex multis qvæ ſecundum virtutem eſt, vita ſalvatur.

3. *Declar.* Ut procedat Lex, & legendi ſint ex Patribus bonis, qvi conſtituunt vitam, tam in petitionibus indigentium, qvam ad Imperatorium in hos auxilium.

4. *Addit.* Referendarii erant, qvi recitabant Principi Supplicũ deſideria, & mandata Principis judicibus inſinuabant, Galli, ut vult hic Gothofr. vocant: *Maiſtre de Reqveſtes, Beſtellte Annehmer der Bittſchriften bey Königen und Fürſten,* qvalem apud Franciſcum I. Galliarum Regem fuiſſe Guilielmum Budæum Pariſienſem, Virum Græcis, Latinisqve literis inſigniter excultum, refert Forſter. *in Hiſtor. Jur. Rom.* & in Aula Imperiali eô munere functos fuiſſe Gailium, & Hubertum Giphanium, notat Ritterſchuſ. *ad Nov. P. 9.*
5. *C. 7. in fin.* Qvod de Referendariorum numero reſtringendo hic tradit Imperator, meritò ad Advocatos judiciorum noſtrorum qvoqve foret reſtringendum, ne numerus eorum in im-
6. menſum excreſceret, nec propter multitudinem illi, qvorum fama minus hilorior eſt, *L. 7. C. de Poſtuland.* patrocinentur cauſis minus bonis & juſtis; multi enim habent loqventiam, parum eloqventiæ, & ſtudent tunc demum, qvando Clientes liberales fore, & pecuniam largiter oblaturos confidunt, adeo multi ſunt
7. Advoti, pauci vero electi. Inde, cum totus mundus de pernicioſa Rabularum protervitate ac malitia conqveratur, pertinet tum ad

ad judiciorum autoritatem, tum ad litigantium commoda, tum ad muneris Advocantium decus, non qvibusvis promiscuè fieri litigantibus patrocinandi, causasqve agendi licentiam. Mev. *P.1. Dec. 189.* & salutariter provisum, ut non admittantur, nisi appro- 8.
bati & recepti; approbentur autem non alii, atqve, qvorum perspecta est juris scientia, & ad orandum causas aptitudo, *L. 11. §. 1. C. de Advocat. diverſ. judic. L. 1. & 4. ff. de Extraord. Cognit.* vid. Dn. Fritsch. *in Advocato peccante, Concl. 1.* Constituant qvoq; iidem 9.
vitam in petitionibus indigentium, nam qvemadmodum Præceptores Christiani pauperculis pueris gratuitam institutionem, & Medici Christiani pauperibus ægrotis consilium & medicamenta salva dilectionis lege denegare non possunt, ita nec Advocati Christiani patrocinii beneficium paupertate pressis Clientibus id. *Concluſ. 5. n. 9.* Et ex bonis Parentibus Referen- 10.
darios eligi, desiderat Imperator, nam uti ex hominibus homo, ex bestia bestia, sic ex bono homine bonus generatur. Aristot. *1. Pol. 4. & L. 3. C. 8.* Consentaneum est, inqvit, ex melioribus ortos 11.
meliores fuisse, & qvalis ager, talia & semina, qvales flores, tales & tincturæ, qvalis agricola, talis & cultura, neqve enim arbor mala fructus bonos producit. *Math. 7. & Luc. 6.*

Non procul à patria dilabitur arbore pomum.

Notabile est, qvod scribit Dubravius J. U. D. & Exercitus Ductor 12.
in Hist. Bohem. de Prodigiosa pœna hereditaria; Dicit; alter barbâ rutilâ, alter vero pede claudus ob qvoddam scelus perpetratū; ita puniti sunt à DEO, ut, qvi hodiè ab illis nascuntur, vel ruffi fiant, vel à pedibus laborent, qvorum utraqve familia apud Bohemos nunc extat, teste Wolff. *tom. 2. Lect. Memorabil. pag. 76.* Nam sicuti juxta illud Lyrici *Lib. 3. Carminum*

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in eqvis Patrum
Virtus, neqve imbellem feroces
Procreant aqvilæ columbam.
Ita vicissim, si παρῳδεῖν licet
Segnes creantur segnibus & pigris,
Est in Molossis, est in apris patrum
Morbus, nec ignavi ferocem
Progenerant Asini Leonem.

Conf.

13. Conf. *L. 11. §. 1. ibi : Excellentia tua filios , C. de Advocat. diverſ. judic. & L. 3. §. 5. C. de Advocat. diverſ. Jud.* Müller. *Reſol. March. 19.* Weſenb. *ad ff. Qvod cuj. univerſ.*

NOV. XI.

DEeſt hic ut & in omnibus Græcis Editionibus; Titulus ejus tantum ſupereſt, qvem vide.

Imperator Juſtinianus Patriam ſuam Pannoniam ad Archi-Epiſcopatum evehit.

NOV. XII.

De Inceſtis & nefariis nuptiis.

PRÆFATIO.

1. DIcit, Leges, de inceſtis nuptiis hactenus ſcriptas, fuiſſe imperfectas, utpote, qvæ perſonas inceſtas ſivere impunitas, ſobolem autem exinde inculpabilem exiſtentem, bonis patriis privarunt, unde neceſſum fuit evenire, peccantes ſine reatu eſſe, innoxios autem, tanqvam peccantes, fuiſſe punitos.

CAP. I.

De Inceſtis & nefariis nuptiis.

1. PArentes illicitas & contrarias naturæ (qvas Lex inceſtas, nefandas & damnatas vocat) nuptias contrahentes, ſi liberos legitimos non habent, bonorum & dotis confiſcatione plectuntur, addito exilio, ſpoliatione

2. Cinguli, & verberatione, ſi perſona vilis ſit.

Rat. hic. Qvod, dum licuerit legitimas nuptias facere, contra leges amaverit, & confuderit qvidem ſobolem, nocuerit & generi, egerit verò, qvæ impia ſunt, & ſceleſta, & talia concupiverit, qvalia plurima, etiam irrationabilia amovent animalia; & diſcat caſtè vivere, & intra naturam ſe continere, non autem delectari & amare ultra terminum traditum nobis à natura etiam his legibus repugnare.

Declar.

Declar. in Cap. 2. Ut, si ex prioribus nuptiis inculpabilibus 3.
filii, nepotes, aut forte ulterius adsint, paterna bona accipiant, é patris potestate liberentur ob ejus supplicium, suiqve juris fiant, ita tamen, ut alimenta necessaria patri suppeditare teneantur; nam, *licet Legum Contemtor & impius sit, tamen Pater est.*

Addit. Incestus est vel *Juris Gent.* qvi inter Ascendentes & 4.
Descendentes committitur, *vel Juris Civil.* qvi inter Collaterales
L. 5. ff. de Ritu nupt. L. 38. ff. ad L. Jul. de Adulter. Pœna ejus tem- 5.
pore Digestorum fuit relegatio, vel deportatio, vel fustigatio, ut per *L. 5. ff. de Qvæstion.* aliosqve juris textus, probat Rittershus. *ad Nov. P. 4. C. 2. n. 31.* Brunn. *ad L. 38. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Tes-
saur. *Dec. 100.* scribit, distingvendum esse inter incestum com- 6.
missum inter Ascendentes & Descendentes, & inter Transversales & *n. 5.* testatur, Senatum Taurinensem verberari primum, deinde ad triremes perpetuò damnari fratrem, qvi sororem carnaliter cognoverat, ipsam vero mulierem verberatam exulare jussisse. Sane inter Ascendentes & Descendentes incestum 7.
commissum morte hodiè puniendum, communis ferè Ddr. Schola tradit. Math. Stephan. *ad Art. 117. Const. Cr.* C. A. *Lib. 48. tit. 5. th. 18.* Struv. *ad ff. h. t.* Hahn ad Wesenb. *tit. ff. de Adulter. n. 21.* verbis: *qvi incestum.* Berlich. *P. 4. concl. 32. n. 13. seqq.* qvæ pœna mortis Divino qvoqve Jure obtinet. *Lev. 20. 11. Deut. 20.* vid. Anton. Mathei *de Crimin. tit. 3. c. 6. n. 5.* Rectè qvoqve tradit Imperator, 8.
talem concubitum etiam irrationabilia amovere animalia, qvam sententiam & confirmant Rittershus. *ad Nov. P. 4. c. 2. n. 15.* Aristot. *Lib. 5. Histor. Animal. c. 74.* Plin. *Lib. 8. Natural. Histor. cap. 42.*
Boërius *Dec. 318 n. 2.* Exempla itidem testantur, Deum posteri- 9.
tati ex detestando ejusmodi concubitu benedictionem omnem semper subtraxisse, & à commodis & beneficiis politicis & civilibus arcuisse, prout Ammonitæ & Moabitæ ex incestu Lothi cum filiabus nati, nunqvam, ne qvidem post decimam generationem, Reipubl. Judaicæ Cives potuerunt fieri. *Deut. 23. 3. Sapient. 3. 16.* vid. Müller, Superintendens Jessensis, *Acerra Biblica Hist. 42. §. 1.* Est qvoqve incestus Patris modus solvendi patri- 10.
am potestatem, si fortè ex priori matrimonio legitimo justos habeat liberos, sub potestate sua constitutos, sic enim non videtur dignus

dignus, ut Jure Civium Romanorum utatur, qvod per deteſtationem effuſæ ejusmodi concupiſcentiæ, ut alibi in Novellis lo-
11. qvitur Imperator, amiſit; perinde, ſicut & delictum Domini facit, ut qvandoqve ipſe ſervi dominio excidat, & libertas ſervo acqviratur, velut, ſi ancillam, qvam hoc pactô vendiderat, ne proſtituatur, ad ſe receptam, proſtituere auſus fuerit. Gudelin. *de Jur. No-*
12. *viſſ. lib. 1. c. 3. in fin.* Alimenta tamen debentur inceſtuoſo Patri, licet enim Legum Contemptor & impius ſit, Pater tamen eſt, & cum alimenta debeantur etiam ratione reverentiæ, qvam Patri exhibere filius tenetur, eaqve reverentia etiam impio & ſcelerato Patri ſit præſtanda, *L. Liberto, 9. ff. de Obſeq. Par. & Patron. præſt.* conſeqvens eſt, Patrem, qvamvis Legum Contemtorem, etiam eſſe alendum, nam alimenta capere videtur natura potius, qvam perſona. Joh. Petr. Surd. *de Aliment. tit. 1. qv. 17. n. 19. & ſeqq.*

CAP. III.

Intra qvod tempus huic conſtitutioni locus ſit, & qvid inceſtuoſi filii juris habeant in bonis patris.

1. POena delicto inceſtus conſtituta, ſaltem in nuptiis futuris obtinet, non in præteritis, qvod ſi autem inceſtas nuptias disſolverint, ſine omni reatu ſint. Si
2. poſt hanc Legem, omnibus inſinuatum, inceſtuoſam copulatam conjugem dimittat intra duos annos, nec revertatur ad eandem, qvarta ejus bonorum pars ad Fiſcum tantùm deferenda, ſubſtantia reliqva omnis ad filios ſuſceptos, vel ante hanc legem, vel poſt intra duos annos, & ex alio legitimo matrimonio, niſi ob legitimam offenſionem & juſtè eos exheredaverit.

3. §. 1. Qvod ſi ex alio matrimonio liberi legitimi adſint, illis tres partes relinqvendæ; ſed inceſtuoſis tantùm qvarta, qvæ aliàs Fiſco vindicabatur, ſi autem uxorem non dimiſerit intra duos annos, ex qvo publicè lex fuit inſinuata,

nuata, pœna supra, Cap. I. determinata, per omnia locum habet.

Addit. Leges regulariter futuris negotiis formam dant, non 4. præteritis, nisi nominatim & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis sit cautum, *L. 7. C. de LL.* vel nova Constitutio trahitur ad præterita negotia, aut si hæc jus antiqvum declaret, tunc enim etiam in præteritum obligat. Brunn. *ad d. L. 7. C. de LL.* Ul- 5. terius notandum, qvia in crimine incestus liberi patris incestuosi ex aliis nuptiis nati bona parentis conseqvuntur illo etiam vivo, illis autem non extantibus, Fisco bona deferuntur, patet, per Jus Novissimum excludi ab intestati successione alias personas, qvæ admittebantur antea ex *L. 6. C. de incest. nupt.* hancqve juris mutationem probè notandam esse, dicit Stephani *ad h. Nov. n. 30.* Nam inclusio ipsorum liberorum in specie est exclusio cœterorum 6. cognatorum, &, si liberis non extantibus, statim locus est Fisco, manifestum est, alios cognatos non admitti, qvi in *d. L. C.* nominantur, nimirum liberos legitimos usqve ad tertium gradum, aut illis deficientibus, eorum parentes usqve ad gradum secundum, & his non extantibus, fratres, sorores, patruos, amitas. Hocqve 7. evenit ob delictum ejus, qvi incestum commisit, cumqve hæc omnia civilia sint, in qvæ Princeps salvo jure dominium habet, facili negotio decidere fas est, ne hic vel ille sit heres, aut contra. arg *L. 4. C. de Emancipat.* vid. Math. Stephan. *ad h. Nov. n. 33. & seqq.*

CAP. IV.

De liberis naturalibus ante dotalia instrumenta natis.

Legitimatio per subseqvens matrimonium habet eti- 1. am locum, si qvis & ex legitima conjuge, sive per mortem, sive per divortium â se separata, legitimos liberos susceperit, hos enim, illis non obstantibus, confectis pactis dotalibus, legitimare potest. vid. *Auth. Qvod Jus, C. de naturalib. Lib.*

2. *Addit. Ampliat.* Hoc obtinere, sive postea alii qvoqve liberi ex tali matrimonio sint nati, sive nulli, iiqve vivant, an abierint ex hominibus *h. Nov. 22. Nov. 18. 117. c. 2.*

3. *Rat.* consistit in favore matrimonii, cujus honori, uti multa alia, ita & hoc tributum est, deinde & favor liberorum *L. 11. C. de natural. lib.* & ita supervenientia liberorum legitimorum priorem legitimationem non tollit, ex *L. Si unqvam, 8. C. de Revocand. donat.*
4. Casus enim fortuitus ipsis nocere non debet, & multo magis legitimatur filius in utero adhuc existens, *L. 11. C. de natural. lib.* & notat
5. Brunn. *ad L. 5. & 10. C. eod.* regulam: Tempus partus esse attendendum, si hoc utilius sit infanti; si autem utilius sit, ut tempus
6. conceptionis attendatur, hoc meritò considerari debere. Et potest Pater legitimare liberos naturales, licet ex præmortua uxore habeat liberos legitimos, *N. 12. h. C.* & *Auth. qvod jus, C. de natural. lib.* & licet *Nov. 18. C. ult.* excipiat ancillam, id tamen per *Nov. 78. C. 3.* iterum corrigitur, adeò, ut ancillam ducere, eam liberam fa-
7. cere, & ex ea natos legitimare liceat. Et valet legitimatio, licet instrummenta nuptialia non intervenerint Jure Pontificio, ut ex
8. Dd. ejus probat Brunn. *ad L. 5. 10. & 11. C. de natural. lib.* Atqve hic modus legitimos efficiendi fuit primum inventus à Constantino Imperatore; sed posteriorum Imperatorum sanctionibus partim confirmatus, partim secundum incidentes dubitationes explicatus, ut vim habeat, sive nascantur, extentqve liberi ex secutis nuptiis, sive nulli, & sive ex eo, qvod concubinatum præcesserat, matrimo-
9. nio, aliqvi sint, sive non. *Nov. 74. pr. Nov. 89. §. reliqvi igitur.* Sic tamen legitimantur illi soli, qvi ex certa concubina, certave muliere, cum qva jure matrimonium consistere potuisset, procreati sunt, non item, qvi ex adultera, vel alia simili, qvæ in uxorem duci non potuisset. *Nov. 18. §. Sicut. n. 95. Nov. 89. §. ult. J. de nupt.* vid.
10. Gudelin. *de Jur. Nov. Lib. 1. c. 15.* Est & alius modus legitimandi *per Rescriptum Principis*, de qvo, cum aliàs abunde agunt Dd. & qvoqve in specie de eo tractatur infr. in *Nov. 89. C. 9.* ibi, Deo volente, uberius de ea potest agi.

Nov. XIII,

De Prætoribus Plebis.

Prætore

Prætores Plebis erant iidem, qvi Præfecti vigilum, 1.
nempe qvieti nocturnæ & disciplinæ populari præpositi, qvippe in Magistratibus constituendis singularis semper Romanorum fuit cura, ne qvid Respublica pateretur detrimenti, & cum magnificentissimis ædificiis ubiqve esset exornata civitas, ne per incendia dolosa aut culposa in ruinam vel cineres redigeretur, providi extitere; Et circa hanc curam qvælibet fere civitas major 2.
apud nos peculiaria sua habet Statuta, dicente Brunn. *ad L. un. C. de Off. præf. vigil.* De Incendiariis, Effractoribus, 3.
Furibus, Raptoribus & Receptatoribus cognoscebat hic Prætor; *L. 3. §. 1. ff. de Off. Præf. vigil.* item de seditiosis & factionariis. *h. Nov. C. 3.* Non vero, si capitale supplicium 4.
erat infligendum, sic enim ad Præfectum Urbis causam referre fas erat, nam illi suberat. Brunn. *ad d. L. un. C.* Est tamen & ipsi per *h. Nov. C. 3.* potestas & jus gladii in liberos homines concessum. Postmodum cum progressu temporis 5.
alii Prætores passim sint creati, eorum tamen officia in desvetudinem abierint, & jam olim sint mutata, qvid opus, hisce explicandis pluribus immorari?

Nov. XIV.

De Lenonibus.

Præfatio. 1.

OCcasionem hujus piæ & sanctissimæ Constitutionis sanciendæ inde desumpsit Imperator, nam cum percepisset, qvosdam illicite vivere, provincias & loca plurima circumire ad qværendum lucrum, & juvenculas miserandas decipere, promittentes ipsis calceamenta & vestimenta qvædam, qvibus venantur & deducunt ad Civitatem Constantinopolitanam, ut deinceps tradant ad luxuriam volentibus, omnem qvæstum miserabilem ex

corpore earum provenientem accipiant, cautionem insuper à fœminis recipiant, ne recedere velint; hanc ubiqve
2. valentem Constitutionem sancit & ordinat.

I. Nulli fiduciam esse debere, pascere meretricem, & in domo habere mulieres, aut publicè prostituere ad luxuriam, & pro alio qvodam negotia hæc mercari, nec cautionem, vel fidejussoriam, vel juratoriam exigere, aut tale qvid agere, qvod miseras & invitas cogat, castitatem suam
3. confundere.

II. Non permittit, scelestos Lenones, si dederunt qvid juvenculis, vel mulieribus ejusmodi, hoc ab eis aufferre, sed & ipsos Lenones ê civitate jubet esse exules, tanqvam pestiferos, & communis castitatis vastatores factos, liberas, ancillasqve reqvirentes, & deducentes ad hujusmodi necessitatem, ut decipiant, & educatas ad universam habe-
4. ant confusionem.

III. Præconizat, i. e. publica & alta voce præcipit, si qvis ausus fuerit, invitam puellam assumere, & ad necessitatem nutritam habere, ut fornicationis qvæstum habeat, hunc â Prætore urbi comprehensum, ultimum supplicium debere sustinere, cum enim ad furta & latrocinia coercenda sint constituti, qvare non multo magis casti-
5. tatis furtum & latrocinium coërcerent?

IV. Si qvis patiatur in sua domo Lenonem, & ejusmodi operationis Præpositum habere, & ex qvo certior inde factus, domo sua non expulerit, decem librarum auri pœna plectatur, & simul habitationem perdat, & si cautionem qvalemcunqve acceperit, nullam exinde habebit utilitatem, fidejussor non erit obligatus, ipsaq; cautio in se invalida, in corpore suppliciũ sustineat, & ê civitate expellatur.

6. *Rat. huj. Const. in textu.* Credit enim Imperator in Domino Deo, ex hoc suo circa castitatem studio (qvæ sola Deo cum fiducia potis est, animas hominum præsentare,) magnum fieri Reipubl.

publ. suæ incrementum, Deo sibi omnia prospera per talia opera conferente.

Addit. Lenones propriè sunt, qvi conjunctas aliasve perso- 7.
nas qvæstus gratia prostituunt, & vagas libidines qvovis modo promovent. *L. 8. 9. 10. ff. ad L. Jul. de adult. L. 1. & 4. §. ait Prætor, ff. de his, qvi not. inf.* Pœna horum hodiè ex *h. Nov. XIV.* est capi- 8.
talis, Berlich. *P. 5. conclus. 40. n. 6. & 56.* Mev. *ad Jus Lubecens. L. 4. t. 5. art. 6. n. 4.* qvæ pœna etiam hodiè locum habebit, si pater filiam, qvantumvis naturalem & viduam, aliorum libidini prostituat, cum gravius delictum hoc sit commissum in filias, qvam extraneas, Brunn. *ad L. Si lenones, 12. C. de Episcopal. audient.* Qva lege ordinant Imperatores Theodosius & Valentinianus, ut Episcopus filias & ancillas, qvibus pater vel dominus peccandi licentiam imponit, liberet ab hac misera necessitate, ipsiqve lenones non 9.
tantùm amittant patriam potestatem vel herilem, ob juris hujus abusum, sed & exilii pœna plectantur, vel in metallum damnentur; qvod intelligo, si qvidem filias aliis prostituerit non qvæstus gratia, sed gratis, per *Nov. h.* verbis: *Præcorizat.* Deinde qvoqve 10.
cessat ordinaria mortis pœna in attentato lenocinio, effectu non secutô. Et tandem qvando illi, qvi non sunt parentes, vel etiam parentum loco habentur, filias ad istas libidines prostituunt, ut, cum fratres & sorores tale delictum committunt, nam de illis *art. 122. Const. Crim.* nihil disponit, & pœnales sanctiones, tanqvam odiosæ, non sunt extendendæ. arg. *C. 15. de R. J. in 6.* Classen. *ad d. art. C. C.* Extra hosce casus pœna mortis in Lenones injusta non 11.
est, nam si lenocinium furto & latrocinio gravius habetur, pœna mortis autem furibus & latronibus imponitur, utiqve lenonibus, tanqvam furibus & latronibus castitatis, non minor, qvam mortis pœna erit infligenda, ut rectè hic argumentatur Imperator sub *Part. III. h. Nov.* Operarios qvoq; lenociniorum, si qvis in ædibus ha- 12.
beat, eos dimitti ex ædibus debere, injungit Imperator sub pœna hic determinata, & alias qvoqve pœna lenocinii damnandum, cujus ope, consilio, vel dolo malo id factum tradit Carpzov. *P. 4. Defin for. Const. 29. Def. 1. n. 13.* vid. *Const. Cr. art. 123.* & Mev. *ad Jus Lubecens. L. 3. t. 5. art. 6.*

Cum autem adeò severe Imperator lenocinium in h Nov. 13.

 prohi-

prohibuerit, infelicisſima urbe Conſtantinopolitana, ut eam hic
nominat, omni ſanè admiratione dignum eſt, qvomodo ad ipſam
Romam, SanctisſimiPatris ſedem, devenerit, ibiqve lupanaria mo-
14. dis omnibus tolerentur? notum enim eſt, qvomodo Romani Pon-
tifices lupanaribus ærarium locupletaverint, nihil turpitudini ad-
ſcribentes, qvod ad æs exeat. Sixtus IV. Pontifex nobile admo-
dum exſtruxit lupanar, ut ex meretricio qvæſtu infame lucrum
15. acciperet. Et Romana ſcorta in ſingulas hebdomades julium
nummum pendunt Pontifici, qvi cenſus annuus nonnunqvam XX.
millia ducatorum ſuperat, adeoqve Eccleſiæ Procerum id munus
eſt, ut una cum Eccleſiarum proventibus etiam lenociniorum
16. numerent mercedem. Et ſic Henricus Cornelius Agrippa ſe ali-
qvando audiviſſe dicit, cum rationes ſuas ita inirent; *Habet ille
duo beneficia, unum Curatum aureorum XXI. alterum Priora-
tum ducatorum XL. & tres putanas in burdello, qvæ reddunt
ſingulis hebdomadibus XX. Julios* Carpzov. *ad L. Reg. German.*
17. *c. 8. S. 2. n. 6.* Magnum ſanè hoc eſt Italicæ avaritiæ crimen, &
vix eſt in Orbe terrarum Provincia, ubi Roma flagitioſorum ve-
ctigalium & tributorum non reliqverit veſtigia, ut propemodum
cum S. Brigide credi posſit, Papam decem Dei præcepta in unum;
conſtans decem literis, commutaviſſe: DA PECUNIAM, vid Thom.
18. Lanſius *in Conſult. Orat. contra Ital.* Hic qvadrat, qvod Samuel de Lu-
blino *P. 2. Summu l. Caſuum*, ſub. tit. *Luxuria, n. 13.* interrogat, *Pec-
cantne Gubernatores & Præſides locorum, qvi permittunt meretricibus
19 manſionē liberam in urbib9 ſuis?* Et reſpondet, non peccare, qvia etiam
Deus glorioſus permittit aliqva mala, ut vitentur majora; qvod ſa-
ne Reſponſum ex inſpiratione Cacodæmonis datum, null9 Chriſti-
anorū negat; magis piè, & conſcientiæ conveniēs, reſpondit Andre-
as Fricius Modrovi9 *de Rep. emend. L. 1. c. 22.* dicens: *De gregibus mere-
tricum publicè fovendis, tam nihil eſt in divinis literis, qvam nihil de fu-
20. rum, homicidarum, aut aliorum ſceleſtorum Collegiis.* Et Guilielmus
Peraldus, Epiſcopus Lugdunenſis, *in Summa Virtutum & Vitiorum
tit. 2. c. 7.* ait: *Si omnes Miſſæ, qvæ usqve ad finem mundi celebrabuntur
ab Eccleſia, pro fornicatore celebrarentur, non tamen eum liberarent à
morte æterna.* vid. Joh. Gerhardi, loc. *de Eccleſià*, ubi de cenſu la-
21. ctis Pontificiò, vulgo: *Den Milch-Zinſ, oder Huhren-Zoll.* Qvantum-
vis

vis vero lupanaria in benè constituta Rep. ad stupra honestissimarum fœminarum avertenda tolerari posse, existimet Clapmarius *Arcan. Rerumpubl.* rectius & melius tamen judicat Carpzov. *ad L. Reg. Germ. C. 8. S. 2. n. 13.* hoc esse arcanum illicitum, & minus honestum, & in benè constituta Christiana Republ. arcanum & sepultum manere debere.

NOV. XV.

De Defensoribus civitatum.

Præfatio.

I. DEfensores paterna voce vocantur, qvatenus 1.
eripiunt â malis injustitiam patientes. Hoc Defensorum nomen in multis Reipubl. partibus conculcatum, & sic contemtum esse dicit, ut in injuria potius, qvam in qvalibet jaceat honestate. 2.
Perveniunt enim ad officium illud viri obscuri, & magis ex misericordia eliguntur; qvibus enim non est victus & vita sufficiens, Defensorum emendicant Ordinationem, & pro qvodam lusu judicum subjacent voluntatibus, qvi & eos, licet nihil aut parvissimum deliqverint, qvando voluerint, removent, & alios in illorum provehunt officium. 3.

II. Constituit igitur Imperator, Civitatum Defensores judicum officium assumere debere, & Provinciæ Præsidem judicum judicem esse, sicqve honestiorem & digniorem apparere; qvantò enim qvilibet præest melioribus, tantò major ipse & honestior est. 4.

Addit. Defensorum munus in defensione potissimum, & deinde in jurisdictione consistebat. Nam sicut olim Romæ Tribunus Plebis proprius Magistratus Plebis erat, *§. 3. J. de J. N. G. & C.* ad defendendam libertatem, & jus tenuiorum adversus Optimates, ita pari ferè officio in Municipiis fungebantur Defensores, ut nomen ipsum indicat. *L. 3. 4. & 5. C. de Defensor. Civ.* Cognoscebant 5.
autem de causis saltem levioribus, v. gr. de fuga servorum, vel de

de ſumma L. Solidorum; qvæ majoris qvantitatis erant cauſæ, ad
6. Præſidem pertinebant. Brunn. *ad L. 1. C. de Defenſor. Civit.* Qvod autem defenſionem concernebat, debebant cives ſuos, vel ruſticos contra vim Potentiorum defendere, qvod ut commodius facerent, licentiam habebant, qvocunqve tempore Præſidem adeundi, & cum eo ſermones miſcendi. Id *ad L. 4. C. eod.*

CAP. I.

Ut nulli incolarum liceat Defenſoris officium reſpuere.

1. Nulli ſit licentia, Defenſoris Ordinationem declinare, nec, ſi honoratus ſit Magnificentisſimorum Illuſtrium dignitate, nec, ſi militiam habeat honeſtam, neqve, ſi proferat privilegium ſuum ex divinis formis, & ſecundum circulum eſt eligendus.

2. §. 1. Jurant autem Defenſores Civitatum, ſe omnia ſecundum LL. & jura acturos, *Auth. Hodie, C. de judic.* &
3. confirmandi ſunt à Præfecto. Per biennium adminiſtrabunt officium, qvô exactô, ſunt à cura removendi ab eodem ſcil. Præfecto; *ut inde ei fiat curæ privatio, unde etiam datur.*

4. *Addit.* Officium Defenſoris eſt munus publicum, ad qvod qvis etiam, nulla obſtante dignitate, cogi poteſt. Except. *vid. Tit. ff.*
5. *de Excuſat. tut.* Sunt tamen præterea & alia munerum & præſtationum genera, à qvibus nemo, etiam aliàs privilegiatus excuſatur. (1) Expeditio Principis pro ſalute imperii ſuſcepta, ubi omnes tenentur præſtare operas, & nullum valet privilegium, nec habetur ratio idoneitatis perſonæ; ſed à Summis ad imos, à Nobili-
6. bus ad ultimos decurrit ſarcina, (2) qvæ concernunt neceſſitatem ſummam urbis alicujus aut Provinciæ; ſic à conſtructione murorum & viarum nemo poteſt ſe excuſare, nec à comparatione frugum in publicis horreis recondendarum, &c. vid Brunn. *ad*
7. *Tit. C. de qvib. muner. vel præſtat. nem. lic. ſe excuſare.* Qvid ſit, *Secundum Circulum eligere,* explicat Gloſſ. *ad h. N.* Scilicet, fiebat qvi-

qvidam Circulus Hominum, & ex his duo qværebant cœteros, conferendo bonitatem singulorum, ut meliorem eligerent, qvod locum habebat, cum pauci homines essent in Civitate; Hodiè au- 8.
tem non sic, qvia difficile est, convocare omnes bonos Homines de Civitate, sed qvidam eliguntur, qvorum factum omnes alii tenent.

Defensor non poterat removeri à Præside, ex ratione in textu 9.
allegata, nam Præfectus major erat Præside, Præses major Defensore; Cum ergo Defensor creatur à Præfecto, per confirmationem non poterit eum removere Præses.

Officium Defensorum olim erat qvinqvennale, per hoc *C. 1.* 10.
factum est biennale; ante cujus lapsum publicam sollicitudinem ejurare non possunt, nisi gratia eis fiat à Principe, Præfecto Prætorio insinuata; *L. f. C. de Defens. civit.* alioqvin in crimen læsæ Majestatis eos incidere, statutum est in *Nov. 95. C. 4.* §. *1.* Ergo cum 11.
Defensores esse desinunt, interea eorum loco Vicarius dari neqvit, sed alius mox Defensor eligendus erit ex descripto Circulo. *Nov. h. c. 5.* §. *1.* Est enim descriptus Circulus eorum, qvi ex ordine hoc 12.
munus debent subire, etiam inviti. Peretz. *in C. ad h. t.*

CAP II.

Ut Omnia monumenta apud Defensores insinuentur.

DEbent fieri insinuationes Testamentorum, Donatio- 1.
num, & qvicqvid est aliud monumentorum, apud Defensorem Civitatis, non obstante Præsidis prohibitione, aut jussione, hoc vel illud agi debere, aut actum non edi.

Rat. Absurdissimum enim, necessariis rebus cedere homi- 2.
nes propter judicum (Præsidum) forte irrationabiles motus atqve præceptiones; potest enim agere coram Defensore, qvæcunqve voluerit.

Ampl. Licet, qvod agitur, tangat Provinciæ Præsidem, aut 3.
qvemlibet Potentum, oportet eum, qvi merum imperium habet, se ita gerere, ut nulli qverendi detur occasio, & sive adfuerit Ci-

 vitatibus

vitatibus judex, sive non, nemo prohibeatur apud Defensores agere, exceptis, qvæ majore opus habent jurisdictione, & ex judicum pendent auctoritate.

4. *Addit.* Patet hinc; Actus voluntariæ jurisdictionis qvoad insinuationem peculiarem habuisse judicem, de jure Cod. apud Magistratum Census Insinuatio Testamentorum fiebat, non apud
5. personam Ecclesiasticam *L. 41. de Episcop. & Cler.* Hodiè apud qvemcunqve judicem insinuatio Testamentorum fit, sive competens, sive incompetens sit; nec enim hic aliud judicis officium est, qvam ut Testamentum sibi oblatum esse, in Acta referat, nec aliud Pars offerens agit, qvam ut judicem adeat, petatqve, ut Testamentum accipiat, idqve factum Actis inscribat vid. Mev. *ad Jus Lubecens. Lib. 2. tit. 1. A. 2. n. 104.* Berlich. *P. 3. Concl. 3. n. 42.*
6. Carpzov. *p. 3. Dec. 293.* Richt. *P. 1. Dec. 30.* Idem in insinuatione Donationis, 500. solidos excedentis, Berlich. *P. 2. Dec. 157. n. 16.* Stephan. *de jurisdict. Lib. 1. c. 13.* Ruland. *de Commissar. P. 4. L. 2. c. 17. n. 41.* Carpzov. *P. 2. C. 12. Def. 18. n. 1.* verb. *Absqve dubio insinuatio Donationis est Actus voluntariæ jurisdictirnis.* Additur hic in textu, *& si qvid est aliud monumentorum;* addit Glossa, *modo pertineat ad juris-*
7. *dictionem voluntariam.* Inde & olim coram Defensore, & hodiè coram incompetente judice posset fieri *Transactio super alimentis in Testamento relictis*, arg. *L. 8. ff. de Transact.* Stephan. *de jurisdict. L. 1. c. 13. n. 25. Alienatio Prædiorum Minorum.* Stephan. *c. l. Unio Prolium* Car-
8. pzov. *Lib. 5. Rp. 6. n. 6.* Hi & similes actus, licet aliqvam causæ cognitionem reqvirant, refert tamen eos inter actus voluntariæ jurisdictionis Lauterb. *Diss. de Voluntar. jurisdict. th. 40. & passim.*
9. Poterit qvoqve hic ulterius referri *Insinuatio Hypothecæ Rerum immobilium*, qvæ in multis locis hodiè est necessaria, imprimis & jure Lubecensi; Statut. Lubec. *L. 3. tit. 4. A. 8.* non solum, si sit res immobilis sed &, si in reditibus annuis constituatur. Id. *d. l.* vid. Carpzov. *P. 2. C. 23. Def. 2. n. 2.*

10. Additur hic, non debere Præsidem Defensori esse impedimento in officio suo, hoc vel prohibere, aut contrarium præcipere. Nam, qvam Inferior à Superiore accepit jurisdictionem publicam, sub ea Lege tenet, ut pro justitia & in commodis publicis in ditione sua exerceat, qvam ubi non præstat, utiqve Superiori

periori integrum est imperium, qvod, nisi sub illa conditione, non abdicavit, nec alteri tribuit. *Mev. P. 2. Dc. 158. n. 4.* Et pulchrè de hoc scribit Anton. Faber *in Cod. Lib. 3. df. 2. in pr.* Magistratuum 11. omnium, præsertim eorũ, qvi supremam exercent jurisdictionem, officium qvidem est, ut, licet iis præsint Provinciis, qvæ pari supremoqve Principum Imperio sunt distinctæ, mutuas qvidem juris dicendi functiones, mutuis auxillis tueantur, si qvid sit, qvod alius alium rogatum velit; sed tamen cavere diligenter debent, ne, dum id agunt, ut alienæ subveniant jurisdictioni, propriam negligant, & offendant. Non igitur statim Præses, qvod judicii 12. est Defensoris, debet recipere; sed, ubi denegatur vel protrahitur justitia, per promotoriales justorum præstationem demandare potest. Mev. *P. 1. Dc. 162.* vid. & *P. 2. Dc. 4. n. 2.* Prout autem ali- 13. às juris est, qvod inferior judex Superioris judicata & mandata sine alia causæ cognitione exeqvi possit, Mev. *P. 1. Dec. 235.* sic & Defensorem Civitatis Præsidis mandata sine alia causæ cognitione exexeqvi posse, nullus dubito, modo tamen causa concernat res te- 14. nuiores & minutas, qvarum ratio L. Solidorum qvantitatem non excedit. *L. 1. & 3. C. de Defens. Civit.* licet tamen hanc qvantitatem postea auctam, & ad 300. aureos extensam, pateat ex *C. 3. h, Nov.* exceptis itidem causis meri imperii, & qvæ ex Judicum pendent 15. autoritate. Nec enim faciendum per plura, qvod fieri potest per pauciora.

§. 1. Debent Exactores Tributorum Defensores Civitatum 16. adjuvare, &, si, qvi solvere tenentur tributa, contumaces existant, desuper velociter instrumenta conficiant, ut inordinatè agentes videant, testimonium perhibeant, & publicum removeant tumultum; sic igitur Officiales Provinciæ adjuvare debent Defensores, ut ipsis obediant, qvo, Præsidibus absentibus, nihil illis 17. præsentibus, desit Civitatibus, in qvibus sunt. Habebunt autem simul ex Provinciali Officio Exceptorem administrantem, & duos Officiales, qvæ ab eis sunt decerta, adimplentes.

§. 2. Possunt judicare Defensores in causis pecuniariis us- 18. qve ad aureos 300. sic, ut sibi obligatos subjecti non possint trahere ad Præsides, si usqve ad dictam qvantitatem lis sit.

Addit. Qvantumvis jurisdictiones confundi, uti noxium, 29.

ita qvàm minimè ferendum. *L. Nemo*, ubi Gl. *C. de jurisdict.* Gvido Papæ, *Dc. 436.* Sæpe numero tamen conducit, judicem judici manus porrigere ad jurisdictionem conservandam, & adjuvandam; Rebuff *in Tr. de Liter. Reqvis. pr. n. 12.* Nam jurisdictio per jurisdictionem adjuvanda est, *L. 2. C. de his, qui latr. Can. Administra-*
20. *tores, 23. qv. 5.* nec infreqvens, ut, cum in eodem concurrunt diversæ jurisdictiones, tunc pro actu expediendo simul officia
21. conjungant, Qvetta *Cons. 37. n. 9. & seqq.* ubi scribit, in talibus, qvæ per unam jurisdictionem expediri neqveunt, judices correspondere, de conjungenda opera convenire, & sic versari debere, ac qvibus judicium commune est, prout Praxis probat, jurisdictionem Ecclesiasticam sæpius Brachium Seculare, & Politicum militarem implorare, cum scopum suum intendere
22. non valeant. Idem vult hic Imperator circa Defensores Civitatum, qvibus auxiliari Exactores Tributorum mandat, qvippe & aliqvalem illis competiisse jurisdictionem, patet ex iis, qvæ su-
23. pra ad *Nov. VIII. C. 9.* sunt proposita. Qvi in textu dicitur *Exceptor*, apud nos dicitur *Notarius*, vel *Scriptor* sic dictus, qvia hominum dicta excipit, i. e. recipit, qvi, ut cuilibet officium suum impertiatur, imploratus antea, pœnalibus mandatis potest compelli. Mev. *P. 2. Dec. 5.* Non possunt tamen Defensores Vicarios habere, neqve à se, neqve à Præside datis. Peretz. *hoc tit. n. 7.*

CAP. III.

1. Proseqvitur antea tradita in §. *2. in C. 3.* ne scil. Actores ulterius litem æstiment, ut scil. Reum trahant ad forum Præsidis, nam si ex sententia appareat, 300. aureorum litem tantum fuisse, Actor Reo in expensas condemnabitur, licet victor sit.

2. *Addit.* Prout paulo antea dictum, jurisdictiones confundi non debere, cum nihil pernitiosius, & ad Rempubl. dissolvendam aptius esse possit, qvam istius ordinem turbari vel rumpi. Hoc maximè fit, si Actor malitiosè Reum ad majus forum trahat. malitiosè plus petens, saltem, ut horribiliorem & duriorem judicem constituat, qvod ne qvidem licet, etsi Actor majore dignitate fulgeat, forte qvod ipse sit Senator, sed Reus libertus, cum dignitas Actoris non mutet forum Rei. *L. 3. C. ubi caus. Stat. agi.*
3. Qvapropter & hic Imperator contra *L. Eum, qvem temerè, pr. ff. de judic.*

judic. Actorem Reo condemnat in expensas, qvantumvis hic sit victus; nam manifestum, eum in pœnam plus petentis incidisse.

CAP. IV.

Appellatio verò à Defensoribus ad Præsidem Provinciæ fieri potest, qvi simul nec in ullo lædi possunt, aut debent, qvod si Præsides neglexerint, Præfectus Prætorio id mox denunciabit, ut detur ipsis auxilium & vindicta competens; sint enim omninò Præsides Defensores contra delinqventes. 1.

Addit. Qvantumvis magnam omnino potestatem Præsidibus Provinciarum concesserint Imperatores, ut ex superioribus patet, non tamen videntur semet omni privasse potestate, sed eam potius cumulativè concessisse, qvippe jurisdictio superior nunqvam subintelligitur abdicata, utcunqve omnis concessa sit; sed habetur inalienabilis. vid. Menoch, *Cons. 624. n. 14.* Hinc qvoqve Imperator negligentiam judicum in Provinciis primum corrigit monendo & excitando, deinde, si id spernitur, suâ diligentiâ providendo, nempe, ut, si auxilio opus sit, eo instructissimo & paratissimo utatur Præses, coercendo malos, & intra limites officii continendo, qvippe ejus potestatem non vult constringere Imperator, sed potius adjuvare. *arg. L. 1. C. de Off. Præf. Urb.* 2. 3.

§. 1. Si mori contigerit Civitatis Defensorem, mox in ejus locum alius eligendus per Circulum cum juramento, qvi mox curam suscipiat, Decretum verò & confirmationem à Præfecto Pr. accipiat, ne confusioni detur qvasi rationabilis occasio. 4.

Addit. Constat ex hisce, judices, qvi homines sunt, vita destitui, judicium æternum esse; ut in alio sensu de Principibus loqvitur Gramondus *L. 1. Histor. Gall. pr.* imprimis & jurisdictionem, qvæ jure Regni competit, & inhæret ei, ut anima corpori. Mev, *P. 8. de 113.* vid. Grot. *Lib. 2. de J. B. & P. c. 9. §. 7. & 8.* Sic qvoqve Defensorum Civitatum officium vacuum non patitur Imperator, qvia enim in Epilogo *h. Nov.* fatetur, *& maximorum, & mediocrium, & parvulorum sibi curam esse, nihilqve tale, qvod à* 5. 6.

 sollici-

sollicitudine sua removeat; hinc Defensorum officium vult perpetuum, & in omne valiturum tempus.

7. I. §. 2. Præcipiat Præses per unamqvamqve Provinciam, ut in Civitatibus habitatio publica adornetur, in qva Publicæ Scripturæ recondantur; constituatur itidem Archiota, qvi harum habeat custodiam, ut incorruptæ hæ maneant, & velociter â reqvirentibus inveniantur, ut ita sit Archivum, & qvod in Civitatibus hactenus prætermissum, emendetur.

8. II. Debent pro Decretis Defensorum Civitatum, si hæ majores sint, IV. aurei, si minores, tres, & si qvædam Salaria habeant publica, & hæc secundum consvetudinem percipient.

9. *Addit*. Antiqvitas Archivi satis elucescit ex hoc textu. Est verò Archivum locus, seu scrinium, in qvo Acta Principis vel Ur-
10. bis reservantur. Aliàs *Tabularium* & *Grammatophylacium*, vel *Archia* & *Cancellaria* dicta. In hunc finem introductum, ut monumenta publica incorrupta maneant, & ut â reqvirentibus velociter inveniri qveant. Habent hoc jus Archivi Principes & Status Imperii tam vigore Regalium, qvam jurisdictionis territorialis. Myler. ab Erenb. *de Princip. & Stat. Imper. P. 2. C. 47.*
11. Ruland. *de Commissar. L. 2. 5. c. 1.* Solent qvoqve Nobiles Familiæ instrumenta communia, nec non Insignia domus, seu arma Familiæ apud eos, qvi sunt de Familia, eosqve majores natu seu digniores, & qvi majorem ac fortiorem juris partem habent, deponere ac asservare, qvi eadem interesse habentibus, qvoties necessitas exigit, edere tenentur Cöpp. *Dc. 7. n. 6.* vid.
12. Mev. *P. 8. dc. 476.* Scripturæ vel Instrumenta sic deposita, si per se fuerint Avthentica, dubium non est, qvin plenè probent; qvod si tales non sint, sed privatæ forte, siqvidem in Originali, ut loqvuntur, producantur, nihlominus adhuc plenè probant. *Nov. 49.*
13. *c. 2.* & ibi Cuj. Trentacinqv. *de Fide instrum. Resol. 8. n. 7.* Cæterum hoc tunc demum, si (1) Scriptura talis fuerit in Archivo asservata, (2) si eo in loco fuerit reposita, ubi avthenticæ scripturæ reponuntur. (3) si fuerit sub custodia Officialis publici, ad hoc deputati. (4) si ejusmodi scripturam consvetudo juvet, juxta Beustium *in L. Admonendi, n. 840.* & vulgo Dd. qvod meritò improbat Ruland. *de Commissar. L. 2. 5. c. 8. n. 8.* & recentiores passim.

(5) Si

(5) Si Officialis ſubſcriptione ſua atteſtatus fuerit, ſcripturam eam in Archivo eſſe repertam. Schurff. *L. 3. Conſ. 90. n. 8.* Trentacinqv. *d. Reſol. 8.* Hæc ſi concurrant, ſcriptura ex Archivo de- 14.
prompta plenè probabit, etiam extra locum Archivi, non tantum qvoad ſubditos, ſi qvi forte ibi agant, ſed indiſtinctè omnes, ut paſſim Dd. tradunt per *Nov. 49. c. 2. §. 2.* qvia in his, qvæ fidem & probationem ſcripturæ reſpiciunt, inſpicitur locus, ubi ſcriptura confecta eſt, non verò perſona, contra qvam producitur. *L. 6. ff. de Evict.* Myler. ab Erenb. *cit. loc. §. 4.* An vero exem- 15.
plum ſcripturæ in Archivo depoſitæ probet, aliàs diſputant Dd. de qva qvæſt. forte infra, Deo volente, ad *Nov. 49. c. 2.* uberius dici poteſt. vid. Dn. Fritſch. *de Jur. Archivi, Cap. 7. n. 43.*

CAP. VI.

I. DEbent Defenſores Civitatum qvoqve levia crimina audire & caſtigationi competenti dare, qvi verò in majoribus criminibus capiuntur, in carcerem detrudere, & ad Provinciæ Præſidem mittere.

Rat. Sic enim fruitur unaqvæqve Civitas cura judiciali; & 1.
omnis gens, ſub majori judice conſtituta, majorem ſentiet providentiam, & reſcindentur plurimæ judicum curæ, coadjuvante Defenſore Civitatis Præſidem, & ſublevante ejus, qvas pro omnibus hominibus habet, ſollicitudines, imprimis, ſi ipſe particulariter vim patientibus ſubveniat.

II. Debent qvoqve Præſides Defenſoribus imperare contra 2.
eos, qvi detinent exactiones tributorum, ut & in hoc ipſis auxilium fiat.

III. Si qvis verò Defenſor, in ſemet ipſum veniens officium 3.
hoc renuat, idqve ſub prætextu dignitatis, ſive militiæ, ſive privilegii &c. qvinqve librarum auri pœnæ ſubjectus ſit, qva ſoluta, nihilominus, Defenſoris ſollicitudinem implere, obligatus eſto.

Rat. Convenit enim, unumqvemqve Nobilium ſemper age- 4.
re functionem Civitatum, qvas inhabitat, & hanc conferre habitationis compenſationem.

Adit. Defenſores merum Imperium non habebant, nec pro- 5.
miſcuè

miscuè jus dicebant, ideoqve nec mulctas irrogabant, nec facinorosos torturæ subjiciebant, & in atrocioribus remittebant Reos ad Præsides Provinciæ, *hic.* & *Auth. Præsides, C. de Episcop. audiant.* denunciabant tamen crimina cum nominibus Accusatorum, & Acta simul criminalia omnia transmittebant. *L. 6. 7. C. de Defens. Civit.* Interea disciplinam contra feram, & periculi sui
7. nesciam latronum insaniam tuebantur. *d. L. 6. C.* Licet remissiones delinqventium hodiè non sint necessitatis, nec judex reqvisitus teneatur seqvi vanum & injustum appetitum; sed debeat summariè cognoscere de delicto. Brunn. *Cent. 4. dc. 52.* Si tamen judices sint sub eodem Principe, hunc eandem demandare posse, probat Idem *Procesſ. Inqvis. C. 3. n. 7.* idqve jam
8. tum de jure Romano obtinuisse, textus hic satis arguit. Dum Imperator vult, neminem sub prætextu dignitatis qvaliscunqve, qvi in Civitate habitet, pro compensatione habitationis Defensoris officium respuere debere. Posset qværi, *An satius sit, ad Ma-*
9. *gistratus promovere loci incolas, an verò extraneos?* Resp. Sanè prohibuit id olim in Gallia Philippus Pulcher anno 1302. & Carolus V. cognomine Sapiens anno 1366. ne propter cognationes, vel concivium amicitias domesticas judicia in eorum favorem & gratiam corrumperentur. Testis & Tholosanus *de Republ. L. 4.*
10. *c. 6. n. 9.* Cæterum qvamvis occasiones sint deligendi gratia, vel favore Proximorum vel Amicorum, sunt tamen interea etiam LL. qvæ animadvertere in eos jubent, & eos in officio contineant. *L. 1. & t. t. ff. ad municipal.* Ut certè non sit mirum, si in his aliqvando variarint mores, cum gerere vel non gerere in solo proprio Magistratuum videatur esse ex adiaphoris, & proinde non tam Patria in præficiendo, qvam potius probitas
11. sufficientia, & doctrina inqviri debebunt. Qvod si sint aliæ rationes extrinsecus supervenientes, qvæ aliter fieri svadeant, aliud qvoqve statuendum, ut, si suspicio de rebellione sit, qvam qvis possit in Patria sua vel in aliena facilius exeqvi, prout ejusmodi factiones in Anglia inter Lancastrenses & Eboracenses qvondam fuerunt; item Gvelphorum & Gibellinorum sub Friderico II. ortorum, qvarum illi Pontifici, hi Imperatori adhæserunt, Reinking. *de R. S. & Ecc. Lib. 1. class. 2. c. 1. n. 13.* qvi con-

contenderunt de gubernatione. Hisce & similibus casibus satius est, alienigenum præficere, qvi neutram partem colatur, qvàm unum ex factiosis, qvi adversariis nocere potens est. 12.

Nov. XVI.

De Mensura Ordinandorum Clericorum.

Hæc Nov. partim est *ampliatoria*, partim *confirmatoria* 1.
superioris *Nov. III.* utraqve tamen specialis, & ad majorem Ecclesiam Constantinopolitanam pertinet; Id tantummodo hîc superadditur, ut, si in una Ecclesia 2.
numerus ad antiqvum sit reversus, in alia non, tunc ex numero excedente alterius Ecclesiæ alium in locum deficientis surrogandum, nec novum esse ordinandum; & hinc uniones Ecclesiarum introductas esse, tradit Stephan. *ad Nov. h. in fin.*

Addit. Est Unio nihil aliud, qvàm duarum pluriumve Ec- 3.
clesiarum facta Connexio. *Instit. Jur Canon. Lib. 22. tit. 19. pr.* qvæ potestas uniendi non solum spectat ad Episcopos, vel alios Ecclesiæ Romanæ Superiores, sed etiam vigore Pacificationis Religiosæ Principibus & Statibus Imperii Evangelicis competit, qvi jura Episcopalia per Consistoria sua exercent. Carpzov. *Jpr. Consist. Lib. 1. tit. 1. df. 1.* Brunnem. *Jur. Eccles. Lib. 1. c. 1.* Brautl. *Epit. Jpr. Publ. Lib. 5. C. 1.* Effectus ejusmodi Unionis est, ut Pa- 4.
rochus in Ecclesia incorporata certo tempore Conciones habeat, Sacramque Cœnam administret, quod præcedente die Dominica in Ecclesia Primaria ob præparationem Filiastis intimandum. Excipitur casus, quo ipsi Filiastæ ad Ecclesiam Matrem accedere debent, vacaturi divino cultui, si nimirum Verbi Divini Mi- 5.
nister ruri ob loci distantiam horis antepomeridianis in Ecclesia unita comparere nequeat, atque Sacra celebrare. *Churf. Sächs. General-Articul, Rubr. 3. §. zum Fünfften, Sechsten.* Sequitur &, ex U- 6.
nione facta Ecclesiam unitam mutare pristinam naturam, & sequi naturam Ecclesiæ, cui facta est, ex quo porrò, omnia communi-

municantur onera & incommoda, perinde ac commoda. Ubi ex Petr. Gregorio *de Benefic. c. 20. n. 2.* triplicem notat unionem Ziegl.
7. ad Lancell. *Lib. 2. tit. 19. §. 6.* (1.) Quando ita beneficia conjunguntur, ut ex duobus unum tantum, & velut tertium quoddam genus fiat, retentione facta in uno privilegiorum utriusque. (2) Quando Ecclesia una alteri subjicitur, in qua, quæ jungitur, non extinguitur; sed amittit nomen suum, & accipit ejus, cui subjicitur; alias enim nuda subjectio non facit Unionem. (3) Quando Ecclesiæ unitæ remanent quidem in suo Statu, sed uni Personæ subjiciuntur, ut tamen utraque maneat principalis, primum genus unionis proprium, reliqua minus propria esse, dicit Petr. Gregorius *d. l.* vid. Molinæus *Cons. 44.* Ludovic. *Dec. 112.* Costam. *Cons. 4.* & *de Remed. subsid. Remed. 133.*

Nov. XVII.

DE MANDATIS PRINCIPUM.

CAP. I.

Ut gratis creati Magistratus gratuitas quoque manus servent erga Deum, Imperatorem & Legem.

1. I. OPortet Magistratum purè sumere administrationem sine omni suffragio, & mundas servare Deo, Imperatori & Legi manus, & nullum, neq; majus, neque minus lucrum contingere, neque per aliquem
2. negotiandi modum captiosum quid contra Subjectos facere; sed contentum esse solo à Fisco ministrato Salario, & tam per se, quàm per illos, qui circa Magistratum sunt, purum undique jus servare.

3. II. Et quidem primum Fiscalia tributa vigilanter exigere, nihil circa publicam curam deminuens, requirere, ne fortè Fiscus inde minuatur, sed quæ ipsius propria sunt, ei undique salvare.

Km.

Rat. Sicut enim privatos, injuſtitiam paſſos, adjuvat Imperator, ſic & publicum illæſum manere vult. 4.

III. Collatores ab omni calumnia liberi debent conſervari, facilè & in promptu ſolvi tributa, & qui ante Legem hanc debitores Fiſci remanſere, nunc, eadem perſolvendo, ſe tributis liberabunt. 5.

Addit. Qvæ hic dici poterant, vid. ſupr. ad *Nov. VIII. cap. 1.* 6.
ubi & de Suffragio. Notat autem Gloſſ. in *h. Nov. cap. 1.* incipere
Librum mandatorum in lingua Latina. Fiſcalia tributa vigilan- 7.
ter ſunt exigenda, ſiquidem Fiſcus omni favore dignus, & providendum, ne vires ejus & reditus minuantur, ſunt & propterea Cenſus, Tributa & annonæ onera realia, tranſeuntes in quemcunque poſſeſſorem. *L. 12. ff. de Muner. & honor.* Et debent exigi, 8.
licet Princeps proprio motu aliquem à Tributis relevaverit, niſi
juſta ratio ſvadeat, juxta *L. Forma, 4. §. 1. ff. de Cenſibus.* Nec enim 9.
Princeps id velle videtur, ut quempiam in perniciem Subditorum oneribus eximat, *arg. L. 4. C. de Emancip.* nec unum locum præ alio aggravat, Beſold. *Conſ. 277. n. 60.* Et licet aliàs magna ſint privilegia Clericorum, in Tributis tamen ceſſare voluit Boër. *Dec. 10.* & Chriſtin. *Vol. 2. Dec. 146. n. 14.* Unde à Tributariis Prædiis non minus tributa ſolvunt, quàm alii. Brunn. *ad L. 3. C. de Epiſcop.
& Cler. L. ult. C. de Exactor. tribut.* Inſtruit autem *L. 7. C. eod.* Præ- 10.
ſidem, quomodo circa Tributorum Exactionem ſe gerere debeat, ſcil. debet inquirere in perſonas Debitorum, deinde curare, ut eorum nomina à Notariis diligenter annotentur, poſtea per ſuos Apparitores, vel Curiales pro conſvetudine loci exigere reſidua, & demum, impletô annô, milites cum ſolutione tributorum ad
Exercitum remittere. Hodié expediret, per Magiſtratum ordi- 11.
narium id potius exequi, nam multum gravari Collectandos per exequentes milites, obſervavit Brunn. ad *L. 6. C. de Exactor. tribut.*
Prout autem Exactor Tributorum, vel Collator, ut hic vocatur, 12.
ſe non debet acerbum præbere, nec contumelioſum; ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum, uti de Creditore *L. 33. in f. ff. de Uſur.* JCtus reſpondet; ita etiam in exequendo officio nulla ipſi inferenda injuria, & Tributa reſidua cum omni modeſtia ipſi ſolvenda, quæ probanda ſunt ex

 Æſti-

Æſtimo, vel Libro, in quo nomina Debitorum, & quid quisque
13. debet, conſcripta ſunt; Ergo, quod debent adhuc Subjecti, ex illo probandum, & illis, quorum intereſt, ſi exigant, debet exhiberi, & oſtendi; nec Exactorem recedere debere ab Æſtimo, docet Klock. *de Contribut. c. 18. n. 46.*

CAP. II.

Ut caveant Magiſtratus, ne quæ ſeditiones excitentur, & quieti publicæ omnium Ordinum invigilent.

1. PRovidere debet, ne Populi Civitatum ad invicem ſeditiones excitent, ſed omnibus Pax ſit, dum æquitas inter omnes Subjectos ſervatur, & nec lucri, nec damni alicujus cauſa ad aliquam partium declinatur.

2. *Addit.* Sane Pax eſt Bonarum Artium decora Mater; Mortalium genus reparabili ſucceſsione multiplicans, Facultates protendit, & mores excolit. Autor Irrn. Polikci *de Pace publ. conſervanda in Imperiis. pr.* ſine cujus Bono nemo ſua bona novit, nemo poſſidet, Marſelaer. *de Legatis in Dedic.* quanquam non modò optant, quibus altior malorum ſenſus eſt; ſed ut Romanus ille Senator dixit, omnes tauri & vituli. Dn. Dietherr. *Addit. ad*
3. *Beſold. Theſ. Pr.* voc. *Fried.* Hæc Subditorum inter ſe interrupta Pax dicitur Seditio, aut Civile Bellum, Factio, qua nihil in Republ. magis eſt pernicioſum, eamque nonnulli adeò proſeqvuntur odiô, ut de Principis poteſtate diſputandum non eſſe, exiſtiment. *L. Diſputare, 3. C. de Crim. Sacrileg. L. Sacrilegii, 5. C. de Diverſ. Reſcr.* Contra Principem verò magna Rebellio, crimen læſæ Majeſtatis, Perduellio. vid. Tholoſan. *de Republ. lib. 11. c. 13. & aliis locis paſſim* Klapmar. *de Arcan. Rerump. &c.*

CAP. III.

Ut breviores & viliores cauſæ ſine ſcripto decidantur, & ſportularum modus ſervetur.

Judi-

JUdices debent lites cum omni æqvitate audire, & lites breves & vilium personarum sine libello cognoscere, & judicare, & providere, ne occasione expensarum judicialium in damnum conjiciantur Subditi; nam, si in datione sufficientes non consistant, etiam gratis lites debent audire, nec permittere, ut ob negligentiam Præsidis de Provincia alicujus ad Civitatem currant, & Imperatori molesti sint. Nam si huic aditionem faciant, & ab Imperatore interrogati, prius Præsidem adiere, deinde hunc adiisse dicant, nec justitiam impetrasse, in eum indignationem convertet; sed, si Præside non aditô, ad Regiam Civitatem adire præsumpserint, remittentur cum omni correctione, nec Responsum dabitur. 1. 2.

Addit. In brevioribus litibus Scriptura non requiritur, *Avth Nisi breves, C. de Sentent. ex peric. recit.* Sed statur nudæ assertioni judicis; Si enim Nuncii Relatio fidem facit, *L. Apparitores, C. de Exact. Tribut.* cur non æquè judici credendum in caussis brevioribus, maximè, si inter viles personas lis agitetur. *d. Avth.* Gail. *L. 1. Obs. 134. n. 18.* Quæ autem breves vel breviores causæ sint, non potest certâ thesi definiri, sed judicis arbitrio committendum, qui non tàm rei; sed etiam personarum habebit rationem in definienda causa modica, vel magna. Menoch. *Lib. 2. A. J. Qu. Cas. 72.* Quamvis de Jur. Civ. Judici ordinario nihil solvi debeat, nec pro Sportulis, nec aliiô modô, quando â Publico Salarium habet. *L. f. C. ad L. Jul. repetund.* Hodiè tamen in quibusdam locis etiam â judice ordinario, ejusqve addictis Sportulas loco Salarii vel in ejus partem recipi secundum Consuetudinem, Taxam, & Statuta terrarum, quæ servanda sunt, juxta Gloss. in *Auth. Offeratur*, super verbis: *Sportulis, in f. C. de Litis Contest. L. 2. & 3. & t. t. C. de Sportul.* Quisnam sit modus sportularum determinatus, vid. infr. explicatum ad *Nov. 82. C. 7.* ibique Wesenb. *n. 1. & 2. d. L. 6. C. ad L. Jul. repetund.* De Jur. Saxon. Sportulæ, ut & litis expensæ, vulgo: *Gerichts-Gebühren*, præprimis sunt solvendæ, nec litigantes ante ipsarum exsolutionem ad causam agendam vel defendendam admittuntur. *Churfl. Sächs. Appellation-Ordnung, tit. Von den Sportulis*, verbis: *Die* 3. 4. 5. 6. 7.

 Spor-

Sporteln und Gerichts-Bücher sollen alle wege, ehe denn man in der Sachen zu versetzen anfähet, von den Partheyen, oder Anwalten entrichtet, oder die Advocaten, sonst zu versetzen, nicht zugelassen werden.

8. Cœterum ita ejusmodi Expensæ judiciales persolvendæ, si, ut Imperator hic loquitur, in datione sufficientes consistant litigantes, nam sic etiam gratis debent audiri, & præstitô paupertatis juramentô, etiam gratis hæ indulgentur, & Advocatis gratis patrocinari coguntur, Lange, *Isag. ad Proc. Jur Civ. & Sax. C. 38. n. 23.* quia

9. &, ubi debitum est liquidum, & exceptio opposita dubia, atque altioris indaginis, & â Reo debitore alimenta, & litis impendia præstanda esse, â Summo Tribunali Wismariensi decisum esse, tradit Mev. *P. 4. Dec. 194.*

10. Ne Principi ob lites qvaslibet privatorum molestia creetur, inferiores Magistratus illis sopiendis meritò sunt ordinati, qvos summo jure remittit ad eos, & qvidem cum magna indignatione, si justitia denegata; inde Confusio Instantiarum meritò vetita, & cujuscunqve judicii ea autoritas est, ut nihil in præjudicium ejus fieri debeat. Mev. *P. 1. dec 70.* Instantiæ igitur interdictæ præcisè sunt attendendæ ubiqve, qvia sunt beneficia Partium litigantium, qvibus & invitis adimi non possunt. *Can. pervenit, 39.*

11. *C. 1. qv. 1.* Reus itaqve coram inferiori judice in prima Instantia conveniri debet, aliàs conventus *Exceptione primæ instantiæ*, sive judicis in illa instantia incompetentis se tueri valet. Lange *Isaq. ad Proc. Cap. 33. n. 210.* & qvi Adversarium coram diversis judicibus pro eodem negatio citat, secundum qvosdam causa cadere debet, *L. 1. in f. C. de assert. toll. Gail. L. 1. O. 32. n. 6.*

CAP. IV.

Ne Præsides permittant, Executores aut Magisterianos aliqvid formarum & portuum causa exigere.

1. QVicunqve, sive ex Magisteriano, sive qvolibet foro alio veniat, non permittat Præses lædere, vel ultra qvid exigere â Subjectis; sed, si qvis de dammo illato

to qvestus, indemnitatem ei procurabit, nec admittet, Mandata à qvocunqve Curiæ nostræ proferente, vel formarum aqvæ causa, portuum & itinerum sternendorum &c. Ergo licet Mandatum hoc nomine ostendatur, non tamen aliqvid agat, nisi secundâ expectata jussione.

§. I. Qvæ ad victum necessaria, diligenter procurabit 2.
Præses, portuumqve & murorum curam habebit &, qvicqvid omninò est Publico, & Civitatibus utile, & cogitabit, & faciet, & nunciabit.

§. II. Habebit & Præses milites in Provincia sibi obe- 3.
dientes, in qvantum ipsis ad ministerium suum opus habet, si deliqverint, ex eorum bonis, vel Salariis satisfactionem qværunt.

Add. Magisteriani sive agentes in rebus, ita videntur dicti, 4.
qvod ex eorum Schola Executores litis Magistro officiorum tribuerentur, ut testatur Marian. Scotus.

Qvod si Imperator Mandatum aut Rescriptum juri Civili, 5.
vel Publicæ utilitati, aut proprio commodo contrarium Præsidi mittat, cum tanqvam Homo, affectibus & erroribus subjectus, iracundiâ motus, aut inadversanter sine causæ cognitione mandavit, Præses ejusmodi duras jussiones, vel qvandoqve acres vindictas contra Subditos exeqvi non debet, sed executionem usqve ad trigesimum diem differat, ut interim iræ affectus refrigescat. *L. Li vindicari, C. de Pœnis.* vel ut hic dicitur, secundam jus-
sionem expectet. Qvodsi Princeps post relationem Præsidis pri- 6.
orem jussionem repetat, ac denuò contra rescribat, secundis & repetitis mandatis ob geminatam, & enixam Principis voluntatem erit parendum vid. *LL. meis Notabil. ad d. L. Si vindicari C. de Pœnis, Additiones. & dicta ad L. Ballista, ff. ad Sct. Trebell. per h. Cap.*
Siqvidem non licitum est subditis judicare de Decreto Majesta- 7.
tis, cui supremum arbitrium Reipubl. à Deo tributum est, ne hoc exemplo cœteris qvoqve officialibus ac subditis non obediendi, vel rebellandi occasio suggeratur, Myler. ab Erenb. *in Hyparcholog. Cap. 11. §. 23.* ubi *§. 24.* addit qvæstionem, *An secunda jus-
sioni ita absolutè parere teneatur, vel potius Officium resignare de- 8.
beat?*

debeat? Qvod ob varietatem casuum difficultate non carere dicit, adeò, ut una thesi vix omnia resolvi possint, siqvidem hoc loco imprimis habendam esse differentiam, inqvit, inter Causam Civilem & Criminalem: Item an præceptum Superioris damnum irreparabile afferat tertio, nec ne, ubi sanè magna dijudicandi pruden-
9. tia reqviritur. Myler. *d. l.* Cum præter Forum liberum in celebriore Civitatis loco de ambulationibus & colloqviis honestorum Civium & negotiorum accommodatum, etiam in Rep. benè constituta aliud rerum venalium oporteat esse, qvo merces è terra & mari facilè comparari possint, ibiqve Cives ad victum qvotidianum necessaria emere, & cura carnis specialiter semper & in Statu Reipubl. Romanæ Officio Præf. Urbi sit concessa. *L. 1.*
10. *§. cura carnis, 11. ff. de Off. Præf. Urb.* qvi & ideo forum Suarium sub sua cura habebat, ut & cæterorum pecorum, sive armentorum, qvæ ad hujusmodi præbitionem spectabant. *d. §.* Meritò & hanc qvoqve curam hic Præsidibus demandat Imperator, melior enim est victus auro, qvod Midæ Regis fabula declarat Poë-
11. ta Ovid. *lib. 2. Metamorph.* Natal. Comes *Lib. 9. Mytholog. 15.* Cumqve corpus hominis qvotidiè debilitetur, humidum radicale consumatur, necesse est, restaurari novo cibô, qvi post comestionẽ in sangvinẽ & succũ convertatur, ita, ut juvenes eum accipiãt in incrementũ, Senes ad perseverantiã. Isidor. *Lib. 20. Etym. 2.* qvo circa victui promovendo aliqvos constituere apprimè conducibile Reip. esse, Legislatores constituerunt, imprimis, qvi victualia pro publici Status, terrarum & Populorum tuitionem qvolibet anno taxarent. Alvarottus *de Pace tenend. §. Post natale, n. 1.* Boër. *Dc. 206. n. 6.* Qvin & qvi rusticos cogerent ad vendendum ea. Klock. *Tom. 1.*
12. *Cons. 10. n. 830. & Cons. 29. n. 977. 980.* Ulterius vult qvoqve portuum & murorum curam sub Præsidibus esse, ut si refectione opus habeant, illa debita fiat cum diligentia & vigilantia, & muros Civitatum facilè jussu Principum construi posse in locis, in qvibus ipsis videbitur, nemo dubitat, cum & ad illud possint compelli & Oppidani, seu Municipes, contributis sumptibus juxta
13. facultates illorum *L. 10. C. de Oper. publ.* idem & de portubus dicendum, à qvorum refectione nec peregrini, appellentes ad eos, cum hoc ipso securitate portus maximè fruantur, immunes sunt,

cum se-

cum secundum naturam incommoda ferre debeant, qui commoda sentiunt. Illustr. Dn. de Rhetz. *Diss. de Jure Portuum, cap. 1. n. 19. 20. & seqq.* Cum vero muri in Urbe sancti sint, *L. 1. §. 1. L. 8. §. f. ff. de Rer. divis.* nec violandi. *L. 11. ff. ad L. Jul. pecul.* nec sine permissu Principis sunt reficiendi, *L. 8. §. f. L. 8. §. pen. ff. de Rer. Div.* nec denique habitandi. *L. 3. C. ne quid in loco sacro.* Cum verò circa hæc Præsidum Curam esse voluerit Imperator, non dubitandum, qvin & de aquæ ductibus publicis providerit; non enim licuit cuique, de aquæ ductu publico aquam ad suum Prædium derivare, qui secus fecerint, pœnam publicationis illius Prædii patiuntur. *L. Si quis, 2. C. de Aqua ductu.* vid. Jul. Frontin. *in Lib. de Aqvæ ductibus Romanorum.* De Fontibus publicis *L. 9. C. de Aqua ductu.* de Balneis, Valer. Maxim. *Lib. 2. cap. 1.* & Alex. ab Alexandr. *Lib. 2. Geneal. dier. cap. 25.*

14.

15.

CAP. V.

De Criminibus.

NOcentes nullis utantur Privilegiis, sed ubique sola ipsis impunitas prosit; Homicidia autem & adulteria, Virginumque direptiones, & invasiones, & oppressiones cum vehementia corrigat Præses, delinquentes secundum LL. puniat, ut paulatim supplicium eos omnes faciat salvos. 1.

§. 1. Officiales suos in officio continebit Præses, non, ut videantur præ veritate ipsi subjecti, pro veritate autem ejus præsint voluntati. 2.

§. 2. Consiliarium Virum Optimum assumet, & purum undique & contentum iis, quæ à Fisco dantur, si fidem justam non custodiat, expellere potest Præses, aliôq; uti, Legem & justitiam cum puris servante manibus. 3.

§. 3. Terribilis sit publicè & privatim omnibus delinquentibus, & indevotis circa Fiscalia, mansvetissimus autem & mitis omnibus placidis & devotis, paternam eis exhibendo providentiam. 4.

5. *Add.* **Crimen extinguitur pœnæ redditione, si Reus Legis** vel Judicis voluntati satisfecerit, pœnamque secundum sententiæ tenorem subierit; ut enim solutione ejus, qvod debetur, omnis tollitur obligatio, ita quoque pœnâ eam obligationem tolli, necessum est, qvâ Reus delinquendo Reipubl. fuit obstrictus.
6. Præterea, sicut satisfecisse Creditori non intelligitur, nisi qui solidum solvit, ita nec Legibus satisfecisse damnatus intelligitur, nisi tota pœna perfunctus sit. Anton. Matth. *de Crim. L. 48. tit. 19.*
7. Hæc igitur, ut tota persolvatur, nullum succurrat Privilegium, nulla itidem obstet dignitas aut prærogativa, & quemlibet Autorem pœna delicti sui comitabitur. *L. 22. C. de Pœn.* Nam, si in ho-
8. micidiis & adulteriis Conniventia toleraretur, crimen tolleretur, nec repeti Reus ab aliquo Accusatore, aut â Magistratu inquirente posset. Jam autem LL. qvæ Reip. utiles sunt, quantum fieri
9. potest, Interpretatione adjuvandas esse, qvæ noxiæ, restringendas, *L. 64. §. 1. ff. de Condit. & demonstr. L. 14. 15. ff. de LL.* & pœnas humanis Legibus justè irrogatas, ab ipso Deo infligi, easque, teste Cornelio Agrippa *Lib. 3. de Occulta Philos. c. 41.* nulli Deum remit-
10. tere, dicunt Hebræorum Magistri; & quamvis Princeps solutus sit Legibus humanis, vincitur tamen, & obstrictus est divinis, &, ut Subditi impunè Legem Principis transgredi non debent, nec possunt, sic nec Princeps sui Principis, Dei; nam ut Magistratus, qui delegatus est â Principe, dispensare sine pœna contra Legem
11. sui Principis non potest, sic nec Princeps contra Legem DEI, nec enim debet velle videri, se mitiorem vel prudentiorem esse Deo, dum illud horrendum Dei imminet axioma, *Propter inju-*
12. *stitiam transferri Regna de gente in gentem*, Supplicium ergo omnes (meritos) faciat salvos, namque hoc magnorum præsens medicina malorum.

13. Vult Imperator, Consiliario bono Præsidem esse instructum, nam in errorem inducit inscitia, sed peritia in Consultatione opportunum quærit tempus. Etenim natura nostra est rationis particeps, atque ideò deliberationis, &, cum propria voluntate ad bonum recipiendum ducitur, tunc naturam suam conservat & sequitur, quando verò eligit, quæ non decet, corrumpit ean-
12. dem. Providentia, maximum mortalitatis lucrum, quæ ex bona sequi-

sequitur Consultatione, sine qua regi, est velut in tenebris obambulare & ubique cespitare. Igitur cum inter prudentes & 15.
privatos Viros vox illa; *Non putabam*, valdè reprehensibilis, sic enim Iphicrates: *pessima est vox Imperatoris, non putabam*, hinc multis rationibus prodest bonum Consilium, non modo Civibus, aut Privatis, sed & potissimum Principibus ipsis, & Moderatoribus Rerumpubl. quæ omnia enumerare nec datur otium, nec expedit, cum in promptu res sit, & apertam habeat considerationem, dicente Tholosano *de Republ. lib. 34 c. 3.*

Præsidem, quomodo erga delinquentes se gerere debeat, in- 16.
struit Imperator in *L. 11. ff. de Pœnis*. Idem ferè incultat Martian. JCtus. dum in levioribus causis ad lenitatem proniorem esse vult, sed in gravioribus pœnis severitatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Specialius ferè de Præside agit Callistratus *L. 19. ff. de Off. Præs.*

CAPUT VI.

De Fide publica, aut securitate non passim danda.

I. SAlvum Conductum Præses alicui non dabit ultra 1.
XXX. dierum inducias, ad evitandam infinitatem contentionem inter litigantes. Si qvid interea factum, & qvis impetrantem adierit, negotiô interea cognitô, Salvus Conductus ubiqve servabitur.

II. Qvod si contra eum sententia necessaria sit, con- 2.
demnabitur, & electio proponetur, utrum Salvo Conductui absolutè velit renunciare, an judicatis obtemperare, an non; si neutrum fecerit, missio fiat in Bonorum Possessionem pro mensura debiti.

Addit. Salvus Conduct. semel concessus regulariter est ser- 3.
vandus, &, sicut Appellatione interpositâ, ut qvæ judicatum suspendit, *L. 1. §. 1. ff. ad SCt. Turpill.* nihil innovandum est, ita nec præfinito spatio XXX dierum, intra qvod S. C. durat. Speckhan. *Cent. 1. Qv. 1. class. 1.* Si à Principe datus, non extenditur

 ad

ad debitum Fiscale, nisi id expressè dictum; Ruding. *Cent. 4. Obs.*
5. *Cam. 61.* Aliàs, ut mox dictum, inviolabiliter servandus, nam ab illis cavendum, qvi docent, ab publicam utilitatem S. C. revocari posse, qvæ enim tanta potest esse utilitas, ob qvam fides sit violanda? Qvod vinculum humanæ societatis satis firmum,
6. nisi contineatur fide? Tolles Commercium omne cum Latronibus, Piratis, Hostibus & Mahomedanis, si dixeris, fidem eis datam
7. boni publici causa violari posse. Itaqve æterna meritò infamia Pontificis Eugenii IV. est, qvi Ladislao, Hungariæ Regi, Autor fuit, ut pacem cum Turcis factam violaret, cujus Consilium etiam in-
8. felicissimus Regis exitus perfidiæ damnavit. Eadem infamia Patres Constantienses deflagrant, qvi Sigismodo Imperatori Autores fuerunt, ut Iohannem Hussum contra fidem datam flammis traderet. Sapientius Carolus V. Qvi Lutherum publicâ fi-
9. de ad Comitia Wormatiensia evocatum, dimisit inviolatum, dicens, *Licet fides toto terrarum Orbe exculet, ab Imperatore tamen inviolabiliter esse servandam.* Sleidan. *L. 3. de Stat. Relig. sub Carolo V.* Qvamvis non deessent, qvi Constantiensis Concilii decretum & vestigia secuti, fidem ei minimè servandam esse, contenderent. vid. Anton. Mathæi *de Crimin. ad Lib. ff. 48.*
10. *tit. 14. C. 2.* Judicatis obtemporare non est in arbitrio Victi, sed, sententiâ latâ, ea executioni datur, sive ad pallatum sit ejus, sive non, nisi intra terminum à Lege præfinitum appellaverit: Nam, quia judicio quasi contrahi vulgatum JCtorum dictum est, ex *L. 52. ff. de Pecul.* ex contractu autem oritur obligatio & actio, invitus condemnatus omninò tenetur.

CAP. VII.

Ut termini Sanctorum homicidis non prosint.

1. NEque Homicidis, neque Adulteris, neq; Virginum Raptoribus terminorum custodiet Cautelam Præses.

Rat. Templorum Cautela non Nocentibus, sed Læsis datur à Lege, nec est possibile, utrumque tueri Cautela Sacrorum locorum, & lædentem, & læsum.

§. 1. Pu-

§. 1. Publicorum Tributorum Exactio etiam intra Templa decenter fieri potest. 3.

Rat. Quoniam Fiscalium ratio & militibus, & privatis, ipsisque Templis & auctæ Reipubl. utilis & necessaria est. 4.

In hoc ipso præbebunt auxilium Defensores Civitatum, & Oeconomi, qvi tamen nullum horum, à quibus Tributa fiscalia exiguntur, abripiant, nec tamen patientur, circa exactionem aliqvam Exactoribus vim inferri, nisi de suo Fisco restitutionem facere malint. 5.

Addit. Licet Bulla Pontificis Gregorii XIV. An. 1599. promulgata, cujusvis generis facinorosis, etiam dolosis, & ad Ecclesiam confugientibus plenam securitatem & immunitatem tribuat, solis exceptis Publicis Latronibus, Viarum Grassatoribus, Homicidis in Ecclesia, proditoriè delinquentibus, Assassinis, Hæreticis, & læsæ Majestatis Reis; Myl. ab Ehrenb *de Jure Asylor. C. 10. §. 3.* dolosos tamen Homicidas loci securitatem non defendere, sicq; existimasse Lusitanos, Gallos, Venetos, Italos, Tyrolenses, *d. l. §. 5.* pluribus eruditè probat, Privilegia tamen Reutlingensia hoc singulare habent, *Daß man wieder selbigen, so der Oerter sich enthält, noch auch seine Güther keinen Proceß außwürcken möge*, Besold. *Tr. Pol. de Jur. Majest. pag. 160.* & de Jure Can. ad Cœmeterium confugiens immunitate Ecclesiastica gaudet, & vocanrur hæc, *Die Frey-Höffe*, quia apud Templa, & in eis est immunitas, cum plerumque ad ea refugium soleat institui. Notat verò & Mageerus *de Advocatia Armata C 15. n. 93.* nonnunquam & privatorum ædibus jus Asyli concedi, quæ propterea vocantur, *Die Centfreye Häuser.* An verò hæc, & similia Asyla Christianis retinere liceat, Klock. *Cons. 10. n. 315. 316. & seqq.* examinat. 6. 7. 8. 9. 10.

Illud hic singulare in *h. C. VII.* Exactionem etiam Tributorum intra Templa fieri posse, sunt enim aliàs omnia, contra qvietem Ecclesiarum tendentia, prohibita, qvo cum Pace & Tranqvillitate vota celebrentur. *L. 5. C. de his, qvi ad Eccles.* hic tamen ob publicam utilitatem & necessitatem Tributorum Exactionem concedit, qvæ, an tanta sit, ut hodiè cultus divinus propterea prohibeatur, parum Christianè, ut puto, defenditur. 11.

CAP. VIII.

Ut cogant Exactores Tributorum *in Apochis suis exprimere qvantitatem Zygocephalorum.*

1. *I.* EXactores Tributorum omnia accuratè annotabunt, pro qvibus Tributa Subjecti deferunt, Zygocephala, juga aut jugalias, aut qvæ qvocunqve modô à Prædiis exiguntur, sive in speciebus, sive in auro consistant, & manus amputatione punientur Exactores, si, qvod nunc præceptũ, custodiant, deinceps omnibus modis servent.

2. *II.* Si dixerint aliqvi, non posse jugerum qvantitatem poni, nihil hinc lædatur Fiscus nec Collatores, Fiscus enim sine præjudicio omnia sua percipiat, & solenniter celebrata suscepta percipiat.

3. *III.* Nunciari debet Præfecto, qvando primitias Tributorum exigunt Exactores, ut expositiones accuratè dent, qvo ex hoc fiat dijudicatio causæ, & sic interea juxta consvetudinem Fisco data inferant. Ratione dubiorum qvæ mota, decisioni Præfecti stabitur, & Exactores de cætero qvantitatem Zygocephalorum & aliorum omnium describant.

4. *§. 1.* Non debent Curiales aut Censuales, cum Prædia eorum vendita, qvo minus transferantur ad Emtores; Si dixerint, Emtores, esse minus idoneos, & propterea non posse transferri, Præses examinabit, &, siquidem idonei fuerint Emtores primos Tributarios coget, transpositio-
5. nem sine omni damno celebrare. Qvod si non satis idonei inveniantur, venditores cogentur hæc profiteri, & fiat transpositio fiscalium tributorum in Emtores Venditorum periculo; sic enim neqve Fisco nocebitur, & fiscalium tribu-

Tributa à Possessoribus inferentur. Oportet autem maximè contra Possessores fieri Collationes; sed non contra nōn detinentes, neqve possidentes terras.

Addit. Cum Administrator qvilibet rationes reddere teneatur, & quidem Civitatis singulis annis *Nov. 128. C. 26.* nec ab hisce se liberare qveant Exactores Tributorum, ratio svadet, ante omnia Librum rationum ipsos oportere conficere, secundum quem rationes exponant, quid, vel qvantum ab hoc, vel illo Tributorum acceperit, huncque Librum omnibus, quorum interest ostendendum esse, jam tum supra, suo loco, assertum. vid. Burger. *Cent. 3. Observ. Jurid. Polit. Militar. 29.* 6.

Zygocephala significant jumentorum capita, jugo illigata. 7.
Apud Nos qvoq; Rustici, qvi suis jumentis operas ruricales præstant, qvos Hubarios, *Hübner, Anspänner, Pherdner* indigitant, si tantum agrorum possident, ut eqvos vel boves aratorios alere possint, dicuntur qvoqve habere sua Zygocephala, *Zug-Vieh, Pferde, oder Ochsen,* & olim pro animali & jugo qvolibet aliqvid solvebatur Romanis, perinde, ut apud Nos nonnullibi pro qvolibet aratro, *von jeden Pflug,* inde, *vom Pflug-Schatz, auff die Pflüge und jugera geschlagen,* dicit Klock. *Tom. 3. Consil. 151. n. 65.* Et in Marchia Brandenburgensi in Civitatibus quoque ii, qvi jumenta alunt, pro qvovis capite, singulis annis, tribus vicibus, certi qvid præstare tenentur, qvi contribuendi modus venit sub nomine, *Das Simpel-Geld.* Jugaliæ sunt corrigiæ jugorum, cum quibus ca- 8.
pita Boum ligantur. Gloss. *hic.* Curiales dicuntur Curiæ muneri- 9.
bus adscripti Gothofr. *ad Rubr. C. Ubi qvis Curial.* Dicuntur qvoq; ejusdem Curiæ Homines, & sic accipitur *in Cod. Tit. de Curial. urb. Rom.*

Censuales vocat Gothofred. *ad h. Nov. c. 8. §. 1.* τῶν δημοσίων 10.
ἀπογραφῶν φύλακας, quibus Censuale negotium mandatur. Di- 11.
cuntur & Tabelliones, & Scribæ, & Librarii Censualis Ministerii, qvi operam suam accommodant Magistro Census in Urbe, & Acta Senatus conficiunt, prout in *L. 2. & 4. C. de Princ. agent. in reb. Lib. 12.* inde Censuales Tabulæ, qvæ ab iis pro modo redituum conficiendæ, & emendandæ sunt *L. 2. C. de Prædiis navicul.* Klock. *Consil. 28. num. 38.*

Dedu-

12. Deducitur *ex h. §. in fin.* Etiamsi bona alterius nomine in Castro descripta reperiantur, veritatem tamen & æqvitatem prævalere debere, ut possidens & percipiens fructus teneatur, Pinell. *ad L.1. C.de bon. mater. P.2.n.72.* & onus Collectarum iis tantum incumbere, qui possident, & fructus percipiunt, deducit Klock. *de Contribut. cap.11.n.180.* Et ideò, si de Feudo inter duos lis sit, v. gr.
13. qvando res nuper emta retrahitur Cognato, ille interea Collectas solvet, quia fructus percipit. Mev. *P.5. Dec.363.* conf. *Auth. Sed & periculum, C. sine cens.*

CAP. IX.

De Profectionibus Præsidum, ne Provinciales Angariis &c. vexent.

1. PRæses, jubente Imperatore, ad alias Provincias profecturus, contentus erit, qvæ de Fisco suppeditantur, nec qvid gratis expendere, Subjectos atterere & ex qvibus pecuniis in Provincia, in qva consistit, pecunias expendit, ex his ipsis, & ad alias Provincias proficiscens, faciat expensas, nec affligat Collatores angariis, sed propriis subjugalibus, qvæ vinum, aut alia victualia portant, & propria expensa agat iter.

CAP. X.

1. NEc Præsides habebunt Vicarios in Provinciæ Civitatibus, & milites, si qvos Comites secum desiderent, ex propriis emolumentis habeant, qvi, si ex tributis qvid expenderint, & angarias acceperint, damnum, qvod hoc nomine Subjecti perpessi, ex militum Stipendiis recipiant, qvæ si non sufficiunt, proprio periculo illæsos servabit Præses.

2. *Addit.* Imperator hic denuò maximam Subjectorum curam gerit, ut, si forte ad justitiam administrandam, & qverelas eorum audiendas, Præsidi proficisci necessum sit, id sine eorum sumtibus fiat. Postea introducta sunt *Mansionatica*, sive *Mansiones*, qvæ
3. vocabantur loca, in qvæ qvis jus habebat divertendi, & hospitandi

tandi, idqve vel ex proprietate, vel ex contractu aliqvo, aut antiqva consvetudine, cujus non extitit apud Homines interrupta memoria. Mager *de Ador. arm. c. 10. n. 222. & 256.* Hodiè 4.
hoc jus qvoqve Nobiles habent & exercent, nec tam in Monasteriis; sed etiam in pagis, vocatur aliàs jus Albengariæ, *Die Azung*, aliàs *Außspann*, qvod definit Myl. ab Erenb. de *Princ. & Stat. Imper. P. 2. c. 80. n. f.* ut *sit onus & præstatio alimentaria, qvam incolæ Dominis cum Familia, & Comitibus advenientibus debent.* Et qvidem plerumqve, cum ad audiendas Subditorum qverelas comparent. Nec Collatores aut Subjectos Angariis affligat Præ- 5.
ses. *Angariam* describit Gl. hic, qvod sit opera personæ tantum, Parangaria verò operacum. Myl. ab Erenb. *d. l. c. 72.* dicit, ab 6.
angendo proprie esse dictas, qvod adstringant vel constringant Subjectos, Parangarias verò summam coactionem & perfectas operas, subitò præstandas, significare. Originem harum opera- 7.
rum incepisse initio ex conventione, qvando Censitus aut agricola, acceptô mansô, se ad hæc, vel illa obligavit servitia, testatur Coler. *de Proc. Exec. P. 1. c. 9. n. 66. & seqq.* vid. Husan. *de Homin. propr. c. 6. n. 53.* Math. Stephan. *de Jurisdict. Lib. 2. P. 1. c. 2. m. 2. n. 192.*

CAP. XI.

Ut Præses oblatas sibi de Religione jussiones contemnat.

NOn committat Præses, ut occasione Religionis Hæ- 1.
reseosqve Provincia commoveatur, si verò Canonicum sit, qvod qværitur, una cum Metropolita Provinciæ hoc disponat, & decernat, & sive dubitatio ingruat, decisibilem terminum habebit Episcopus, qvi & decenter orthodoxam fidem custodiat, indemnitatemqve fiscalibus procuret, & Subjectos servet inviolatos.

Addit. Fundamentum totius Imperii est *Religio, Metus, Cul-* 2.
tus Dei, servare ejus mandata, obseqvi voluntati ejus, *nec enim debet*, inqvit Ecphantes Philosophus, *qvi aliis imperat, illum ignorare, à qvo ipse regitur.* Sciat igitur Princeps, unum esse Deum 3.

Eſſentiæ uniꝰ in Trinitate Perſonarum, Optimũ, Maximumq;, Sempiternum, Summum, æternum Regnatorem, vel Gubernatorem omnium, qvem nullus effugere, nec mente, nec factô poteſt, cui nihil ſecretum aut clauſum eſt, Judex Vivorum & Mortuorum, & Vindex improborum, etiam Principum, &, ut Horat. *L. 3. Odar.* inqvit: *Qvi terram inertem, qvi mare temperat ventoſum, &*
4. *Urbes, Regnaqve triſtia.* Hic igitur ſi talis ignoretur, aut Populus alius eſſe doceatur, dum ante verum Deum eſſe ſcivit, & ejus cognitione exacta fuit imbutus, qvid exinde aliud, qvàm ſedi-
5. tio & ſubverſio Reipubl. ſeqvi poteſt? Scil. hoc caſu ſubſeqvuntur Bella pro Religione, dicta Sacra acerrima, ubi pugnatur *pro Aris & Focis*, qvibus optimus Princeps ſub initium & ſtatim Medelam qværit, qvo difficiliorem, & cum ſummo Reipubl. pericu-
6. lo eorum eſſe eventum conjunctum, dijudicat; Qvare optimè Principalis mandatis inſerit Juſtinianus Imperator, ne occaſione Religionum, Hæreſeumqve qvæſtionis Provinciam commoveri, permittat Præſes; & in *Nov. 103. c. 2.* admonuit, Proconſulem Palæſtinæ, ut juxta morem prædeceſſorum Gubernatorum pacatam à tumultibus Popularibus conſervaret Provinciam, qvæ ex diverſitate Religionum maximè ſeditionibus ſolebat laborare, nam qvoties mota eſt Sacra Religionis Anchora, toties fluctuavit ſimul Reipubl. Navis, prudenter notavit Famian. Strada *de Bello*
7. *Belg. L. 2, P. 72. 73.* Ut igitur tale qvid arceatur, non permittat Præſes, ſub magis, qvam Imperantis nutu Conventicula inſtitui à Provincialibus *L. conventicula, 15. C. de Epiſcop. & Cler.* vid. Jacob. Zevecot. *Obſerv. Polit. ad Sveton. Cæſar. c. 42.* Sed, ſi arduum qvid, Religionem concernens, ſe offerat, Imperatoriam
8. Majeſtatem veneretur. Ita imperatoria Conſtantini M. ſententia in Concilio Nicæno Ariana ſomnia ſunt damnata; Idemqve cognoſcere voluit, an, qvæ ab Epiſcopis Tyri acta erant, rectè ſe haberent, vel ſecus, & Marcianus Imperator ſuum ipſe negotium duxit, rectam & veram Fidem omnibus declarare, qvod pluribus Exemplis, ex Hiſtoriarum monumentis deductis, probat
9. Henniges *de Imperator. Poteſt. circa Sacra, c. 4. §. 4.* Præſente loco, ſi qvid circa Articulum Fidei diſceptandum occurrit, deciſibilem terminum concedit Epiſcopo Imperator; Ergo neceſſum eſt,

eſt, eundem ipſum Imperatorem habere, cum aliàs ipſi concedere non poſſet; An vero hoc caſu ipſius Epiſcopi judicio adſtrictus 10.
ſit Imperator, jam alibi à JCtis eſt deciſum. vid. Henniges, *d. l. c. 4.* Grot. *de Imper. S. Poteſt. circa Sacra, C. 5. 6.* Brunn. *Jur. Ecclef. L. 1. c. 2.*

CAP. XII.

De Capitali Crimine damnatis, ut bona eorum non publicentur, ſed Propinqvis relinqvantur.

Qvi dignus pœna apparuit, puniendus qvidem, ſed 1.
res ejus Præſes non contingat, ſed generi, & Legi ſecundum Ordinem ſinat; nec enim res ſunt, qvæ delinqvunt, ſed, qvi res poſſident. Non igitur Ordo re- 2.
ciprocandus, & qvi pœna digni, dimittendi, & illi puniendi, qvos fortè Lex ad Succesſionem vocabit.

Addit. Eqvidem jure antiqvo bona ejus, qvi ad mortem e- 3.
rat condemnatus, publicabantur, ſeu Fiſco addicebantur. *L. 1. ff. de Bon. damnat.* & *tot. tit. C. eod* Exceptis Pannicularіis, qva- 4.
lia ſunt, qvæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, qvibusqve indutus eſt, cum qvis ad ſupplicium ducitur, ut ipſa Appellatio oſtendit, *L. 6. ff. de Bon. damnat.* Gryphiand. *Oeconom. Legal. lib. 1. c. 8.* Qvoniam tamen non Bona, ſed Bonorum Poſſeſſores 5.
peccant, ideò illam Conſvetudinem ſuſtulit Imperator generaliter, per *Avth. Bona Damnatorum, C. de Bon. damnat.* & *Nov. h. 17. c. 12.* Licitum eſt igitur Damnatis Teſtamentum facere, vel do- 6.
nare mortis cauſa, qvod ſi non fecerint, bona eorum poſt mortem ab inteſtato deveniunt, & qvidem ad Deſcendentes & Adſcendentes ad tertium gradum. Gloſſa qvoqve admittit Ag- 7.
natos & Cognatos, qvi ex lege vocantur; ſed, ſi *toti generi* relinqvantur, Agnati usqve ad X. gradum admittuntur, de qvibus fortè infra D. V. ad *Nov. 134. c. ult.* uberior ſe dicendi occaſio offeret. Vid. interea Anton. Mathæi *de Crimin. ad L. 48. tit. 18. cap. 2.*

CAP. XIII.

De injustis patrociniis prohibendis.

1. PAtroni Causarum injusta in se patrocinia non suscipiant in læsionem aliorum, nec, ut Fiscum fraudent, virtutem suam objiciant, neqve curet Præses, ad cujus damnum hæc agentes pertineant; Sufficiat enim ipsi ad perfectam fortitudinem, & Lex, & Imperii favor.

2. *Addit.* In bona Causa Adversarium adeò fallaciis decipere non potest, nam statim, ac cognoscit, Causam malam esse, à suscepta Advocatione abstinere tenetur, *L. 12. §. 1. C. de Judic.* arg. *L. 2. §. item quæritur, inf. ff de Except. dol.*
3. Quodsi de facto contra Conscientiam pergit, ad gehennam ædificat, inquit Hostiensis, seu, ut alii loqvuntur, mortaliter peccat, & insuper utriqve litigantium ad restitutionem omnis damni ac interesse tenetur. arg. *L. Non est ignotum, C. de Administr. tut.* Parlador. *L. 2. Rer. quotid. in*
4. *pr.* Debent enim Advocati esse justitiæ Ministri, imò Sacerdotes, teste Ulpiano in *L. 4. ff. de Jur. & Jur.* & ut ex Mengering. *in Horolog. Cap. 5. §. 12.* probat Dn. Fritsch. *in Advoc. pecc. Conclus. 6. § 1.* Boni Christiani, boni Viri, & boni Cives, qui nullo rerum pondere non solent inniti, verbis humidis & lapsantibus diffluere, prout de Rabolistis loqvitur Gellius *L. 1. cap. 15. Noct. Attic.* qvorumqve Oratio benè existimatum est in ore nasci,
5. non in pectore &c. Sic & Paris de Puteo, *Tr. de Syndic. de Excessib. Advocat.* scribit: Advocati causarum excedunt, qvi filacterias suas perorando dilatant, ut appareant Scioli, qvos reprehendit Evangelium, dicens: dilatant autem filacterias suas, & magnificant fimbrias &c.

CAP. XIV.

De alienis colonis & capite censitis, ut nemo eos suscipere audeat.

1. ALieni agricoli non debent suscipi, sed citò reddi, & si qui in reddendis sunt inobedientes, horum onus
2. possessionibus illorum debet imponi. Si in aliis Provinciis

vinciis Agricolæ ſint conſtituti, ad illorum Præſides debet ſcribi, ut fugientes, *conſitentes*, aut *convicti* tradantur Poſſesſionibus, & revocentur ad Provinciam, inobedientes autem vehementer ſunt corripiendi, illisque minꝰ idonei adjiciendi; qvod obtinebit, ſive qvis Prædia posſi- 3.
deat, ſive aliàs gubernet.

Add. Qvamvis Agricolæ & glebæ adſcripti facultatem rece- 4.
dendi certis caſibus habere videantur, ſine tamen decente ſignificatione, vel reſignatione prævia eam facere non debent, Ergo, ſine juſta cauſa, ſi fugam moliantur, ea ſpolii ad inſtar eſt, inde ut ſpoliatus ante omnia reſtituendus. *L. Si meminerint, C. unde vi.* & Exceptio ſpolii usqve ad reſtitutionem Spoliatorem agentem repellit. *C. 2. & fin. X. de Ord. cognit.* Sic quoque fugi- 5.
tivus prius reverti, & tunc de conditione ſua agere, aut convenienter reſignare, atque ê ſervitio diſcedere jubendus. Mev. *P. 4. Dec. 18.* Ut enim ſui ipſius fur eſt, ſic nunquam contra do- 6.
minum præſcribit, nec mala fides, in qua, ſuæ conditionis conſcius, ſemper manet, admittit præſcriptionem. Mev. *P. 1. Dec. 90.* & *P. 2. Dec. 201.* Ideoque, ſicut aliàs res furtiva à Domino vindicari poteſt, *L. 23. C. de R. V. L. 2. C. de Furtis.* ita etiam ejusmodi Agricolæ & Cenſiti, ſicut non dubitarem, etiam in caſu non factæ reſtitutionis, Dominum reddere tergiverſantem, operas aliàs præſtandas à tali per alium præſtare, poſſe cogi, aut intereſſe. Quodſi in territorio Domini, qvem deſeruerunt, non extent, 7.
nil obſtat, qno minus per Literas Requi toriales, *durch Steck-Brieffe*, ad omnes ubique Magiſtratus & Judices, ubi reperiuntur, comprehendi & detineri posſint, ut ſic, ubicunque reperti, ſiſtantur, & Dominis ſuis reſtituantur, quod meretur, cum ipſorum crimen, tum jus Dominorum, & eos ſine mora ad glebam reducendi, æqvitas & utilitas. Mev. *P. 2. Dec. 274.* Neceſſum au- 8.
tem hoc caſu eſt, ut in textu reqviritur, eſſe convictos, aut confeſſos; ſi enim Agricola, vel Homo proprius neget, ſe jure ad Dominum vindicantem pertinuiſſe, ſed naturalem libertatem arripuiſſe, Domino perſequenti per Actionem Præjudicialem, per qvam Statum fugitivi contendit, probare incumbit, ad ſe jure pertinere. arg. §. 13. *I. de Action.* Nam qvæ cauſa facit præjudici- 9.
um

um alteri liti, prius est discutienda, *L. f. C. de alend. lib.* ne per aliam huic præjudicium fiat. *L. 23. §. 9. ff. ad L. Aqvil.* vid. infr. *ad Nov. LXXX. C. 24.*

CAP. XV.

De Titulis affixis alienis Prædiis.

1. QVi Titulos alienis Prædiis imponunt, vel etiam Ergasteriis, in Civitatibus constitutis, horum bona Fisco applicantur; Qvisqvis enim causam, Imperio & Fisco datam, arripere tentat, patietur, suis rebus Titulos imponi, & aliis Exemplum abstinentiæ fieri.

2. *Add.* Qvæ hic prohibentur, etiam in *L. 1. & 2. C. Ut nemo privat. titul. Præd. suis l. al. imp.* quando igitur Possessor ipse suo Prædio imponit Insignia Principis, vel Fisci, præsumitur, id Prædium recognoscere à Fisco, & Fisci nomine possidere, eademq; velle Fisco dedicare. Nec verò potest qvisqvam signa exponere, ubi non habet Superioritatem; sed si qvis de facto Insignia Principis fundo meo imposuerit, eadem ego, & qvilibet privatus rescindere potest, addita pœna Brunn. *ad L. 1. & 2. C. d. t.* Scotan. *in Exam. Jurid. P. 1. p. 155.*

CAP. XVI.

Qvid primum facere debeant Præsides, cum Provinciam ingrediuntur.

1. SCil. statim convocabunt omnes in Metropoli constitutos, nimirum Episcopum, Clerum & Nobiles Civitatis, iisqve insinuabunt Mandata Imperatoria, & proponent Exemplar eorum publicè, non solum in Metropoli, sed & ad alias Provinciæ Civitates ea per Officiales suos sine suo damno transmittant, ut omnes cognoscant, qvibus cum Mandatis dignitatem & officium suum suceperint.

Add.

Add. Non sufficit, LL. sapienter sancitas & constitutas esse, 2.
ad hoc, ut illos, qvibus præscriptæ sunt, ad observantiam obligent, sed etiam maximè reqviritur, ut publicatæ & promulgatæ sint, sic, ut Subditis innotescere qveant, adeoqve nec scientes ligant, licet typis publicis sint impressæ. Zasius *ad L. 2.* verb: *apertius, n.38. ff. de R. J.* Mascard, *de General. Stat. Interpret. Concl. 8. n.44.*
Adeoqve & illud Præsidi incumbit, ut Subjecti sciant, qvibus 3.
parere Mandatis debeant, imò, cum Præses & Officiales Subditos dirigere, corrigere, judicare, imò etiam punire officii ratione teneatur, de hac Potestate & Officio magis magisqve constabit, si, Copiis Mandatorum transmissis, Personam suam legitimaverit, nec enim Præsidi aut Officiali credendum, si asserat, se ex ore 4.
Principis Mandatum accepisse, *L. 1.* ibi: *Nisi qvod scriptis probaverit, C. de Mandat. Princ. L. Decernimus, 10.* ibi: *Ut bujusmodi annotatione manifesti sint omnibus, C. de Aqvæ duct. Lib. 11.* Nam Mandatum aut Jussio Superioris est facti, non igitur præsumitur, sed ab allegante probari debet. Myler. ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imper. P. 2. C. 40.*

CAP XVII.

De armis interdicendis.

I. NOn militantem armis uti, non permittat, qvæ 1.
Præsidem, & DEO, & LL, & Imperatori, carissimum constituunt.

II. Si qvis eorum, qvi Populum in turbas sollicitare 2.
tentaverint, aut solus, aut cum aliis à Sede Regia in Provinciam auffugerit, inqvirat de illis Præses, & accuratè, & cum omni diligentia examinet, & si dignus remissione, ad Imperatorem, qvo pœnæ meritæ subjungatur, eundem remittat.

Addit. Qvandoqvidem in armis maxima vis & potentia, 3.
tum & securitas Reipubl. consistit, jus totum, qvod circa arma versatur, Principi ut tribuatur, Majestatis jubet ratio. Eaq; propter poterit Princeps & adimere arma Subditis, & permittere, 4.
qvatenus vel studia eorum, & propensiones, vel aliæ circum-

stantiæ

ſtantiæ patiuntur. Ziegl. *de Jur. Majeſt. P. 1. C. 37.* Hic exceptis militibus, aliis omnibus armorum uſus interdicitur, qvod con-
5. venit cum *L. un. C. ut armor. uſus inſc. Princ. ſit interdict.* qvi textus, licet de armorum movendorum copia loqvatur, extendunt tamen Dd. ut nec extra caſum peregrinationis eadem portare li-
6. ceat. Hinc mercator negociandi cauſa per Provinciam pertranſiens, gladium ſuum ſellæ alliget, vel ſuper vehiculum ſuum ponat, non, ut qvem lædat innocentem, ſed, ut à Prædone ſe de-
7. fendat. *2. Feud. 27. §. 5.* Et ſi quis Ruſticus arma, vel lanceam portaverit, vel gladium, judex, in cujus poteſtate repertus fuerit, vel arma tollat, vel XX. Solidos pro ipſis recipiat à Ruſtico *d. 2.*
8. *F. 27.* Princeps autem, cauſâ cognitâ, facilè armorum geſtationem permittet Nobilibus Viris, qvorum maximè explorata fides eſt, cujus rei Exemplum præbuit Anaſtaſius Imperator, qvi Præpoſitis Sacri Cubiculi, Cingulo uti, nec non arma portare conceſſit, qvoties ad agros ſuos abſcederent. *L. fin. infr. de Præpoſ. Sacr. Cubic. cum hoc ad implendum eorum deſiderium, & ad nullius læſionem*
9. *reſpicere videretur.* Hodiè etiam, non petitâ venia, ex inveneratо more Nobilibus & militibus licet, uti armis, qvovis loco & tempore, qvin imò promiſcuus eorum uſus, vel potius abuſus, de qvo tot homicidia jam clamant, patet omnibus, ut hac in re meritò reformatione eſſet opus, imprimis, ut veteres LL. hunc in finem ſaluberrimè latæ, denuò in uſum revocarentur. vid. Dn. Tabor, de Jurisprudentia noſtra excellenter meritus, *in Arma-*
10. *ment. Juſtinian tit. de Oplephoria, Cap. 3.* Permittit autem Berneggerus *ad Tacitum, de Moribus German. qv. 12.* qvem allegat Myl. ab Erenb. *de Princ. & Stat. Imper. p. 2. Cap. 75. n. 6.* non ſolum armorum promiſcuam portationem; ſed etiam ob majorem, cui Reipubl. obnoxiæ ſunt, invidiam, inſidiasqve neceſſariam eſſe, dicit, imò neceſſum eſſe, ut Subditis juſſione Principali arma mandentur, qvo ea in promptu habeant, contra qvasvis repentinas invaſiones, ne prius opprimantur oſcitantes, qvam ex Armamentario ea capiant. vid. hic Dn. Tabor, *de Exar-*
11. *mat. cap. 4. per tot.* Ne tumultus aut ſeditio in Republ. committatur, diligenter invigilare debet, tam in bello Dux, qvam in pace Magiſtratus, Cauſas & Origines Seditionum aufferendo, & prin-

& principiis obstando, quæ invalida esse solvent, sed impetu crescere, eoqve valentius, qvo velocius. Qvibus enim tempus 12.
datur, tanqvam mare, cui non opponitur agger, & gliscere permittuntur, omnemqve in Circuitu Provinciam invadere, sic, ut Seditio jam justâ Potestate Superior sit, nec vi, aut pœnâ compesci possit, sunt verba Anton. Perez. *C. de Seditiosis, & de his, qvi pleb. in fin.* Imprimis verò Seditionis Autores graviter puniendi pro qva- 13.
litate Personarum & gravitate Criminis, vel enim tales suspendio puniuntur, vel bestiis subjiciuntur, vel deportantur: *L. 38. ff. de Pœn.* Imò Seditionum Autores (qvod bellum attinet) Proditorum loco habentur, qvi apud Veteres ad Palum alligabantur, aut Securi percutiebantur, reliqva verò multitudo decimabatur, i. e. decimus qvisqve ad supplicium ducebatur, ut docet Cicero *Orat. pro A. Cluent. Statuerint*, inqvit, *Majores nostri, ut, si à multis* 14.
esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in qvosdam animadverteretur, & metus videlicet ad multos, pœna ad paucos perveniret. I- 15.
dem videre est apud Tacitum *Lib. 5. Annal.* & *Lib. 1. Histor.* In Pace huic malo occurrendo optimum est, Arma privatis adimere, qvæ sunt Instrumenta rebellionum, & addunt animos Rebellibus, non minus, qvàm Tyrannis, & non valdè difficile est, si Arma concedantur, armatos tempore Pacis inermes opprimere, & non prospicientes, vel incautos invadere. Suntqve, qvi arma 16.
possident, ad dissidia proniores, qvibus etiam, si careant, facilius potest imperari. Oportebit ergo Edicto Armorum portationem omnibus privatis prohibere, ut fecerunt aliàs Principes *in Capitul. Caroli M. Lib. 3. C. 4. & 5. & C. 21* & *L. un. C. Ut usus armor.* Conf. infra *Nov. LXXXV.*

NOV. XIIX.

De triente & semisse, & successionibus Filiorum & Nepotum naturalium, & Collat. &c.

PRÆFATIO.

IMperator hac ipsa Constitutione legitimis & benevo- 1.
lis Filiis, qvibus agunt gratias Parentes, qvibusqve,

qvod relinqvitur, jam Imperatores & JCti debitum vocant, solum Triuncium definierunt, i. e. qvadrantem, & tres unicas ex necessitate relinqvi, reliqvô arbitrio Patris relictô, qvod qvidẽ omne vel Cognati capiunt, vel cum libertate Servi, liberos verò, licet multi sint, etiãsi nihil offenderint Parentes, dicit confundi, & qvadrantem solum dividere, etsi vel X. fortè, aut amplius fuerint, pauperiores simul post fata Parentum, divites, qvamdiu vinxerint.

2. *Addit.* Imperator habet Curam liberorum benè meritorum, hos enim de Parentibus benè mereri posse, expeditum est, & plenius probat Excell. Dn. Stryk *Dissert. de Benè meritis, Cap. I.* illis enim, qvia benè volunt Parentes, & sæpe numero gratias agunt, jam tum olim, & Imperatores, & JCti legitimam portionem, qvâ mortuis iis debeant esse contenti, determinarunt, scil. qvartam Bonorum partem, qvam tempore mortis reliqvit. *L. 6.*
3. *C. & L. 8. de Inoff. Testam. L. Papinianus, 8. §. 4. ff. eod.* Hæc qvarta vocatur in *d. L. 8. C. §. 1.* Debitum paternum, & *in L. 5. C. de inoff. donat.* debitum Bonorum subsidium, & qvartam illam ex
4. L. Falcidiæ ratione manasse, statuunt aliàs Dd. Cum enim instituti partem nunqvam minorem qvartâ jussisset esse, si Filius minus ex Patris Testamento erat consecutus, qvod ei deerat, supplebatur, *L. Omnimodo, 30. C. de inoff. Test.* Hinc pars illa, qvia non ex Testamento, sed ex Lege manabat, *Legitima* dicta est, qvô modô legitima hereditas dicitur, qvam Lex, non Testamentum
5. defert. Est autem duplex Legitima, vel ab *Intestato*, vel *ex Testamento*, illa dicitur exinde, qvod ab Intestato deferatur, & qvo-
6. niam Lex ipsa absqve facto Hominis defert. Qvæ verò ex Testamento defertur, legitima qvoqve non impropriè, latiore tamen sensu dicitur, ea enim à *L. XII. Tab.* confirmatur, cum in illa constitutum est; *Uti qvis rei suæ legasset, ita jus esto.* vid. Math. Steph. *ad h. Nov. pr.* Qvomodo hodiè se Legitima habeat, & qvi pro numero liberorum eam determinaverit Imperator, ex seqq. Capitibus patebit.

CAP.

CAP. I.

De legitima portione liberis relinqvenda, i. e. triente, si intra qvaternarium numerum consistat, aut semisse, si qvaternarium numerum excedant.

Legitimæ qvantitas *hoc. Cap.* determinatur juxta nume- 1.
rum liberorum, ut, si sint qvatuor, vel pauciores, sit tertia pars hereditatis, si plures, dimidia æqualiter inter liberos dividenda, hocqve augmentum in omnibus Personis, in qvibus ab initio antiqvæ qvartæ de Inofficioso Lege decreta est, observatur; Sufficit autem, qvocunqve titulô Legitima relicta, sive per Legati, sive per Fideicommissi occasionem.

Addit. Qvantitas Legitimæ juxta numerum liberorum est de- 2.
terminata, & seqventibus Versiculis comprehenditur:

Qvatuor, aut infra, dant Natis jura trientem,
Semissem verò dant Natis qvinqve, vel ultra.
Arbitrium seqvitur Substantia cætera Patris.

v. gr. Pater habet duos filios. & in bonis 12000. Thaleros, legi- 3.
tima est triens, i. e. 4000. Thal. qvâ Summâ inter ipsos divisâ, qvisqve 2000. conseqvitur. Vicissim Titius habet qvinqve filios, & in bonis 12000. legitima est semis, i. e. 6000. Thal. qvâ Summâ æqvaliter inter ipsos divisâ, qvisqve accipit pro portione sua legitima 1200. Thal. Hodiè juxta varia variorũ locorũ Statuta qvantitas Legitimæ variat, & testatur Dn. D. Hoppe, Syndic. Gedanens. Fautor & Amic9 Honoratissimus, *in Com. Institut. Tit. de Inoff. Test.* Ge- 4.
dani computari Legitimam liberorum in dimidia parte bonorum Communium, ut, detractâ prius alterâ dimidiâ, qvæ vel Conjugi, vel, eô defunctô, Liberis superstitibus bebeatur. Qvod secus in 5.
Saxonia ex Carpz. *lib. 6. Resp. 48.* probat, ubi, non detractâ prius portione Statutariâ, superstiti Conjugi debita, ex integra here-

6. ditate Legitima computatur. Id speciale in Ducatu Svidnicensi & Jauraviensi, Patrem pro lubitu Liberis totam Legitimam adimere posse, qvo liberi hac ratione adeò majorem obedientiam præstandam adigantur. In aliis verò Ducatibus Silesiæ circa hanc materiam Jura Communia observari, testatur Dn. Seidel *in Collat. Jur. Statutarii Vratislav. cum Jure Civ. & Saxon. Artic. 6. in*
7. *Vol. 2. Disputat.* Dn. D. Strykii. Et hic in Marchia Legitimam esse dimidiam, vel tertiam partem, pro numero Liberorum Patrimonii propriè Paterni, separatis bonis Uxoris, eleganti Responso Facultatis Jurid. & Exemplo demonstrat Excellentiss. Dn. Stryk. *Tract. de Success. ab Intest, Diss. 4. C. 3. th. 60. 61.* Si nemo Liberorum primi gradus, sed tantum ex uno Filio V. Nepotes supersint, &
8. horum Legitima est semis. Pro fratrum Legitima militant etiam verba ferè finalia *h. C. Sicut largiri voluerit cuilibet Extraneorum*; Pro qvibus etiam facit, si egestate premantur, & sint alendi, qvo casu bona Conscientia præteriri non posse, asserit Struv. *Synt. Jur.*
9. *Civ. Exerc. 10. th. 9.* Hoc verò augmentum Legitimæ ex mente Imperatoris neqve ad Parentes, neqve ad Fratres pertinere existimant. Bachov. ad Treutl. *Vol. 1. D. 13. th. 13.* Bronchorst. *C. 1. Assert. 36.* Suth. *Dissert. 9. aphor. 33.* Cœterum apertè reclamant verba *h. Nov. C. 1. Hoc observando in omnibus personis, in qvibus ab initio antiqva qvartæ ratio de inofficioso Lege decreta est*, qvæ sententia quoque majore Dd. calculo approbata, qvia Filiorum & Parentum Legitima pari passu ambulant, & qvia omnium Legitima hodiè est aucta, qvi, eâ non relictâ, de Inoffic. Testam. qveri possunt. Parentibus autem, Legitimâ non relictâ, dari querelam Inofficiosi, extra omnem dubitationem est, *L. 12 ff. de Inoff. Test.* Re-
10. ctè tamen Interpretes hæc saltem de triente, seu tertia hereditatis parte accipiunt, ita, ut Parentum legitima semper sit triens, sive unus, sive duo, sive tres, sive quatuor sint Parentes, ad semissem verò, sive dimidiam hereditatis non extendunt, cum impossibile sit, ut qvis V. VI. vel plures possit habere Parentes
11. Berlich. *P. 3. Concl. 12. n. 42. & seqq.* Stephan. *ad h. Nov. n. 7.* Atque ita auctam esse Parentum Legitimam, ulterius firmant *C. A. lib. 5. th. 2. th. 25.* Lauterb. *ad ff. tit. de Inoff. Test.* Brunnem. *ad Auth. Novissima, C. eod.* Rittershus. *ad Nov. P. 6. c. 4. n. 10. 11.* Hartm. Hartm.

Lib.

Lib. 2. tit. 43. obs. 5. Struv. *Ex. 10. th. 13.* Richt. *P. 1. dec. 51. n. 3.* esseq; Legitimæ qvæ Parentibus bebetur, si non Causam, tamen jus idem, cum ea, qvam liberi capiunt, & ab hac ad illam valere argumentum, decidit Mev. *P. 7, Dec. 19. n. 6.* Legitimam li- 12.
beris olim sive titulo Legati, vel Fideicommissi occasione licitum fuisse relinqvere, satis patet ex *h. c. 1.* qvod tamen postmodum Imperator per *Nov. 115. c. 3.* correxit, juxta qvam honorabili titulo Institutionis eam debere relinqvi, ibi. D. V. fusius dicetur. vid. interea Brunn. *ad Auth. Noviss. C. de Inoff. Testam.* Berlich. *P. 3. Conclus. 15. n. 8. & seqq.*

CAP. II.

Ut legitima portio Filiorum Curialium sit Dodrans.

Rationem hujus *C. ad h. Nov.* dat Cujac, qvod maxima essent Curialium onera, qvæ sustinere oportebant pro publico, & ne hic deterior esset sexus fœminini conditio, etiam si filiæ nupserant Curiali, Dodrantem, vel IX. Unias accipiebant pro Legitima, qvod hodiè in Praxi, apud Nos non obtinet, nec legitur, qvantitatem Legitimæ aliam in dignitate Liberis constitutis Patrem assignare posse, aliam extra eam, licet arbitrium hereditatis dividendæ ipsi ademtum non sit. *L. parentibus. 8. C. de inoff. Test. pr.* 1.

CAP. III.

Si liberis suis Pater nudam proprietatem, & uxori usumfr. omnem reliqverit.

NOn debet Pater Uxori relinqvere usumfr. omnium Bonorum, & sic per conseqvens aufferre Legitimæ usumfructum. 1.

Rat. Illa enim non potest onerari, cum tam qvoad proprietatem, qvam qvoad usumfr. Liberis relinqvenda, hocqve 2.

obſervet Pater, ſi vult Filiorum non repente fame morientium, ſed vivere valentium vocari Pater.

3. *Ampl.* Ut hæc non in Patre ſolo, ſed & in Matre, & Avo, & Proavo, & adjunctis unicuiqve fœminarum Perſonis, i. e. Avia, & Proavia, ſivæ paternæ, ſive maternæ lineæ ſint, locum habeant.

4. *Addit.* Legitima ſine omni onere relinqvenda, *L. Qvoniam, 30. C. de inoff. Teſt.* relinqveretur autem, ſi Filius eam ſuccesſivè & particulariter ex fructibus, qvos ſimul Mater ex bonis pater-
5. nis cepit, acciperet, nam incertum eſt, an Mater curæ habeat bona, & qvidem ita, ut ex iis aliqvid proveniat, & qvidem, an
6. tot ſint, ut qvilibet aliqvos percipiat. Ampliant autem Dd. hanc ſententiam ita, ut, licet Filius in Teſtamentum paternum, in qvo Legitma ipſius gravata fuit, conſenſerit, idqve approbaverit, nihilominus tamen Legitimam ſine onere deducere posſit. Gail. *Lib. 2. Obſ. 119. n. 5.* Gometz. *Tom. 1. Variar Reſol. C. 2.* Vaſqv. *Tr. de Succeſ. Gent.* §. *10. n. 25.* Peregrin. *de Fideicommisſ. art. 36. n. 84.*
7. Et cum nihil referat., qvalecunqve ſit onus Legitimæ adjectũ, hinc Maritus nec injungere uxori poteſt, ut tribus vicibus ſingulis annis eam præſtet, multo minus in diem, vel ſub conditione, qvam de facili Filius implere poteſt. Anton. Fab. *in Cod. lib. 3. tit. 19. n. 13.* Sichard. *ad L. 4. n. 6. C. de Inſtit. & Subſtit.* hæcqve omnia in hunc finem introducta, cum Filius in Legitima ſit Creditor, & ideo non teneatur acceptare dilationem vel conditionem, etiam favorabilem. Berlich. *P. 1. Dc. 110.*

CAP. IV.

Qvemadmodum liberi ab inteſtato per fœmininum ſexum deſcendentes ſuccedere debeant.

1. NEpotes legitimi ſuccedunt in ea parte, in qva Parentes eorum, non attento, an ex Filio, an ex Filia ſint Nepotes.

2. *Rat.* Nec enim fert Imperator, Fœminam à Maſculo in talibus

bus minui, neqve enim Masculus ipse in se, neqve Fœmina solum ad Nativitatis propagationem sufficiens est, sed sicut utrumqve eorum coaptavit Deus ad generationis opus, ita etiam Imperator eandem utrisque servat æqvalitatem.

§. 1. Atqve hæc locum habent in Liberis, ex nuptiis legiti- 3.
mis susceptis, licet dos non sit data, modò affectus indubitatus & manifestus præcesserit; nec enim Dos facit Nuptias, sed Consensus; Imò idem obtinet in iis, qvi ex secundo matrimonio sunt suscepti.

Addit. Quod attinet Nepotum legitimam, tres Casus hic di- 4.
stingvendi veniunt; (1.) Aut ex unico tantùm Filio extant, & attenditur numerus Nepotum, ita, ut, si sint tres vel qvatuor, eorum Legitima sit triens, si verò qvinqve, vel plures, sit semis. (2.) 5.
Aut Nepotes concurrunt una cum Patruo, & sic, qvia Patrem repræsentant, in ejus locum intrant, nec attenditur numerus Nepotum, sed hi omnes tantum percipiunt, qvantum ipsorum Pater, si adhuc in vivis esset. (3.) Aut non extat Patruus, sed so- 6.
li Nepotes ex duobus, vel pluribus Filiis extinctis succedunt, & tunc etiam repræsentant locum Parentum, & in Stirpes, non in Capita succedunt. Berlich. *P. 3. Concl. 12.* Atqve hæc procedunt, licet ex Filio, sive Filia nati; nam Imperator partim hic, partim in 7.
L. 4. C. de Natural. lib. & *Nov. 118.* Marium & Fœminarum jura ratione successionis æqviparavit, cum olim nihil vel exiguum planè, saltem acceperint. Licet Dos locum Legitimæ sustineat *L. 29.* 8.
C. de Inoff. Test. Richt. *P. 1. Dec. 40.* non tamen seqvitur, sine ea nuptias vel matrimonium esse non posse, qvia licet promissa, non autem data, Nepotes, tamen, qvoad Legitimam, nihilominus Parentum subintrant locum, idqve non tantum in primi matrimonii, sed & secundi liberis.

CAP. V.

De Concubinis & naturalibus liberis, qvomodo hi ab Intestato succedant.

PAter Filiis naturalibus in Testamento, si legitimos ha- 1.
beat liberos, unam unciam, si legitimos non habeat, semissem

2. semissem relinqvere potest. Et hoc locum habet, si uni Concubinæ cohabitaverit, & ex ea Filios habuerit, aut Concubina, morte præcedente forsan, aut divisione Filios domi habeat, sic enim in duabus unciis succedere possunt. Si autem confusa Concupiscentia ita fiat, aut alias superinducat priori Concubinas, & multitudinem Concubinarum fornicantium habeat, & ex eis filios faciens moriatur, multas simul relinqvat Concubinas, ille Concubinatus, ut odibilis, ita procul omnibus modis ab hac Lege
3. expellatur. Nam, sicut qvis legitimæ Uxori conjunctus, aliàs matrimonio consistente, superinducere non potest, & ex eis legitimè filios procreare, sic nec potest cognitam Concubinam, & ex illa filios, & præbet hic Imperator non luxuriantibus, sed castè viventibus Legem.

4. *Addit.* Huic Novellæ & *L. 2. C. de Natural lib.* derogatum per *Nov. 89. c. 12.* & *Auth. Licet, C. de natural. lib.* ut possit Pater, legitimis liberis non existentibus, omnem suam Substantiam, sive inter vivos, sive in Testamento ad naturales transmittere. Si
5. Parentes habeat, debet eis relinqvere portionem legitimam, tertiam hereditatis partem, & qvod super est, naturalibus liberis potest relinqvere. Brunn. *ad d. auth. Licet.* Jure Codicis autem
6. Concubinatus innuptis fuit concessus, sed marito non licuit, *L. un. C. de Concubin.* & Concubinæ parum differebant à veris Uxoribus; Nam, sicut is, qvi Uxorem habebat, aliam ducere non poterat, ita nec Concubinæ superinducere aliam, nisi fortè prior morte, aut separatione ab illo esset remota, unde etiam Conjugium, sed inæqvale dicitur in *L. 3. C. de Natural. lib.* & Extraneus cum ea adulterium committere dicitur in *L. 13. pr. ff. ad L. Jul. de Adulter.* nec habere licebat omnes Concubinas, imprimis,
7. si consanguinitas aut affinitas obstat. *L. 1. §. pen. ff. de Concubin.* In
8. Ost-India Concubinatus viget adhuc, adeò, ut, qvi eundem ibi aversatur, indignis modis ibi habeatur, & nonnunqvam vapulet, pluribus referente Johanne Fritschio *in den erbaulichen Ruhe-Stunden. P. 3. Disc. 37.* Scilicet huc spectat *Conjugium ad Bene-*
9. *placitum*, qvod est, cum Christianus in Turcia, vel alibi in Gen-

tilismo

tilismo degens, Christianam ibi ad tempus ducit, & postea dimittit, fit ita; Nimirum: Dat Vir mulieri certam dotem, communi- 10.
ter L. librarum, & donec Viro placet, licitè illam retinet in illis partibus, & ad lubitum retinere, modò mulieri assignatam & datam dotem relinqvat, qvalem Conjunctionem Feldtmannus *de Impari Conjugio. P. 1. c. 3.* pro aperto Concubinatu, & liberos
inde natos, pro illegitimis habet. Concubinatum Patriarcharum 11.
V. T. qvod attinet, verum fuit Conjugium, & inter Primarias Conjuges hoc tantùm fuit discriminis, qvod hæ inferiori gradu & loco essent, liberi qvoqve Concubinarum ex herili Conjuge
non pariter succederent. vid. Osiand. *ad cap. 25. Genes.* Hodiè, 12.
dicente Brunnemanno. ad *L. 2. & Avth. Nunc soli, C. de Natural. lib.* Concubinatum planè non habemus, in qvo unico ferè honestas nostrorum temporum superat tempora Justiniani, & si qvando impurus aliqvis, & luxuriosus homo Pellicem aliqvam habeat, id clam & furtim fit, & si detegatur crimen, expellitur muliercula, & fornicator ille punitur carcere, vel mulctâ pecu-
niariâ, vel aliâ graviore. Hodiè enim, cum Christi mandato ad 13.
primam Conjugii institutionem revocati sumus, & Concubinatus nihil aliud est, qvàm vel Scortatio, vel adulterium. Nam Deus in Scriptura S. nullum contra incontinentiam præscripsit remedium, qvàm legitimum matrimonium, ut patet *1. Cor. 7. 2.* & *Ebr 13. 4. Honorabile sit inter omnes Conjugium, Scortatores autem &*
Adulteros judicabit Deus. Non igitur præter Uxorem legitimam 14.
Concubinam qvis habeat, ne impingamus in istud Philosophorum Gentilium proverbium: *Uxor est Honestatis Nomen, Mulier verò Voluptatis*, aut, ut Adrianus Imperator illud efferre solitus est apud Julium Capitolinum *in ejus Vita: Concubina est Nomen Volupta-*
tis, Uxor Nomen Dignitatis. Hinc malè cum Judæorum Rabbinis 15.
Seldenus de *J. N. & G. juxta Disciplinam Ebræorum Lib. 5. c. 7. ab init.* ex jure Naturali deducit Divortiorum Libertatem, & absqve ratione negat, Individuam dici posse Vitæ Consvetudinem, qvæ æqvo jure à Marito pluribus communicatur, & sic Marito foret licentia, æqvali jure partim cum Uxore, partim cum Concubina una, vel pluribus cohabitare, qvod satis videtur incongruum, & Christiano Homine indignum.

CAP. VI.

De Collationibus Dotis, vel Donatione propter Nuptias.

1. COllatio Dotis & Donationis propter Nuptas indiſtinctè hodiè locum habet, ſive qvis teſtatò ſive inteſtatò decedat.

2. *Rationem* asſignat hic Imperator, qvia incertum eſt, an Pater, facti ſui oblictus, nullam in Teſtamento de Collatione datorum fecerit mentionem, an verò, mortis anguſtiis præpeditus, non expedierit.

3. *Limit.* Niſi Pater expreſſè deſignaverit, ſe nolle, fieri Collationem.

4. *Addit.* Olim Fratres vel Sorores, ſi ex Teſtamento inſtituti esſent heredes, non conferebant, qvia veniebant ad Succesſionem ex judicio, ſive voluntate defuncti. Si verò ab inteſtato ſuccedebant, conferebant. *L. 1. 4. 7. C. de Collat. L. 3. ff. de Dot. Collat.* qvia hoc caſu non veniunt ad Succesſionem ex judicio ſive voluntate Teſtatoris, ſed vi, & autoritate Legis, ea verò omnes inter ſe exæquat, & vult, ut inter eos, qvi ab inteſtato ſuccedunt, ſervetur æqvalitas, qvæ tamen differentia hodiè ab Imperatore Juſtiniano per hoc Cap. eſt ſublata. Stephan. *ad h. Nov. n. 30. & ſeqq.* Rationem regulæ, & ſublatæ veteris differentiæ innuit Imperator hic paulò ſupra.

5. Poteſt tamen Pater, ut & hic tradit Imperator, Collationem expreſſè prohibere, etiam tacitè, Berlich. *P. 2. dec. 246. n. 3.* modò non tendat remisſio hæc in fraudem & deminutionem Legitimæ, reliqvis Fratribus aut Sororibus debitæ; Illud Berlich. *d. l. n. 5.* ad ſumptus Studiorum immodicos extendit, & attenditur tempus, non mortis, ſed erogationis, ac donationis. Berlich. *d. l. n. 10.*

6. Et ideò Filius Specificationem acceptorum edere tenetur, ut ipſe deciſum refert *n. 11. & ſeqq.* & qvidem mediante juramentò, *n. 16.* qvod etiam jure Communi verum, niſi qvantitas ex documentis relictis, vel aliunde conſtet.

7. Tunc etiam Pater videtur remiſiſſe Collationem, qvando ob eam cauſam, qvod priores elocatæ & dotatæ fuerint, junioribus qvid præ-

præcipui leget, *zum Vorauß*. Et hinc satis patet, etiam Conjecturas de voluntate Patris sufficere ad excludendam Collationem. Mev. *P. 1. dc. 84.* Hahn. *ad Wesenb. tit. de Collat. bonor. n. 5.* verb. *idqve tam.* Vinn. *de Collat. C. 7. in fin.* Tiraqvell. *de Jure Primog. tit. 1. qv. 51.* Gudelin. *de jur Noviss. Lib. 2. c. 19.* 8.

CAP. VII.

Si res suas Pater inter Liberos distribuere voluerit

Divisio Bonorum â Patre inter Fratres, ut vim habeat, 1.
& â fraterno Certamine præserventur, constitutum est, ut interveniat Subscriptio ejusdem Parentis, aut Filiorum universorum, inter qvos res dividuntur; nimis incertam divisionem autem, qvæ dicitur facta â Parente, & qvæ ne qvidem prædictam Cautelam Subscriptionis continet, neqve judex Famil. erciscundæ, neqve Filii ipsi seqvi coguntur.

Rat. Oportet enim providere subtiliter Cautelæ Filiorum, & 2.
non aliud qvidem minuere, aliud sub errore relinqvere, qvod difficilium, insuper & insolubilium, crebrò etiam crimina ferentium occasionem præstat.

Addit. Reqviritur in divisione Bonorum inter Liberos minor 3.
solennitas, qvam in Testamento; Nam ex communi Dd. opinione in Casu Divisionis ferè non, nisi ab intestato succedunt Liberi, & judicio Fam. Erciscundæ conseqvuntur id, qvod Parentes ipsis assignarunt; sed in Testamentis fit Successio ex Testamento. Finckelth. *Obs. 78. n. 15.* Cœterum qvando ipse Pater in Testamento divisit Bona inter Filios, esse hanc divisionem Testamentum 4.
Patris inter Filios, idqve Legem præsumere, tradit Menoch. *Lib. 4. præs. 7. in fin.* vid. Ritterschus. *ad Novell. P. 6. c. 2. n. 15.* Richt. *Dc. 29. n. 7.* Distributio tamen inæqvalis & inter Liberos sub- 5.
sistit, cum Filio grato & obedienti plus possit Pater relinqvere, qvam alteri, minus obedienti. *L. Parentibus, 8. C. de Inoff. Test.* Nec 6.
inæqvalitas in ejusmodi divisione est considerabilis, qvando e-

manavit ex causa, qvæ tendit ad conservationem Familiæ & decores; nam ille decor inter Nobiles Fratres elidit præjudicium
7. inæqvalitatis, sunt verba Cœlii Bichii *Decis. Rotæ Rom. 6. n. 5.* De Jure Lubecensi incumbit Patri necessitas dividendi cum Liberis, si transire velit ad vota secunda, itidem & si secunda Uxore ductâ, denuò Liberos susceperit, mortuâ verò hac, cum Liberis se-
8. cundi Thori, non primi, dividit. Qvod si etiam tertiam Uxorem duxerit, ex qva similiter Liberi sunt geniti, eâ mortuâ, & cum his æqvè dividere debet. vid. Stat. Lubec. *L. 2. tit. 2. art. 5.* Hocqve jus Divisionis cum liberis oriri ex Societate, qvæ est inter Parentes & Liberos, pluribus firmat Mev. ad Jus Lubec. *L. 2. tit. 2.* passim. conf. infr. *Nov. 107. c. 1.*

CAP. VIII.

Si qvis prolatam manum suam negaverit.

1. STudium Inficiationis, qvod ab aliqvibus fit, induxit Imperatorem, ut Legis Aqviliæ, si qvis damnum datum neget, dupli pœnam faceret, qvalem & Impera-
2. tor ad malevolos Delictores extendit. Nam, si (I) Debitor Scripturam propriam, ex qva convenitur, negat, in eaqve negatione persistat, legitimis autem probationibus â creditore sit convictus, in duplum condemnabitur.

3. II. Qvod si post negationem Actor statim detulerit jusjurandum, & Reus continuò confessus, qvod antea negaverat, ad duplum non tenebitur.

4. III. Lite jam longiore factâ, & Actore juramentum deferente, & Reo fatente, etiam dupli pœna qvidem cessat, Expensas tamen omnes, qvos ob probationem Actor fecit, ipsi refundere tenetur.

5. IV. Si Debitor adnumerationem pecuniarum sibi factam negaverit, sed postea Actor, eum mutuum accepisse, probaverit, in solidum tenetur, ademta ipsi Solutionis Exceptione.

V. Iti-

V. Itidem in Creditore, qvi Apocham â ſe datam ne- 6.
gat, qvi itidem dupli pœna tenetur debitori, ſi ſe Apocha
data defendat, & Solutionem, â ſe factam, probaverit.

CAP. IX.

De Tutore vel Curatore Inficiatore.

VI. EAdem pœna eſt Tutorum & Curatorum, ſi de i- 1.
pſorum Scriptura agatur, non enim licet ipſis, in
Commodum Minorum mentiri. Brunnem. *ad Auth.
Contra, C. de N. N. pecun.*

VII. Si aliæ pœnæ vel in duplum, triplum, aut qva- 2.
druplum ab antiqvis LL. aut Principum ſunt introductæ
Conſtitutionibus, qvales videre ſunt in §. *21. 22. & ſeqq. I. de
Actionib.* eas hoc ipſo robur ſuum habere ſinit Imperator,
& confirmat.

Addit. Pœna illa, qvod in duplum teneatur Debitor, locum 3.
habet, licet dixerit, ſe non accuratè legiſſe, nec intellexiſſe Con-
tenta in Scriptura, cui ſubſcripſit; nam in dubio notitiam con-
tentorum in Scriptura habuiſſe præſumitur, adeò, ut alleganti i-
gnorantiam, eam probare teneatur. Jaſon. in *L. 126. §. Chryſogo-
nus, 2. ff. de V. O.* Qvod verò ſubſcribens ſe propriâ manu alte- 4.
rius Scripturæ, omnia in ea Contenta fateri & approbare dicatur,
& qvod Subſcriptio ea tantum operetur, ac ſi totum ſcripſiſſet, la-
tiſſimè tractat Schurff. *Conſ. 17. n. 1.* An verò, debitô in genere 5.
probatô, ſuper qvantitate debiti ſtandum ſit juramento Credito-
ris, decidit Carpzov. *P. 2. C. 29. def. 2.* qvod Dn. Elbach. *d. l.* ad-
mittit, ſi urgentes adſint Conjecturæ, ex qvibus de prætenſa â
Creditore qvantitate conſtare poſſit, qvibus deficientibus, Cre-
ditorem ad juramentum Suppletorium non admittit, *arg. L. 9. §. 1.
C. de Teſtib. L. 4. C. de Edend.* Notanda tamen adhuc reqviſi- 6.
ta, ut puniatur, qvi propriam Scripturam negat. (1.) Ut ſit Scri-
ptura, qvæ negatur, non alia Confeſſio non ſcripta, qvia in non
ſcriptis Confeſſionibus facilior eſt error. (2.) Ut propria ſit ne-

gantis manu ſcripta, aut ab eo ſubſcripta. (3) Ut ex Scriptura in Judicio conveniatur, nunqvam ex Inſtrumento probante. (4) Ut de mendacio conveniatur ſine juramento; Brunnem. *ad L. 11.*
7. *ff. de Interrogat. in jure fac.* Nam expreſsè juramentum hic excipit Imperator, qvod ſic ſaltem in ſimplum teneatur, abundè enim ſufficit, exonerare Petitorem probandi neceſsitate, cum omiſsô juramentô, dupli actio integra maneat. *L. 30. pr. ff. de Jurejur.* ita tamen, ut Actori Expenſas refundere teneatur, ſi inficiatione ſua litem procraſtinet, poſtea tamen, vi jurisjurandi ad-
8. actus, veritatem dicere, neceſſum habeat; Qvod enim ex ſua mora qvis ſentit dammum, ipſemet ferat, & alteri imputare non debet, mora enim cuiqve ſua, non alteri nocere debet, juxta juris Regulam, qvam ad hanc ſpeciem applicat. *L. 37. ff. Mandati. L. 173. §. 2. ff. de R. J.* & calliditate ſuâ nemo lucrum ſentiat Gylman.
9. *Symphor. Tom. 4. P. 1. vol. 9. n. 11.* Eadem pœna eſt Creditoris, qvi Apocham negat. v. gr. Debitor X. qvæ debebat, Creditori ſolvit, & Apocham â Creditore accepit, qva ille confitetur, ſibi X. ſoluta eſſe â Debitore, cum autem Creditor iterum conveniret Debitorem, & Debitor ſe tueretur Apocha Creditoris, Creditor vel inficiatur Scripturam ſuam, vel eandem agnoſcit, & pecuniam ſibi non eſse numeratam, dicit, pœna eſt Creditoris, ut duplum præſtet Debitori, per *h. N. 18.* & *Auth. Contra, qvi propriam, C. de*
10. *Non num. pecun.* vel, ut Ritterſchuſ. *in Novell. P. 636. n. 6.* inqvit, qvi negat Confesſionem ſolutionis ſibi factæ, hic meritò illam ſuſtinet pœnam, ut Summam, in Apocha comprehenſam, coga-
11. tur imputare debito, & alterum tantum præſtare. Apocham vocat Imperator in *L. 18. C. de Teſtib. Securitatem,* exprimere volens Græcum nomen *ασφαλεια'ν*, qva Creditor fatetur, ſe pecuniam
12. debitam recepisſe. Pacius *Analyſi C. P. 342.* Eadem pœna, ut ſupra dictum, Tutorum vel Curatorum, qvando tutoriô vel curatoriô nomine conventi, Scripturam â ſe factam negant, tunc enim ipſi puniuntur pœna dupli, non Pupilli, vel Minores, vel ſi Tutores aut Curatores conveniant alios, & Scripturam â ſe factam inficientur, pœnam dupli ſubeant, neceſſum eſt, pasſim enim nec Tutoribus mentiri licere, & ſi in mendatio deprehenſi ſint, puniri, ex jure probat Brunn. *loc. ſupr. cit. n. 88.*

CAP.

CAP. X.

De improbis Possessorum Exceptionibus.

Possessor, qvi negat, rem ejꝰ esse, de qva Actor affirmat, 1.
si convictus fuerit, possessionem amittit, &, si Exceptionem habeat, post translatam in alterum possessionem, de ea audiendus, vel ut casus juxta *Auth. item possessor, C. qvi Pot. in pingn.* se habet; Posterior Creditor vin- 2.
dicat hypothecam â priori Creditore, eam possidente, prior potuisset qvidem statim allegare, sibi prius rem esse obligatam; Cæterum ille per mendacium allegat, rem illam in bonis debitoris non fuisse, ergo obligari ob eandem non potuisse; Posterior autem Creditor probat, rem in 3.
bonis fuisse, sic victus prior Creditor, & in mendacio deprehensus, allegat, sibi prius rem illam esse obligatam, per præsens autem Nov. Caput. non est audiendus, nisi prius possessionem pignoris restituat. Rationem allegat Brunn. *ad d. auth. C.*

Addit. Licet qvamdiu res adhuc dubia est, nemo privandus 4.
sit jure vel possessione sua, *L. 5.* ibi Gl. & Dd. *C. qvi admitt. ad Bonor. poss.* aliud tamen est, si manifestè atqve indubiè injusta ac improba sit possessio. Mev. *P. 6. Dec. 206.* Sic enim probata possessione antiqviore, junior præsumitur vitiosa & injuriosa, *C. Licet. X. de Probat.* Menoch. *Retinend. Posses. Remed. 3. n. 755.* vid. Mev. *P. 3. dec. 91.* Hinc si quis fortè per mendacium, aut vi- 5.
olentiam possessionem alicujus rei invasit, qvantumvis jus aliqvod habere possit, Spolium tamen ante omnia restituat. *Can. Redintegranda, C 3. qv. 1.* & qvantumvis in causa Spolii reqviratur, Spoliatum passum possedisse Mev. *P. 7. Dec. 159.* Cludius. *Rer. Quotid. C. 2. n. 99.* hic verò posterior Creditor nunqvam possederit, sufficit tamen, possidere potuisse, & jure suo eum priorem Creditorem per malignitatem privasse.

CAP.

CAP. XI.

Qvomodo Cõcubinæ, Servilis Conditionis constitutæ, Legitimæ Uxores fiant.

1. SI qvis Uxorem non habeat legitimam, aut Filios legitimos, sed ad Ancillam propriam meliorem qvandam habuerit sententiam, & ex ea Filios in Servitute constituta protulerit, postea verò libertate honoraverit, & ancillam & natos, & jus aureorum annulorum eis petierit, ut & regenerationis, sicq; inter ingenuos eos reduxerit, & nup-
2. tias consumaverit, postea verò instrumẽta dotalia confecerit, licet postea fuerint filii, aut nõ fuerint, Uxor sit legitima, & filii sub potestate ipsi9, & sui, & abintestato Heredes Patris.

3. *Addit.* Insignis matrimonii effectus hic, dum Concubinam Servilis Conditionis hominem, & Servos natos Liberos, & Uxorem facit, simulqve omnia jura ingenuis competentia concedit, imprimis & jus annulorum aureorum; nam aureos annulos solis Ingenuis ferre licuit, Isiodor. *Lib. 20. Etymolog.* Brunn. *ad L. 2. C.*
4. *de jur. aur. ann.* Proinde liberti, ut ingenitatis munia, salvo Patronorũ jure, conseqverentur, jus aureorum annulorum à Principe impetrare solebant, sed annulis aureis donati in Eqvestrem Ordinem transscribebantur, teste Sveton. & Asin. Pollione. Hodie verò Jus aureorum annulorum & Regenerationis competit etiam absqve Petitione vid. *Nov. 78. C. ult.* qva ipsa Constitutione supervacua videtur facta Impetratio juris annulorum aureorum, adeoqve hodiè frustra à Principe impetratur, qvod jure Communi est
5. concessum. Nam vis hujus impetrationis hæc erat, ut non tam Statum ingenuitatis, qvàm imaginem ejus præstaret, & solum, ut posset is, qvi hanc gratiam acceperat, sine periculo se publicis officiis ingenuiorum ingerere, & Familiis Nobilibus se per matrimonium conjungere. *L. un. C. ad. Leg. Visell.* Per omnia tamen salvum manebat jus Patroni, nisi, qvatenus ei remitteret, ac poterat nihilominus jure aureorum annulorum donatus, ob ingratitudinem erga Patronum, in Servitutem revocari. *L. pen. ff. & L. 2. C. de jure aureor, annul.*

Nov.

Nov. XIX.

TRactat hæc Novella de legitimatione Liberorum per 1.
subseqvens matrimonium, ante Dotalia Instrumenta natorum, & decidit hæc Novella, perinde esse, an ante, vel post Dotalia Instrumenta Liberi sint nati, omnes enim ex æqvo pro legitimis debent haberi, & in potestate Patris esse, modò Nuptiæ sint insecutæ.

Addit. Licet Jur. Civili in omnibus ferè textibus Dotalium 2.
Instrumentorum fiat mentito, §. *fin. J. de Nupt. L. 10. & 11. C. de Natur. lib. Nov. 12. C. 4. Nov. 19. & 89. Cap. 8.* non tamen inde dependet 3.
legitimatio, sed potius à Matrimonio, per Instrumenta Dotalia probato arg. *Nov. 117. C. 3.* Hodiè cum certior via probandi ma- 4.
trimonium detur per Benedictionem Sacerdotalem, ideoq; Instrumenta Dotalia planè non attendimus. Excell. Dn. Stryk *de Success. ab Intest. Diss. 1. Cap. 2. th. 63.* conf. supra dicta ad *Nov. 12. Cap. 4.*

NOV. XX.

De Administrantibus Officia in Sacris Appellationibus.

DEsignat hac Novella Imperator, qvale debeat esse 1.
Officium Apparitorum in Sacris Palatiis.

Addit. Erant autem Variorum Officiorum Apparitores, ut 2.
Apparitor Magisteriæ Potestatis. *L. 33. C. de Appellat.* Apparitor Cohortalis. *L. 12. pr. C. de Cohortal.* Apparitor Urbanæ Sedis. *L. 2. C. de Appar. Præf. Urb.* & alii, qvos refert Calvinus in Lex. Juris, hac voce. Hic denotantur Magistratuum Ministri, vel potius Ad- 3.
jutores ad jurisdictionem conficiendam, *L. 12. C. de Proximis Sacror. Scrinior.* Apud Nos in specie Apparitores appellantur Judiciorũ Nuncii, qui ea, quæ in Judicio fieri debent, ex Commissione Judicis litigantibus, aliisve denunciant. *L. 33. §. 5. C. de Episc. & Cler.* Vocantur etiam Viatores, *§. 24. I. de Action. L. fin. ff. de Judic.* Offici- 4.
um eorum est, ut Citationes, & reliqvos Actus judiciales sibi commissos rectè exeqvantur, & qvia Executio eorum, qvæ Appa-

 ritori

ritori commissa sunt, pars substantialis Actorum censetur, ita ut si non reperiatur, Processus vitietur, idcirco relationẽ facere tenetur, qvæ Actis inseri debet. Gail. *Lib. 1. Obs. 54. n. 7.* Mynsing. *C. 1. O. 78. sub f.* Cujus relationi, se scil. expedivisse ea, qvæ ipsi à Judice commissa & mandata sunt, credendum est, maximè, si sit juratus. Gail. *d. l.*

Nov. XXI.

De Armeniis.

PRÆFATIO.

1. IMperator, ut singularis Fœminarum Patronus, sicut jam ante per *L. Maximum Vitium, 4. C. de Natur. Lib. & Nov. 18.* Accusatores Naturæ appellavit, qvi distinguunt inter Maris & Fœminæ Jura, ita nec hic tolerare ulterius vult Legem Armeniorum, ut nempe Masculi in Parentum hereditatem succedant, Fœminæ verò non, hic & in
2. Edict. Justiniani *Edict. 3. c. 1.* Sed vult æqvalitatem inter utrumqve Sexum servari, & damnari veterem Armeniorum Consvetudinem, secundum qvam juxta *Præfat. h. N.* Virorum qvidem erant Succesſiones, tam Parentum, qvàm Fratrum, & ulterius generis, Mulierum verò neqvaqvam, neqve sine Dote eas ad viros venire, nec à Maritis futuris, qvod barbaricè hactenus apud eos servatum dicitur, dum non ipsi solummodo hæc ferocius senserunt, sed, ut aliæ gentes, ita exhonorarunt naturam, & fœmineum genus ita injuriarunt, tanqvã non à Deo sit factum, nec serviat Nativitates, sed tanqvam vile, & exhonorandum, & extra omnem competentem honorem.

3. *Addit.* Hodiè planè æqvaliter Masculi cum Fœminis succedunt, nisi Statutis speciale qvid inductum. Sic probat Excell. Dn Stryk. *Tract. de Success. ab Intest. Diss. 8. c. 11. th. 14.* ex Divina Lege *Num. 27.* dispositum fuisse, ut Filiæ non extantibus Filiis demum ad hereditatem Patris admittantur, ita tamen, ut fami-
4. liam Patris conservarent, nec extra Tribum nuberent. *C. 36. Num. 6.* Idem

Idem probat ex Lege Voconia Turcarum, Lege Salica, & aliorum Populorum LL. qvæ Fœminas partim in totum exclusere ab hereditate, partim certô tantum modô admiserunt. *d. Tr. th. 15. 16. & seqq.* Valere verò & hodiè Statuta, qvibus Fœminæ in totum 5.
ab hereditate excluduntur, minus dubium habet, cum justa non tantum & favorabili in ratione sint fundata; cum enim per Masculos nomen & familia conservetur, in conseqventiam etiam debent ad eosdem pertinere bona & divitiæ, sine qvibus familia sordescit, & imposſibilis existimatur Conservatio; sed etiam, qvod 6.
plurimis in locis ejusmodi Statuta extent, & in viridi sint observantia, qvod ipsum in Germania nostra, præprimis inter Personas nobiliores multis de locis Experientia testatur, & ut plurimum in India eadem vigere, testis est Cardinalis Tusch, *Tr. de Jure Stat. Imper. Rom. p. 2.* vid. Dn. Fabric. *Observ. ad Mynsinger. Cent. 3. Obs. 26.*

CAP. I.

IGitur per hanc Sacram Legem & apud Armenios eadem erit Successionis ratio, & Masculorum, & Fœminarum, ut & Transmissionis hereditatis ad Filios, Filias, Nepotes, Neptes, & ulterius â Patre, Matre, & ulterioribus Ascendentibus, & nihil Armeniorum LL. â Romanis differre. 1.
Si enim Reipubl. sunt Romanæ, serviuntqve Romanis cum aliis gentibus, & omnibus fruuntur, neqvaqvam solum fœminæ æqvitate Imperatoris debent repelli; sed omnibus sub æqvitate ejus erunt LL. qvascunqve ex veteribus collegit, & in Institutionibus atque Digestis suis posuit Imperator. 2.

NOV. XXII.

De Nuptiis:

PRÆFATIO.

1. LEgem hanc de Nuptiis omnibus vult esse communem & propriam; si enim Matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immorta- 1.

litatem artificiosè introducere, & ex Filiorum procreatione renovata genera manent, & jugiter Dei Clementiâ naturæ immortalitatem nostræ donat, rectè Imperatori
2. Studium est de Nuptiis. Facit, qvod alia omnia, qvæ sancita sunt, non competant omnibus, nec Hominibus, nec Rebus, nec Temporibus, sed Studium Nuptiarum est totius humanæ Sobolis, ex qvo etiam solo renovatur Genus Humanum, & ampliori, qvàm alia sollicitudine dignum est.

II. Antiqvitas quidem non satis aliquid de Primis, aut
3. Secundis perscrutata est Nuptiis; sed licebat, & Patribus, & Matribus ad plures venire Nuptias, & nullô lucrô privari, & causa erat in simplicitate confusa. Sed temporibus
4. Theodosii M. Imperatoris amplior est facta sollicitudo, donec tandem per Leonem Imperatorem etiam certi qvid hac de re constitutum. Sed Justinianus Imperator per-
5. fectius hanc causam considerans, aliorum Sancita de Nuptiis non solum corrigere laborans, sed nec erubescens, si qvid melius, qvæ prius dixit, adinvenit, hoc denuò sancire, & Competentem prioribus imponere Correctionem, nec ab aliis expectare, ut corrigatur Lex.

Addit. In Romanorum Republ. non minor fuit Cura de
6. Matrimoniis, qvàm de aliis gravioribus negotiis, tum ad propagandam eandem, tum ad Familiorum dignitatem conservandam, id qvod LL. Censorumqve diligens prudentia satis
7. testantur. Qv. Metellus Numidius Censor, postea Jul. Cæsar, & subinde Augustus Liberorum gignendorum causa Legem de maritandis Ordinibus tulerunt, eos ad Sobolem propagandam, pecuniis & immunitatibus invitantes, vacationem muneris dan-
8. tes ei, cui tres essent Liberi, cui plures, etiam libertatem. Gellius *Lib. 1. C. 6.* Furius Camillus, cum Censuram ageret, ut exhaustæ Civitati propter assiduas bellorum clades Cives suppeterent, Legem de maritandis Ordinibus tulit, qva inter cœtera pœnis coercuit eos, qvi Viduarum Nuptias, qvarum Viri bello ceciderant, devitarent, eos verò, qvi ad Senectutem cœlibes pervenerant,
ærarios

ærarios reddidit. Valer. Maxim. *Lib. 2. C. 4.* Plutarch. *in Camillo.*
Fuerunt & LL. Julia & Papia, qvæ ex aliorum Testamentis Cœ- 5.
libes capere prohibebant, qvæ tamen sublatæ sunt, in qvantum
cohibebant, & puniebant Cœlibatum, & Filiorum orbitatem. *L. 1.*
& 2. C. de Infirmand. Pœn. Cœlib. & Orbit. in qvantum verò cura
& sollicitudo de benè copulandis matrimoniis publicam respicit
utilitatem, publica Potestas in his remansit, inter Orphanas ma-
ximè Personas, sed conservatis juribus paternis & maternis in
conjungendorum libertate, juxta Theodosii & Honorii Sanctio-
nem in *L. 20. C. de Nuptiis.* conf. & *L. 18. C. eod.* & sic ab antiqvo 10.
Conjugium omnes Sapientissimi Legum Latores semper hono-
rarunt, utpote in qvo Seminarium Ecclesiæ & Reipubl. Cives e-
ducantur, & jugiter Dei Clementià immortalitatem naturæ hu-
manæ donat. Honoravit hoc ipsum *Deus Pater*, primos Con- 11.
junges copulando; *Gen. 2. v. 22.* honoravit *Dei Filius*, Nuptias Ca-
nanæas suâ præsentiâ ornando; honoravit *Spiritus Sanctus*, passim
de illo in Scripturis loqvendo, honorant *Beati Angeli*, qvi piis
Conjugibus assistunt, & Sobolem defendunt, *Math. 18. v. 10.* ho-
norant. *Prophetæ & Apostoli*, qvi sæpius commendarunt, & ipsi
elegerunt, honorant deniqve adhuc *omnes Principes & Rerumpubl.*
Moderatores, saluberrimis hunc in finem datis LL. ut per illud
Genus Humanum conservetur, & Civitas multitudine Civium
optimorum abundet. Vid. Augustin. *Qvæst. 5. & N. T. qv. 127.*
Tit. 4. in Append. B. C. D. & in Libro, *de Bono Conjugali, C. 3. tit. 6.*
pag. 289. B. C. & Meisner. *Meditat. Evangel. Domin. II. post. Epiphan.*
P. priore.

Eqvidem, licet Mutatio & Correctio Legum non præsuma- 12.
tur, sed evidenter probari debeat, qvia credibile non est, Prin-
cipem, qvi jura tuetur, Legem, multis vigiliis excogitatam at-
qve inventam, evertere velle *L. 35. pr. C. de Inoff. Testam.* Licet 13.
etiam negandum non sit, posse & solere Bonos Principes LL.
latas à Prædecessoribus, bonas & utiles Reipubl. confirmare, re-
tinere & restituere collapsas, dum per approbationem propri-
as efficiunt, non secus, qvàm noviter per se editas, prout Anto-
ninus Imperator secundum LL. Rhodias, suis non contrarias,
nautica judicari voluit, *L. Ἀξίωσις. 9. ff. ad. L. Rhod. de Jactu,*

14. Nihil tamen obstat, qvominus à Prædecessoribus latam Legem extendere, corrigere, aut ampliare, vel etiam prorsus tollere possit, semper tamen, ut cum JCto loqvar in *L. 2. ff. de Constit. Princ.* evidens utilitas demonstrari debet, ad convellenda ea, qvæ diu certa fuerunt vid Arnis. *de Jur. Majest. c. 3. §. 14.*

CAP. I.

Ut hæc Constitutio in futurum valeat, non in perpetuum.

1. ATqve hoc est primum, qvod Imperator huic Legi præmittit, secundum habetur *in C. II.* Valere tunc demum hujus Nov. pœnas, si Conjuges in Ultima Voluntate easdem sibi remiserint; Unusqvisqve enim Conjugum potest disponere in suis, ut dignum est, & sit Lex ejus voluntas, prout & prima ferè Reipubl. Romanæ L. XII. Tabb. disponens ait; *Uti legasset qvisqve de re sua, ita Jus esto*, nullo qvicqvam valente citra illius voluntatem, nec si Rescriptum impetret, nec si qvis aliud omnium aliter disponere malit.

CAP. III.

Efficiens Nuptiarum, & qvæ res constituat Nuptias, sive dissolvat.

1. NUptias affectus alternus scil. Viri & Mulieris facit, sic, ut Dos, neqve Dotalia Instrumenta sint necessaria; cum enim semel sub puro nuptiali affectu convenerit, etiam sine Dotis oblatione, & propter Nuptias oportet Matrimonium omninò seqvi, vel Solutionem innoxi-
2. am, aut cum pœna; qvippe *eorum, qvæ in hominibus subseqvuntur (i. e. contrahuntur, vel aguntur) qvicqvid legatur, solubile est.* Seqvi autem pœnam, si distrahatur Matrimonium ob non illatam Dotem, primum se adinvenisse, dicit Imperator.

Addit

Addit. Qvod hic *in pr.* Imperator ait, *Nuptias affectus alternus facit*, paulo aliter effert JCtus in *L. 30. ff. de R. J. Nuptias non Concubitus, sed Consensus facit*, in *L. 32. §. 13. ff. de Donat. inter V. & Ux. Non Coitus*, inqvit, *Matrimonium facit, sed maritalis Affectio.* & in *L. 15. ff. de Condit. & Demonstr.* cui concordant textus Jur. Canonici, *C. Cum invitiatur, 27. qv. 2.* Ex his patet, Pompam sive solennem deductionem Sponsæ in domum Mariti, ad perfectionem Nuptiarum non esse necessariam, Duaren. *de Nupt. C. 2.* Alber. Gentil. *de Nupt. lib. 2. c. 5.* Mozz. *de Matrimon. C. & Substant. n. 21.* De Jur. Can. verò deductio necessaria est utriusqve, Sponsi & Sponsæ in Domum Sacram, ut ibi à Ministro Verbi Divini copulentur, *C. ult. X. de Clandest. Desponsat. C. Aliter, 1. C. 30. qv. 5.* juxta qvem textum etiam de Consvetudine Benedictio Sacerdotalis reqviritur, qvæ jam ubiqve ferè inter Christianos est recepta. vid. Dn. D. Müller, *Dissert. de Hierolog.* nisi forte Belgium excipiatur, ubi coram Secretario & Testibus Nuptiæ contrahuntur, qvas validas dicit Gerhard. *loco de Conjugio, Th. 468.* Qvæ verò olim Solennitates, seu Ritus circa deductionem in usu fuerint, videri possunt apud Cujac. *II. Obs. c. 2. in fin.* aqva enim & igni accipiebatur Uxor. *L. 66. §. 1. de Donat. inter Vir. & Ux.* Barnabas Brisson. *de Ritu Nupt.* Alex. ab Alex. *Lib. 2. Geneal. Dier. C. 5.* Exinde inter Uxorem & Concubinam intererat, qvod honor maritalis & plenus Concubinæ non adhiberetur, *L. 16. §. 1. ff. de his, qvæ ut indign.* & Concubina saltem ex sola animi destinatione æstimaretur. *L. 4. ff. de Concubin.* & præterea boni mores Matremfamilias faciunt, non Nuptiæ, neqve Natales, *L. 46. § 1. ff. de V. S.* atqve ex his intelligitur, qvid sit, *sine mendacio cum aliqua vivere*, hoc est, affectu maritali complecti. *L. Titiæ, 25. pr. ff. de Aur. & Arg. leg.* 3. 4. 5. 6. 7.

Patet qvoqve ex textu, Matrimonium sine Dote esse posse, nam Matrimonia non Dotibus, sed affectu contrahuntur. *L. fin. C. de Repud. L. f C. de Donat. ante Nupt.* Gail. *Lib. 2. Obs. 82. n. 3.* Dos tamen sine Matrimonio esse non potest. *§. 12. J. de Nupt. L. 20. de Donat. ant. Nupt. L. 9. pr. L. 48. ff. de Jur. dot.* 8.

Ulterius hic tractat de pœna infligenda Marito, & à se inventa, si Dotem non intulerit, qvæ habetur in *L. jubemus, 11. §. 1. C. de Repud.* Scil. si de facto Maritus repudiet ob dictam causam 9.

ſam Uxorem, debet ipſi qvartam Bonorum ſuorum partem dare, uſqve ad 100. libras auri, non ultra, qvantæcunqve ſint facul-
10. tates Mariti, v. gr. Si 400. librarum auri, vel amplius, Vir Subſtantiam habeat, 100. libras auri Mulieri præſtet, & nihil amplius,
11. licet qvantamcunqve Subſtantiam poſſideat. Sed, ſi minus 400. libris auri pura Subſtantia ejus fuerit, tunc qvarta pars, computatione facta, puræ Subſtantiæ ejus uſqve ad minimam qvanti-
12. tatem Mulieri debet dari. *d. L. Jubemus*, Idem in Uxore repudiante de facto ſine Jure Maritum, hocqve lucrum Liberis eſt reſervandum dicente Brunn. *ad d. L.* Ex his etiam qvodammodo conſtat, Maritum non habere licentiam, expellendi Uxorem, ſi forte Dos promiſſa non ſit ſoluta, ut aliqvi perperam deducunt
13. ex *L. fin. C. ad SCt. Vellej.* verb: *Et ſic à Viro forſitan repelli*, nam honeſtus amor, ut eſt Amor Conjugalis, ſolis animis eſt æſtimandus, & Concordia Conjugalis cuicunqve lucro eſt præferenda, arg. *L. 5. C. de Inſtit. & ſubſtit.* quia cum nec verecundiæ, nec dignitati, nec pietati conveniat, qvicqvam non jure facere, ut in ſimili inqvit textus in *L. 7. ff. ad L. Jul. de Vi privat. L. Filius, 15. ff. de Condit. inſtit*, ab hoc rigore abſtinendum eſſe Marito, juri & æqvitati omninò eſt conſentaneum. vid. Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 10. def. 205.*

CAPUT IV.

Contraria Nuptiarum, & de Divortiis bona gratia factis, & aliis modis.

1. Matrimonium diſtrahitur vivis Contrahentibus, vel *Conſentiente utraqve parte*, juxta ipſius pactum initum, vel per *Occaſionem rationabilem*, qvæ vocatur etiam *Bona Gratia*, vel *citra Omnem Cauſam*, vel qvoqve *cum Cauſa rationabili.*

2. *Addit.* Qvæ hic *in Pr.* dicuntur, concordant cum jure Veteri in *L. 35. ff. de R. J.* & in *L. 62. pr. ff. de Donat. inter Vir. & Ux*
3. & rectè abrogavit Juſtinianus Imperator *Nov. 117. c. 10.* Nam qvod Deus conjunxit, Homo ne ſejungat *Math. 19. 6.* Matrimonium igitur qvidem nudo Conſenſu contrahitur, ſed non ſtatim

tim diſſenſu ſolvitur, qvia plura ſimul, factô divortiô, læduntur, ut Liberi nati, qvorum favor imperat, difficiliorem debere eſſe Matrimonii ſolutionem *L. Conſenſu, 3. C. de Repud.* Nam, poſtqvam Vir & Uxor in unam Carnem abierunt, etiamſi Voluntates de novo disſiliant, Corporum tamen Commixtionem extergere, aut infectam facere neqveunt. Et regulare eſt apud Canoniſtas, *Spiritualia facilius conſtitui, qvàm ſolvi. C. 2. X. de Transl. Epiſc.* Nec Conjungii copula ex ſolo conſenſu Contrahentium 5.
ſubſiſtit, ſed ex autoritate ejus, qvi per Adamum dixit, Derelinqvet Homo Patrem & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt in Carne una. *Gen. 2.* Qvare nec Noſtris moribꝰ conſentiente muliere, 6.
maritꝰ cum alia Nuptias ſecundas contrahere, nec à Miniſtro Eccleſiæ benedici posſunt, prout Præjudicio Conſiſtorii Lipſienſis de Anno 1631. confirmat Dn. D. Müller *Diſſ. ad R. I. Reg. 35* Multo minus bona cum gratia à ſe invicem divorti; nam bona cum gratia in gratiam autoritate Conſiſtorii reverti debent. Nec cerebrina 7.
æqvitas hic occaſionem rationabilem fingere poteſt, ob qvam Divortium qværatur, ſed rationabilis eſt Adulterii Occaſio, & ſi qvæ alia ſvadet, diſolvi potius Matrimonium, qvàm cum Summo unius Partis periculo illud fovere, de qvibus ſuo loco dici poteſt.

CAP. V.

De Monachismo.

Solvitur Matrimonium bona gratia, (I) ſi una Pars ad 1.
meliorem migret vitam, & ſub caſtitate Converſationem concupiſcat, i. e. ad Monaſterium tranſeat, ſicqve Breve aliqvod vel Libellum repudii det, qvodcunqve verò ſic pacti fuerint Contrahentes, ob mortem lucrum eis contingere, hoc alter habeat, ſive Vir ſit, ſive Mulier, eo, qvod & iſte, qvantum ad Matrimonium, videatur mori, aliud pro alio vitæ eligens iter.

Addit. Tranſitum ad Monaſterium eſſe modum ſolvendi 2.
Matrimonium, nullibi in jure Eccleſiaſtico apud Proteſtantes legitur, neqve indiſſolubilis Matrimonii nexus id admittit; nullibi

enim majus fidei vinculum est, qvam in Negotio matrimoniali, ubi & Corpus, & Bona sibi invicem communicant Conjuges, ut hinc, qvamdiu ab altero Conjugum nihil, qvod fidei Conjugali adversum, fuerit gestum, hoc illibatum debeat esse, ac insolu-
3. bile. Dn. D. Stryk *Addit. ad Jus Ecclef. Brunn. lib. 2. c. 17. ad* §. 1. Imò nec votum Cœlibatus contractum dirimit Matrimonium, qvia votum ejus rei, qvæ in nostra non est potestate, neqvit intervertere Jus Superioris, scil. Dei, qvod reqvirit, ut, qvi donum Continentiæ non habent, sed uruntur, nubant. *Aug. Confess. art. 23.* verb: *Wie aber kein Menschlich Gesetz GOttes Geboth kan weg thun, oder ändern, also kan auch kein Gelübde GOttes Geboth ändern.* vid. Gerhard. *loco de Conjug. C. 8. aph. 442.* & Balduin. *Cas. Conscient.*
4. *Lib. 2. Cap. 8. Cas. 7.* Licet autem inconsideratè, & contra naturæ vires per Juramentum solenniter præstitum, votum Solennitatis præstiterint, postea autem se continere neqveant, Monachis aut Monialibus Conjugium omninò contrahere permittitur, in qvo præeuntem habent Lutherum, qvi hoc suum Institutum & doctrinam tum paradoxam contra Adversarios suos hinc inde in Scriptis suis ex Verbo Dei luculenter probavit, & masculè defendit, vid. *Tr. ejus de Vot. Monast. Tom. 1. Altenb. p. 156. & seqq.* alle-
5. gatus à Bucknero *Decis. Jur. Matrimonial. P. 1. c. 4. n. 70.* qvin Votum Matrimonii prius, & antiqvius, & potentius, qvàm, ut alio voto elidatur, præsertim tali, qvod ex Jure Ecclesiastico robur accipit, cum prius illud Juri Divino originem præbeat, ut probat Ziegl. *ad Lancellott. Lib. 2. tit. 12.* verb: *qvàm postea contractum*, §. 4. & §. 10. *ibidem*, negat, per ingressum in Religionem solvi Matrimonium.

CAP. VI.

De Impotentia.

1. (2.) BOnâ gratiâ per occasionem necessariam, & non irrationabilem distrahitur Matrimonium, qvando qvis impotens fuerit coire Mulieri, & agere, qvæ â natura Viris data sunt, si biennium transcurrerit, ex qvo
2. id mulierem appropinqvavit. Ergo licet pro veritate Vir sit,

ſit, non tamen oſtendat Viri potentiam, licet Mulieri aut ejus Parentibus, disjungere matrimonium, & mittere repudium, & hoc caſu data Dos ſeqvitur Mulierem; ſed Donatio propter Nuptias manet apud Virum. Bienniumau- 3.
tem, qvod paulo ante definivit, in triennium mutavit, qvod â tempore Copulationis expectari vult, cum ſœpe numero compertum, illò elapſò, potentes oſtenſos, miniſtrare filiorum procreationi.

Addit. Triplicem faciunt impotentiam Canoniſtæ, *Natura-* 4.
lem, *Accidentalem*, & *Maleficialem*. De *Naturali*, & tali, qvæ in adulto, atqve aliàs habili, ex vitio qvodam Conformationis, frigiditate nimia contingit, certa eſt eis Concluſio, propter eam & matrimonium contrahendum impediri, & contractum dirimi. *Accidentalis*, ſi fuerit impotentia, â morbo vel ferro 5.
procurata, diſtingv. utrum ea Matrimonium præcesſerit, an ſecuta fuerit, ut illo caſu Matrimonium disſolvatur, hoc verò Matrimonio nihil obſtat, qvominus ſubſiſtat. Deniqve circa im- 6.
potentiam, ex *maleficio* provenientem, cohabitare jubent Conjuges per triennium, qvô elapsô, ſi de impotentia coeundi, & ipſorum Conjugum, & VII. Propinqvorum juramento conſtet, ſolvi debere volunt Matrimonium *c. 5. & ult. X. de Frigid. & Malef.* vid. Ziegl. *ad Lancell. lib. 2. tit. 12. ad §. 14.* Qvod naturalem impoten- 7.
tiam attinet, ad eam referenda eſt qvoqve nimia potentia in Viro, propter qvam Mulier ejus Congreſſum perferre neqvit, atq; hanc qvoad effectum Divortii qværendi & obtinendi, impotentiæ æqviparari, tradit Bruckner. *Deciſ. jur. Matrim. P. 2. C. 22. n. 5.* ubi *n. 6.* de Impotentia naturali dicit, ſi ante Matrimonium con- 8.
tractum revera adfuit, nec medicamentis, aut Sectionibus curari potuit, & Conjux ſanus illud neſciverit, & ob tale vitium matrimonium reſcindi petat, illi eſſe gratificandum, & poteſtatem, aliud matrimoniũ contrahendi, concedendam. Circumſpectè 9.
tamen hic agendum judici ſpondet Ziegl. *c. l. §. 14.* ne omnib9 de frigiditate & Impotentia factis allegationibus promiſcuè fidem adhibeat, cum ſæpe impotentia allegetur, qvæ corrigi & Succeſſu temporis curari poſſit, qvem in finem allegat Paul. Zachi- 10.
am, *Qv. Med. Legal. lib. 3. tit. 1. qv. 5.* qvod attinet poſtremam im-

 poten-

potentiæ ſpeciem, ex *Maleficio* ſcil. ſtatuit Carpzov. *Jurispr. Eccleſ. lib. 2. def. 202.* hic locum non eſſe Divortio, cum in Perſona Sponſi vel Sponſæ nihil vitii tempore Contracti Matrimonii adfuerit, qvod inhabilitatem poſſit inducere, ut ea propter nihil ipſis imputari poſſit, qvod Matrimonium contraxerint, nec ea, qvæ ex permiſſione Divina contingũt impedimẽta provideri, aut impediri potuerint, ut hinc æqvô animô ferendũ, qvod mutari non po-
11. teſt. Excell. Dn. D. Stryk. *Addit. ad Jus Eccleſ. Brunnem. lib. 2. c. 17. ad §. 3.* Totam deciſionẽ ex eo dependere ait, an hoc impedimentum pro ſuperveniente, vel pro præcedente habendum; ſi enim ſuperve-
12. niens eſt, ſine dubio non vitiat, ſicut, ſi ſit præcedens. Putat tamen, præcedentiam, vel ſupervenientiam hic non tam ex deſponſatione, qvàm conſummatione Matrimonii per Copulam eſſe conſiderandam, ut illa impotentia præcedens dicatur, qvæ adeſt ante primam copulam, cum ergo tali caſu interveniente ligatura Magica, nunqvam conſumari poſſit Matrimonium, altera verò
13. pars diſſolutionem urgeat, ſeparationi locum eſſe dandum, concludit. Sententia Dn. Bruckneri *Deciſ. Jur. Matrim. P. 2. c. 22. n. 12.* eadem ferè eſt, & concedit Separationem, ſi poſt preces devotas, aliaqve remedia Spiritualia vitium hoc ſanari non poſſit; nec enim licitum eſt, à Malefico petere, ut maleficium tollat, imò nec compelli, nec probari poteſt, ſi paratus ſit tollere.
14. Brunn. *de Jur. Eccleſ. L. 2. C. 17. th. 4.* Statuit autem Zachias *Qv. Med. legal. lib. 3. tit. 1. qv. 5. n. 42.* Viros ſolummodo ex maleficio reddi ad Coitum impotentes, Mulieres autem neqvaqvam, vel ſaltem freqventius Viros, qvàm Mulieres. Rationem diffe-
15. rentiæ allegat *n. 45. ibid.* Qvod ſi autem poſt ſolutum, exactô trienniô, Conjugium ſint ſeparati Conjuges, & impedimentum ceſſet, conjungendi iterum, ſi alteruter non ſit alii junctus, ſed res integra. Brunn. *d. l. §. 5.* vid. Dn. Simon, olim Anteceſſor Halenſis, *in Diſſert. de Impotentia Conjugali.*

CAP. VII.

De Captivitate.

(3) Bona

(3) BOnâ gratiâ dissolvitur propter Captivitatem, si- 1.
ve enim contingat tale infrotunium Viro, Muliere in Republ. manente, aut mulier qvidem in Captivitatem ducatur, maneat autem Vir in Republ. Nuptiæ qvidem dissolvuntur.

Rat. Nam Servitute semel superveniente alteri Personæ, 2.
fortunæ inæqvalitas æqvalitatem ex Nuptiis manere non sinit. Cæterum humanius hæc contemplando, insoluta Matrimonia 3.
vult manere, donec manifestum est, superesse aut Virum aut Uxorem, adeoqve ad Nuptias secundas non venient Viri, nec Mulieres, nisi voluerint videri, ausu temerario hoc egisse, & pœnis succumbere, illum qvidem privari Donatione propter Nuptias, hanc verò exacttione Dotis.

II. Qvodsi incertũ sit, utrum supersit, an non Persona, qvæ ad 4.
hostes devenit, qvinqvennium expectandum est, sive à Viro, sive à Muliere, post qvod, sive manifestum fiat de morte, sive incertum maneat, nubere licet sine periculo, ita, ut hoc casu repudio non sit opus, personis ab alterutris distantibus, nullus tamen ex hoc lucrabitur, neqve Vir Dotem, neqve Mulier Donationem antenuptialem, sed unusqvisqve in suis maneat.

Addit. Qvæ in *h. C.* traduntur, in *Nov. 117. C. 11.* confirmat 5.
Imperator, & qvoqve ampliat, nec ad alias Nuptias venire permittit Mulierem, nisi prius accesserit Tribunum, sub qvo Maritus militabat, & interrogaverit, utrum pro veritate sit mortuus ejus Conjux; Cæterum, nec sic statim aliud ipsi Matrimonium inire permittit, sed post decursum unius anni, pœnâ insuper propo- 6.
sitâ, si contra hæc qvid temerè, vel dolo malo sit factum. d. *Nov. 117. C. 11.* Ergo, si qvis ab hostibus in Captivitatem abdu- 7.
ctus, morbo detentus, Principis vel Reipubl. Legatus, Prædonum metu deterritus, aliamve ob causam legitimam, vel in exilium ex infortunio ire jussus, intra breve spatium domum reverti, & cohabitare Uxori vel non possit, vel non audeat, hisce & similibus Casibus, inqvam, expectare tenetur Uxor, donec vel cesset impedimentum, vel Maritus revertatur, vel de morte ejus certissimus sit allatus Nuncius. vid Nicolai, *Tr. de Divort. & Repud. C. 3.* Cæterum si prorsus nesciatur, ubi terrarum vivat Maritus, 8

Uxor debet comparere coram Consistorio, & obitum Mariti docere, ac juramentô asserere, se nihil de Marito, ubi terrarum degat, rescivisse, & tunc secundum Ordinat. Consist. March. *tit. 66.* decernitur Citatio Edictalis peremtoria, &, Maritô non comparente, aliud matrimonium ineundi licentia conceditur.

CAP. VIII.

De Servitute Pœnæ.

1. SI in Metallum Vir, aut Mulier dari jussus esset, ex decreto judiciali in Servitutem conjiciebatur, Servus pœnæ fiebat, & Matrimonium dissolvebatur, damnato
2. Supplicium possidente. Cœterum Imperator nullum benè natorum ex Supplicio Servum fieri permittens, vult matrimonium manere, & nihil qvempiam, utpote inter Personas liberas consistentem, ex decreto judiciali lædi.

3. *Addit. Damnatio in Metallum* pœna est gravissima, eâ ipsa enim libertas adimebatur, Servusqve pœnæ qvis efficiebatur. *L. 17. pr. ff. de pœn.* verberibus similibus cöercebatur, *L. 12. ff. de jure Fisci.* & durissimis vinculis constringebatur. *L. 8. §. 6. ff. de Pœnis.*
4. *Damnatio* autem in *Opus Metalli* levior qvodammodo est; Libertas qvidem hic etiam adimitur, levioribus tamen vinculis damnati constringuntur, & si ex Opere metalli fugiant, demum in Metallum damnantur. *L. 8. §. 6. ff. de Pœn.* Ex qvo facilè liqvet, levio-
5. rem esse hanc pœnam. Levissima pœna respectu præcedentium videtur Damnatio in Opus publicum, qvod autem hæc levior præcedentibus pœnis sit, patet ex eo, qvod illæ regulariter in perpetuum infligantur, hæc verò regulariter ad tempus. *L. 8. §. 7. ff. de Pœn.* & hæc, sicut illæ, libertatem non adimat. *L. 28. §. 6. ff. eod. L. 5. §. 2. ff. de. Extraord. Cogn.* & si qvis ex Opere publico redeat, demum in Opus metalli damnatur. *L. 8. §. 6. ff. de Pœn.* vid. Dn. D. Stryk. *Dissert. de Dardanar. C. 5. n. 30. & seqq.*

6. Abrogatur autem per *h. Nov. hujus Cap. 8.* & per *Auth. Sed hodiè, C. de Donat. int. Vir & Uxor.* Servitus pœnæ, ad hunc effectum, ut, si qvis Uxori donaverit Maritus, & ex Supplicio superstes sit, non fiat Servus pœnæ, nec Donatio confirmetur; illa enim

nim sola per mortem demum naturalem fit valida, sed si ante reatum donaverit, confirmatur Donatio morte naturali. Brunn. ad *L. 24. C. de Donat. int. Vir. & Uxor.* Ulterius, abrogata hac servi- 7.
tute pœnæ, seqvitur, posse Condemnatos de bonis suis qvovis modô contrahere, & disponere, Hæreditatem, ab intestato sibi delatam, acqvirere, & suam ad Heredes suos post mortem devolvere, Testamentum condere. Carpzov. *pr. Crim. P. 3. qv. 135.*
Nec qvoqve hodiè ob hanc abrogatam delinqventis bona con- 8.
fiscantur, ne ejus Liberi ad extremam redigantur paupertatem, qvi tamen ex Legum dispositione tale qvid non promeruerunt, Pauca siqvidem sunt Crimina, ob qvæ bonorum proscriptio decernitur, de qvibus vid. Gilhaus. *ad art. 218. Const. Crim.* conf. infr. *Nov. 134. Cap. ult.*

CAP. IX.

Servilis Conditionis detectio.

SI per Decretum judiciale Libertus aut Liberta, aut ho- 1.
rum Filii in Servitutem redigantur, apparens Servitus Matrimonium separat, tanqvam morte Civili secuta; Qvia superveniens Servitus non procul â morte differt, unusqvisqve igitur, qvod suum est, recipiat, Uxor dotem, & Maritus Donationem propter Nuptias, cœtera sint illius, qvi in Servitutem redigitur.

Addit. Hic modus solvendi Matrimonium apud Christi- 2.
anos meritò cessat, cum Servitus illa apud eos usu recepta non sit.

CAP. X.

De iis, qvi Ancillam duxerunt, putantibus, esse Liberam.

HOc casu non tam dicitur solvi Matrimonium, qvàm 1.
ab initio statim esse nullum, idqve propter inæqvalitatis fortunam, unde nec lucrum ex tali Matrimo-

nio,

nio, sed simplex redditio per congruam Actionem locum habere debet.

2. *Addit.* Huc pertinet casus, si qvis se Liberum Baronem finxerit, aut Nobili prognatum Stemmate, cum sit vilissimæ Conditionis Homo, Codro pauperior, aut ære alieno summè obrutus, ex incestu natus, aut alia infamis Persona, vel, si se sanum præcidet, cum tamen morbo coanitiali aut Francisci caligis indutus,
3. ut Non nemo loqvitur, incedat. Hisce igitur & simillimis casibus, qvos recensent Dd. Cognitò errore vel dolô, ipsum etiam Matrimonium, si nondum diu constitit, nec ratificatio secuta, posse dissolvi, dixerim, maximè verò, si insignis sit dolus & fallacia, & magni momenti, & qvæ prævideri non potuit, aut caveri, qvalis Casus ante qvinqvennium præter propter Lubecæ contigit, ubi dolis & fraudibus obita Anus ingenuum & honestis ibi Parentibus natum Mercatorem seduxit, dum se mentita Nobilem & maximè divitem, cum tamen Scortum & Prostibulum publicum esset, & aliis locis publicè cum virgis antea cæsa, relegata, aurumqve & argentum, qvod producendo se divitem fingebat,
4. aliis subtraxisset; Licet igitur per Benedictionem Sacerdotalem essent copulati, ob hanc insignem tamen fallaciam & dolum
5. separati sunt in perpetuum. Nec enim Hominibus perditis Matrimonio abuti, & fuco, dolisque impunè alios circumvenire liceat, sed ipse contrahens dolosus, & qvi se ad ministros ejusmodi facinorum præbuerunt, & malis artibus ejusmodi Nuptias conglutinarunt, condignâ pœnâ sunt afficiendi. Si enim dolus memini debet patrocinari, *L. Nec ex dolo, ff. de Dol. mal. L. 3. ff. de Transact.* & aliàs Contractui bonæ fidei causam dans, eundem ipso jure nullum reddit, cum dolo contrahens, destituatur
6. alterô consensus Principiô Voluntate scil. Ingnorat enim alterius fraudem, nec per errorem consentit simpliciter, sed sub Conditione, *si ita se res habeat.* Hahn ad Wesenb. *Tit. de Dolo mal.* Sanè in negotio matrimoniali, fœdere tam sanctissimo, & re tam ardua & Sacra bona fides elucere & exuberare debet. Jason *in §. fuerat, n. 1. J. de Action.* nec malitia & dolus prodesse, & deceptis simplicitas obesse debet. *L. 1. ff. de dol.* Huc facit, qvod scribit Viv. *Lib. 1. de Offic. mariti. Nunqvam bono & frugi Conjuge uteris, qvem technis & dolo*

dolo circumventum pellexeris. Nec obstat, non licere homini, se- 7.
parare, qvos DEus conjunxit; Nam Resp. Talis Conjunctionis DEum Autorem non esse, sed Diabolum, ideoqve dicendum, qvos Diabolus per suos Ministros conjunxit, DEUS per suos Ministros separet. vid. Haveman. *in Gamolog. lib. 1. tit. 5. pos. 5. & pos. 6. sub Rubr. Spurius pro nato ex legitimo matrim.* Nicolaus *de Repud. lib. 1. c. 2. n. 92. & seqq.* Kizel. *Synops. Matrim. C. 4. theor. 15. lit. F.*
In tali verò Casu lucrum nullum obtinebit, sed qvælibet Pars per 9.
Condictionem, Causa data Causa non secuta suum repetat; Ideoqve, si fundus Dotis nomine ob Nuptias fuerit traditus, his non secutis, non saltem fundus, sed etiam fructus condici possunt.
L. 7. §. 1. ff. & L. 12. C. de Condict. caus. dat. caus. non secut. Aliud au- 10.
tem, si qvis dedisset ei intuitu matrimonii, cum qva sciebat, de Jure contrahere non posse arg. *L. 2. ff. d. t. & L. 15. C. de Donat. ante Nupt.* Hahn. *ad W. h. t. n. 2.*

CAP. XI.

Si Dominus ipse, vel expressè, vel tacitè Ancillam desponsavit.

I. SEd si Dominus Ancillam suam, ut liberam, alicui 1.
desponsaverit, subsistit Matrimonium, & tacitam videtur consecuta libertatem.

II. Si sciat, ab alio duci, & ex studio taceat, saltem, ut 2.
postea litem inferat alteri, si aperta probetur neqvitia, privabitur dominio Ancillæ, & habebitur Matrimonium, ac si ab initio consensisset Dominus, Servus verò, vel Ancilla ad ingenuitatem rapiatur.

Addit. Si qvis Ancillam Homini libero elocaverit, datâ vel 3.
promissa Dote, credenti, se cum libera contrahere, Ancilla statim fit libera, & Civis Romana, nam hæc inter Servos non geruntur. Sanct. *de Matrim. Lib. 7. Dc. 20.* Imò per *auth. Ad hoc. C. de Latin. libert. toll.* Hoc qvoqve sine Dotalibus Instrumentis pro- 4.
cedit, ac idem in Servo, Uxorem liberam ducente, sciente Dominô, & hoc modô nupta, vel Maritus, servili Conditione abjectâ, statim ingenui fiunt, qvippe intercedit delictum Domini, indignum

gnum se jure Patronatus facientis; sed, ignorante Domino, Matrimonium contractum ipso jure est nullum, *C. 2. X. de Conjunct. Serv.* vid. Brunnem, *ad Tit. C. de Latin. libert. toll n. 8. & seqq.*
5. Estqve in hoc C. casus, qvo Servus libertatem à Domino conseqvitur, alius est in *§. f. J. de Adopt.* qvo Dominus Actis intervenientibus, Servum Filium suum nominavit.

CAP XII.

De Servo & Ancilla ægrotante.

1. Valet qvoqve Matrimonium, si Dominus Servum, aut Ancillam, ut langventes, vel ægrotos dereliqvit, seu etiam contemsit eos; sic enim, ut pro derelicto habiti, titulum sui juris acceperunt, aliorum non ulterius existentes.

2. *Addit.* Nam hoc casu, cum Dominus Servi curam à se omnem abjecerit, qvid aliud, qvàm libertatem dedisse, colligi potest; qvam igitur, si habent, qvodvis agendi arbitrium indulsisse videtur,

CAP. XIII.

De Deportatione.

1. Neq; Deportatio, in qvam migravit Vir & Uxor, qvæ in locum interdictionis aqvæ & ignis succesit, Matrimonium solvit.

2. *Addit.* Deportatio nihil aliud est, qvàm perpetua in Insulam sive Exilium, propter aliqvod maleficium capitale, Condemnatio. Nam, cum olim Romani in homines malos, & Reipubl. perniciosos carnificinam exercere abominarentur, à malis tamen hominibus Societatem Civilem purgare, desiderarent, primo facinorosos interdicto usu ignis & aqvæ mulctabant, qvod, sicut his duobus, calore & humore, vitam Hominis constare, ita, interdicto eorundem usu, non consistere, credebant, qvorum se
3. indignos malefactis reddiderunt. Deinde verò, propagatô ex Insularum adjectione imperiô, facinorosos deportandi usus invasit,

vasit, qvi veluti mortui ejecti, in alias sedes migrare creduntur, ita in Insulas, qvasi in alterum Orbem delati, omnibus exuti bonis, inter mortuos sunt connumerati qvoad ea, qvæ Juris civilis sunt. Et qvia post Deportationem introductam, ille interdicen- 4.
di usus cœpit aboleri, Deportationis pœna in ejus locum surrogata est. Mynſ. *ad §. 1. I. qvib. Mod. Patr. Pot. Sol.* Licet etiam 5
Maritus & Uxor simul deportentur, vel hodiè, simul fustigati, relegentur in perpetuum, Matrimonium qvidem non solvi, rectè dicatur, *h. C. & L. 24. C de Don. inter Vir. & Ux. C. Qvæsivit, 2. X. de Divort.* possunt id tamen solvere per conseqventiam, si unus Conjugum innocens affectum Conjugalem deponat, aut, si innocens, nec possit, nec velit, nec teneatur nocentem seqvi; nec enim, ut se habent verba Nicolai *Tr. de Repud. & Divort. C. 2.* 6.
P. 2. n. 16. teneatur Uxor Maritum Bannitū, vel ob delictum in Exilium missum, seqvi, maximè, si illud ratio domestica, & utilitas communis Liberorum, & honestas Uxoris non permittat, cum, qvod (1) Delicta semper tenere debeant suos Autores, & qvisqve ex 7.
suo admisso Sorti subjiciatur, nec alieni Criminis Successor existat *L. 26. ff. & L. 22. C. de Pæn.* tum, qvia (2) Maritus Mulierem hanc 8.
Desertricem malitiosam appellare neqvit, cum ipsemet hanc necessitatem sibi propriâ culpâ attraxerit. *C. 74. ff. de R. J.* & arg. *L. 21. Pr. ff. Qvod met. caus.* vid. Heig. *P. 2. qv. 14.* Richt. *P. 1. Dc. 9. n. 8.* & *Vol. 2. Conſ. 138.* Dn. Müller, *de Pœnit. Eccleſ. c. 6. n. 27.*

CAP. XIV.

De Desertione.

I. SCripsit Divinæ memoriæ Constantinus M. Impera- 1.
tor Legem, juxta qvam, si qvis impeditus fuerit, fortè per militiam, & tacuerit ad Uxorem per qvadriennium, nullumqve ei circa eam affectus Signum fecerit, qvod licentiam habere debeat, ad secundas Nuptias veniendi, modo prius militiæ Principi obtulerit libellum, & Testimonium ab eo acceperit, sic igitur inculpabiliter ad alium Virum potest transire, Dote non privata, nec ta-

men lucrabitur Donationem propter Nuptias. Atqve hic est *qvintus modus disjungendi Matrimonii bona gratia*, secundum Legem Constantini.

2. II. Justiniano Imperatori autem vehementer immature hæc se Constitutio habere videtur; Nam actibus bellicis occupato Marito privationem Uxoris inferre, non
3. minor est pœna, qvàm ab Hostibus capi. Non igitur prius veniat ad Virum secundum Mulier, qvàm Legislator proposuit, & decennii tempus transiit, interim ea noverit, in vivis esse Virum, nec miserit ad eum literas, aut per alios verbis ad eum sit usa, illeqve sic aut apertè ejus renuat Nuptias, aut absolutè conticeat; Si enim & ipsa aut Magistro militum, aut Duci, vel Tribuno, sub qvibus est miles, Libellum offerat, & Divortium promerebitur; Si verò citra hoc temerariè nubat, legitimis pœnis subjacebit,

4. *Addit*. Ad Divortium à Conjuge obtinendum, non sanè sufficit absentia diuturnior, sed reqviritur verè malitiosa, temeraria, & voluntaria, eaqve diutina, absqve ulla legitima & sufficiente causa, dissentiente altero Conjuge; ac propterea profectio in dissitas regiones, mercaturæ exercendæ, aut negotii expediendi gratia ex necessitate inita, nec non Expeditio Bellica pro Defensione Patriæ & Reipubl. maximè ad mandatum Superioris suscepta, Legatio à Principe injuncta, item Captivitas, & qvando qvis Hostibus, vel Piratis, aut Latronibus capitur, & captus in Servitutem abducitur, & venditur; vel, si qvæ similes sint causæ, ad absentiam justam nullô modô referri merentur, & sic insufficientes ad separationem totalem conseqvendam audiunt. vid.
5. Nicol. *de Repud. & Divort. P. 2. c. 2. n. 12. & seqq.* Rectius hic præscribit Justinianus Imperator, qvid in casu absentiæ diuturnioris observandum, oblatô enim testimoniô à Duce, vel Tribuno, sub qvo militabat, de morte ejus, licentia ipsi conceditur, ad aliud Matrimonium transeundi, vel, si Desertio sit mali-
6. tiosa, & Pars à Desertoris, aut Desertricis Vinculo Conjugali absolvi, petat, judex decernit vel Citationes Subsidiales ad judicem

cem loci, ubi degit Desertor, vel, si ille ignoretur, Citationes Edictales, qvibus tenorem Actionis & Petitionis inserit, cum Constitutione Termini legalis ad Respondendum, & Comminatione, qvod ad Absentis sive Comparitionem, sive Emansionem, nihilominus justam Sententiam sit pronunciaturus. Citationes Edi- 7.
ctales plerumqve in trium diversorum Dominorum Territoriis, ubi vel Reus olim Forum Originis, vel Domicilii habuit, vel aliqvoties versatus est, aut nunc clam latitare præsumitur, vel Cognati aut Amici ejus habitant, per qvos notitiam illarum conseqvi qveat, ex Suggestibus Ecclesiasticis præleguntur, ac in locis publicis affiguntur, prout ita modum procedendi in Desertione latius describit Carpzov. *Jurispr. Consf. Lib. 3. Tit. 5.* & Nicolai *Tr. de Repud. & Divort. P. 2.* vid. Excell. Dn. Stryk. *in Dissert. de Desertion. Conjug. Malit.* & Bruckner. *Decis. Jur. Matrim. P. 2. c. 18.* 8.
Id adhuc addendum ex *Nov. 117. C. 11.* Ut, qvotcunqve etiam annis Maritus in Expeditione manserit, Uxor tamen teneatur eundem expectare, licet nec responsum, nec literas acceperit, & si mortuum audierit, adire teneatur Præfectum, sub qvo militavit, ut apud Acta de morte ipsius cum juramento deponat. Cæterum, qvod jusjurandum attinet, hic interest, an judex, 9.
vel publica Persona ratione Officii deponat, an vero Dux, vel militiæ Magister, ut Testis privatus. Priori casu jusjurandum 10.
neqvaqvam exigi potest, qvia jam ab initio Officii præstitum juramentum, ut denuò illud exigere, non sit necessum, vel qvod verius est, agit Imperator in *d. Nov. C. 11.* non de Duce militiæ, sed de Chartulariis, qvi nomina militantium in Acta referebant, ut notat Gothofr. *d. l. lit. J.* & de Tribuno militum, 11.
tanqvam inferioris conditionis Officiali, qvibus non, nisi sub præstito juramento, fides tribuitur, qvia tales Officium Magistratus publicum non sustinent, ut Dux militiæ, qvi per Scultetum militiæ jurisdictionem in milites sibi subjectos, æqvè, ut Magistratus Oppidanus in Cives suos exercet; sed publicam Magistratus autoritatem Tribuni non habent, Förster. *in Histor. Jur. L. 1. c. 14. n. 3. Die Rittmeister, Capitain, oder andere Officirer haben keine Gewalt, die Justitz über die Mißethäter geben zu laßen, sondern solches ist ein Reservat des Obristen,* cui competit merum Imperium.

perium, & qvi jus Gladii habet. vid. Burger. *Cent. 2. Observ. Ju-*
12. *risd. Pol. 80.* Sed casu posteriori concedendum, Juramentum à Duce militiæ, vel Magistro esse præstandum; nam Imperator agit in *d. Nov. 117. c. 11.* de Chartulariis, & Tribunis militiæ, illisqve de obitu militis attestantibus, fidem tum demum habendam jubet, si propositis Evangeliis, h. e. præstitô juramentô, deposuerint. Carpzov. *P. 1. Dc. 24.* vid. Burger. *Cent. 2. Obs. 34.*

CAP. XV.

Causæ Repudiorum.

1. MAtrimonium non bonâ gratiâ solvitur, qvando ob certam causam libellum Repudii alter mittit alteri, & hic Nocentis pœna est amissio Dotis, sive Dona-
2. tionis propter Nuptias. Imperator autem Theodosius Junior propterea causas aliqvas sumpsit, alias verò ipse invenit. *L. Consensu. 8. C. de Repud.*

3. §. 1. Ergo secundum hujus Constitutionem Marito Uxor repudium dat, (1.) Si sit Adulter, (2.) Reus Majestatis, (cujus crimen pessimum omnium Peccatorum hic dicit Imperator) (3.) Reus homicidii, (4.) Veneficii, (5.) Falsi, (6.) Sepulchri violati, (7.) Latrocinii, (8.) Abigeatus, (9.) Plagii, (10.) Si luxuriosè vivat cum aliis, (11.) Si in-
4. sidias vitæ Uxoris struat, (12.) Eandem malè tractet. Igitur, si Mulier tale qvid ostendere potuerit, licentiam ei dat Lex Theodosiana, Repudio uti, Nuptiis abstinere, Dotemqve percipere, & antenuptialem Donationem totam, non solum, si omnes probaverit Causas, sed etiam, si secundam, seu unam.

5. §. 2. Uxori Maritus repudium dat, (1) Si Adultera, (2.) Venefica, (3.) Homicidium committens, (4.) Plagiaria (5.) Sepulchrorum Violatrix, (6.) Sacrilega, (7.) Favens Latronibus, (8.) Conviviis gaudens, eorumqve Sectatrix, insciô Maritô, (9.) Abnoctatio extra ædes, invitô

Maritô

Maritô, citra rationabilem causam, (10.) Freqventatio Ludorum Circensium, aut Theatralium Spectaculorum, (11) Si struat vitæ Mariti insidias, (12.) Si Rea Criminis læsæ Majest. (13) Criminis Falsi, & si (14.) audaces Marito inferat manus. Ergo si vel unam harum causarum probaverit Maritus, secundum L. Theodosianam abjicere poterit Mulierem, lucrari Dotem, & antenuptialem habere Donationem.

§. 3. Qvodsi Uxor Divortium sine causa fecerit, vel 6.
divortio causam præbuerit, legitimas patietur pœnas, nec ante qvinqvennium Nuptias contrahere potest, omnis qvoqve volens adeat, & accuset factum, tanqvam contra Legem præsumptum.

Addit. Communis hactenus inter Theologos & JCtos Pro- 7.
testantes fuit sententia, non, nisi ob Adulterium, & malitiosam desertionem Divortia esse concedenda *Matth. 19. v. 9. & 1. Cor. 7. 15.* Sed Praxis qvotidiana Consistoriorum nostrorum ostendit, ob plures alias causas hodiè Divortia passim permitti, atqve decerni. Dn. Bruckner. *Decis. Jur. matrim. P. 2. C. 16. pr.* Qvæ verò 8.
hic in C. XV. secundum L. Theodosianam allegantur, non sanè omnes ad Divortium sufficiunt, qvædam etiam ita sunt comparetæ, ut non opus habeant Divortio; nam, cum Rei delictorum hic recensitorum, ob facinora admissa mortis pœnam sentiant, qvid opus hic Divortio, qvod ex parte Rei mors ipsa causatur, &, si de aliis vitiis vel Mariti, vel Uxoris qvæstio sit, alia adsunt Emendationis remedia, ut non opus sit, ad Separationem qvoad vinculum agere sed, si nulla Conciliationis spes sit, separatio 9.
qvoad torum & mensam institui potest, qvæ omninò qvoqve locum haberet, si Maritus in Uxorem crudelitatem qvotidiè exerceret, nec ab eo secure esse liceret, non tamen statim ea locum haberet, si Uxor Marito audaces inferret manus, vel Marito Imperium in omnibus diceret, qvod qvidem irregulare esset, & in marito improbat *Syrac. IX. 2.* & sic Currus traheret Bovem, qvod proverb: de γυναικοκρατία explicat Erasm. Adag. Chil. 1. Cent. 7. Lutherus hujusmodi Maritos, teste Zinchgrævio, vocavit

Verb.

10. *Verba Anomala.* Neqve enim minima Viro est infamia, si Uxori parere cogatur, sicuti Plin. *in Panegyr. Trajan.* testatur, multos foris claros, domesticam destruxisse infamiam, &, ne maximi
11. Cives haberentur, hoc effecisse, qvod minores essent. Esse verò Mulieres non tam natas ad imperandum, qvàm ad obtemperandum, apparet ex habitu tenero, molliqve, ex impotentia animi, & qvod vix centesima qvæqve sine Marito rebus suis prospicere possit, qva de causa & Providentia juris Civilis earum Actibus Autorem assistere voluit, absqve eo non valituris. *L. Maritus, 21. C. de Procurat.* vid. Mev. *p. 2. Dec. 219.* item Hieron. *in. C. 2. Ezech.* scribit: perrarò Sanctos genuisse Fœminam, qvod fœmineus Sexus sit fragilior. *L. 4. C. de Sponsal.* & Cynus *ad L. 5. C. ad L. Jul. Majest.* verb. *Minus autumo,* ad omnia Mulieres pu-
12. tat esse abjectioris animi, propter res venereas. Non licebat Uxori, citra divortii pœnam, Ludis Circensibus interesse, in qvib9 fiebant Corporum certationes, Cursu, pugillatione, luctatione, & Eqvorum curriculis, usqve ad certam victoriam circo constitutæ, Cavea, Cantu, Voce, ac fidibus & tibiis. Rosin. *Lib. 5. Antiqvitat.*
13. *Roman. C. 2.* Vocati qvoqve sunt Gymnici à nuditate, qvod ludentes Corpora nudarent, aut saltem Vestes exuerent, qvo
14. expeditiores & agiliores ad certamina ludicra essent. Idem *Cap. 5.* Positis metis, non autem gladiis eximiè cultos, celebratosqve fuisse, in qvibus VII. curricula solennia fuere, & XXV. missus,
15. testatur Alex. ab Alexandro, *Lib. 4. C. 8. General. Dier* Idem erat, si Theatralia Spectacula freqventabant, qvæ & similia, licet apud Nos causam divortio non præbeant, sinistram tamen haud bonæ conversationis præstant suspicionem, fribusculum conciliant, & multis funestis casibus occasionem suppeditant.

CAP. XVI.

Aliæ Causæ Repudiorum.

1. QVod si Mulier rationabiliter Repudium miserit, & in judicio vicerit, aut Vir irrationabiliter Mulierem abjecit, subjectus sit pœnis, lucrabitur Mulier Dona-
2. tionem propter Nuptias; sed ante annum completum ad vota

vota secunda venire erubescat, qvod non observandum est in Viro, cui & repente Nuptias facere licet, qvoniam nulla circa Sobolis Confusionem rationabilis est Suspicio, qvod in Mulieribus ante anni Completionem rectè prohibetur.

§. *I.* Præter XIV. Causas repudiorum igitur, paulò 3.
supra recensitas, adduntur & hæ: (15) Si Mulier tanta teneatur neqvitiâ, ut ex studio etiam abortum faciat, Virũ contristet, & privet spe filiorũ, vel (16) Tanta sit ejus libido, ut etiam cum Viris voluptatis occasione lavetur, aut (17) Dum adhuc constat Matrimonium cum Viro, ad alios de Nuptiis suis loqvatur. Hiscè qvoqve casibus licentia datur Viris, mittere eis repudia, lucrari Dotem, & antenuptialem habere Donationem.

Addit. Qvod attinet primam causam, si poculo abortus 4.
sumtô, Maritum spe Liberorum privet, solet hodiè esse pœna Relegatio, Fustigatio, & virgarum Cæsio, pro qvalitate facti, & personarum differentia, Crusius *de judic. Delict. p. 2. C. 33. n. 24.* qvo Casu, cum Pars innocens Nocentem in Exilium seqvi non teneatur, Matrimonium qvidem dissolvi, concedimus; Cœterum, si in 5.
facultatibus constituta, pœnam redimat, Matrimonium qvoad Vinculum non ita facilè solvetur; & si malitiosè Virum postea ulterius contristare metus sit, eumqve Sobole privare, Prolis tamen cupidine teneatur, qvid in ejusmodi casu facto opus sit, meritò in Prudentum Virorum Consilio, & nonnunqvam Matronarum Conventu est examinandum. Qvod si Mulier, ac- 6.
ceptâ Pecuniâ, fœtum ipsa per Medicamenta noxia corruperit, Capitali Suppliciô plectenda est, nempe, propter detestabilem pecuniæ receptæ turpitudinem, qvam Assassinii speciem appellant Dd. *in L. 39. ff. de Pœnis. L. 4. ff. de Extraord. Cognit.* Damhuder. *Pr. Crim. C. 74. n. 13.* Præterea, qvæ sumpsit abortionis poculum, 7.
sed tamen præter spem & expectationem nihilominus Partum vivum & integrum edit, ob Conatum ejusmodi perosum, remqve mali & tristissimi Exempli, pœnam qvoqve Extraordinariam subit. *L. 38. §. 5. ff. de Pœnis.* Ipsa Lavatio communis cum aliis Vi- 8.

ris,

ris, libidinis causa, nec Matrimonium solvit, nisi occasione ejus adulterium commissum, idqve probetur, qvo casu, qvid juris, sa-
9. tis partim ab ipso Salvatore, partim à Dd. præscriptum est. Qvod attinet tertiam Causam, potest qvis etiam cum ea, qvam, vivente Uxore sua, adulteriò polluit, post mortem Uxoris Matrimonio jungi, modo Fidem de Matrimonio, post mortem Conjugis adhuc viventis contrahendo, sibi invicem non dederint, nec in mortem Conjugis innocentis qvid machinati fuerint. *C. Si qvis vivente, 5. c. 22. qv. 1.* Imò Lutherus in Libro, *Vom Ehelichen Le-*
11. *ben, P. 1. sub causa 6. tom. 2. Altenb. p. 211.* Exemplo Davidis, qvi Bathsebam, cum qva adulterium commiserat, ejusqve Mariti, Uriæ necem procuraverat, probat, nullum Crimen Matrimonium contrahendum impedire. Licet enim Deus Adulterium & Homicidium Davidi per Nathanem exprobrari fecerit, *2. Sam. 12, 1.* Matrimonium tamen ejus cum Bathseba contractum, post pœnitentiam de Adulterio & Homicidio factam, adeò non aversatus est, ut etiam Filium ex eo natū Salomonem præ omnibus Davidis Filiis, antem ipsum ex aliis Matrimoniis natis, dilexerit, & Successorem in Regno destinaverit. *1. Reg. 1.* juncto *C. 3. 6. 7.* Bruckner. *Dec. Jur. Matrimon. P. 2. c. 17. in f.* vid. Brunnem. *ad L. 27. C. ad L. Jul. de Adult.*

CAP. XVII.

De Adscriptitio, qvi liberam Mulierem habere non potest.

1. ADscriptitio alieno liberam nubere non licet, neqve ignorante, neqve sciente, neqve consentiente Possessore; sed, si tale fiat, potest Dominus & ipse per se, & per Judicem Provinciæ castigare plagis mediocribus Adscriptitium, & ab ea, qvæ frustra ei conjuncta est, ab-
2. strahere. Unde igitur sunt nec Nuptiæ, nec Dotis oblatio, nec antenuptialis Donationis, sed pura facti mali Correctio.
3. §. 1. Talia igitur Matrimonia, viventibus adhuc Contrahen-

trahentibus dissolvuntur, & pecuniaria pœna consistit in privatio.. e Dotis & Donationis propter Nuptias.

Addit. Ratio hnjus Constitutionis est, qvod maximè Do- 4.
minorum intersit, qvomodo Adscriptitii per Nuptias jungantur, dum inde præjudicii, damni, & incommodi multum existere potest, & nemo circa res suas qvidqvam cogitur facere invitus. *L. f. C. de Contrah. Emt.* Qvia rerum suarum est Moderator & Arbiter. *L. 20. C. Mandati.* Mev. *P. 5. Dec. 129.* ubi decidit, Proprio- 5.
rum Hominum, ut sunt in Pomerania Rustici, & Glebæ adscripti, Matrimonium non esse aliter validum, qvàm ex Consensu Dominorum, qvorum Contradictione etiam Sponsalia posse distrahi, & licet qvoqve olim ipsum Matrimonium esset nullum, 6.
tamen hoc aliter hodiè se habere, existimo, ut pudori consulatur, nec facile factô Hominum separentur, qvos Deus conjunxit; Licet & olim ipse qvoqve Dominus castigare talem potuerit, civilius tamen est, ut Gloss. hìc monet, si per Judicem fiat, nam 7.
qvod desideras, an impetrare debeas, æstimabunt Judices, adhibitis etiam his, qvi contradicent. *L. 39. ff. de Adopt.* arg. *L. 13. ff. Qvod met. caus.* & *L. 7. C. Unde vi.* Aliter se habet cum Adscripti- 8.
tia, nam qvi proprii Hominis Filiam ducit, non ea propter illius Dominio subjicitur, cui subjecta Sponsa, sed hæc Mariti Forum seqvitur, Satisfactio tamen debetur Domino Sponsæ, prout sic Consistorium Electoral. Brandenb. d. 22. April. 1656. pronunciasse, refert Excell. Dn. Stryk. *in Addition. ad Jus Eccles. Brunn. Lib. 2. C. 16. ad §. 10.* Durior Conditio Sponsi, ejusmodi Adscriptitiam 9.
ducentis, est in Westphalia, in Specie verò in Comitatu Ravensbergensi, ubi liber Homo ejusmodi Fœminam ducens, Dominio illius subjicitur, cui subest Sponsa. vid. *Ravensbergische Eigenthums-Recht und Ordnung, C. 12.* ubi hæc habentur: *Gleichfalls,* 10.
wenn eine Freye Person auff unser, oder anderer Guts-Herren Eigenthums Erbe heyrathet, daß alsdann ohne sonderbahre Gerichtliche, oder für Notarien und Zeugen ergangene Renunciation ihrer Freyheit dieselbe ipso facto ins Leibeigenthum dessen, deme das Erbe oder Kothen gehörig, sich begeben zu haben geachtet werde, doch das erstgebohrne Kind an statt der freyen Mutter, und gegen Absoderung eines Gutt-herrlichen Scheins frey, übrige, ob schon Gemelli gebohren würden, ei-

gen seyn sollen, falls aber nur ein Kind gezeuget, oder die andere Eigene abstürben, und daß Freye hinwiederumb die Elterliche Güter beziehen und annehmen wollen, muß sich selbiges wieder in dem Eigenthum begeben.

CAP. XVIII.

De Nuptiis sine Dotalibus Instrumentis Contractis.

1. *I.* MAritus propter Dotem non illatam expellens Uxorem, sine rationabili Causa, qvam vel Theodosius, vel Justinianus Imperator enarravit, vel Divortio causam dans, qvartam partem propriæ Substantiæ cogitur exsolvere ei, ut tamen hæc qvarta 100. libras auri non excedat.

2. *II.* Qvod si Mulier per culpam propriam indotata existens, â Viro separetur, vel sine aliqva rationabili Causa ipsi mittat repudium, iisdem qvoqve in omnibus pœnis subjaceat, & si per ejus Culpam Matrimoniū solvatur, qvinqvennium Mulier observabit, nec secundis copulabitur Nuptiis.
3. Sed si per Causam vel Culpam Mariti, aut etiam bonâ gratiâ distrahatur, meritò & hic annum custodiat Mulier, propter seminis Confusionem.

4. *Addit.* Qvæ de Uxore, ob Dotem non solutam non expellenda, hic dici debebant, jam supra fuerunt proposita ad *Nov. II. cap. 5.* & alibi passim, ubi B. L. remitto.

5. Qvod attinet autem Fœminam, intra annum nubentem, imprimis ex primo Marito gravidam, non est negandum, eam contra bonos mores juris Naturalis peccare, qvæ tamen ipsi in Testamento ab alio relicta, non statim Fisco acqviruntur, sed primum aliis heredibus legitimis. Brunnem. *ad L. 1. C. de Secund. Nupt.* Fit qvoqve, si gravida, infamis, nisi Imperator infamiam remittat, qvô casu tamen dimidiam omnium bonorum suorum Liberis prioris Matrimonii pleno Jure donare jubetur. Brunnem. *ad L. 4. C. ad SCtum Tertull.*

CAP. XIX.

De Repudiis, qvæ â Filiisfamilias mittuntur.

NEc sub potestate constituti Filii, nec Emancipati, neqve Masculi, neqve Fœminæ possunt distrahere Matrimonia in Patrum aut Matrum læsionem, qvi Dotes aut antenuptiales Donationes obtulerunt, aut susceperunt soli, aut etiam cum Filiis. 1

Ratio. Nam sicut in Contractu Nuptiarum expectat Patrum Consensum Imperator, ita nec separare Matrimonium in Parentum læsionem citra illorum Voluntatem permittit; Sed, si mittatur repudium, non competere debet contra Parentes ulla pœnæ exactio, scil. aut Dotis, aut Sponsalitiæ largitatis. Porrò nec habet rationem, Parentem citra Filii voluntatem non posse separare Matrimonium, & in minori adhuc ætate Filiis constitutis, qvid utile sit nescientibus, velle permittere, citra Parentum voluntatem solvere Matrimonium, & ex hoc eos lædere. 2. 3.

Addit. Ut Filia, Filius fam. divertere possit, reqviritur (1) Patris Consensus, qvi, sicuti in contrahendo, etiam in dissolvendo necessarius est. *L. 1. C. de Repud.* adeò, ut, si contra fiat, non cedat in præjudicium Patris. *Auth. Contra, C. de Repud.* Cœterum Filiæ divortium in potestate Matris non est. *L. 4. C. d. t.* ne benè concordantia Matrimonia Jure potestatis Patriæ, aut Matris voluntate turbentur. *L. 1. §. ult. ff. de lib. exhib. L. 18. 20. C. de Inoff. Testam.* Ut adeò seqvatur ex hoc Cap. nec Liberos in fraudem Parentum, qvi Dotem, aut Donationem propter Nuptias constituerunt, vel obtulerunt, posse sine voluntate eorum Matrimonium dissolvere, & divortium facere, nec Patrem, concordantibus Viro & Uxore, id posse. Conf. Bruckner. *Decis. Jur. Matrim. P. 1. C. 2. n. 35. & seqq.* 4. 5. 6.

CAP. XX.

De Morte.

1. Ultimò Matrimoniorum terminum Mors, qvæ omnia solvit, expectat. Et sive morte Viri solvatur Matrimonium, sive fine Mulieris, superstes Conjux lucrum juxta tenorem Pactorum Dotalium percipit,
2. non attenta inæqvalitate. Cœterum hic ordinat Imperator, ne alter amplius, alter minus in qvantitate, qvam debeat percipere, paciscatur, sic secus majus trahitur ad minus, i.e. Ut si fortè unus pactus tertiam, alter qvartam, uterqve tertiam percipiat.

3. §. 1. Solutô igitur per mortem Matrimoniô, *felix* qvidem *& beatum est utriqve Contrahentium, perdurare in priori Conjugio, & non procreatam Sobolem seqventibus Matrimo-*
4. *niis forsitan contristare.* Qvod si egerint, & in prioribus steterint Nuptiis, habebit Mulier Dotem, Vir autem Sponsalitiam largitatem, Imperatore non sollicitô, qvod super secundis Nuptiis est, & percipiet Vir qvidem ex Dote lucrum, Mulier autem ex Donatione propter Nuptias, & erunt hæc, sicut alia eorum bona, ipsis propria, sic, ut inter vivos, & mortis causa de iis disponere possint.

5. §. 2. Qvod si Parentes heredem Extraneum instituerint, non præsumitur ille in his lucris heres institutus, qvia hæc ad Liberos honore præcipuô pertinent, licet non fiant heredes aut Patris, aut Matris, aut qvamdiu Pater vivens non alienaverit, aut moriens expressè in alium non transtulerit. vid. *Auth. Nunc autem, C. de Secund. Nupt.*

6. *Addit*, Pacta Dotalia, contra Statuta, & Consvetudines locorum inita, valent, nisi iisdem expressè sint reprobata, Gail. *lib. 2. Obs. 78. n. 8.* Eâ igitur portione contenti esse debent Conjuges, qvæ Pactis definita est, nec, etsi prædefunctus ab intestato decedat, ultra aliqvid Dotis, vel lucri causa, petere licet, dummodo ipsi Conjuges tempore initi Matrimonii pacta illa inie-
7. rint. Mev. *ad Jus Lubecens. L. 2. tit. 2. art. 12. n. 396.* Non autem reqviritur in iis ex parte utriusqve Conjugum exqvisita æqvalitas;

litas; sed, ut conventum, ita postea servandum erit, nec enim ad hæc pertinet dispositio *Auth. Æqvalitas, C. de Pact. Convent.* Unde tamen jus Lubecense recedit, dimidiam qvidem Bono- 8. rum Conjugi superstiti tribuens, non tamen æqvalem; sed qvatenus modus Patrimonii, vel Dotis permittit, & prout una Pars altera ditior, dimidia vel major, vel minor est. Id. *c. loc. n. 370.* qvò etiam tendere videtur Imperator ad *pr. h. C.* Ex Consti- 9. tutionibus Pomeraniæ Lucrum dotale est dimidia pars Dotis, qvæ qvantitas per pacta extendi potest, ut vel ad Dotis usqve qvantitatem, atqve ita ejus duplum solvatur, vel aliô modô. vid. Mev. *P. 9. Dc. 62.* Carpzov. *P. 2. C. 43.*

Ad. §. 1. Sicuti primum Matrimonium omni dignum favo- 10. re, & ut Imperator *Nov. 140. Præf.* inqvit, Nihil in rebus Mortalium perinde venerandum, atqve illud; ita secundum odiosum est, qvô initô, memoria Mariti prioris contristatur, Cœl. Bich. *Dec. Rot. Rom. 5. n. 212.* Liberorum priorum cura abjicitur, propter secundum Virum excoriantur, Matth. de Afflict. *Dec. Neapol. 357. n. 2.* Eorum amor extingitur. Demeradt. *in Fascic. Different. Jur. Comm pag. 164* & bona qvasi novis Maritis adjudicantur *L. 22. C. de peric. & admin. tut.* qvod satis triste & acerbum. Atqve 11. ex hac causa Statutum Lubecense *Lib. 2. tit. 2. art. 29.* secunda vota consummare non permittit Binubo, si nondum bona cum heredibus prædefunctæ Conjugis divisit, aut eis de debitis satisfecit, Mev. *ad Jus Lubec. d. l.* & *P. 2. Dc. 336.* ubi ait, hunc in finem addi solere inhibitionem pœnalem ad Parentes binubos, de non consummando, donec heredibus satisfactum, & Mandatum ad Sacerdotes, de non copulando. Qvod extra hunc 12. casum divisionis percipiunt, plenô jure sibi acqvirere, & liberrimè de eo disponere posse, dubium non habet. Nam Statuta, lucrum Superstiti deferentia, illud simpliciter, & plenô jure deferunt, sine ulla consideratione, an superstes ad vota secunda se conferat, an non; qvare bona, semel perfectè superstiti Marito qvæsita, cum ejus Patrimonio consolidantur. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succ. ab Intest. Diss. 1. c. 1. th. 8.* Hinc, si Maritus ex pri- 13. ori Matrimonio 1000. lucratus, & ex secundo etiam susceperit liberos, ad hos non minus lucrum prioris matrimonii transmittit,

qvàm

qvàm ad illos; sunt enim jam hæc bona in unam qvasi massam redacta, & ex posteriori Matrimonio non minus Liberi sunt, qvàm ex priori, adeoqve æqvaliter ad bona Patris sui admittendi, nisi hic aliud disposuerit, qvod ipsi licet. *L. 8. C. de inoff. Testam.*

14. *Ad.* §. 2. Bona Materna & Paterna plenô jure ad Liberos prioris Matrimonii spectant, nec, licet Testamentum de illis fecerint, Liberos præteriisse, præsumi possunt; cum nullus affectus Extraneus inveniatur, qvi Paternum vincat; *L. 17. C. de Curator. furios.* & si de omnibus bonis Testamentũ factum heredibus extraneis institutis, ab illis tamen excluduntur, cum, Imperatore dicen-
15. te, ad Liberos honore præcipuô pertineant. Et licet Imperator Constantinus in *L. 1. C. de Bon. matern.* omnem fruendi facultatem in diem vitæ concessit Parentibus, dominium tamen ple-
16. num ad eos pertinere, maluit. Eqvidem potest & Pater, si subsit causa urgens & necessaria, res, qvæ onerant magis Filium, qvàm juvant, qvæve damnosæ sunt, vel, tractu temporis deteriores futuræ, alienare, & spontè absqve Decreto Magistratus, ut tamen pretium earum Filiis servet, vel ut insumat in res hereditarias. Perez. *in C. ad h. t. n. 5.* Ludov. *de Ultim. Volunt. ad L. 1. C. de Bon. Matern.* Mynsf. *Cent. 6. Obs. 6.* Grev. *Lib. 2. Practicab. Conclus. 72. n. 4.* Scipio Gentilis *de Bon. Matern. & Secund. Nupt.*
17. *Lib. 2.* Eadem ratio Bonorum Paternorum, vel Avitorum, qvæ de jure Lubecensi sine Consensu heredum alienare non licet, nisi summa existente necessitate. Stat. Lubec. *Tit. X. art. 6.* vid. infra. *Nov. 98. C. 1.*

CAP. XXI.

De Ingratis Liberis.

1. SI qvis ex Liberis sit ingratus, aliis non ingratis pars ejus accrescit, qvò, metu pœnæ inducti, Fratrum Exemplum respiciant. Qvod si tantum infortunium Filiorum sit, ut omnes sint ingrati, ad heredes defuncti lucra nuptialia pertinent.

§. 1.

§. 1. Portio Filiorum demortuorum ad eorum Filios 2.
pertinet, ſed, ſi non habeant, Fratribus accreſcit.

Addit. Prout juxta iſtud notiſſimum, Obſeqvium Amicos 3.
parit, ita imprimis obſeqvioſi Liberi, Parentes maximè ſibi Amicos conciliant, qvorum Perſona aliàs ipſis Sancta & honeſta eſſe debet *L. Liberto, 9. ff. de Obſeqv. Par. & Patr. præſt.* & prout juxta illud Senecæ, 1 *de Benefic.* Nemo beneficia in Calendario ſcribit, ita Liberi ut plurimum affectus Paterni, omniumqve beneficiorum fiunt nonunqvam immemores, ſemet ipſos pœnis faciunt obnoxios. De aliis pœnis Liberorum ingratorum vid. *ad L. un. C. de ingrat. Lib.* Si autem Filius pœnitentiam agat, ſive 4.
offenſa perſonam Patris, ſive Filii reſpiciat, & ſic concilietur Patri, diſpoſitio *h. C.* locum non habet. vid. Surd. *de Aliment. Tit. VII. qv. 1. n. 36. 37.*

Ad. §. 1. Portionem, qvam Liberi ab ingratis Parentibus accipi- 5.
unt, jure Suitatis accipere videntur, præſuppoſitô, Suitatem præviam poteſtatem paternam habere. Sutholt. *Diſſ. 11. aphor. 46.* Schultz, *Diſp. ad. J. 12. th. 4. lit. B.* Licet igitur Pater non adierit, nec adire potuerit, qvod ſit exheredatus, transmittit tamen hereditatem non tantùm ad Poſteros, ſed etiam Extraneos; *L. 8. C. de ſuis & legitim. hered.* Ergò multò magis qvoqve ad Fra- 6.
trem, qvi tamen pro Extraneo non eſt habendus. Ratio horum, ne ob caſus humanos Filii, vel Nepotes, Patris, aut Avi hereditate fraudarentur, & adverſus avitum deſiderium alii inſperatô hereditatis commodô fruerentur. Perez *ad Cod. de His, qvi ante apert. Tabb. n. 9.* ubi addit, hoc procedere indiſtinctè, ſive Fœminæ, ſive Maſculi ſint Liberi, ſive Sui, ſive non Sui, item, ſive is, qvi mortus fuit ante aditionem, ſciverit, ſibi delatam hereditatem, ſive ignoraverit, modò eam non repudiaverit, qvia repudiatio Liberos removet. Perez. *dict. loc.*

CAP. XXII.

De Secundis Nuptiis.

1. *I.* SI qvi Prioribus non contenti Nuptiis, etiam ad secundas venerint, Viri qvidem ab omni Observatione liberi ibunt, Uxor autem annale temp9 observabit;
2. nam, si ex priori Matrimonio non habeat Sobolē, erit (1) propter Nuptiarum festinationem infamis, (2) nihil percipit horum, qvæ à priori ei sunt relicta Consortio, nec fruetur Sponsalitia largitate, (3) nec Marito secundarum Nuptiarum ultra tertiam suæ Substantiæ offeret partem, nec (4) ab Extraneo ullam largitatem percipit, &, si heres instituta, tunc, sive ab Intestato succedentes, sive Coheredes ejus portionem accipiunt, nec hæc Fiscus vindicabit.

3. *II.* Qvæ à priori Marito habet, perveniunt ad X. Personas, in *§. 3. I. de Bonor. poss.* nominatas, qvibus non existentibus, ad ærarium venient.

4. §. 1. Succedit ejusmodi Mulier ab Intestato Cognatis tantum ad tertium gradum, longius autem existentes, alios habebunt heredes.

5. *III.* Infamia ipsi illata, si Liberos ex prioribus Nuptiis non habeat, Rescripto Principis ipsi auffertur.

6. *IV.* Si Filios cujuscunqve Sexus habeat, potest qvidem & Mulier pro infamia abolenda supplicare, non ta-
7. men inde ex Rescripto habet utilitatem. Si verò velit habere utilitatem, & infamiam evitare, dimidiam Substantiæ suæ partem Liberis prioris Matrimonii purè, non sub Conditione, usufructu non retentô, donare tenetur.

8. *V.* Hæc igitur divident Filii omnes ex æqvo, &, si Filios habeat, ad suos æqvè Filios transmittat; Si hos non
9. habuerit, Fratres defunctorum portiones accipient; Si verò omnes defuncti sint, habeat Consolationem suæ infelicitatis Mater, ut, qvod donavit, recipiat, si tamen Liberi ab intestato sint mortui.

10. *Addit.* Omni ævo gratiosa fuit Monogamia, adeò, ut Romani pudicitiæ Coronâ honestare soliti sint eam Matronam, qvæ uno

undô contenta Virô, eum post mortem in Liberis coleret. vid. Tacitus *de Morib. German.* Licet & laudandæ qvidem sint istæ Mulieres. qvæ, cum semel connubialibus se tædis submiserint, memoriam defuncti Viri piè conservantes, ulteriorum Nuptiarum Cogitationem deponunt, ac Romanæ Porciæ Exemplum præoculis & animo gerunt, quæ felicem & pudicam Mulierem dicebat, non nubere, nisi semel. Cœterum rari sunt Muliebres animi, qvi non plura Conjugia ament, & non plus ament Vivorum amplexus, qvàm Demortuorum umbras; Et qvanqvam iteratio Nuptiarum licita est, earum tamen festinatio puniebatur in Muliere graviter, qvæ intra annum ad secundas Nuptias convolasset, prout hic ex textu patet. Ratio prohibitionis, intra annum nubendi, in duobus fuit posita, nempe, in incerto uteri, Confusioneqve sangvinis, & in memoria, reverentiaqve defuncti Mariti, qvem Mulier tantisper lugere cogebatur; Unde, tametsi ea tertio, qvartove mense post mortem Viri peperisset, cessaretqve idcirco incertum uteri, seu dubitatio, ex qvo Proles esset concepta, verius tamen est, annuum luctum, ab alteris Nuptiis abstinendo, â Muliere peragi debuisse, nisi vellet in supra memoratas pœnas incurrere, aut, nisi harum pœnarum gratiam â Principe impetrasset, qvæ gratia neqvaqvam ei fiebat, existentibus ex priori thoro liberis, nisi mediam Substantiæ partem eis donasset. *L. C. N. III. §. 1.* vid. Gudel. *de Jur. Noviss. Lib. 1. C. 12.* Et licet hæ pœnæ Juris Civilis in odium secundi Matrimonii præpropere contracti impositæ, de Jure Canonico sint sublatæ, tradente Gail *Lib. 2. Obs. 98.* per Text. *in C. ult. & pen. X. de secund. Nupt.* tamen, pœnæ Juris Civilis, in favorem Filiorum primi Matrimonii appositæ non sunt sublatæ, dicente eodem, *loc. cit.* Ergo, qvi in hoc Jure se fundat, contrariam observantiam probare non tenetur, argumento eorum, qvæ tradit Carpzov. *P. 2. Dec. 201.* Mev. *ad Jus Lubecens. Qvæst. prælim. 7. n. 11. & seqq.* Cavere sibi igitur jubent Dd. qvi cum Vidua, Liberos ex priore Matrimonio habente, Matrimonium contrahere intendit, ne, non redditis rationibus, Matrimonium consumat, aliàs enim ratione Administrationis, & Tutelæ, â Matre hactenus gestæ, ejus, ut Vitrici, Bona Liberis prioris Matrimonii tacita hypotheca sunt affecta. *L. Si ma-*

Margin numbers beside lines: 11. (at "Tacitus de Morib. German. Licet…"), 12. (at "dicebat, non nubere…"), 13. (at "volasset, prout hic…"), 14. (at "Et licet hæ pœnæ…"), 15. (at "non sunt sublatæ…"), 16. (at "Jus Lubecens. … Cavere sibi igitur").

ter, 6. C. in qvib. cauf. pign. vel hypoth. vid. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 2. tit. 2. art. 21.*
17. Eò tendunt verba Martini Naurath. *Tr. Jurid. de Rationar. th. 65.* ubi ait: *Multi profectò in magnas difficultates & lites incidunt, qvi Viduas Tutrices, nondum redditis rationibus, & Inventariò confectò, in Uxores ducunt, proinde caveant sibi, rebusq; suis ante Matrimonium providè consulant.* Imò hæc ita extenduntur, ut
18. etiam respectu dictæ administrationis Tutelæ, bona ipsius, qvi Matrem Pupillorum pro Concubina retinuit, sint affecta, ut singulariter dixit Anton. Gabriel. *Lib. 3. Commun. Conclus. 9. n. 4. tit. de Secund. Nupt.*
19. Notandum hic qvoqve ad *pr. h. C.* Fiscum legitimos heredes non excludere, sed, illis existentibus, omninò excludi. Transit qvidem ad Fiscum jus occupandi hereditatem propria autoritate; Cœterum ita, si alius non possidet, nam, ubi legitimus Contradictor est, utitur jure Privati, & jure experiri debet. Si vim fecerit, non minus, nec aliter, qvàm alius Pri-
20. vatus, restitutioni est obnoxius. Mev. *P. 3. Dec. 102.* nec Fiscus ultra privilegiatus est, nisi, ubi Lex, vel Consvetudo, ei jus singulare tribuerit. *L. fin. C. de Usur. fisc. L. Justas, C. de Jure fisc.* vid. Gail. *Lib. 1. Obs. 90.* & M. Ant. Peregrinus, *de Jure Fisci Lib. 6. tit. 1.*

Ad §. 1. Habetur adhuc alia pœna Mulieris, tempestivè nu-
21. bentis, nam ad tertium saltem gradum Cognatis succedit, qvam Successionem Gl. hoc loco mirabilem appellat; Nam de Jure Civili Successionem Collateralium in infinitum esse, aliàs defendunt Dd. passim, qvos allegat, & defendit qvoqve horum sententiam Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succeff. ab Intest. Diss. 3. C. 1. th. 29.* ut adeò hoc §. singulare qvid habeatur.

CAP. XXIII.

Si Mulier ad secundas Nuptias post annum Luctus transierit.

1. SI post annum Luctus ad vota secunda transeat Uxor, ab omni pœna est immunis, si ex primo Matrimonio nulla superest Soboles, ea verò existente, percepta à priori Marito, qvoad proprietatem, amittit, retento tantum usufructu; nam Filii erunt proprietatis Domini mox se-

cundum

cundum tempus, qvo Mater alii Viro conjuncta est. Idem 2.
qvoqve de Marito, ratione perceptorum ab Uxore, dicendum, ut Liberi bona materna, qvoad proprietatem accipiant mox cum secundæ Uxoris conjunctione.

Addit. Hoc igitur casu, si Mater post annum luctus nubat, 3.
& Liberos ex priori Matrimonio habeat, Qv. *An iis succedere possit?* Et distingvendum, utrum à Liberis illis sit heres instituta, qvô casu, si viventibus Liberis, secundas Nuptias contraxerit, succedit. Si verò non est instituta, non succedit ab intestato in proprietate bonorum paternorum, sed debet esse contenta usufructu, in reliqvis autem adventitiis bonis plenô succedit Jure. Brunnem. *ad L. 5. C. ad SCtum Tertull.* & ad *Auth. Ex Testamento, C. de Secund. Nupt.* Aliàs Matri de Jure Civili in bonis Liberorum 4.
usumfructum non competere, constans ferè Ddr. est Sententia, cum ususfr. sit solùmmodo Effectus Patriæ potestatis. *L. 1. & 2. C. de Bon. mat.* qva Mater cavet, qvod & de Jure Saxonico ita se habere, tradit Carpzov. *P. 2. C. 10. def. 13.* Contrarium statuit Richt. *P. 1. Dec. 18.* ubi plurimis præjudiciis confirmat, de Jure Saxonico Matri non minus, qvàm Patri usumfr. in bonis Liberorum competere, idqve eo in Foro per 40. annos ita observat, fuisse. vid. Newenhan. *Tr. de Jur. & Privileg. viduit. Sect. 20. lit. D. & Sect. 21. lit. C.* Berlich. *P. 2. Concl. 12. n. 14.* De Jure Lubecensi Viduæ 5.
post mortem Mariti tribui usumfr. in bonis Liberorum, docet Mev. *ad Jus Lubec. Lib. 2. tit. 2. art. 8.* Qvod verò attinet Patrem, indistinctè bonorum, qvæ ex Matrimonio ab Uxore Filiusfam. vel Filia famil. acqvirit, usumfructum habere, non verò alienandi, vel obligandi licentiam, sed Filiumfam. alienata semper revocare posse, non obstante ulla Præscriptione, nisi à tempore eo, qvo sui juris factus est, triennium effluxerit. *Auth. Nisi tricennalis, C. de Bon. mater.* vid. *Auth. Lucrum, C. de Secund Nupt.* Atq; 6.
hic ususfr. Patri debetur, licet Filius peregrè absit, vel ex artificio suo se alat, cum hic præcipuus sit Patriæ Potestatis effectus. Brunnem. *ad L. 6. C. de Bon. qvæ lib.* cui sententiæ non obstat, qvod, cujus non est Onus, ejus nec Commodum esse debeat. arg. *L. 10. ff. de Reg. Jur.* Nam regula illa, explicante Esbach. *in Addit. ad* 7.
Carpz. P. 2. C. X. Def. 1. procedit in commodo & incommodo connexo,

connexo, i. e. qvæ ex uno veniunt principio, v. gr. Commodum acqvisitæ hereditatis, & incommodum præstandi Legata, veniunt ex uno principio, nimirum ex jure succesſionis, & repræsen-
8. tationis defuncti. *Nov. 48. c. 1. L. 62. ff. de R. J.* In Patre autem commodum usufr. & incommodum alendi, non veniunt ex uno eodemqve principio, usufructus enim venit ex Jure potestatis Patriæ. *§. 1. I. per qvas Person.* sed incommodum alendi ex jure sangvinis, & ex ratione naturali proficiſcitur. *L. fin. C. de Bon. qvæ*
9. *lib.* Brunn. *ad L. 3. C. de Alend. lib.* idem dicendum de Filia, qvæ, licet Parenti præstet operas ancillares, usumfr. bonorum adventitiorum petere tamen neqvit, ob rationem jam allegatam, Carpzov. *P. 2. C. 10. Def. 8.* Alia, an scil. Pater teneatur Liberis præstare Cautionem, ratione bonorum maternorum, de utendo boni Viri arbitrio, & de restituendo finitô usufructu, &c. pasſim à Dd. aliundè sunt proposita, vid. Richt. *P. 1. Dec. 19. n. 9.* Ludwel. *ad L. fin. §. 3. C. de bon. qvæ lib.* C. A. *lib. 7. tit. 5. th. 6. & 7.* Grev. *Lib. 2. Concl. 46. 47. & Concl. 145.*

CAP. XXIV.

De prohibita Alienatione Bonorum Liberorum.

1. NOn permittit Lex ullam alienationem Parentibus in bonis Liberorum, sic profectis, neq; hypothecam; sed, si Parentes tale qvid egerint, mox eorum bona tacita hypotheca sunt affecta, non tamen interea Lex prohibet Parentibus, si ratione usufr. agere qvid voluerint;
2. *Erubeſcit enim Lex, Caſtigatores Filios Genitoribus ſtatuere;* Interea minatur etiam accipientibus, nihil eis, qvod accipiunt, debere prodesse, qvoad proprietatem, &, si qvam acceperint Donationem, vel, si qvid egerint, tale esse debere, ac si, qvod factum, nec scriptum, nec gestum sit.
3. Nam competit Vindicatio Filiis, heredibusqve, & Succesſoribus eorum, ab heredibus illorum, & Succesſoribus, nisi tempus 30. annorum præterlapsum, qvod tempus incipit cur-

currure, ex qvo suæ potestatis sunt facti, nisi adhuc Impuberes fuerint.

Addit. Potest qvidem Pater in bonis Liberorum, ratione u- 4.
susfr. sibi competentis, liberrimè disponere, ut tamen ab alienatione abstineat, cujus verbo, licet propriè veniat translatio dominii, manumissio, & usucapiendi potentia, *L. 28. de V.S. L. 16. ff. de fundo dotal.* Imperator tamen *in L. ult. C. de reb. al. non alien.* 5.
etiam alienationem eam esse dicit, qva qvodcunqve jus alteri in re constituitur, v. gr. Emphyteuseos, jus Pignoris, Ususfructus, Servitutis, qvia alienare prohibitus, actum facere non debet, unde seqvitur alienatio, nec jus in re alteri constitutum, delibare qvicqvam videtur de dominio; Ergo, qvi à Lege jus con- 6.
stitutum habet, hujus jus ab altero per alienationem interverti non potest, qvippe retinet dominium, & sic effectum ejus, Rei Vindicationem. Hinc monet Brunn. *ad L. 1. & Auth. Nisi, C.* 7.
de Bon. Matern. ut, qvi à tali Parente qvid emit, sollicitus sit, an etiam sit Dominus, ideoqve fidejussionem exigat, nam, si Filii bona alienata fuerint, Filius ea revocare potest à qvocunqve Possessore, nulla obstante præscriptione tricennali vel decennali. Qvodsi verò Pater temerè alienet bona materna, aut nimis fru- 8.
galiter ea disponat, vel ob aliam causam ipsi adimatur ususfr. neqve Commoditatem, vel Utilitatem in hisce bonis Patri competere, contra alios Dd. defendunt *arg. Nov. 117. C. 1.* Heig. *P. 2. qv. 12 n. 16.* Castello *de Ususfr. c. 5. n. 58.* Harpr. *ad pr. J. per qvas pers. n. 13.* qvorum sententiam præjudicio firmat Berlich. *P. 1. Dc. 138.* Hisce casibus tamen, qvibus ususr. privatur Pater, alimen- 9.
ta ipsi nihilominus ex bonis Filii deberi, qvando eget & inops est, tradit Carpzov. *P 2. C. 10. Def. 9.* vid. infra *Nov. 98. C. 1.* & textum *Nov. 155. in fin. c. 1.*

CAP. XXV.

De non dividendis Bonis Liberorum à Parentibus profectis.

NOn potest Pater binubus bona hæc inter Liberos æ- 1.
qvaliter dividere, aut aliis qvidem Filiorum ea dare,

re, alios verò exhonorare; Omnes enim ſecundis ſimiliter ſunt exhonorati Nuptiis. Imò, ſicut Parentes omnium Filiorum ſimiliter exiſtunt heredes, cur non ſimiliter & ipſi omnibus ex æqvo conferant, & alios eligant, alios verò deſpiciant? Succedunt igitur Liberi ipſi, ſi ſoli ſint, in capita, defunctorum verò Filii in ſtirpes.

3. *Addit.* Qvantumvis Pater, de bonis à ſe profectis, liberam diponendi habeat Licentiam, ut poſſit & in illis Liberos, ſi mereantur, exheredare, non tamen ſic in bonis ipſorum Liberorum, qvæ aliis, uti ſupra dictum, relinqvere, nec aliô qvovis titulô alienare poteſt, Liberis dominiô ſemper reſervatô, nec inter liberos ipſos, qvoad hæc, inæqvalitatem ſervet, dum nec illi, qvem majore præ cœteris colit affectu, præ cœteris aſſignare plus poteſt, qvam alii, cujus rationem hic deſumit Imperator à reci-
4. proco Succeſſionum jure. *L. 11. C. de legit. hered.* Dum enim Parentes æqvaliter in bonis Liberorum ſuccedunt, qvare arceantur Liberi, & unus præ cœteris debet deſpici? Qvod verò de reciproco ſucceſſionis jure dicebatur, meritò limitatur, niſi æqvitatis ratio in contrarium militet, prout qvoad Patres adoptivos de jure introductum, qvi non item Liberis adoptivis ſuccedunt ab inteſtato, prout hi illis vid. Dn. D. Stryk *Tr. de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſ. 2. C. 1. §. 35. ſeqq.*

CAP. XXVI.

De Lucro Dotis & ante Nuptias Donat. ex Pacto non exiſtentium Liberorum.

1. NUlla igitur eſt dictorum bonorum alienatio, ſi Liberi omnes Parentem alienantem ſupervixerint; Cœterum, ſi hi præmortui fuerint omnes, & rurſus ad orbitatem cauſa veniat, convaleſcit. *Nov. 11. c. 2.*
2. Qvod ita hic extendit Imperaror, ut, ſi ex pluribus Filiis unus moriatur, hic verò Liberos non habeat, ad qvos alioqvin portio devolveretur, qvod tunc illa portio non integra

tegra fratribus acqviratur, sed etiam Patri binubo, qvantum ex pacto non existentium liberorū accepisset & qvoad hanc partem confirmabitur alienatio. 3.

§. *I.* Lucra, qvæ ad liberos primi matrimonii transferuntur ob transitum Parentum ad secunda vota, ipsi liberi lucrantur, sive Parentibus heredes existant, sive alii, sive nulli, nisi sint ingrati, & ingratitudo probetur.

Addit. Licet liberi primò decedentis Parentis v. gr. Patris 4.
heredes non sint, modo tamen sint heredes secundò morientis, v. gr. Matris, possunt petere sponsalitiam largitatem à Parente suo profectam modo non sint ingrati liberi. Ad id verò, ut 5.
liberi ingratitudine sua beneficio Legis se indignos reddant, exheredatio non reqviritur, qvia hic non agitur de liberis ab omni successione excludendis, nec Caput h. Nov. exheredationis ullam facit mentionem. Rittershus. *ad Nov. P. 4. C. 4. n. 22.*
Licet autem Pater vel Mater ad secundas nuptias non convo- 6.
laverint, non alienatas tamen ab iis largitates seu donationes possunt liberi vindicare iis mortuis, sed hodiè si abstineant nuptiis secundis parentes, in dote vel donatione propter Nuptias plenô jure adipiscuntur unam partem liberorum, qvam alienare possunt, reliqva non. Brunn. *ad Avth. Si tamen, C. de Secund. Nup.*

CAP. XXVII.

De non alienanda nisi Portione unius.

CONjux ad vota secunda transiens, non potest de bo- 1.
nis propriis secundo Conjugi plus relinqvere, qvam uni ex Filiis primi Matrimonii. Et si multi sint Filii, & unusqvisqve æqvalem habeat portionem, vitricus, aut Noverca non amplius percipiat, qvam ad singulos venit. Sed si inæqvalia fuerint, qvæ relinqvun- 2.
tur, tantum saltem ad Vitricum vel Novercam perveniat, qvantum accepit Filius, qvi minus habet, Filiis ta-

men ſemper legitima debet eſſe integra, niſi fuerint in-
3. grati. Si qvid amplius in alterum conjugem translatum, hoc revocatur, & æqvaliter inter liberos prioris Matrimonii dividitur.

4. *Addit.* Qvod in *C. hoc & L. Hac Edictali 6. C. de Secund. Nupt.* traditur, licet Imperatores etiam in Nepotibus obſervari velint, hoc tamen accipiendum & interpretandum eſt, ut ſi plures ſint nepotes ex filio præmortuo, illi in defuncti parentis locum ſuccedant, eumqve repræſentent, atqve ita omnes Nepotes ex
5 uno eodemqve filio pro uno tantum cenſeantur. Nec enim ſingulæ ſingulorum portiones conſiderandæ, ſed univerſorum omnes ſimul junctæ cum Mariti portione ſunt comparandæ, qvæ portiones univerſæ & ſimul junctæ ſi æqvivaleant portioni Mariti, Nepotes non habent, qvod conqverantur. Sande *Deciſ.*
6. *Friſ. Lib. 2. lib. 3. tit. 5.* Dum autem in textu dicitur cunjugem ſecundam tantum accipere qvantum unus liberorum, qvi minimum accepit, non ſeqvitur ſi qvis liberorum prioris Matrimonii per ſtatutum vel renunciationem planè ſit excluſus etiam proterea Conjugem ſecundum vel Secundam excludi debere, qvia ſic nullam infert Pater vel Mater Filio illi vel Filiæ injuriam, etſi nihil vel parum relinqvat, cum non teneatur aliqvid relinqvere. vid. Brunn. *ad. L. 6. C. de Secund. Nupt.*

CAP. XXVIII.

Qvodnam Tempus inſpiciendum cum qværitur, plus eſſe relictum Binubo.

1. Scil. Tempus mortis binubi Parentis.

2. *Rat.* Nam ſcribunt homines ſecundo nubentes horum, qvæ habent, nonnunqvam amplius, ſcribunt etiam & minus, evenientes autem fortunæ contrarios ſæpius operantur eventus.

CAP. XXIX.

Ut Primi Matrimonii Filii cum aliis Filiis capiant lucra.

Si uxor

SI Uxor binuba ex utroqve Matrimonio liberos susceperit & ab intestato mortua, liberi primi Matrimonii lucra nuptialia â primo Marito venientia soli habebunt, sed secundi Matrimonii ea, qvæ â secundo Marito accepit. 1.

§. 1. Qvæcunqve Pater aut Mater ex secundis Nuptiis dum non ad tertias transierunt, forte per legatum aut Fideicommissum sunt lucrati, hæc ipsorum bonis commixta apud liberos immota maneant, & tanqvam propria, ad successiones eorum perveniant, vel superstites disponant de iis, qvô velint modô. 2.

Addit. Qvæ ad h. C. addi merentur, sic explicat Excell. 3.
Dn. D. Stryk *Tr. de Success. ab Intest. Diss. 1. C. 2.* §. 7. qvæcunqve bona jure ususfr. â priori Conjuge ad Patrem perveniunt, illa redeunt ad liberos prioris Matrimonii, qvô casu dicit, verum esse Ddr. assertionem, qvod liberi prioris Matrimonii hæc bo- 4.
na capiant etiamsi Patris hereditate se abstineant. Proprietas enim horum bonorum jam antea per mortem Matris devoluta erat ad liberos, mortuo ergo Patre ususfr. per consolidationem ad proprietarium redit, proprietariô itaqve, non hereditariô jure hæc bona recipiunt liberi. Præsupposita autem *Nov. h. c. 23.* 5.
observantia verissimum putat h. C. assertum, Liberis diversorum Matrimoniorum concurrentibus unumqvemqve suæ Matris lucra nuptialia, qvæ apud patrem existunt, capere præcipua, qvia per secundas Nuptias illorum lucrorum proprietas devoluta ad liberos, relicto superstiti tantum ususr. *per d. Nov.* ubi pariter, ut heredes Patris sint, necessum non est. *Nov. 22. c. 6.*
Imô qvod magis est, postqvam per *Nov. 98. C. 1.* lucrorum ab 6.
Uxore perceptorum proprietas relinqvenda liberis, licet Pater ad vota secunda non transierit, exceptâ tantùm portione filiali, qvæ patri postea per *Nov. 127. c. 3.* assignata, indistinctè defendi potest, lucra prioris Conjugis restituenda esse liberis, exceptâ portione illa filiali, qvæ ex æqvo ad omnes pertinet. Qvæ- 7.
cunqve verô aliàs jure proprietatis forte per Testamentum qvæsita, & ad unum Conjugum pervenerunt in illis liberi æqvali-

ter ſuccedunt, aut ſi unus Parentum ſuperſtes, de illis, qvocunqve libet modô, diſponere poteſt. *hic.* §. *1.*

CAP. XXX.

Ut qvoqvo modo per Divortium ſit ſolutum Matrimonium, Lucra omnia primi Matrimonii ſerventur Filiis illius Matrimonii.

1. HOcqve obtinet, ſive Divortium ſit ſecutum bonâ gratiâ, ſive etiam aliter, ſive per dotis, ſive ſponſalitiæ Largitatis occaſionem; nec attenditur cujus culpa matrimonium ſit ſolutum; nam qvocunqve modó ſe habeat cauſa divortii, ſervatur etiam ſuper Mulieribus indotatis, lucrum illis nuptiis, ex qvibus Filii proceſſerunt.

CAP. XXXI.

Ut liceat augere vel deminuere dotem vel Donationem propter Nuptias primi Matrimonii, ſecundi verò ſi non ſuperſint Liberi ex primo.

1. DOs & Donatio propter Nuptias conſtante Matrimonio non tantum augeri ſed & minui poteſt, ſi Conjuges conſenſerint, niſi deminutio exiſtentibus ex priori matrimonio liberis contingat.

2. *Addit.* Dotem conſtante Matrimonio mutationi, vel qvoad augmentum vel deminutionem eſſe obnoxiam, dubium non
3. habet. Nam ſi Maritus ære alieno non eſt gravatus, Mulier in qvibuscunqve rebus dotem augere poteſt; qvæ ſi habeat res mobiles, & conſtituit augmentum in rebus mobilibus, Marito ære alienô gravato, Conſtantius Rogerius *de dote p. m.* 527. *n.* 11. ait, præſumptionem juris & de jure eſſe, qvod hoc ſit factum

ctum in fraudem Creditorum, nec qvod verè fuerit aucta dos. Cœterum hic dubito, an adsit hoc casu præsumptio juris & de 4. Jure; hæc enim, ut notum, omnem contrarii probationem removet. *C. 30. X. de Sponsal. L. 23. ad SCt. Vellej. L. fin. C. ad SCt. Maced.* Qvid si enim Mulier dives, & ob Mariti mores suspectos 5. initio omnes facultates pro dote assignare distulit, postmodū autem svavibus verbis Mariti inducta, dotem auxit, asservatis certis bonis, unde creditoribus mariti satisfaceret, non potest dici, in fraudem Creditorum aliqvid fecisse, cum de facto contrario satis constet. Sicut autem augmentum dotis fit ex par- 6. te mulieris, ita augmentum donationis propter nuptias fit ex parte Mariti, qvod eis olim non licebat constante Matrimonio. *L. Si constante, C. de Donat. ante Nupt.* & Muliere augente dotem, 7. licebat etiam Marito augere Donationem propter Nuptias, de Jure Cod. qvod hodiè de Jure Avthent. redactum est ad necessitatem, ut muliere augente dotem, vir teneatur augere donationem propter Nuptias in tantundem. *Avth. Sed jam necesse, C. de Donat. ante Nupt.* qvam tamen necessitatem de consvetudine non servari, testis est Bald. *in d. L. Si constante.* Qvia & li- 8. cet Marito augere dotem, qvam accepit, licet enim saltem millia acceperit, si verò in Testamento expresserit, se duo millia, qvæ pro dote accepit, relicturum Uxori non est dubitandum, hoc legatum valere, non tantum, qvod falsa demonstratio non vitiet legatum. *§. 30. I. de Legat.* Sed & qvod aliàs omne legatum validum ex qvo legatarius utilitatem capit. *§ 14. I. Eod.* Sentire autem hic Uxorem commodum, manifestum est. Sicuti autem 9. potestas augendæ dotis constante Matrimonio concessa est, ita etiam potestas deminuendæ, ita tamen, ut è contra æqvalis fiat donationis propter Nuptias deminutio, ut vult Baldus Novellis *de Dote, P. 7. Privil. 9.* qvi hîc latè videri potest, Hæc demi- 10. nutio dotis qvoqve contingit, cum non omnem, sed & partem ejus, constante matrimoniô, â Marito auffert uxor, si fortè eam incipiat profundere, neqve finem expensarum faciat, per imprudentem fidejussionem, vel hypothecæ constitutionem dotem obliget, sibiqve indubitatam pauperiem conciliet; sic enim 11. omni privare dote Maritum, in tempore tamen ratione partis sibi

ab initio prospicere licet, ne soluto matrimoniô, ipsa agere cogatur. *vid. L. 24. pr. ff. Soluto matrim. L. 29. & Auth. Donationem, C. de Jure Dot.* Gail. *Lib. 2. obs. 83.* Brunn. *Proc. Civ. Cap. 5.*

CAP. XXXII.

De Usufructu Uxori à Marito relicto, vel Donatione ante Contractum Matrimonium.

1. SI Vir Uxori, aut Conjux marito per Testamentum usumfr. bonorum suorum reliqvit, antea qvidem dicebat *L. 1. C. si sec. Mulier nups.* Si Pater aut Mater ad secundas veniret nuptias, statim usufr. debere cadere; sed hîc constituit Imperator, sive per donationem inter vivos, sive per mortis causa donat. sit concessus, non adimi, nisi expresse dictum, per transitum ad secundas nuptias eum debere finiri, & ad suam reverti proprietatem.

2. *Addit.* Sic igitur secundas nuptias coarctare potest maritus, ut per transitum ad eas eundem amittat. *L. 1. C. si secund. nups.* qvod tamen *Auth.* subjuncta, *Hoc locum eod.* ad eum casum restringit, cum ea lege ususfr. fuit relictus, ut per secundas
3. nuptias tolleretur; Qvando autem legavit usumfr. titulo donationis propter Nuptias, huic nulla contraria dispositione derogare potest, nec eum secundis nuptiis amittit Uxor. Rittershus.
4. *ad Nov. P. 4. C. 4. n. 23.* Idem obtinet, si legavit usumfr. bonorum ita; *So lang sie sich ehrlich und wohl hält, zugeniessen,* nec enim sic per vota secunda eum amittit, nam nubere secundò nõ est turpiter vivere, & in Conjugio summa esto castitas; thorus enim immaculatus placet DEo. Scotan. *Exam. Jurid. P. 5. de in-*
5. *dict. viduit. qv. 13.* nisi illa Mulier tertio vel qvarto nuberet, Sichard. *ad L. un. n. 3. C. si secund. nups.* tam sæpe enim experiens novos maritos non censetur caste vivere. Et ideò usufr. sic legato, *qvoad castè vixerit*, tertio nubendô, posset ei aufferri. Abbas *in C. Clerici, de vita & honest. Cleric.* Felin *in C. Si cautio, X. de Fide Instrum.* Wehner. *Obser. Pract.* voce; *Ehrlich und wohlgehalten.*

CAP.

CAP. XXXIII.

Si Ususfructus Dotis nomine vel propter Nuptias Donationis constituatur.

Hoc casu ususfructus apud Accipientem manet, donec vivit, licet decies millies contrarium velint 1.
morientes; *qvod enim ex lege datum est lucrum, privatus auf-* 2.
ferre omnibus modis non valebit.

Addit. Ex his recte infertur, portionem Statutariam Conju- 3.
gi debitam, alterum ipsi in Testamento aufferre non posse. Rittershus. *ad Nov. P. 7. c. 17.* Besold. *P. 2. Cons. 16. n. 42.* Berlich. *P. 3. concl. 9. n. 3. 4.* Kohl *de Success. Conjug. P. 2. n. 86.* Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exerc. 38. th. 40.* non solum cum nulla dos est vel Donatio propter Nuptias, sed etiam, cum exigua. Gudelin. *de Jure Nov. Lib. 2. c. 16.* vers. *Porro notandum* Imò & divitibus licet Conjugibus debetur. Roland. à Valle, *Tr. de Lucro Dotis, qv. 92.* & si vel
per momentum Matrimonium constiterit. Id. *qv. 49.* Cum au- 4.
tem hanc materiam satis fuse per ampliationes, limitationesqve tractent Dd. Argentorat, *Vol. 1. Consil. 65.* Berlich. *d. l* malumus B. L. eò remittere, qvàm rei satis declaratæ plura copiosè addere.
Cœterum id meritò concedendum est, & Statutum indulgere 5.
Conjugibus præscripta moderari, minuere, aut omittere, nam ut lucrum ex ista est, ita ejusdem arbitrium alicui tribuere potest, nisi, cui jus dandi concedimus, eidem & potestatem limi-
tandi aufferre velimus. Mev. *ad Jus Lubecens. P. 2. tit. 1. art. 8.* 6.
Hinc Camerarius, Cothmannus, & alii, qvi passim Jus Lubec. illustrarunt, statuunt; *Ein Mann, da Er seiner Frauen giebt im Testament ihren eingebrachten Braut-Schatz, so kan er sie mit 8. Schilling 4. Pf. von seinen Gütern abweisen,* & qvod in his verbis continetur, veram ac genuinam Juris Lubec. esse mentem putat Mevius *ad Jus Lubec. d. l.* qvam tamen non adeò strictè esse ob-
servandam dicit, ut non alia ei observantia derogare possit. Nec 7.
verò accipit hoc beneficium L. Conjux nisi deducto omni ære alienô. Mev. ibid. *Lib. 2. Tit. 2. . art. 12. n. 240.* nam si deinde hoc emergat, jam tum solutâ portione statutaria, hæres à superstite

Con-

Conjuge juste repetit, tanqvam indebitum exerrore solutum, & eatenus superstes Conjux prorata portionis statutariæ ad æris alieni solutionem obligari dicitur Mevius *d. l. n. 246.*

CAP. XXXIV.

De Rebus Maternis, vel Nuptialibus lucris, ut in his Pater non amittat usumfructum.

1. Est enim hic ususfructus legitimus, & â Lege Patri constitutus, ut per transitum ad vota secunda non amittatur, exceptio est in peculio Castrensi & qvasi Castrensi, qvorum Proprietas & ususfructus insolidum ad Filiumfam. qvi hic habetur pro Patrefam. pertinet.

2. *Addit.* Ergò qvia ususfr. hic est legitimus, Pater eum habens, secus qvam alius usufructuarius non modicas, sed magnas expensas facere timetur, Brunnem. *ad L. fin. C. de bonis qvæ lib.*
3. Casus tamen aliqvi hic excipiuntur, qvibus & ususfr. ad Filium pertinet exclusô Pater (1.) qvando Pater eundem Filiofamil. remisit, qva remissione interveniente aliud obtinet *L. 6. §. 2. vers. sin autem C. de bon. qvæ lib.* (2.) Qvando Filiofamil. sub hac Con-
4. ditione qvid legatur, vel donatur, vel relinqvitur, ut ipsi soli Patre exclusô, plenum jus, i. e. tam ususfructus, qvàm proprietas acqviratur. *Nov. 117. C. 1. pr. Avth. Excipitur C. de bon. qvæ lib.* (3.) Qvando Pater noluit consentire filio hereditatem sibi ab aliqvo relictam adeunte. *L. fin. post pr. C. de bon. qvæ lib.* (4) Qvando Filio legatur ususfr. tunc enim Patri hujus ususfructus reli-
5. cti ususfructus minimè competit, propterea qvod servitus servitutis esse non possit *L. 33. in f. ff. de Servit. L. 1. ff. de ususfr. leg.* (5) qvando qvid filio donatur ab Imperatore, nam cum hæc donatio sit instar peculii Castrensis, Pater usumfr. in ea sibi vindicare neqvit. *L. cum nulla 7. C. de bon. qvæ lib.* (6.) Qvando filius simul admittitur cum Patre ad hereditatem fratris *Avth. defuncto C. ad SCt. Tertull.* Idemqve est, si Pater ac Filius institu-
6. antur ab alio, nam eodem modô Pater in portione ad Filium spectante, usumfructum non habebit. *Avth. item hereditas C. de bon.*

bon. qvæ lib. Septimus Casus est in adventitiis ex illicita causa, per filium qvæsitis ut ex furto, rapina, latrocinio vel simili delicto, in siqvidem ita quæsitis Pater usumfr. non habet *arg. L. §. 3. ff. pro socio L. 24. ff. de A. vel A. possess.* Videtur autem Impe- 7.
rator triplex Bonorum Adventitiorum jus constituere *in L. f. C. de bonis qvæ lib.* Nam (1.) sunt qvædam, qvorum ususfructus Patri acqviritur, in qvibus solus Pater agere, & canveniri potest. (2.) Aliqva sunt, qvorum ususfructus Patri acqviri non potest, qvò referuntur Casus modò recensiti, & in his Filius solus agere, & conveniri potest. (3) Qvædam sunt, qvorum ususfru- 8.
ctus acqviri potest Patri; sed non acqviritur, qvia nolente & repudiante Patre acqviritur Filio, & qvia hæc mixtam habent naturam, voluit Imperator, ut ageret qvidem Filius; sed Patre consentiente. Brunnem. *ad d. L. fin. C.* In Castrensibus autem & 9.
qvasi Castrensibus Filiusfam. non habet nudam proprietatem; sed & liberam statuendi potestatem, *L. 15. ff. de Collat.* nam vice Patrisfamil. fungitur, neqve in his causis Filiusfamilias agens, consensu Patris indiget. *L. 4. §. 1. ff. de Pecul. Castrens.* Pater qvoq; 10.
Filiofamilias militi decedenti in peculio Castrensi succedit non jure hereditario; sed peculii per *L. 5. ff. & L. 1. de Castr. pec.* cujus effectus proponuntur *in C. A. t. eod. tb. 10.* nam nullum jus erat patri aditione, & bona hæc statim transmittebantur, fructus etiam retinebat, & non obligabatur Pater Creditoribus ultra vires peculii. Hillig. *in Donell. l. 9. n. 2.* Sed jure Novo Pater ut 11.
heres succedere videtur, *Nov. 115. c. 4.* Et qvasi Castrense peculium, ut tale habet Privilegium suum, nam si filiusfamil. sui juris fiat, non amplius est Privilegium, & sic illud non ulterius habet, ideò Advocatus, Professor, Medicus, si sui juris facti, omninò teneantur instituere Parentes suos vel liberos. Deinde & Im- 12.
perator constituit *Nov. 123. c. 19.* circa Peculia Clericorum, ut & in his teneantur liberos vel Parentes instituere, licet enim de peculio hoc liberè testari possint non obstante Patriâ potestate *L. ult. C. qvi Testam. fac. poss.* salvâ tamen legitimâ illis, qvibus eadem debetur. *Auth. Presbyteros C. de Episc. ac Cler.*

CAP. XXXV.

Si mulier res, qvas filiis donaverit qvasi ab ingratis post secundas nuptias revocare voluerit.

1. MAter ad secundas veniens nuptias, si qvid de suo filio daret, non potest per occasionem ingratitudinis datum revocare. Nisi (1.) aperte filius aut circa vitam ipsam matri insidias struxerit. (2.) Impias manus inferat, aut (3.) circa totius substantiæ ablationem adversus eam aliqvid egisse dieclaretur.

2. *Add.* Ex hac Novella desumta *Avth. qvod mater C. de revocand. donat.* Mater igitur hisce casibus Actionem qvidem Realem habet, sed à solo illo cui donationem fecit, revocat, non ab ejus heredibus, nec hæres matris vindicat, qvod Brunnem. *ad L. 7. C. d. t.* hic generaliter accipit in omnibus etiam aliis Do-
3. nationem revocantibus. Ergò per *d. l. 7. C.* nihil habuit privilegii, ut nec donationem in filios licet transivisset ad nuptias secundas jure revocari potuerit propter ingratitudinem, qvod tamen hodie temperamentum ex *hoc C. & d. Avth.* accipit, ut pos-
4. sit ob recensitas causas revocare. *An verò extra has causas aliæ possent adferri,* ex *qvibus revocetur Donatio hac* qv. Resp. pleriq; affirmative hic respondent Ripa in *L. ult. C. de revoc. donat.* Julius Clarus §. *donatio qv. 21.* Corvinus *d. t.* verior autem videtur esse Ne-
5. gantium opinio, cum hæc revocatio sit pœnalis, pœna autem sine L. non inferatur, & maximè qvoad ejus prohibitionem, uti hæc est, cum Lex tantum permittat revocationem ad ductis tribus Casibus. *v. Ddr. ad L. ult. C. de revoc. donat.*

CAP.

CAP. XXXVI.

Ut secundo Marito copulata Mulier prioris Viri Dignitatibus vel Privilegiis non utatur.

QVippe ad qvale post prius venerit matrimonium, 1.
illius qvoqve fortunam amplectatur, qvæ enim priorum oblita est, non rursus ex prioribus maritis adjuvabitur.

Addit. Apud omnes ferè gentes ab omni ævo usu qvasi re- 2.
ceptum est, ut Maritus uxori suæ eandem dignitatem communicet, eaqve maritali splendore coruscet, varia insuper privilegia obtineat sicuti in specie multa in antiqvitate Historica, & in jure Romano reperiuntur vestigia, ex qvibus clarescit, Imperatoris Uxorem ad Exemplum AUGUSTI Cæsaris AUGUSTAM, i. e. venerandam & reverendam fuisse nominatam. Limn. *lib. 2. Jur. Publ. cap. 13. n. 4.* Hinc facile seqvitur, Principem, aut Comi- 3.
tem Imperii, ducentem Uxorem, Virginem Nobilem, eandem simul ad parilem Principis aut Comitis dignitatem evehere, eiqve æqvè titulum *der Durchlauchtigsten* competere, ac si splendorem hunc natalitio jure acqvisivisset. *L. cum te 10. C. de Nupt. L. Mulieres 9. C. de Incol. L. fœminæ 8. ff. de Senator. argt. Nov. 105. c. 2.* Qvare 4.
vulgò dicitur, qvod Uxor qvantumvis ignobilis, Nobili tamen nupta Mariti immunitates Nobili competentes, simul nubat & acqvirat, id qvod latè deducit Myler. ab Ehrenbach. *in Gamolog. C. VII.* Sed hæc hactenus, qvamdiu constat in matrimonio cum 5.
tali viro, aut eô defunctô in viduitate, nam & his jure, dignitatem & privilegia, maritorum defunctorum competre Idem probat *C. VIII.* si verò postmodum inferioris Conditionis marito nubat, amittit privilegia, nisi impetraverit â Principe, ut in Consulari dignitate maneat, qvod tamen rarò fieri solet. *L. Nupta 12. ff. de Senator.*

CAP. XXXVII.

De Libertinis Mulieribus quæ Patronis suis conjunctæ sunt.

1. SI qvis manumiserit ancillam, deinde illam duxerit uxorem, illa verò (ut videtur) elata & e pulata solverit Matrimonium, invito Marito priore ad secundas nuptias venire non potest, etsi contra fecerit, non est matrimonium; sed fornicatio.

2. *Addit.* Ratio Constitut. est Insignis ingratitudo, qva ingenuitatem compensat ut & jura privilegiaqve per Maritum impetranda, cum enim rebus plerumqve secundis animi luxuriare soleant, non ipsa deserto priore marito aliud matrimonium aspirare aut adire debet, qvod tamen apud nos hodie in usu ulterius non est.

CAP. XXXVIII.

Ut Pupilli apud Matrem educentur, si vitricum non induxerit.

1. OMnium qvidem Mater fide dignior ad liberorum Educationem videbatur, sed limitat hoc Lex, nisi ad secundas nuptias accesserit.

2. *Addit.* An secundò nubens Mater præcisè privetur prolis suæ Educatione, rectè ponitur in arbitrio judicis, qvippe id considerandum ex personarum qvalitate *L. 1. C. ubi pup. educ.* alia enim tenerius liberos amat qvàm alia; Si tamen hæc desit, aut
3. idonea non habeatur, apud alium pupillum Judex collocabit, non tamen facilè apud eum, qvi sperat successionem. *L. 2. C. ubi pupill. educ. deb.* nec facile apud Vitricum, nam si æqvè commodi liberi possint educari apud alium, præteritur Vitricus *L. 1. ff. & C. d. t.* nam cum nec matri per *hoc C.* qvæ Virum superinduxit, committatur, qvare vitrico, qvem Berlich. *de Jure Noverc. Art. 3. Sect. 17.* à vi & trico dici putat, qvod per vim irrumpat in ædes

ædes, & familiam alienam & omnia intricet, vid. Perez. *in C. h. t.* Nec etiam liberi apud illum semper educandi, qvem Pater in Te- 4.
stamento nominavit, qvi Patre inscio potest esse sublestæ fidei, & licitum est judici à voluntate Patris ex causa recedere. *L. 1. §. 1. ff. ubi Pupill. educ. l. utilitatem 10. ff. de confirm. Tutore.* Im- 5.
pudicæ Matri ad X. annum pupillum tradendum censuit Curia Parisiensis teste Wissenb. *ad d. t. th. 17.* Qvæ vero hactenus hic 6.
de matre dicta, ad Patrem, secundò nubentem neutiqvam extendenda docet, & refutatis contrariis firmat Anton. Mullerus *Consil. 17. qv. 8. per tot.* Georg. de Caped. *Pract. Observat. P. 1. decis. 99.*

CAP. XXXIX.

Si adhuc constante matrimoniô dotem maritus uxori suæ persolverit.

1.
I. NOn facilè constante matrimoniô Dos debet restitui, nisi in casibus qvos Lex enumeravit. Si qvid autem tale factum, instar donationis prohibuerit, & mortuâ muliere recipiet dotem maritus qvi eam mulieri dedit, cum medii temporis fructibus, & exinde lucrum qvod pacti sunt.

II. Si ad secundas nuptias venerint viri, servabunt 2.
lucrum inde redactum filiis sine alienatione. Sed si constante matrimoniô nullam acceperit dotem Maritus, post mortem tamen uxoris lucrum ex pacto debitum ab heredibus petere potest.

Add. Dotem constante matrimonio restituere non tenetur 3.
Maritus ne commodo fructuum percipiendorum frustretur *L. pro oneribus 20. C. de jure dot.* reddit tamen, ut uxor se suosqve alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium, ut in Insulam relegato Parenti præstet alimenta, aut ut egentem Virum, fratrem sororemve sustineat, hiqve sunt casus qvos Lex enumerat *L. 73.*

§. *1. ff. de Jure dot.* aut si maritus constante matrimoniô ad inopi-
4. am vergat *L. 29. pr. ff. sol. matrimon. & L. 20. ff. eod.* Ergò si citra causam restituat est donatio inter Conjuges, qvæ prohibita, unde soluta repeti potest per maritum ab heredibus uxoris una cum fructibus extantibus & consumtis. *L. un. C. Si dos constante matrim.* qvod verum olim, qvando dos etiam profectitia mor-
5. tuô Patre cedebat marito superstiti jure novo non idem obtinet, nisi de dote lucranda convenerit *L. un. C. §. 6. de R. G. Act.* soluta Patri sive filiæ dos, à filia nihilominus peti potest, & tenetur præstare maritus, nisi à Patre ad filiam pervenisset, aut in ejus
6. rem versa esset, *L. 3. & 4. ff. solutô matrim.* nam cum habeatur finis non est qværendum demediis. Qvod si autem viri acceperint iterum lucrum ad secundas nuptias transeuntes, id liberis prioris matrimonii servabunt, est enim instar bonorum Maternorum, qvæ liberis integra servabuntur, ut latius supra dictum
7. *h. Nov.* facit qvod res, qvæ surrogatur in locum alterius, ejusdem sit effectus cum illa in cujus locum surrogata est *L. 10. §. 2. ff. si qvis caution. L. 28. §. Attia. ff. de Condit. & demonstrat.* prout & in petitione hæreditatis bonæfid. possessor licet non habeat res,
8. si tamen habeat pretia tenetur. *L. 22. ff. de hered. petit.* Qvod si autem verum, posse Maritum nulla acceptâ dote post mortem Uxoris lucrum ex pacto debitum ab heredibus ejus petere, non qvoqve dubium, si ipsi dos suô tempore soluta non sit, etiam usuras promissæ dotis petere posse *L. fin. §. 2. C. in f. de Jure dot. L. 2. C. de Dot. promiss. argt. C. 16. X. de usur.* Carpzov. *Lib. 4.*
9. *Resp. 52. n. 6.* v. Berlich. *P. 2. concl. 38. n. 16.* Si ipse autem in vivis non petierit, post mortem ejus ab heredibus exigi non possunt, videntur enim qvasi tacitè remissæ donatæqve Carpz. *P. 2. Const. 42. def. 22.* Richt. *decis. P. 2. dec. 74.* ubi hanc sententiam præjudicio confirmat.

CAP. XL.

Si Mulier Filiorum suorum tutelam administraverit, & ad secundas migraverit nuptias.

Mater

I. Mater tutelam liberorum gerens, & jurans non ad secundas venire nuptias, deinde contemnens & prius connubium & jusjurandum ad maritum secundum veniat, nec prius Tutorem petat, rationem reddat, & omne qvicqvid debet hinc exsolvat, Lex non saltem in ejus bonis liberis hypothecam constituit, sed etiam in vitrici bonis, cui qvoqve filii impuberis morientis Successionem prohibet. 1.

II. Miratur verò Imperator, mulierem sic impiam constitutam, tribus maximis neglectis, DEO, defuncti memoria & charitate filiorum tam parvis antiqvitus subditam fuisse pœnis, ideoqve sancit, pesti ferè ejusmodi qvid molientes omnibus pœnis obnoxias esse debere, qvæ nubentibus intra annum luctus sunt dictatæ *in C. 22. hujus Nov.* 2.

Add. Optimâ ratione juramentum antiqvitus â Mulieribus præstandum sustulit Justinianus Imper. ut scil. occasio perjurii lascivis mulierculis præcidatur, qvas juramentô â Nuptiis absterrere valdè periculosum teste Rittershuf. *ad Novell. P. 8. c. 2. n. 10.* 3.
Nec potest manere mater Tutrix, qvæ contra renunciationem ad vota secunda convolavit, etiamsi Testamento Patris data fuerit, qvamdiu in humanis extiterit, postqvam enim vitricum induxit, Lex de ea diffidit, qvare cum in eodem statu non remaneat, tutela ei remanere non debet. Sande *lib. 2. tit. 9. decis. Fr. 111.* 4.
qvod ita obtinet, ut nec mortuo maritô secundo ad tutelam iterum admittatur, *L. 23. ff. de Testam. tut. L. 2. §. 4. ff. de Cap. minuit.* 5.
Perez. *C. qv. mul. tutel. offic.* Rittersh. *ad Nov. P. 8. C. 9.* Aliud si deposuerit tutelam, cum sit nuptura, nec tamen nubat. Hactenus 6.
dicta limitantur, nisi Princeps concesserit ipsi tutelam, & nisi statuto vel consvetudine inductum, ut tutelam amissam mulier 7.
recuperet, prout de Jure Bohemico obtinere ex Christoph. Kyblino â Waffenburg *in differ. Jur. Civ. & Bohem.* refert Dn. Fabric. *ad Myns. Cent. 3. Obs. 83. in f.*

CAP. XLI.

Si sub conditione Pater vel Mater Legatum liberis suis reliqverit.

1. HOc casu non tenetur ad cautionem legatorum servandorum causa, nisi secundas nuptias contraxerit, ut adeò & hæc secundò nubentibus poena sit.

CAP. XLII.

De Clericis, qvi nuptias contrahere non possunt.

1. CLericis matrimonium interdicitur exceptis Cantoribus & Lectoribus, qvi tamen si ob inevitabilem aliqvam necessitatem ad secundas nuptias veniant, neqvaqvam ad majoris Secerdotii culmen debent adscen-
2. dere; Qvod si Laicus ad ordinationem Sub-Diaconi aut Diaconi, aut Presbyteri venire voluerit, sed non habeat sibi copulatam virginem; sed aut disjunctam à marito, aut aliam non mox copulatam sibi legitimè ab initio, aut ipse qvoqve ad nuptias secundas venerit, Sacerdotium non impetrabit, & si latenter ad hoc venerit, omnino eo cadet.

3. *Add.* Hic addenda partim supra ad *Nov. VI.* proposita fuere. Sane olim Episcopis ipsis Conjugium erat liberum, juxta Canones Apostolorum *C. 21. Causa 12. qv. 1.* id qvod ad Episcopos Orientales; sed malè restrinxit Gratianus *C. 24. d. qv. 1.* unde de S. Hilario Episcopo Pictaviensi ita canit Mantuanus *Lib. 1. Fastis.*

> *Non nocuit Tibi progenies, non obstitit uxor,*
> *Legitimo conjuncto toro, non horruit illâ*
> *Tempestate DEUS thalamos, cunabula tædas.*

4. Ideò prohibitio Juris Canonici tantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, & est juris merè positivi non Divini, ut ex Panormit, *in C. 13. de Vita & honest. Clericor.* tradit Brunn. *ad Avth. Multò magis C. de Episc. & Cleric.*

CAP.

CAP. XLIII. XLIV.

Si maritus ita reliqverit uxori, si ad secundas nuptias non transeat, & ad L. Juliam Miscellam.

I. HIsce duobus capitibus ab Imperatore iterum con- 1.
stitutum & confirmatum, ut viduitas â secundis
nuptiis injungi possit cum Legato, sive â maritô,
sive ab extraneo, sed intra annum peti non possit, nisi
spes nuptiarum decollet, *C. 44. §. 1.* *II. Post annum* verò 2.
peti potest præstita cautione Muciana de re restituenda
cum fructibus si secundas nuptias contraxit, qvæ cautio
inre immobili fit per juramentum cum hypotheca bono-
rum §. 2. *III. Si vero fuerit* res mobilis & persona petens ido 3.
neis bonis sit instructa, sub eadem cautione & iisdem hy-
pothecis accipiet §. 3. *IV. Si legatum* in pecunia nume- 4.
rata consistat, & fidejussores non adsint, nec ipse idone-
us, usuras trientales i. e. IV. pro C. accipiat, donec ad se-
cundas nuptias transeat. §. 4. 5. ad qvas si venerit, vindice-
tur ab eo qvi dedit, sive mobile, sive immobile sit, & ha-
bebitur tanqvam si ab initio datum nonfuisset §. 6. *V.* Sed
si nec potest fidejussorem dare tunc sub juratoria cautio-
ne & hypotheca suarum rerum accipiat, qvod relictum
est §. 5.

VI. Si aurum relictum, non autem idoneè possit sa 5.
tis dare, nec ipse dignus sit, cui id credatur, manet apud
illum, cui relictum trientales vero usuras interea annua-
tim accipit, donec aut secundas nuptias contrahat aut ma-
nifestum fiat, nullatenus ad illas posse venire, tunc enim
ipsius legatarii heredes capiunt ac nihil de acceptis â de-
functo usuris reddunt. §. 6.

VII. Hoc obtinet, sive Conjux conjugi indixerit vi- 6.
duitatem sive extraneus alterutri conjugum. §. 8.

7. *VIII.* Prædictæ cautiones de restituendo locum habebunt sive in parte sit heres institutus, sive sit aliqva pars saltem legata, & si mortis causa donatum, heredibus cau-
8. tio præstanda erit. Si vero sit ex asse heres institutus ne secundum ineat matrimonium, si qvi fuerint substituti, his cautionem præstabit, aut iis qvi ab intestato ad hereditatem vocantur, ut undiq; Lex hæc suam habeat perfectionem, nisi forte testator cautionem remiserit, tunc enim seqvenda est defuncti voluntas *Studii enim Imperatoris est defunctorum voluntatem secundum legem conservare.*

9. *Addit.* Licet jure ff. *L. 22. 64. ff. de Condit. & Demonstrat.* Conditio *si in viduitate permanserit* injiciatur, nisi certa tantum persona sit nominata, cui non debeat nubere, jure tamen Novo ex hac *Nov. C. 44.* hoc mutatum, ita, ut si viduitas sit
10. injuncta vel à marito vel ab Extraneo, mulierqve nuptias præoptaverit, legatum amittat, & videtur hæc saltem Nov. pertinere, ad Viduas, nam fœminæ qvæ nuptias non sunt expertæ, viduitatis Conditionem impunè spernunt & legatum sibi relictum acqvirunt, hæ enim Conditionem non nubendi impunè possunt
11. spernere, & legatum sibi relictum petere. Nam primæ nuptiæ semper favorabiliores, & Reip. utiles fuerunt, & omni honore dignæ, non item seqventes, qvæ licet permissæ, laborant tamen aliqva incontinentiæ notâ, ut non mirum si pœnalis ista conditio adscripta viduis, in virginibus non obtineat. vid. Perez.
12. *C. de indicta Vid. n. 9.* Qvod attinet verò L. Juliam Miscellam appellatur, & Popia Poppæa ob varietatem rerum, qvæ continebantur, & qvod pertineret tam ad mares, qvam ad fœminas,
13. qvibus Viduitas injungitur, Matth. Steph. *ad h. Nov. n. 108.* hac verò Lege non simpliciter remissum fuisse viduitatis conditionem constat, cum hoc tamen temperamento, ut mulier intra annum à morte Viri juraret, se non aliqva libidine; sed libero-
14. rum procurandorum causa nuptias repetere. Qvod si intra annum non jurasset, non aliter ei post annum legatum capere licuit, qvam interposita Cautione Mucianâ, qva caveret, se non
15. nupturam. *Nov. 22. C. 43.* Sustulit autem Imperator hanc L. Juliam Miscellam statuens, licere transire ad alias nuptias, & indictam

dictam viduitatem qvandoqve contemnere, nec opus esse ad legatum hujusmodi accipiendum, vel cautione, vel jure jurando. *L. 2. & 3. C. de Ind. Viduit.* Notandum tamen Justinianum Imperatorem tandem ad Legem Miscellam rediisse præterqvam 16.
qvod nubenti intra annum illam necessitatem jurandi de animo sobolis procurandæ remiserit, ut statuit Perez. *C. de Ind. Vid. n. 8.* alia qvæ hic proponi poterant passim notata à Diodoro Tulden. *ad C. h. t.* & Zœs. *C. h. t.*

CAP. XLV.

De Administratione donat. propter nupt.

Qvæ hic tradit Imperator jam tum supra proposuit. *Nov. 11. Cap. IV.*

CAP. LXVI.

De Successione Matrum in bonis Filiorum.

MAter ad secundas nuptias veniens, semper liberis ex Testamento succedit, sicut qvilibet Exttaneorum; sed cum fratribus defuncti succedit ab intestato, & in bonis â patre provenientibus tantum in usufructu, in aliis verò bonis filio extrinsecus qvæsitis succedit in totum exceptâ ante nuptiali donatione, in qvam succedit in usufructu ingratitudinis tantum ratione servatâ. vid. supr. *Nov. 2. Cap. 3.* 1.

CAP. XLVII.

Qvando Frater successione fratris excludatur.

1. FIt hoc ob tres inprimis ingratitudinis causas 1. Si vitæ fratris insidias struxerit, 2. Si criminaliter eum accusaverit, 3. Si universæ substantiæ properavit inferre 1.

 ferre

ferre jacturam, & his casibus ejus portio tam ad reliqvos fratres, qvàm ad matrem veniat.

2. *II.* Matres, qvæ jam ad secundum matrimonium pervenerunt, Succesfionem liberorum sive per Testamẽtum, sive ab intestato firmè habebunt, & secundum proprietatem, & usumfructum, talia bona alienare, de illis testari, & transmittere ad alios, qvocunqve modò voluerint.

3. §. 1. Mater filio succedens in Ante-nuptiali donatione, portionem suam non pleno jure; sed qvoad usumfructum tantum acqvirit, proprietate liberis servatâ, nisi forte judicialis sententia & transactio inter partes facta de his aliud statuerit.

4. §. 2. Non excluditur Mater â Filiis in succesfione Fratris, qvod qvidem antea fiebat per SCt. Tertullianum, cum filiabus autem i. e. defuncti fratris sororibus commiscebatur, & dimidiam, i. e. tantam qvantam portionem
5. soror defuncti accipiebat; sed hodie indistinctè virilem portionem accipit, sive consistant soli masculi, sive solæ fœminæ, sive etiam permixtè utrinqve Soboles.

6. *Add.* Fratrem tribus istis casibus etiam turpi persona herede instituto posse exhæredari præter Imperatorem hic tradunt Sichard. *ad Avth. non licet C. de lib. præter* Sneidew. *ad pr. I.*
7. *de Exhæred. liber.* & alii passim Ddr. qvia si in graviori crimine accuset, pœna est ultimum supplicium, vel Exilium *L. 2. ff. de publ. judic.* germano enim amori cum nihil sit æqvandum, illeqve multis privilegiis & singularibus ornatus juribus legatur, qvi verò amore fratrem proseqvitur, si se illo indignum reddat, meritò & beneficiis in jure concesfis privabitur. v. Excell. Dn. Stryk. *Differt. de Potior. fratr. jurib. C. IV. n. 31. 32.* & Dn. Lauterbach. *in disqvisit. de singul. Fratrum jure.*

8. Qvamvis Pater & mater æqvaliter ad Succesfionem liberorum vocentur, si tamen defunctus filius in potestate Patris fuerit, Pater bonorum adventitiorum usumfructum retinet præcipuum, mater autem in nuda proprietate concurrit. *L. fin. ibi: Pa-*

ter

ter qvidem usumfructum teneat, mater vero &c. ad pooprietatem vocetur. C. ad SCt. Tertull. L. 27. C. de Testam. Fachin. *lib. 6. Controv. c. 6.* Struv. *ad ff. Exerc. 38. th. 25.* Sutholt. *Dissert. 11. aphor. 62.*

Ad §. 1. Si Pater vel Mater cum fratribus concurrunt, va- 6.
riè distingvitur *in L. 7. C. ad SCt. Tertull.* ut Mater sola cum fratribus in viriles partes, cum sororibus solis in stirpes succedat; Si verò pater superstes, & defunctus sit sui juris succedunt ei fratres in proprietate, Pater & Mater in usufructu bessis; sed si defunctus fuit sub Potestate Patris, succedit ei Pater in usufructu omnium bonorum, Mater vero & Fratres in proprietate;
Sed his omnibus derogatur per hanc *Nov. 22. c. 47.* Nam Mater 10.
sive cum solis Sororibus succedat, sive cum per mixtis, non habet majorem vel minorem portionem, sed semper virilem. *Avth.*
& cum solis C. ad SCt. Tertull. Hodie igitur Pater sive Mater vel 11.
etiam Remotiores accedentes si concurrunt cum fratribus aut Sororibus utroqve latere defuncto junctis, i. e. Germanis succedunt una cum iis in portiones viriles, & sic Parentes etiam ulterioris gradus, ob concursum Patrum in viriles partes succedunt, v. gr. defuncto supersunt Avus & Avia Paterna, & Avia Materna, hic in duas medietates dividitur hereditas; sed si con-
currat Frater Germanus in IV. viriles portiones dividitur here- 12.
ditas, ut hic Pater excludat, Avum paternum, licet defunctus in hujus fuerit potestate, & mater uti propior excludat Avum paternum. v. Brunnem. *ad L. 2. & Avth. seqv. C. ad SCt. Tertull.* Cœ-
terum hæc ita de Jure Civili, de Jure Saxonico aliud, ubi nun- 13.
qvam ad Successionem admittuntur Collaterales, si qvis ex Ascendentibus superfit. Berlich. *P. 3. Concl. 23. in fin.* Cujac. *P. 3. C. XVII. def. 6.* Richt. *de Succ. ab intest. dissertat. 2. C. 3. th. 3.* Idem moribus Velaviæ, Zutphaniæ, Ultrajecti, Noviomagi tradit Petr. Grev. *de Domin. Disp. 14. assert. 11.* v. Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 2. c. 14.* & Simon van Lewen *Censura for. lib. 3. C. 16. & seqq.*

CAP. XLVIII.

Ut Parentes studeant æqvalitatem inter liberos primi & secundi Matrimonii servare.

Pa-

1. I. PArentes admonet Imperator, ut inter liberos primi & ſecundi matrimonii æqvalitatem ſervent, nec ad ſecundam omnino declinent prolem, nec legitimam rantummodo relinqvant prioribus, ſed alia omnia ad ſecundos deducant, eos augeant, & augmentum vehementer magnificent, obliti priorum matrimoniorum, provideant qvidem ſecundis ut tamen & provideant primis, cogitantes qvod filii modo ſint, & æqvalem faciant Succesſionum in Teſtamentis diviſionem.

2. *Ratio.* Si enim inteſtatis mortuis Lex omnes ex æqvo vocat, erunt boni Patres, & Imperatoria digni legislatione, juſti, ut Legem cuſtodiant.

3. II. Si qvid verò & ſupra Legem reliqverint, juſti ſimul & humani erunt Patres; Nec vero dicit Imperator hæc de gratis vel ingratis filiis; ſed de iis, qvi magis aut minus diliguntur, cum multa ſit differentia ingratitudi-
4. nis, & gratiarum actionis, & disſimilis honoris. Et partem hanc Legis de æqvalitate filiorum primi & ſecundi matrimonii potius abhortando, qvàm ſanciendo voluit proponere Imperator, ita, ut licentiam qvidem diſponendi inter liberos habeant, & retineant, ſic tamen, ne in portione ex Lege competente defraudentur.

5. *Add.* Æqvalitatem ut Concordiæ in omnibus rebus matrem hic præcipuè commendat Imperator, & egregium veteris Poëtæ Græci Phocylidis dictum eſt *ἐν ποιήμ. verſ. 12. 13.* & hic Parentibus merito imendum;

μέτρα νέμειν τὰ δίκαια, καλὸν δ' ἐπὶ μέτρον ἅπασι
σταθμὸν μὴ κρούειν ἑτερόζυγον, ἀλλ' ἰσονελκύειν.

id eſt;

Menſuras tribue juſtas, modus namq; in omnibus bonus eſt:
Libram ne pulſes alteram, ſed æqvaliter trahi.

6. Pium igitur & juſtum, ſi omnes ex æqvo liberos æqvali proſeqvantur affectu, tam qvi prioris qvàm poſterioris & aliorum ſunt matrimoniorum, ſunt qvippe omnes ſui heredes omnium ex æqvo Pater eſt, ac omnibus ex æqvo providere debet, ut tam

vivo

vivo qvàm mortuo Patre bene sit; qvippe ex mente summi Philosophi, *omnis qvi dat formam rei, etiam ea qvæ ad formam sunt necessaria dare tenetur* Plutarch. *de Spur. c. 48. n. 5.* Garz. *de Expens. c. 3. num. 3.* Coman. *lib. 1. Commentar. cap. 48. num. 5.* & oportet Patrem omnibus qvos genuit, non tantum illa qvæ ad naturalem; sed etiam qvæ ad vitam socialem pertinent, præstare, imò omnia ea, qvæ ad qvotidianæ vitæ conversationem sufficiunt *arg. l. 19. §. 1. C. de hered.* v. Cicero *lib. 2. de Oratore.* Qvam- 7.
vis autem paternè qvoqve hic admoneat Parentes Imperator de æqvalitate inter liberos servanda, non tamen ligat manus, ita, qvasi non posset filio grato & obedienti plus relinqvere, qvàm alteri minus obedienti, hoc enim licere satis patet ex *l. 8. C. de Inoff. Testam.* modò aliqvi non sint læsi in legitima, cujus sup- 8.
plementum petere liceret per Condictionem ex L. omnimodo 30. C. de Inoff. T. v. Reusner. *de Testam. P. 4. C. 5. n. 5.* Finckelth. *Obs. 78. n. 1. & seqq.*

NOV. XXIII.

De Appellationibus & intra qvæ tempora debeat appellari.

PRÆFATIO.

ANtiqvitus moris erat, ut si qvis *per se* litem exerceret, & condemnatus esset, intra duos tantum dies potuerit appellari; sed si *per Procuratorem*, in triduum proximum extendi; Id qvod satis damnosum Ex- 1.
perientia probavit, qvod plures homines subtilitatis LL. 2.
ignari, existimantes in triduum provocationes esse porrigendas, in promptum periculum incidisse, & biduo transactô causas perdidisse, unde necessarium duxit Imperator, huic rei competenter mederi.

CAP. I.

Correctio Juris Veteris.

Hinc

1. HInc ſancit omnes Appellationes, ſive per ſe, ſive per Procuratores, ſive per Defenſores, vel Curatores, vel Tutores ventilentur, poſſe intra X. dierum ſpacium â pronunciatione ſententiæ numerandum ab iis qvorum intereſt, judicibus offerri, ſive illi Judices Magni ſive minores ſint, (excepta ſublimisſima Prætoriana Præfectura) ut liceat intra id ſpacium plenis-
2. ſimè deliberare, an appellandum ipſi ſit, an qvieſcendum, ne timore inſtante opus appellatorium freqventetur; ſed omnibus ſit deliberationis copia, qvæ non deliberatos hominum calores posſit refrænare.

3. *Add.* Biduum vel triduum hodie in decendium juſte eſt mutatum, ſublatô itidem diſcrimine an qvis in propria, an in aliena cauſa litiget, & contra ſe ſit pronunciatum, & currit hoc decendium ſtatim â die latæ ſententiæ de momento in momentum, nam prima dies appellationis non computatur tota; ſed & momentum, hora, & punctus illius diei, qvi ad X. diem
4. ejusdem puncti referri debet, unde fieri poteſt, qvod X. dies, in XI. diem deſinat, currit autem decendium â die latæ ſententiæ, ſi condemnatus ſciverit, eam eſſe latum, ſecus ſi ignoraverit, tunc enim currit demum â die ſcientiæ, niſi victus habuerit Procuratorem in judicio tunc enim currit adhuc temdus â die latæ ſententiæ. *L. 1. §. 7. & L. fin. ibi ex qvo ſcit ff. qvando appell.* Sande *lib. 1. tit. 13. def. 1.* Ludwell. *ad ff. t. qvando appell.* hancqve ſententiam in Camera ſervari teſtantur Mynſ. *C. 2. Obſ. 2.*
5. Gail. *L. 1. Obſ. 39.* Si dubitetur, an qvis intra decendium â die notitiæ appellaverit, appellato, eo qvod ignorantia præſumatur, incumbit probatio Blum. *Proc. Cam. Tit. 49. n. 10.* interdum tamen ea ignorantia juramentô probanda eſt, ſi nimirum appellans præſumtionib9
6. Scientiæ gravatus ſit. Mev. *P. 5. Deciſ. 168.* Sufficit tamen interponere appellationem ultimâ horâ. Carpzov. *L. 3. Reſp. 114. n. 13.* Berlich. *P. 1. Concl. 50. n. 60.* Vocatur hoc tempus *fatale interponendæ appellationis*, qvia præterlapsô decendiô perimitur atque expirat, qvaſi fato qvodam ſublata & mortua facultas appellandi, ut poſtea non amplius audiatur, ſi qvis appellare velit. Opponitur

tur ei *fatale introducendæ appellationis*, item *fatale prosequendæ appellationis*, qvæ tria fatalia Dd. distinxerunt. Cujacius *ad Nov. 106.* ut refert Rittershuſ. *ad Nov. P. 10. C. 1. n. 5.* vocat *legitima tempora*, qvæ aliis sunt *fatalia*. In causis tamen criminalibus etiam 7.
post elapsum decendium admittenda Appellatio, cum gravamen semper duret; si enim gravamen est continuum seu ut vocant, successivum utpote injusta carceratio, missio in possessionem semper & qvamdiu gravamen durat etiam post decendium appellari posse, docent Gail. *L. 1. Obs. 139. n. 13.* Wesenbec. *ad ff t. qv. appell.* Carpzov. *Proc. Crim. P. 3. qv. 139.* Secus 8.
est si per modum inqvisitionis procedatur. Carpzov. *Proc. Crim. d. l.* & *L. 3. Resp. 128.* Cæterum in Processu Inqvisitorio dari appellationem verius omnino est. Brunn. *ad L. 29. C. de appellat.* Berlich. *P. 2. Decis. 230.* Oldekop. *Tr. de Appell. in cauſ. Crim. n. 23. & seqq.* ubi hac in parte ex professo contra Carpzov. disputat. Hoc decendium verò ut paulò antea dictum, non solum pro- 9.
bandum; sed etiam plura alia qvæ in Appellatione reqviruntur, sunt probanda, de qvibus Mynſ. *C. 3. Obs. 15.* qvibus ex R. Imp. *An. 1654.* addit Fabric. *ad d. Mynſ. loc. cit.* nempe acta intra 30. dies esse reqvisita, *§. Ob er auch schon 65.* ibi: *Nechst folgender 30. Tagen.* & ibi: *Oder wenigst solcher seiner* Reqvisition *beglaubigten Schein.* Item solennibus esse satisfactum, summam esse appella- 10.
bilem, item si velit ad priora submittere acta, id ipsum Supplicationibus pro Processibus inserat, & qvæ sunt alia. Cur verò 11.
decendium concesserit Imperator in textu rationem addit, *ut liceat intra id spacium &c.* cui addit glossa; *qvicqvid consilii moderatione perficitur non consvevit pœnitudinis rubore perfundi; sed perpetuâ firmitate durare*, & Euripides *in Phœnissis.* Celeritas non justè agit, tarda verò Consilia efficiunt multa sapienter. Et huc qvadrant verba egregia Beati Dn. Lassenii *in den Perlen Schatz P. 2. Mense Julio 1. Consid. Gut Ding will Weile haben, was in der Eile geschicht, muß offt eine lange weile beklaget werden, ohne daß es damit zu verbessern; Wir sollen allezeit mehr auff das Ende eines Spiels gedencken, als in dem Anfang uns verlieben, Hier fängt mancher mit vollem Beutel an, und komt mit leeren wieder nach Hause &c.* Ulteri- 12.
us Præfectum Prætorio eximit Imperator, à cujus potestate ap-

 pellari

pellari neqvit, ob rationem in *L. 1. ff. de Offic. praefect. praetor.* qvia Princeps credidit, eos, qvi ob singularem industriam exploratâ eorum fide & gravitate ad juris officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse prosapientia ac luce dignitatis suæ, qvam ipse foret judicaturus. Conf. *Auth. Hodie de Appellat.*

CAP II.

De Consultationibus.

1. SI Princeps ad cujus Consistorium appellatum, aliis forte occupationibus publicis distrahatur, qvominus convocare Senatores & causam audire possit, lis propterea non periclitatur.

2. *Ratio.* Qvod enim est vitium litigantium, si culmen Imperatorium occupetur? Vel qvis tantæ est autoritatis, ut nolentem Principem possit ad convocandos Patres, Cœterosqvæ Proceres coarctare? Si qvid igitur tale evenerit, causa intacta permaneat, donec Imperator sponte sua motus, & convocari Proceres jusserit, & litem inferri patiatur, & omnia secundum morem succedere.

3. *Addit.* Appellatio impropriè pro Consultatione aliqva sumitur, qva per sententiam gravatus appellat non ad Superiorem, sed ad alium Judicem qvasi Interpretem, & hujus Juris peritiorem, ea propter olim è Polonia appellationes & aliis Principatibus, ubi Jus Magdeburgense sive Weichbildicum viguit, Magdeburgum factæ, propriè appellationes non fuerunt, in signum Superioritatis, qvo nomine nunqvam Magdeburgum agnoverunt; sed tantummodo, ut de jure Appellantes informarentur,
4. Illust. Dn. de Rhetz. *Inst. Jur. Publ. L. 2. T. 3. §. 25.* Simile qvid obtinuit in variis Civitatibus Pomeranicis & Megapolitanis, qvæ Appellationes suas omissô Principe coram Senatu Lubecensi deduxerunt, cum enim Jure Lubecensi uterentur, credebant, nullibi melius causas decidi posse, qvàm Lubecæ. V. Mev. *ad Jus Lub. Proœm qv. 2. n. 20. & seqq.*

5. Qvod attinet vocabulum CONSISTORII, placet de eo huc referre explicationem Celeberrimi JCti Besoldi. *Thes. Pr. ad-*
hanc

hanc vocem, qvi dicit, esse locum, in qvo Princeps Legatos, & qvoscunqve adeuntes admittit, & audit, & de causis cognoscit, inqvirentibus in negotium, & despicientibus Consistorianis, ex Ammiano Marcell. Sic in Populo Dei Summum fuit Consisto-
rium, Concilium, sive Judicium, qvod *Sanhedrim*, & Συνέδριον vo- 6.
cabatur, constabat ex LXXII. Judicibus, qvos LXX. Seniores
appellabant *Exod. XXIV. 1. Num. XI. 25.* In Jure appellatur a- 7.
liqvando Auditorium ut in *Nov. XXIII. C. 1. & C. Romana X. de Appellat. in 6to.* Hodie Consistoria nominantur Judicia Ecclesiastica qvorumvis ferè judicum, in qvibus causæ & merè Spirituales, & Ecclesiasticæ & mixti fori, ut matrimoniales tractantur, qvæ Ordinationem suam habent in Ecclesiis Evangelicis à Statibus Imperii, qvibus Jurisdictio Ecclesiastica competit. Brunnem. *Jur. Eccles. Lib. 3. c. 1. §. 3.*

Princeps libenter Appellationes Subditorum ad se devolvi 8.
patitur, unde Summum Justitiæ Tribunal & postremum sententiæ elogium in Republ. bonos Principes constituisse legitur, qvod extrema Provocatio appellatur *L. 2. §. 18. ff. de orig. Jur.* Molina *ad Consvet. Burgund. Tit. 1. §. 3. Gloss. 4.* qvasi Imperator suâ manu jura per hanc extremam provocationem claudat prout jam olim cecinit Güntherus *in Ligurino.*

- - Ut præsens, qvasi maximus omnia judex,
Claudere jura manu, cunctasq; recidere lites
Debeat. - - - - in qvem finem

cuilibet judicio Appellationum etiam præfecti sunt Consiliarii
die Appellation-Räthe. Cœterum hæc hactenus qvatenus Princi- 9.
pem curæ publicæ & negocia publica non avocant, aut distrahunt, nam hic locum & illud habet;

Publica privatis ante ferenda bonis.

& bonus Princeps dictum JEHOVÆ Israelitis in Babyloniam deportatis per Jeremiam sibi qvoqve pronunciatum putat C. XXIX. 7. *Qværite prosperitatem istius Civitatis, qvò deportavi vos, & orate pro ea JEHOVAM, nam in prosperitate ejus futura est vobis*
prosperitas; præclarè Cicero *Philip. XIII. pr. 10. Nec privatos focos,* 10.
nec publicas LL. nec libertatis jura cara habere potest, qvem discordia, qvem cædes Civium, qvem bellum Civile delectat eumq; ex nume-

ro hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Atqve sic verum est illud; SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Conf. hic *Auth. sed & his C. de tempor. Appellat.*

CAP. III. & IV.

1. HÆc Capita ad antiqvatos Romanorum Magistratus, pertinent. Notandum tamen ex *C. III.* super minima causa (qvod novitas dereliqvit) maximos judices inqvietari non debere, nec homines propter minimas causas magnis fatigari dispendiis, ut forte totius litis æstimatio adsumtus judiciales non sufficiat. *Ex C. IV.*
2. Appellationem non posse fieri ad parem judicem; sed ad Superiorem, & gradatim â *Minore* ad *Majorem.* Et velle Imperatorem, ut omnia alia qvæ de Appellationibus antea sunt statuta, vel ab antiqva prosopia, (ita vocat JCtos veteres) vel ab anteriorum Constitutionum autoritate, vel â sua humanitate, ut illa omnia intacta illibataqve custodiantur. v. Rittershus. *ad Nov. lib. X. C. 1. n. 16.*
3. *Add.* A minimis causis jure communi Judex non facilè admittat Appellationem; minimæ autem sunt, ubi summa appellabilis sumtibus verosimiliter poterit esse minor, licet arbitrio judicis id rectè committatur, Scacc. *de Appellat. qv. 17. limit. 40.* vid. Brunnem. *in Proc. Civil. c. 28. n. 22.* in minoribus tamen causis ad-
4. mittunt Appellationem Besoldus *de Appellat. C. 7.* & Mev. *P. 3.*
5. *Dec. 127.* imprimis si famæ periculum interveniat. Forma appellandi est in ordine, ut ab Inferiore ad Superiorem gradatim fiat. *Nov. 17. c. 3. l. 29. C. de Appell.* adeò, ut Appellatio omissô medio ad Imperatorem remittenda sit, & vires non habeat *l. c. ff. eod.* & omissô mediô regulariter non recipitur. Mev. *P. 1. Dec. 87. P. 3. Dec. 348.*
6. *P. V. Dec. 204.* nisi medii judicis de eo qvod in litem venit, non est cognitio. Mev. *P. 4. dec. 96. 97.* aut nisi intermedius judex sit suspectus. Mev. *Part. 5. Decis. 402.* aut causæ continentia
7. adsit. Alias nec Pauperi permittendum præterire Judicium inferius, & ad superius causam trahere. Mevius *Part. 2. dec. 110.* Gail. *lib. 1. obs. 1. §. 2.* Omissô tamen intermediô, si superior causam cognoscat, & judicet sententia subsistit, si modò appel-

appellatus exceptione omissa judicare patiatur non obst. qvod Superior sit judex incompetens, non enim est omninò & simpliciter incompetens; sed secundum qvid tantum & ratione ordinis hinc prorogatio eo facilius procedit. vid. Dn. D. Schwendorff. *ad Eckholz tit. ff. qvis à qvo appelletur.*

Nov. XXIV.

De Præside Pisidiæ.

SUbseqventes aliqvot Novellæ usq; ad XXXII. omnes sunt locales, neqve ad Nos hodie pertinent, ideoq; hic brevioribus nobis esse licebit, & cum hodie hæ Provinciæ ad Nos non pertineant, hinc saltem Geographicè brevibus eas proponam. Ideoqve una Pars Pisidiæ & qvidem Septentrionalis olim Solymi dicta, sita est in Pamphylia, in qva Taurus mons, â Turcis hodie *Versacili* dicta â Versajo primaria urbe, & sede Præfecti, qvæ Antiochia Pisidiæ erat. Veteribus Pisidas Solymos appellatos fuisse docet Stephanus â Solymo Jovis filio. Altera Pars est in Galatia sita. Est hæc regio hodie in potestate Turcarum. Cluverus *Introduct. in Geograph. lib. 5. c. 19. num. 2.*

NOV. XXV.

De Prætore Lycaoniæ.

LYcaonia est Provincia Cappadociæ, paret hodie, ut ipsa Cappadocia Turcis Cluver. *lib. 5. c. 17. p. 666.*

NOV. XXVI.

De Prætore Thraciæ.

NOmen habere putatur vel â Thrace Martis filio, vel ab asperitate soli cæliqve, hodie Romania dicta, sita in Europa, ab ipsa sede Imperiali Constantinopoli celebris, est hodie sub jugo Turcico, vid. Dn. D. Beck-

 man.

man. *Histor. Civ. C.6. n. 18.* Bartholdus Feyndt *Cosmogr. c. 18.* Cluverus *Introd. Geogr. lib. 4 c. 13. n. 1.*

NOV. XXVII.

De Comite Isauriæ.

ISauria est Provincia Paphlagoniæ, Pisidiæ finitima, cujus præcipua urbs est Isauria. Pertinet ad Turcas. Cluver. *lib. 5. c. 17. n. 3.*

NOV. XXVIII.

De Moderatore Helenoponti.

HElenopontus est pars Cappadociæ, itidem hodiè ad Turcas pertinens, v. ipsum *C. 1. & 2. hujus Nov.*

NOV. XXIX.

De Prætore Paphlagoniæ.

PAphlagonia sita in Natolia, sive Asia minori, ad Pontum Euxinum, est Pars Galatiæ, & paret hodie Turcis. Dn. D. Beckman. *Hist. Civ. Sect. 2. c. 6. p. 231.* Cluver. *Introd. Geograph. lib. 5. c. 17. n. 10.*

NOV. XXX.

De Proconsule Cappadociæ.

CAppadocia sita ad Pontum Euxinum, Paphlagoniæ vicina, nunc IV. complectitur regiones Genech, Suvas, Andole, & Amasiam, itidem hodiè Turcis parens. Cluverus *Introd. Geogr. lib. 5. c. 17. n. 2,* Dn. Beckman. *Hist. Civil. C. 6. Sect. 2. p. 231.* Barthold. Feindt *Cosmogr. Cap. 21.* Incolitur jam â Græcis, Turcis, Judæis, Arabibus, Armenis. Lucas de Linda. Boterus.

NOV.

NOV. XXXI.

De Descriptione IV. Præsidum Armeniæ.

ARmenia dividitur in *majorem* & *minorem*, sita in Asia ad Euphratem, major hodie continet tres partes, Turcomanniam, Popul, & Cumli. Minor verò Pegian & Bozoch. Hodie est in Turcarum potestate. v. Cluv. *lib. 5. c. 16. p. 563. 564. 565.* & Bartholdus Feindt *Cosmogr. cap. 21.*

NOV. XXXII.

Ne qvis mutuum dans Agricolæ terram ejus teneat item qvam magnas usuras Creditores ab Agricolis debeant percipere.

PRÆFATIO.

IMperator præsenti Lege qvasi medicinam qvandam, qvæ non in præsenti tantum necessitate, sed per omne deinceps ævum suo in Repub. munere defungi qveat tradit, non dubitasse aliqvos in Proviucia submodica admodum mensura frugum contractum mutui cum aliqvibus celebrare, & ex eo universam illorum terram ad se recipere, ut adeo hac occasione plerıqve Rusticorum diffugerint, pleriqve etiam fame perierint, & tetra qvædam lues ac contagio exorta sit, in nullo pene Barbarica incursione inferior. 1.

CAP. I.

HInc sancit, ut qvicunqve agricolis qvantamcunqve mensuram qvorumcunqve aridorum fructuum crediderint, citra ullam exceptionem illis restituant, 1.

ant, & nemini licet Contractus in vel sine scriptis celebratus sit, ipsam terram penes se detinere loco pignoris fas
2. sit. Qvod si mutuum in aridis frugibus consistat, loco usurarum octavam modii partem potest accipere, i. e. u-
3. suram centesimam. Sed si in pecunia numerata consistat mutuum in singulos solidos annuas siliqvas i. e. usuras hic utiles accipere potest, si qvis contra hæc facere ausus sit, exactione cadet & qvi mutuum accepit qvive injuriam pertulit ex eo solatium habebit, tum qvod ipse â facessendo negotio sit liberatus, tum qvod Creditorem in rebus suis jacturam pati videat.

4. *Addit.* Qvæ ad illustrandam hanc Nov. faciunt satis egregie inveniuntur deducta â Riterhusio *ad Nov. P. 3. C. 10.* Id hic speciale, centesimam usuram admittere Imperatorem, h. e. in singulos modios frumenti octavam partem sive duos sextarios.
5. Imperator hic vocat Fructus aridos, qvales sunt frumentum, hordeum, triticum, pisum, avena, aliaqve legumina. A qvibus differunt liqvidi, ut vinum, oleum, acetum &c. vid. Rittershus. *d. l. n. 28.* hocqve propterea introductum, qvia incertum est
6. eorum prætium. *L. 12. & 23. C. de usur.* Fieri enim potest, ut tempore restitutioni adjecto minus valeant 12. modii frumenti, qvam tempore dati mutui. Cœterum cum pecunia creditur Agricolæ, servatur saltem vulgaris usurarum modus, cum pecunia creditur & redditur. *L. 16. 25. C. de usur.* nimirum dat saltem trientales usuras, i. e. annuatim 4. pro 100. idqve in favorem agricolarum, ne nimium graventur. Steph. *loc. cit. n. 5.* In Marchia qvintus modius pro usura dari solet, & â Rusticis etiam passim ubiqve locorum stipulari licet usuras qvincunces & semissales, Brunnem. *ad Avth. Ad hæc C. de usuris.* ubi in fine qveritur, optimas LL. Justiniani neglectas jacere. Confer. Müller *Resolut. March. Resol. 110. n. 10.* Naurath. *ad hæc. C. de usur. Lit. D.* idem fecit Rittershus. *P. 3 C. 10. in fin* scil. malè observari illas Constitutiones cum insigni rei Rusticæ detrimento, & boni publici, cum tamen Imperator has Constitutiones ab humanitate ac virtute commendet.

NOV.

Nov. XXXIII.

De his qvi mutuum dant Agricolis

CAPUT UN.

HÆc Novella ejusdem cum præcedente eſt argu- 1.
menti, & invehitur Imperator in Creditores, qvi
anguſtia temporum abutentes terrulas infelicium
agreſtium ſibi acqvirunt, pro pauco frumento omnem il-
lorum ſubſtantiam retinentes. Et extendit Imperator 2.
hanc N. & ad milites altiore nitentes faſtigio, ad Pro-
vinciales, & qvosvis dignitate conſpicuos ita, ut qvi præ-
ſenti Legi non eſſe obediendum exiſtimant, cingulo
denudati, inter privatos habeantur, & nihilominus pœ-
nis in anteriori lege poſitis ſubjugentur.

NOV. XXXIV.

Ne qvis qvod Agricolæ mutuam pecuniam dedit illius terram detineat, & qvem uſurarum modum Creditores accipere debeant ab Agricolis.

PRÆFATIO.

AD Imperatoris aures pervenit, aliqvos in Provin- 1.
cia avare temporum neceſſitate captatâ uſurarios
Contractus facere, exiguam dare menſuram & terras
agricolarum abſtrahere, propterea verò Colonorum qvos-
dam fugæ latebras petiiſſe, alios fame eſſe necatos, & tri-
ſtisſimam peſtem homines invaſiſſe incurſione barbarica
non minorem.

CAP. UNIC.

SAncit igitur, omnes ejusmodi Creditores, qvantum- 1.
cunqve vel tritici, vel hordei, vel in alia ſpecie, qvæ

in fructibus aridis est, dederint, si hoc receperint loco usurarum contentos esse debere cum parte octava modii per singulos modios in unoqvoqve anno, terrulas colonis restituere, & neminem penitus eorum eas detinere sub occasione fœneraticiæ cautionis, sive contractus inscri-
2. ptis sive sine scriptis sit celebratus. Qvam saluberrimam Legem extendit Imperator ad omnes, in omne ævũ modis omnibus observandam, ut scil. prædictâ parte octavâ modii contenti sint, vel siliqvam pro singulo solido in qvantum fœnus permanserit, percipiant, terrulas verò, vel etiã aliud, qvod in pignus forte acceperunt, ut boves, pecora, vel mancipia, omnibus modis reddant, qvæ Lex ut humanitate & pietate gaudens, & omnibus egenis consulens, Creditoribus autem mediocre solatium afferens, ita omnibus eam communem esse, vult Imperator.

3. *Addit.* Magnus ab antiqvo fuit Agriculturæ favor, inservit n. potissimum vitæ humanæ adhoc, ut eam necessariis alimentis, absq; qvibus vivere non licet conservet. Arist. *1. Polit.8.* unde inter media promovendæ annonæ refert Coler. *lib. 1. de alim. c. 17. n. 1.* & Status Rusticorum Ecclesiasticum & Politicum sustentat, sive ut Glossa *ad Art. 19. lib. 3. Land-Recht in pr.* loqvitur; *den Bauren gebühret die Priester und Ritter zu ernähren,* i. e. Rustici est & Sacerdotem & Nobilem sustentare. Ob qvam causam multa Privilegia Rusticis indulta sunt ad promovendam annonæ facilitatem *L. 1. t. t. C. de Agric. & censit.* Cöler. *lib. 1. de alim. C. 17. n. 6.* Lather. *L. 3.*
4. *de Censu. C. 6. n. 60.* Sed & Privilegia securitatis ipsis competunt, Berlich. *in Tract. de securit.* qvibus etiam gaudent animalia eorum, qvæ arant, & semen portant in agrum. Et ad hos potissimum pertinent feriæ messium & vindemiarum, qvia occupati circa rem Rusticam in forum compellendi non sunt. *L. 1. pr. ff. de Fe-*
5. *riis.* Et huc pertinet privilegium Imperatoris, ne Creditores terrulas, vel animalia eorum qvibus qvotidie ad arandum & occandnm utuntur, loco pignoris detineant, & usuris assignatis octava parte modii 2. *Metzen von Scheffel* sint contenti, vel siliqva pro

pro ſingulo ſolido. *Siliqva* eſt minimi ponderis nomen apud 6.
Romanos, & refert Alex. ab Alex. *L. 4. Genial. dier. C. 24.* Non-
nullos denarium ex ſiliqvis 24. confeciſſe, alios ex 18. Drach-
mamq; & denarium idem eſſe, ſexq́; millia denariorum integrum
ſolidum efficere, & hoc eſſe talentum Achaicum, & *lib. 2. Cap. 20.*
Siliqvam & ſcrupulum pro eodem æſtimat. Vetus Autor de
ponderibus ait, Drachmã conſtitiſſe ſiliqvis 10. & 7. & ſcrupulum 7.
ex ſiliqvis 6. & obulum qvi eſt ex 3. qvadrantem efficere con-
tinentem in ſe ſiliqvas 27., alii demum ſiliqvam qvartam ſolidi
partem eſſe interpretantur, qva ratione ſiliqva 12. groſſos apud
nos conficeret, qvod in medio in diverſitate Scriptorum relin-
qvo. Qvod verò hic majores uſuræ infructibus debeantur, 8.
qvàm inpecunia, facit incertitudo fructuum, qvippe unus ann9
altero plerumqve eſt aut fertilior aut ſterilior, & inconſtans eſt
frugum lucrum & pretium pro varietate locorum & temporum,
L. pretia rerum 65. §. ult. ff. ad L. Falcid. L. 17. L. Oleo. 23. C. de
uſur. cum è contra pecuniæ certa, & eadem ferè ſemper ſit æ-
ſtimatio. *L. 3. ff. de eo qvod certo loco. L. 1. ff. de contrab. Empt.*
Conf. Reform. Polit. *de Anno 1577. Tit. vonverbrieffung der Früchte*
auff den Felde. Deniqve & hic illud notandum, in agris Ruſti- 9.
corum antichreſin non debere conſtitui, ſicuti enim Mercatori
& Artifici utilius eſt in urbe vivere propter freqventiam homi-
num, ex qva qvæſtum captat, ita Agricolæ potius ſuo conducit
in agro commorari, ut ſua præſentia operas Ruſticas promove-
at, & damnis multis obviare posſit. *C. nunqvam in fin. D. V. de*
Conſecrat. qvod & ipſi potius qvoqve expedit, cum hic meliorem 10.
notitiam agriculturæ habere præſumatur, utpote qvotidie in-
cumbens illi, qvam Creditor non Agricola, qvi negligentia ſæ-
pe ſua deteriorat agrum, ut agricolæ haud plurimum eum de-
ſerendo multis funeſtis caſib9 de qvibus in textu Imperator an-
ſam dent. Differunt autem Contractus Antichreticus, & Uſu- 11.
ræ 1. *Ratione Conſtitutionis,* ille enim nudo pactô conſtituitur *L. 14.*
C. de uſuris, uſuræ autem non ex nudo pacto, ſed & ex ſtipula-
tione debentur, *L. 3. C. de Uſur.* ut & in bonæ fidei judiciis ex
mora. *L. 32. §. 2. ff. de uſur. L. 13. C. eod.* 2. *Ratione Qvantitatis.* 12.
In Antichreſi, ſi fructus percepti excedant uſurarum qvantitatem

 legiti-

legitimam, servandus tamen est contractus ob incertum fructuum proventum. *L. 17. C. de usur.* usuræ autem modum LL. definitum non excedant, nec nimis extendantur, aut multiplicen-
13. tur. Eckholtz. *ad ff. de usuris §. 7. 3. Ratione modi finiendi* Antichresis finitur, qvando pretium debitum offertur, aut si alter accipere nolit, in publico deponatur, ut cursus usurarum legitimarum inhibeatur. *L. Acceptam 19. C. de usur.* Usuræ autem variis
14. modis, de qvibus Eckholt. *d. l. §. 10.* Qvæ verò antea Imperator deterrulis Rusticorum pignoris loco non retinendis dixit, etiam ad Instrumenta eorum extenduntur in *Auth. Agricultores C. quæ res pignori &c.* sic, ut qvi talia Instrumenta jure pignoris capiunt, restituant qvadruplum, & infamia, & pœnâ extra ordinariâ plectantur.

NOV. XXXV.

De Adjutoribus Qvæstoris.

1. QVæstoris Adjutores boëthi aliàs dicti, poterant suo locô alios substituere, idoneos tamen, & qvos pro tempore Qvæstor ipse propositis Evangeliis elege-
2. rat; cœterum 100. solidis præstitis. Prærogativas etiam hæc Lex certis dat personis, ita, ut si qvis ex 26. Adjutoribus defunctus fuerit, hæres ejus 100. solidis datis per electionem Qvæstoris ad officium pervenire possit, & si liberi adsint defuncti, idem juris habeant, licet heredes Parenti non extiterint.

3. *Add.* Qvæstor Sacri Palatii olim erat, qvi nobis nunc dicitur CANCELLARIUS, qvi petitionibus Supplicum subscribere solebat; QVÆSTOR LEGI. qvem morem adhuc hodie in aula
4. Imperatoris observari refert Gail. *Lib. 1. de P. p. C. 5. circa f.* qvippe is est OS, Pectus, & Cor Principis, Dux & Gubernator omnium Consiliorum Bartol. *Rubr. C. de Qvæstor. & Mag. Offic.* Conf. in-
5. fra *Nov. CXIV.* hujus Adjutores erant, qvi nunc dicuntur Secretarii, qvibus qvidem olim militiam suam literariam vendere licebat, qvod tamen hodie aliter, & facit ambitio officiorum qvaliumcunqve, ut multos inveniant Emtores, avaros qvidem; sed indi-

indignos ad id qvod venale proponitur, qvippe cum & divitiæ sæpenumero indignis sint, hi per largitiones ad dignitates prorumpere conantur, dum aliis virtute & eruditione conspicuis Jro pauperioribus aditus præcluditur. Conf. supra *Nov. IIX.* Filios 6.
tamen defuncti ad officium paternum hic admittit Imperator, qvi aliàs meritò nō essent admittendi ad evitandas Collusionis præsumtiones, donec paternæ Rationes sint excussæ, & reliqvum solutū, imò hujus continuationis officii in eadem domo est suspicio ambitionis, avaritiæ, & vexationis, de qva loqvitur Rescriptum in *L. 4. C. de Susceptor.* qvoniam ambitionis vitio laborat, qvi honores ita ambit, ut nunqvam â sua domo sive familia abesse, nec alios ad eos ascendere desideret. Nam teste Ambrosio in *Lucam. Lib. 4.* hoc ipso perniciosior est ambitio, qvod blanda 7.
qvædam est conciliatricula dignitatum; & sæpe qvos vitia nulla deflectunt, qvos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subnuere, facit ambitio criminosos, qvod tantò magis verendum est in continuatione officii paterni in filios, qvi de paternis astutiis edocti, eorum fraudes, illecebras, vel errores præteritos, in detrimentum Reipubl. & ærarii aut celant, aut clandestinè seqvuntur. *d. L. 4.* ibi: *in continuata vexandorum Provincialium potestate &c.* Cœterum hæc omnia merito prudentis Regentis 8.
arbitrio committenda, nam & sæpe LL. filiorum in locum Patrum successio commendata deprehenditur, de qvo supra suo loco, & utiqve hic videndum, an officium, cui Præficiendus pecuniariam administrationem habeat, vel minus, ubi antea meritò accurata ratio â Patre reddenda, ne filium aut iis subjiciat, aut collusiones in Præjudicium Principis cum eo faciat, imprimis qvod Rationarium concernit, qvod qvomodo conficiendum, & â qvibus in eo abstinendum, accurate docet in erudita Disput. Dn. D. Ursinus, Civitatis hujus Syndicus Amicus Honoratissimus, *de Rationariis Præfecturarum von Ampts-Büchern C. 4. 5.* 9.
Adqve hisce concurrentibus nec injustum puto, si Pater â Principe per preces oblatas Expectationem successionis pro Filio petat, & obtineat, qvale Rescriptum pro Filio impetratum vires haberet, ut in terminis Beneficii rescripsit Pontifex in *C. exore. 3.* ibi a patre X. *de his qvæ funt. major. P.* Nam in Expectatio- 10.

 ne

ne Officii à Patre in Filium concessi nihil suspicari Lex permittit, neqve præsumit, qvod filius captabit mortem Patris, neqve optabit, cum nullus amor sit, qvi vincit paternum *L. cum furiosus 7. pr. C. de Curat. Furios.* vid. Myler. ab Ehrenb. *Hyparcholog. C. 3. §. 49.* Et sanè dicente Perez. *C. de Proximis Sacrorum Scrinior. n. 11.* laudabile foret, si filii se capaces redderent ad parentum munia, eademqve iis conferrentur, fidelius principi inservirent, ubi viderint, se ob merita Parentum aliis præferri exularetqve ista Officiorum venundatio & resignatio magnô Reip. bonò, qvippe malè se res habet, cum qvod virtute effici debet,
11.
12. id tentatur pecunia, ut inqvit Cicero *L. 2. Offic.* & ex eodem capite factum Ottonis I. cujus tempore Principum ditiones hæreditariæ factæ putantur. vid. illust. Dn. de Rhetz *Jur. Pub. L. 1. tit. 17. §. 15.* laudat Myler. ab Ehrenb. *in Archolog. C. 11.* non tantũ qvod id fieri passus sit; sed & ad fastigium Superioritatis territorialis qvo nunc sunt, concedere dignatus, nam dicit Myler. eo ipso Patres magis ad virtutis studium excitari, dum gratiam benefactorum secum non perituram videant, nec enim recusabit pro patria mori, inqva scit, se ipsum per Filium & Successorem Feudi renascituurm & sibi qvasi superstitem per sangvinis
13. Successorem futurum. vid. Myler. *d. l.* Patet etiam ex textu hoc prærogativas ad certum Officium heredibus concessisse cum olim Imperatores, nam sicuti harum causa impulsiva à Parte concedentis est Imperatoris Clementia, Favor, Inclinatio Publicum Interesse, ita & easdem hodie sic constitui, praxis satis comprobat; tenebatur autem olim heres admitti petens 100. solitos dare, qvod in Exspectantiis hodie etiam sæpe fit, dum Emtione & conditione comparentur, vel ab alio Vasallo consensu Domini *1. F. 20.* vel ab ipso Domino *1. F. 24.* aut etiam tenentur hodie Salarium primi anni amittere & pati ut ad usus à Principè
14. destinatos adhibeatur, huc pertinent *die Marinen-Gelder*, ut vocant in Marchia Brandenb. de qvibus Constitutio Serenisss. Electoris Brandenb. *de Anno 1686. die 18. Octobris.* Vi cujus Officiales omnes dimidiam primi anni Salarii partem cedere Cassæ *der Mariners*, ut vocant, tenentur. Verba Constitutionis Electoralis §. 1. se ita habent; *Alle und jede Aempter Chargen, und Bedienungen,*

nungen, so wohl an unsern Hoffe, als auch in allen und jeden unsern Landen, keine, als nur die Universitäts - Verwandte, Geistliche, Kirchen und Schul-Bediente davon außgenommen, &c. müssen ins künfftige &c. &c. die Helffte desjenigeu Gehalts und Deputats, so sie bey der erlangenden Bediennnge jährlich zugeniessen haben &c. baar entrichten, ehe auch solches geschehen und die Impetranten dergleichen Schein den Regierungen, oder andern Bedienten, von welcher Sie introduciret werden, originaliter produciret haben zu denen gnädigst conferirten Bedienungen keines weges installiret werden, weniger das allergeringste an Gehalt und Accidenczien zugeniessen, i. e. Omnes & singuli Officiales, tam in aula Electorali, qvàm in omnibus Provinciis Electoralibus, exceptis Clericis, Professoribus, & Ecclesiarum Ministris tenentur dimidium Salarii annui in parata Pecunia persolvere, & anteqvam non persolverunt, nec factam solutionem per Officialis Instrumentum â qvo ad Officium introducuntur, probaverint, istius Officii nec Salarium, nec Accidentiæ, ut vocant, percipiant. Qvi verò In ipso Officio nondum sunt constituti, sed aut ad id Exspectantiam habent, aut aliis adjuncti, aut extraordinario Officio aliqvô funguntur, qvartam partem Salarii qvodcunqve aliqvando se adepturos sperant Electoralibus Codicillis præstitis debent præstare, ex qvo verò ipsum Officium vacuum factum, & ad illud admoti denuo qvartam partem, atqve sic dimidiam præstabunt, per verba d. Constitut. Electoral. §. 2. 3. verbis: *und hernechst die Bedienung selbst sich erlediget, so muß der Impetrant dazu nicht verstattet werden, es sey den, das erzuforderst nochmahlen* qvartam, *und also insgesamt die Helffte der erwehnten Besoldung obgedachter maßen bezahlet habe.* i. e. finitô Officiô, impetrans ad illud non admittatur, nisi iterum qvartam, & sic simul dimidiam salarii partem solverit. Præter Qvæstorem Sacri Palatii sub Imperatoribus Augustis cœpit aliud genus Qvæstorum, qvi dicebantur *Qvæstores Candidati* qvorum Officium erat libros, h. e. Epistolas sive Orationes Principis in Senatu legere, de qvibus vid. Barnabas Brisson. *lib. 1. Antiqvit, C. 17.*

NOV.

NOV. XXXVI.

De Successionibus eorum qvi in Africa degunt.

1. AFricani qvæ Vandalorum temporibus vel ipsis, vel propriis Parentibus, vel Avis utriusqve sexus, vel extransverso Cognatis usqve ad tertium gradum sunt erepta, intra 5 annos vindicent, nisi legitimis excludantur præscriptionibus. 2. Ut ad comprobandum genus ambæ partes probationes proferant. 3. Ut omnes Afri Romanis LL. subsint.

2. *Addit.* Imperator Justinianus Africam à Potestate Vandalorum, qvi Arriani erant, & Catholicos acriter persecuti fuerant, liberavit, refert B. Brunneman. *ad Tit. C. de Offici. Præf. Prætor.* ex Historia Ecclesiastica qvod Orthodoxis ab Arrianis lingvæ essent precisæ, & alia magnæ crudelitatis Exempla in eos ediderint, ideoqve sic liberatos ab hostibus Afros vult in patriam suam & bona pristina reverti intra qvinqvennium, salvâ tamen
3. 30. annorum præscriptione. Et qvod bona immobilia attinet, de illis dubium non est, qvin hostibus devictis & expulsis recepta in præda non sint; sed jure postliminii ad Dominos priores redeant, *L. 2. §. 1. ff. de captiv. & postlim. reverf.* aliud verò receptum est in bonis mobilibus, de qvibus hic Imperatori sermo non est, & videri potest Burger. *Cent. 1. Observat. jurid. polit. milit. LV.* Qvo-
4. niam etiam Familias conservari publicè interest Menoch. *lib. 4. Præs. 67. n. 21.* harum autem Confusio tempore belli sæpe fit, ubi alii ex illis in captivitatem adducuntur, alii prorsus intereunt, alii deniqve se ex hac aut illa proseminatos mentiuntur, saltem ut bonorum gentilium reddantur heredes, abutraqve parte si successionem petant, probationem Generis reqvirit Imperator, qvod
5. vocabulum *Genus* & *Generatio* tam masculos qvàm Fœminas comprehendit, & nihil à Familia differt, ut probat Knipschild.
6. *de Fideicommiss. Famil. Nobil. c. 1. n. 74. & seqq.* Qvandoqvidem verò & Afros LL. Romanis subjectos vult, satis patet, eos paruisse olim Romanorum Imperio, hodie verò longè alius Status Africæ est,

est, qvàm qvi olim tempore Romanorum fuit. Qvalis ante 100. annos fuerit descripsit Johannes Leo Africanus, religione Mahumedanus; sed origine Hispanus, educatus in iis, qvæ hodieqve superant in Africa doctrinis. Hodie Africam olim sic propriè dictam nominant *Barbariam die Barbarey*, qvæ divisa in Regnum Maroccanum, Fessanum, Tremisenum, & Tunetanum, qvæ duo Regna hodie à Turcis tenentur, de qvibus Geographi & Historici tradunt. v. Joh. Leonis Africani *Africa P. 1. pag. m. 8.* Conring. *P. 1. Thes. Rerumpubl. Tit. 9. th. 12. 15.* & Dn. D. Beckm. *in Historia Orbis Terr. P. 2. C. 5 Sect. 3. §. 2.*

NOV. XXXVII.

De Ecclesiis constitutis in Africa.

I.

ECclesiæ Africanæ ab Arianis ablata capiunto, sibiqve 1. habento, ut tamen publicas pro illis pensiones conferant, & à nemine ratione immobilium acceptorum lædantur; Hæreticus non baptizato, non ad Rempubl. 2. accedito, nec Catechumenum circumcidito, nec illa omnino hæresis domum aut locum Orationis habeto.

II. *Carthaginensis* Ecclesia privilegia obtinet, qvæ in universum de omnibus Ecclesiis in Codice dicta sunt, qvique ad eam confugerit, impunitatem habeto, nisi Homicidium, aut raptum Virginis, aut vim in Christianum admiserit.

III. Qvæ Ecclesiis Africæ ab aliqvo pro sua ipsius 3. salute oblata, à nemine prorsus auferuntur, qvod generaliter de omnibus Ecclesiis recipiendum.

Addit. Principis certè est, prospicere non solum, ut benè 4. sit subditis temporaliter; sed etiam æternum, & studere, ut qvàm beatissimos illos faciat, hinc divinum de hac cura veritatis divinæ mandatum *Deut. XVII.* ad qvem legem legatur Schikardus *de Jure regio Ebræor. c. 2. theor. 5. & 6.* & Hadrianus Hou- 5. uyn. *de Monarch. Hebr. C. 2. §. 3.* & alibi passim, merito Impe-

 rator,

rator, ex qvo tam Africa, qvam aliæ innumeræ provinciæ post tanta temporum spacia ipsius Victoriis à Cœlesti Numine præstitis iterum ditioni Romanæ ejusqve additæ Imperio, protestantur *§. 1. Proœm. Inst.* sollicitus est de Ecclesiis Afrorum & earum cultu, ut nimirum eæ ab hæreticis occupata sua iterum fa-
6. ciant, Ecclesias enim ut res sacras prædæ non cedere patet *ex §. 7. I. & L. 1. ff. de R. D.* cum enim nullius sint, hostiles, qvæ solæ in præda sunt, dici non possunt, qvod namq; divini juris est, nullius in bonis est, Ergo qvi tales rapuerit, vel invaserit sacrilegii pœna ex Lege Julia pro qvalitate personæ, & rei conditione punietur. *argt. L.*
7. *Sacrilegii ff ad L. Jul. peculatus.* Itaqve Scipio, dirutâ Carthagine, & in prædam militi concessâ, cum multis præmiis & donis afficeret milites, eorum, qvi fanum Apollinis spoliarunt, & viola-
8. runt, rationem non habuit, Appian. *in bello Pun.* hinc merito restitutionem & ipsarum Ecclesiarum & bonorum ipsis ablatorum & in alios translatorum injungit, & de cætero Arianos ut in Concilio Niceno hæreseos damnatos ab officio Ecclesiastico & Politico excludit, & *L. 1. C. de hæret.* privilegia intuitu religionis Catholicis data hæreticis denegat, cessat enim in his ratio Legis & Privile-
9. gii, scil. favor religionis, & beneficium Legis amittit, qvi in Legem committit *L. 37. §. 1. ff. de minor. L. 15. C. de Judic.* & qvomodo permittatur ipsis, ut Episcopos aut Ministros habeant, vel creent,
10. qvi ipsi tales non sunt? Conf. *L. 10. C. de hæret.* Qvæ Ecclesiis ex liberalitate vel pietate hominum devotorum, vel pro salute propria, vel ob singularem in DEUM pietatem sunt donata, nunqvam vel ab aliis debent revocari, aut sub alio qvocunqve prætextu avelli, aut in alios usus impendi, nam ab omni ævo inventi sunt non solum Reges & Principes; sed alii cum opulentioribus mediocris conditionis homines, qvi insignibus muneribus & donariis Templa & Ecclesias ornarunt, crescente imprimis superstitione, imaginum veneratione, & meriti persva-
11. sione. Sic B. Rhenanus de vasis aureis & argenteis aliisqve rebus Templi Moguntini scribit, valuisse qvondam ad millies millenos florenos. Theodoricus Rex Gothorum Templum B. Petri ornavit trabe argentea, mille ac qvadraginta librarum pondo cerestrotis argenteis duobus librarum 70. *Platina*, & qvis igno

ra-

rat famosum illud fanum Lauretanum, *Loretto* donariis omni- 12.
um eorum, qvæ in toto terrarum orbe reperiuntur, ditissimum? solig tunicæ refero, qvam Anno 1609. è Belgio eò transmisit Serenissima Isabella Clara Eugenia Infans Hispaniæ ad vestiendam ea B. Mariam Matrem JESU, in hac numerabantur 2563. adamantes pretiosissimi & margaritarum Indicarum 20000, ut vestimentum id qvadraginta millium Coronatorum pretium ascenderet, de a- 13.
liis donariis partim ex Italia, partim ex Gallia eò transmissis lubens conticesco, id saltem dico justitiæ minus conveniens esse, insensibilia Dei Templa Crœsi opibus superbire, & viva Spiritus S. Templa Hominum corda præpauperie hebescere & interire. v. Lans. *Consultat. Orat. pro Italia.* Mercurius Gallo-Belg. *Tom. 7. lib. 4. p. 150.*

NOV. XXXIIX.

De Decurionibus & Filiis eorum.

Decurionum privilegia licet egregia & insignia fue- 1.
rint, oneribus tamen etiam variis fuerunt subjecti, præcipuè propter tributa exigenda, unde pauci in Curialium numerum cooptari petebant. Præter alia o- 2.
nera & hoc incumbebat, qvod Curialis IVtam bonorum suorum partem post mortem Curiæ vel Curialibus liberis, maritis ac fœminis Curialibus nuptis relinqvere cogeretur. Cœterum hac Nov. id Imperator Justin. emendat, & mutat qvadrantem in dodrantem sive IX. uncias.

Addit. Referuntur autem in *L. 2. §. 1. C. qvando & qvibus* 3.
ista pars debetur &c. casus, in qvibus qvarta Curiæ non debetur. ut 1. qvando Filius, Nepos, Pronepos succedit Curiali. 2. Si Filia, Neptis, Proneptis Curiali nubat. 3. Si Mater nupta Curiali Filio Curiali succedat. *4.* Si Curialis ejusdem Civitatis succedat Curiali. Sed circa Filiam & Neptem distingitur, utrum sit 4.
Curiali elocata, & sic nulla debetur qvarta, an verò sit Virgo aut Vidua, & tunc est expectandum in puberibus triennium, utrum sit nuptura Curiali vel non, qvia Curia in Filio acqvirit Decurionem, qvod non est in filia, ergò per detractionem qvar-

5. ta qværenda eſt, niſi nupta ſit Curialis. Cæterum qvia Imperator *C. 5. hujus Nov.* Fatetur hæc ſancire ſe oportere, non qvo auſferret hominibus propriarum rerum diſpenſationem; ſed ne civitatum Curiæ integrè deſolatæ remanerent, nec adinventionibus qvibusdam forſan & impiis Curiæ diminuerentur, noſtrarum verò Curiarum hodie longè alia ſit ratio, nec qvicqvam ferè qvod olim apud Romanos obtinebat, ad noſtras applicare valeam
6. non eſt qvod hic diutius moremur. Id monet ſaltem Matth. Steph. *ad huj. Nov. n. 4. & ſeqq.* uti ex Curialis vitæ functionibus certa portio Curiæ olim aſsignabatur, ita hodie Cives migranres ex Civitatibus, vel demortuorum Civium bona extra Civitatem efferre volentes, cogi ſolvere detractionem in certa pe-
7. cuniæ ſumma, vulgò *Abzug, Abſchuß, oder Nachſteuer.* Cujus juris æqvitas Summa videtur, cum ſecundum naturam ſit, ut, ad eum incommodum rei ſpectet, cujus lucrum fuit *L. 10. ff. de R. I.* Fuit autem commodum, qvod ſub Magiſtratus Veteris umbra Civis, cujus exportantur bona tutò vivere, partaqve con-
8. ſervare, item privilegiis uti potuerit &c. Idcircò Brunnem. *L. 1. C. qvando & qvib. iſta pars acc.* in Commodum Rerumpublicarum id introductum, nec privatis lucrativum habentibus titulum eſſe damnoſum. Hinc Europæ gentium moratiorum non Germaniæ modo; ſed etiam Galliæ & Italiæ mores id obſervare teſtis eſt Köppen. *Dec. qv. 5.* non obſtat hoc jus ab Imper. Juſtin. in *L. ult. C. de Ed. Divi Hadr. toll.* abrogatum fuiſſe. Wehner. *Obſer-*
9. *vat. Pr. voce Nachſteuer* Civitatibus Imperialibus hoc jus in controverſiam vocare videtur, experientia tamen communis eſt in contrarium. Sic Civitates municipales, ſi non ex conceſsione & ſpeciali privilegio, diuturna tamen ſolum conſvetudine hanc ſibi Gabellam arrogare poſſunt. Thoming. *Dec. 26.* Zahn. *Ichno-*
10. *graph. Municip. c. 76. n. 2.* Nonnullis in locis Jus Gabellandi Magiſtratui municipali tantum competit, *als den Räthen in Städten*, alibi Superiori Domino, ſive Præfecturis *den Aemptern*, nonnun-
11. qvam utriqve. In Marchia ſi duo vel tres Nobiles unius vici vel pagi ſint Domini, & alter majorem partem pagi cum juriſdictione vel omnimoda vel ſimplici generali *Straßen-Gerichte*, alter verò duo vel tria prædia ruſtica etiam cum juriſdictione

prædi-

prædiali ejusdem tamen qvalitatis *Zaun-Gerichte* possideat, tunc
debetur qvidem juxta Consvetudines Marchicas, ab heredita-
te in ejusmodi exceptis prædiis delata ei, qvi habet specialem
jurisdictionem *Zaun-Gericht*, super iisdem prædiis ad Exemplum
pœnæ vel multæ, qvæ etiam tanqvam fructus jurisdictionis
debetur ei â subdito in prædio suo delinqvente, qvi habet *Zaun-
Gerichte*, super eodem. Schepl. *Consvetud. March. P. 2. Tit. 3. §. 7.
n. 3. 4.* Müller. *Resolut. March. 111.* Nam de hereditatibus ad a- 12.
lium locum transferentis solvitur hic in Marchia decima qvinta
pars alias appellata *der Abschuß*, qvod verò ab emigrantibus &
bona secum ferentibus solvitur, dici solet *der Abzug*. Ill. Dn. de
Rhetz *Instit. Jur. Publ. Lib. 2. Tit. 14.* Qvandoqve Magistratus 13.
hoc jus exercent per modum Retorsionis tantum, v. g. si eve-
niat, ut Subditus aut Civis cujusdam loci in qvo jura detracti-
onis observantur, hereditatem aliqvam acqvirat in eo loco, ubi
jura illa non vigent, Magistratus ille jure detractionis rectè u-
titur, & tantum de bonis obvenientibus decerpit qvantum alter
vigore Statuti sui, aut consvetudinis introductæ alias detrahere
solitus fuisset in tantum, ut & nonnunqvam in una eademqve
Civitate inter Incolas diversæ subjectos jurisdictioni hujusmodi
retorsio exerceatur. Struv. *de Vind. priv. C. 11.* ob universalem
regulam *Qvod Tibi non vis fieri, alteri non feceris*, ex qva illud E-
dictum Prætoris manavit, *Qvod qvisq; juris in alterum statuerit, ut
ipse eodem jure utatur.* vid. Sutholt. *Dissert. 1. ad Instit.* Qvando 14.
vero non constat, an Civitas hoc jure utens, id contra Civita-
tem, qvæ retorqvere vult, exercuerit, ad archivum & liberos pu-
blicos recurrendum esse tradunt Berlich. *P. 3. Concl. 51. num. 28.*
Carpzov. *L. 6. Resp. 37. n. 17.* Struv. *d. l. aphor. 5. n. 18.* probatione 15.
autem deficiente, ne in futurum exerceatur, usu hodierno ut
plurimum Literæ reversales â Magistratu exigi solent. Qvid ve-
rò hic in Marchia circa *den Abschuß* juris, latè tractavit Müllerus
per aliqvot Resolutiones; Et in dote hanc locum habere non 16.
saltem in Marchia probat, §. 1. sed & Besoldus *in Thesaur. Pr.*
voc. *Abschuß* dicit Altdorffi observari, ut si virgo Norinbergensi
marito nubat, magistratus Altdorffensis de singulis 100. V. Flor.
detrahat. Et Civitatis Francofurti ad Mœnum privilegium de 17.

Gabella & decimæ detractione recenset Limn. *Jur. publ. lib. 7. c. 16.* Postremò id saltem addo, qvod facit pro justitia detractionum, qvod arrestum pro detractione servanda contra bona emigrantium specialiter sit approbatum *in Rec. Im. de Anno. 1594. §. Und so viel & seqq.* Mev. *P. 3. Decis. 242. & P. 2. Dec. 263.* Gail. *de Arrest. Imp. c. fin. n. 10. & seqq.* Aliqvibus autem in locis nulla accipitur detractio, prout in Electoratu Bavariæ de Subjectis Ducatus Neoburgici territorium mutanbus vigore pactorum de Anno 1559. qvæ 1. Septembr. 1656. renovata sunt, teste Dietherr *in Supplement. Spedel.* voc. *Abschoß.* ubi idem apud Neoburgenses respectu Bavarorum practicari dicit, item si subditi Bavari in Tyrolim discedunt. vid. *d. l. hac de re pluribus.*

NOV. XXXIX.

De Restitutionibus & ea qvæ parit XI. Mense post Mortem Viri.

PRÆFATIO.

1. PRohibet Imperator res restitutione gravatas aut alienari aut obligari; sed apud qvemcunqve fuerint, non firmè manere; sed reverti ad illum, cui dari jussæ fuerunt, qvæ Lex tamen jam tum inveterata est, & in judiciis freqventata, exceptione tamen necessaria opus habens, cum hinc inde partim uxor, partim Maritus, & filii ratione donationis propter nuptias, dotis, & legitimæ apud se querelas interposuisse tradat Imperator.

CAP. I.

Si qvis unum ex liberis suis heredem instituerit, vel extraneam personam.

1. SI qvis restitutionem rerum suarum fieri jusserit, Filiis servare debet legitimam, LL. determinatam *N. XVIII. C. 1.* postea donationem propter Nuptias, ita ut utra pars sive mulier sive vir restitutione sit gravatus portionem

nem ſibi debitam â Lege poſſit detrahere, *ea enim, qva communiter omnibus proſunt, iis qvæ ſpecialiter qvibusdam utilia ſunt præponimus.*

§. 1. Si qva mulier parvam habens dotem, aut Vir 2.
mediocrem donationem propter Nupt. fecerit, poſtea verò velint augere, & qvidem in fraudem Fideicommiſſarii, & ſic hoc trahere ad inſidias reſtitutionum, hoc ipsô eam circumventionem perimit Imperator; ſanciens nullam utilitatem facientes augmentum inde habituros, & puram futuro tempori Legem ſervare deberi.

Add. Prohibita fideicommiſſario alienatione, prohibitus cen- 3.
ſetur omnis actus, per qvem res transfertur. *argt. l. 4. C. de præd. & aliis reb. minor.* unde nec uſumfructum, nec aliam ſervitutem, aut pignus, vel Emphyteuſin in fideicommiſſo conſtituere ei conceditur. *argt. L. fin. C. de Reb. alien. non alien.* niſi conſenſu o- 4.
mnium illorum, qvorum intereſt, tale jus conſtituat, aut rem alienet. *L. 11. C. de fideicomm. v. Auth. Res qvæ C. Communia de legat.* qvod tamen varie limitatur (1) Si adſit urgens æs alienum, qvod 5.
aliunde exſolvi neqvit. *l. 114. §. 14. ff. de Legat. 1.* (2) Ex cauſa dotis *l. 22. §. 4 ff. ad SCt. Trebell.* Gail. *L. 2. Obſ. 137. n. 17.* Petra *de Fideicommiſſ. qv. 8. n. 330.* Menoch. *L. 4. præſ. 189.* licet Teſtator in ſpecie prohibuiſſet alienationem pro dote. Brunneman. *ad Auth. Res qvæ C. Commun. de leg.* qvia officium Patris eſt dotem relinqvere deſcendentibus, qvod tamen tantum procedit in ſubſidium, 6.
qvando ſcil. alia bona non adſunt, aliàs ſecus eſt *d. Auth. Res qvæ C.* Menoch. *L. 4. Præſ. 189.* Peregrin. *de Fideicomm. Art. 42. n. 1. 66.* etiamſi Teſtator ipſe dixerit, qvid fœminæ dotari debeant ex fideicommiſſo, nihilominus enim eſt remedium ſubſidiarium, & tunc demum pro dote alienari poſſunt, ſi alia bona libera non adſint. Menoch. *d. præſ.* Petra *de Fideic. qv. 8. n. 494.* (3) Idem ob- 7.
tinet in cauſa donationis propter nuptias Petra *d. l. qu. 8.* Berlich. *P. 2. Concluſ. 13. n. 46. ſeqq.* Gail. *lib. 2. obſ. 157. n. 17.* id qvod aperte probat *Auth. res qvæ C. Commun. de legat.* & patrem teneri ad donationem propter nupt. nurui pro filio conſtat ex *L. fin. C. de dot. promiſſ.* cum donatio propter nupt. doti æqviparetur. *L. 20.*

pr.

pr. ibi: Si igitur eo nomine in substantia nihil differt à dote donatio propter nupt. L. 9. & Auth. aeqvalitas C. de pact. conventis.
8. Tessaur. *dec. 45. & 46.* (4) Eadem procedunt in alimentis, sic, ut si liberis Fideicommissum relinqventis alimenta non sint constituta, vel deficiant, pro eorundem constitutione bona fideicommissaria possent alienari. *Auth. contra cum rogatus fin. C. ad SC. Trebell.* Peregrin. *de Fideicomm. A. 42. n. 56.* qvam sententiam Ddr. extendunt & ad alimenta nurui & aliis de Familia relinqvenda, ut Surdus *de Alim. Tit. VIII. privil. 19. n. 4.* Menoch. *L. 4. praes. 191.*
9. *n. 7.* qvam extensionem meam jam non facio. (5) Valida qvoqve judicatur alienatio bonorum fideicommisso subjectorum ex causa studiorum pro filio ejus, qvi fideicommisso gravat, licet post mortem Patris ea inchoaverit, Menoch. *lib. 4. d. praes. 151. n. 12.* qvia praesumptio est, qvod si Pater adhuc vivisset, & filium studiis addictum vidisset, omnem fecisset impensam, qva ipse studia excolere potuisset & sic qvoqve ratio *L. Mulier 22. §. 4. ff.*
10. *ad SCt. Trebell.* In praesumta Testatoris voluntate fundata hic
11. locum habet. Menoch. *de Praes. jur. n. 12.* Imò si pater vixisset, ipse potuisset compelli ad erogandum sumtus filio studiorum gratia, Bald. *in Avth. ex Testamento n. 15. C. de Collat.* Neqve haec tantum in ipsis filiis Testatoris; sed etiam in aliis liberis & descendentibus procedunt, qvi ex charitate sangvinis & naturali ratione alimenta praestare tenentur, ut in fratre, avo paterno, & aliis enumeratis, *in L. Si qvis à liberis 5. ff. de agnosc. & al. lib.* nam & has qvoqve impensas studiorum praestare teneri scribunt *d. l. §. 12.* Bald. & Barthol. qvam sententiam etiam probant verba Imperatoris in *C. 1. huj. Nov. qvae communiter omnibus prosunt,*
12. *his, qvae specialiter utilia sunt, praeponimus,* & hinc alienatio permittitur, qvanto ergò magis ex causa studiorum, qvibus totus illuminatur mundus. *Avth. Habita C. ne fil. pro patr.* & ex causa studiorum non toti tantum familiae & generi major honos & splendor accrescit; sed etiam ex studiis & virtutibus eruditorum ipsa patria totaqve provincia juvari & illustrari potest *d. Avth. Habit.*
13. *§. fin. Procem. Instit.* Sed haec hactenus obtinent, si alia bona libera non adsint, secus verò, si alia bona supersint, tunc enim Patrem ad hujusmodi impensas non teneri tradunt, per *L. fin. ff.*

de pe-

petit. hæredit, *L. Nesennius 34. ff. de Negot.gest*. v. Menoch. *d.Præs.19*.
(6) Alienari possunt bona fideicommissaria pro redimendo filio ab 14.
hostibus barbaris & infidelibus capto Barthol. *in Auth. Res qvæ C. Comm. de Leg*. Menoch *l. 4.præs.192*. Peregrin. *de fideic. A. 42. n. 90*. nam si ex hac causa etiam res Ecclesiæ & sacras vendere & alienare permittitur, *C. aurum 70. C. 12. qv. 2. L. 21. C. de SS. Eccles*. Ergo multò magis res profanæ â privato alienari prohibitæ, unde etiam IVtæ Trebellian. deminutio ex causa redemtionis captivorum permittitur. *Auth. contra cum rogatus C. ad SCt. Trebell. Nov. 108. c. 1. in f.* præsumitur enim, si Parens scivisset filium ab hosti- 15.
bus captum iri, qvod ipse expressè disposuisset, bona sua qvæcunqve pro ipsius liberatione alienari debere. Fusarius *de fideicomm. substit. qv. 534. n. 1.* qvod & publicæ utilitatis, & pietatis Christianæ ratio svadet, qvod & ampliatur, licet ab hostibus Christianis sit captus. Menoch. *Præs. 192.* (7) Alienari qvoqve possunt 16.
bona fideicommissaria pro comparandis rebus ad salutem corporis, & pro recuperanda valetudine necessariis, ut pro Medicis, pharmacis, & similibus, qvia medicinæ qvoqve inter necessaria alimentorum legatorum continentur. Barthol. *in L. literis §. 1. ff. de alim. vel cibar. legat*. Menoch. *lib. 4. præs. 157. n. 29*. Et mari- 17.
tus, qvi uxori medicum non adhibuit, lucro dotis privatur. *Gloss. in L. si ab hostibus 10. §. Si Vir: verb: lucrifaccre ff. sol. matrim*. Dec. *lib. 5. Consil. 430*. Alexand. *Lib. VII. Consil. 123*. Valida qvoqve per- 18.
hibetur Fideicommissi alienatio, si omnes de familia in alienationem consentiant, *L. 120. §. 1. ff. de leg. 1. L. 1. C. de Fideicomm. Nov. 159. pr. & c. 3.* Petra *de Fideicomm. Art. 40. n. 67*. Gail. *L. 2. Obs. 139. n. 10*, ac regulariter is, qvi consentit alienationi rei suæ, vel in qvajus habet, sibi præjudicat, & semet ipsum efficaciter obligatum facit illi, in qvem alienatio facta est, nec pœnitere potest *L. 4. §. 1. L. 8. l. 6. §. 11. ff. qvib. mod. pign. vel hypoth. solv. L. 2. C. si advers. donat.*
Hinc qvando Vasallus consentientibus agnatis feudum aliena- 19.
vit penitus Extraneo, tam Vasallus, qvàm Agnati consentientes, omne jus qvod in feudo isto habuerunt, amittunt, & ad repetendum illud nullô modô regressum habent, *2. F. 27. §. Titios filios*. Vultej. *de Feud. lib. 1 c. 10. n. 12. & c. 11. n. 102* Rosenthal. *de feudis c. 9. n. 2.* nec refert, an consensus ille præcedat, & postea ratum ha- 20.
beant

beant agnati Peregrin. *de Fideicommiss. Art. 40. n. 67. & A. 51.* & an consensus sit tacitus vel expressus. Vultej. *de Feudis lib. 1. c. 10. n. 46.* ut si præsentes actui non contradixerint, qvem impedire potuissent.

CAP. II.

DE

Muliere, qvæ peperit XI. Mense.

1. Mulieres, qvæ post priores nuptias ad secundum veniebant matrimonium, anteqvam annus, qvem lugubrem LL. appellant, expleretur, ante Justinianum Imperat. tres puniebant Constitutiones in *L. 1. C. de secund. nupt. l. 15. C. Ex qvib. infam. irrog. L. 4. C. ad SCt. Tertull.* licet qvoqve Justinianus *C. de secundis nupt.* etiam de hoc sanciverit, impudentissimum tamen aliqvod, qvod in suis temporibus provenire nolebat, accessisse dicit. Vult
2. igitur, mulierem ad virum venientem, ex qvo hunc sepelivit, ut appareat, etiam superstite eo non castè vixisse, & nondum completô annô XI. mense perfectô peperisse, ut non sit possibile dicere, de defuncto fuisse partum; pœna talium sit, ut mox cadant ante nuptiali donatione â Viro data, ut nec usumfructum ejus habeant & rectè filii *mirabili partu* matris injuriati poscunt Patris ante nuptialem donationem, nec potest eam mulier per virum,
3. qvem sic velociter dehonestavit, lucrari. Et qvamvis mulier se excuset non dignam se, ut caderet donatione illa, cum secundæ nuptiæ sint licitæ, & partum hunc esse opus naturalis Concupiscentiæ, stuprum tamen cum commiserit, pœnis, qvas sustinet mulier intra tempus luctus nubens non privabitur, ut tamen defuncti liberis parca-
4. tur. Præterea qvoqve subjecta esto pœnis, qvas Lex constituit iis, qvæ ad legitimas nuptias intra lugubre tempus accedunt; Nam si Lex illas non inultas relinqvit, qvæ legitimas nuptias celebrant, qvod forte suspicio sit, ne qva adsit

adsit malignæ suspicionis causa ad secundum maritum, qvod velociter ad nuptias festinarit, qvomodo hic, ubi causa non per suspicionem solam est; sed hoc ipso manifesta & indubitata delicto præbita est increpatio, ejusmodi insignis noxia debet esse inulta?

§. 1. Hinc sancit, si qvid tale contigerit, & ante luctꝰ 5.
tempus circa anni terminum pepererit mulier, ut indubitatum sit, sobolem non ex priori consistere matrimonio omnibus modis privari debet donatione ante nuptiali, & proprietate, & usufructu & omnibus aliis pœnis secundarum nuptiarum in *Nov.22.C.22.* subjacere, nec enim amplius qvid habebit castitate luxuria; sed subjiciatur qvidem & ipsa pœnis, ut neq; nuptias intempestivas desideret, neqve legitimas majore malo circumveniat.

Add. De Partu undecimestri sunt diversæ Physicorum & 6.
Philosophorum opiniones Plin. *lib.7.nat. histor. c.5.* scriptum reliqvit, Vestiliam C. Herdicii 11. menses Suillium Rufum in utero gessisse, & Lucium Papyrium Prætorem Bonorum possessionem dedisse partui XIII. mensium, qvod satius est; Sic recenset Avicenna *lib.9.de Animal.* se à qvodam accepisse mulierem 7.
XIV. menses uterum gessisse & editum puerum dentes statim ferè emisisse, in qva opinione fuit & Imperator Hadrianus referente Gellio *lib. 3. Noct. Attic. c.16.* qvi voluit XI. mensibus post mortem viri posse partum gigni Imperator autem, Justinianus uti hic videre est, Partum undecimestrem vocat *mirabilem*, & impiisismum, qvod tamen satis durum ac periculosum esse sic statuere tradunt Rittershus. *ad Nov. P. 4. c. 3. in fin.* & Matth. Steph. 8.
ad h. Nov. n.38. hinc moribus nostris, præsertim cum mulieres indubitatæ probitatis & fidei extiterint, ab ejus Constitutione recedi referunt; Dn. D. Stryke *Tr. de Success. ab Intest. dissert. 1. c. 2. th. XVII.* posthumum sub initium XI. mensis natum admittit, si 9.
scil. primo vel secundo die natus sit, & Sande *lib. 4. decis. Frisic. tit. 8. def. ult.* aliqvando partum duodecimestrem legitimum fuisse pronunciatum testatur, cum scil. bonæ famæ fuerit vidua & honestè vixerit. Hisce addit Zachias *qvæst. medico legal. lib. 1.*

10. *Tit. 2. qv. 6.* Licet nonnullæ Experientiæ adducantur partus annui, & majoris, qvas nunc pro veris admitti volo, tamen non idcircò qvicunqve, qvi duodecimo, aut XIII. vel ulteriori fœtus menſe edatur, pro legitimo acceptandus eſt, hæc enim ſunt de rarò contingentibus, ex qvibus non regulatur Natura, qvia præter ejus inſtitutum eveniunt, nam X. menſem eſſe longiorem naſcendi terminum in homine ſe ſatis demonſtraſſe *loc. cit.* dicit. Et
11. ſanè DecemViri in ſuis qvoqve LL. hujus rei curam minimè prætermiſerunt, conſtituerunt enim, *ut ſi qva mulier poſt viri mortem in X. menſibus proximis pareret, qvi qvæve ex ea naſceretur, ſuus ſuave in viri familia hæres eſſet.* Cujus juris Decemviralis veſtigia de partu decimeſtri legitimo extare cum in jure noſtro ut *l. 3. §. pen. ff. de ſuis & legit. l. Gallus 29. pr. ff. de l. & poſth. hæred. inſt.* tum etiam apud Tertull. *lib. de Anima* refert Rittershuſ. *Comm. ad LL. 12. Tabb. Claſſ. III. C. 9.*

NOV. XL.

Ut Eccleſia Sanctæ reſurrectionis alienare poſſit ædificia ſecundum ipſam ſita Civitatem.

PRÆFATIO.

1. IN hac Nov. Imperator habet rationem *Eccleſiæ Sanctæ Reſurrectionis & Loci, in qvo Mundi Creator dignatus eſt in humana conſtitui generatione*; Omnibus enim eſt ma-
2. nifeſtum, Eccleſiam S. Reſurrect. eos, qvi ex omni Orbe eo confluunt, & ſuſcipere, & alere, & ſumptus immenſos & inſperatos facere his, qvi illic coacervantur, ſecundum miraculorum operationem Magni DEI & SALVATORIS Noſtri JESU CHRISTI in dies ſuſcipientem.
3. Oportet igitur ipſi & reditus eſſe plurimos, & occaſiones pias, ſecundum qvas futura ſit poſſibilis conſtitui, ut multitudini tantæ auxilietur.
4. §. 1. Quamvis igitur Presbyter dictæ Eccleſiæ reditum aliqvem pro illa comparare potuerit, qvasdam pecunias

cunias vero mutuas ſumere ſit coactus, qvia tamen ut docuit, Creditores ſua accipere qværunt, & aliud excogitavit inopinabile lucrum, dum multi ad prædictam Civitatem Hieroſolymam confluunt, deſiderio repoſitorū, & DEO dicatorum locorum, ubi habitationes Eccleſiaſticas auro multo comparare concupiſcunt, Antiſtites autem Eccleſiæ illas non poſſe diſtrahere metu Legis ab Imperatore de Eccleſiaſticis alienationibus poſitæ (*Nov. 7.*) ideoqve Imperator.

CAP. I.

LAxat aliqvid de rigore Legis, potisſimum cum videat, tantam in re utilitatem exiſtentem, datq; ven- 1.
dentibus licentiam, & ementibus ſecuritatem, ſic, ut liceat ipſi Sanctisſimæ Eccleſiæ facere ædificiorum venditionem, nihil verenti, Legem in genere de his poſitam, neqve aliqvam pœnam inde contra qvamlibet perſonam convenientem expectet.

§. 1. Ut adeò alienationes in ſeqvens tempus permit- 2.
taptur maximè ſi multocuplum bonum pro minimo Eccleſiæ S. Reſurrect. accedat per alienationem. Nullam igitur vereantur ablationem nunc & in omne futurum tempus Emtores, nec Heredes eorum, nec Succeſſores neqve nunc, neqve in aliud tempus, neqve turbam, aut accuſationem, aut damnum. Decretum autem ſuper hac 3.
alienatione faciat Presbyter Eccleſiæ, qvi demonſtrabit cauſam, juxta qvam alienatio ædificiorum fiet, qvod ſcil. cauſa majorum bonorum tali venditioni ſtudeatur, dum res exiguæ venduntur qvidem, plures autem & meliores iis iterum acqviruntur, ſcilicet ſecundum præſentem mercedem exhabitantium penſionibus congregatam, & venditione in L. Annis facta, & pretio in ſolutionem debitorum ſolvendo, qvæ Creditores pro præfati reditus acqviſitione dederunt.

4. *Ratio.* Si enim omnium Dominus simul & Creator DEUS tantum Civitati illi præ aliis Civitatibus dignatus est dare privilegium, ut ex ipsa resurgeret secundum carnem, manifestum, qvia & nos imitantes Dominum Deum, & magnas ejus miraculorum operationes, qvantum homini possibile est, Privilegium aliqvod ipsi dedimus ante cœteras Ecclesias, ut ipsa fruatur hac Lege, qvam velut aliqvas primitias ipsi adducimus, ejus commodum per omnia eligentes, & venerantes.

5. *Add.* Indistinctè rerum Ecclesiasticarum alienationem prohiberi jam tum supra ad *Nov. VII.* fuit traditum; sed præsens hæc limitat & excipit causam utilitatis & pietatis *C. Apostolicos 13. C. Sacrorum 15. C. Aurum 70. C. 12. qv. 2.* maximè si multocuplum bonum pro minimo Ecclesiæ accedat per alienationem, & licet alias necessitatis probatio vel evidentis utilitatis reqviratur, utrumqve tamen se hic satis exserit, & cum utilitas negari non
6. possit de solennitate magnopere non est curandum. Imò qvia Ecclesia est cultrix justitiæ & æqvitatis Menoch. *Consil. 322. n. 22.* & alterius juri præjudicare non vult, multò minus sibi ipsi debet esse nocumento, *L. 6. C. de Servit. & aqva.* imprimis cum sibi majus bonum acqvirere possit, Decretum tamen Antistitis in tali evidente utilitati hic præreqvirit Imperator.

NOV. XLI.

De Qvæstoribus id est Præfectis Insularum.

1. HÆc Novella ut & prior est particularis seu Topica, ut & certorum locorum ac judicum propria; Nam tradit, apud qvem examinari debeant appellationes interpositæ in 5. Provinciis Curia, Cygno, Cycladiis Insulis, Mysia, & Scythia, qvarum unaqvævis Provincia peculiarem suum habuit Præsidem â qvo ad Qvæstorem exercitus appellabatur. *Nov. 50.* cui, ut priori
2. per hanc *Nov. 41.* derogatur. Habebat autem Qvæstor Exercitus suum Vicarium Constantinopoli Matth. Steph.

Nov.

Nov. huj. n. 3. qvi lite introductâ ibidem ſententiâ ſua finiebat eam, nam ubi acceptum eſt judicium, ibi & finem accipere debet, *L. 20. ff. de judic.* ne continentia cauſæ dividatur coram diverſis judicibus. Gail. *L. 1. obſ. 32. n. 1.* qvod tamen Dd. tradunt locum habere in præjudicio non qvovis coepto aut inſtituto; ſed accepto. vid. Sand. *L. 1. Deciſ. Friſic.; Tit. 7.*

NOV. XLII.

De Depoſitione Anthimi, & Severi, & Petri & Zoaræ & reliqvorum.

PRÆFATIO.

IMperium ſemper ejusdem ſententiæ & Ordinationis 1.
cum Sacerdotum fuit autoritate, qvoties Sacerdotum ſententia qvosdam indignos Sacerdotio de Sacris ſedibus depoſuit, prout & nuper factum circa Anthimum Epiſcopum Conſtantinopolitanum de ſede dejectum ab Agapeto Eccleſiæ antiqvæ Rom. Pontifice eo, qvod nullo modo ſibi ipſi convenienti contra omnes ſacros Canones ſe intruſerat ſedi; Imò & communi ſententia primum 2.
ipſius Viri, & Sacræ Synodi condemnatus fuit & depoſitus, eô qvod â Sacris dogmatibus receſſerit, & qvæ prius multoties diligere videbatur, poſtea auffugerit, ſimulans ſe ſeqvi IV. Sanctas Synodos. Cœterum nec ſaniora do- 3.
gmata ſeqvi, nec Imperatoriam Clementiam & condeſcenſum, qvem propter ipſius ſalutem habuit Imperator, ſuſcipere, neqve ipſe Autores impiorum dogmatum abdicare voluit, qvi tamen prius â Sanctis Synodis expulſi fuerant, ſed putavit oportere ſecundum ipſum, & in æqvali ducere & condemnatos & condemnatores; ſemel e- 4.
nim alienis â S. Eccleſia intellectibus mancipatus, & â rectis dogmatibus alienatus, ad ipſorum rectitudinem reverti non

ti non potuit, etiam ad hæc invitatus & directus, omni licet studiò ad ipsius salutem adhibitò.

5. *Addit.* Depositio Episcopi secundum Canones fit à XII. Episcopis, Presbyteri à VI. Diaconi à III. *C. si qvis, C. felix. C. si autem 15. qv. 7.* Et volunt Canonistæ ipsi locum esse in delictis majoribus, qvalia sunt Simonia *C. 22. X. de Simonia,* latrocinium *C. 6. X. de pœnis.* Concubinatus *C. 4. X. de Cohabitat. Cleric.* Conspiratio contra Episcopum *C. 11. qv. 1,* Blasphemia *C. si qvis 22.*
6. *qv. 1.* furtum, homicidium *C. 10. X. de judic.* Ex Præfat. hac expressè patet Imperatorem circa depositionem Episcoporum omninò potestatem exercuisse; qvod & ante ipsum Valentinianus & Theodosius Imperatores fecêre, qvi repudiato Proclo ut suspecto ipsis & periculosis Civium studiis timendo advenam
7. ex Antiochia substituerunt. Idem fecit Cheribertus Francorum Rex, qvi Emeriti ob vitæ turpitudinem & publica crimina à Synodo exauctorati Successorem non aliò nomine in Exilium misit, qvàm qvod id Synodus absqve Consensu suo fecisset. Verba Gregorii Lumensis *lib. 4. c. 26.* allegata à Dn. Henniges *de Summa Imp. Pot. circa Sacr. C. 7. §. 22.* sunt hæc; *Putas tu, non esse de filiis Lotharii, qvi Patris facta custodiat;' qvod hi Episcopum, qvem ejus Voluntas elegit, absq; nostro judicio projecerunt ?* & *§. 23.* dicit,
8. eadem jura à Principibus sibi vindicata esse. Apud Protestantes gradus in pœnis Sacerdotibus infligendis observari solent, nec,nisi crimen atrocissimum, Minister Ecclesiæ de corrigendis moribus nondum admonitus mox removeri ab officio debet, prout ex Carpzov. *Jurispr. Consistor. L. 3. def. 112.* annotavit Excell. Dn. Stryk. *in Addit. ad Jus Eccl. Brunnem. lib. 2. C. 19. ad §. 3.*
9. Idem tamen Imperator observavit circa Anthimum Episcopum Constantinopolitanum, cum enim nec saniora dogmata seqvi, nec Imperatoriam Clementiam & condescensum, qvem propter ipsius salutem habebat, seqvi, nec impiorum dogmatum Autores abdicare vellet, à sede Episcopali dejecit. Hinc

CAP. I.

1. INterdicit ei commorari in Civitate Constantinopolitana & districtu ejus ac in qvacunqve alia Civitate insigni,

ſigni, ſanciendo in qviete esſe, & eos diligere, qvibus ſeipſum dignè ſuppoſuit, non aliqvibus communicare, neq; eos imbuere in perniciem interdictorum dogmatum.

§. 1. Sententiam contra Severum Epiſcopum Theo- 2.
politanum latam confirmat, & Anathematiſmum ipſi infert, qvi in Theopolitana Eccleſia ſic univerſa conturbavit, ſicqve accumulatas fecit turbationes, ut commune qvoddam ac abominabile bellum Sanctisſimis Eccleſiis ad invicem immittere viſus ſit. Ulterius variis dogmatum 3.
& â rectitudine alienatis intellectibus ac blasphemiis uſus fuit, & univerſa conturbavit, & qvemcunqve errorem abominabilem, hæreſiarcharum & iniqvorum dogmatum recepit Neſtorii & Eutychis, qvorum ut diverſæ Sectæ, & ad unum impietatis finem tendunt, ita ipſe paradoxum qvid perpesſus in utrumqve ſimiliter incidit, ibi hoc, alibi illud emiſit, & ſe ipſum & ſermones ſuos commune tantorum delictorum conſtituit receptaculum, Inde

§. 2. Et illum anathematizat, de Theopolitana Ec- 4.
cleſia ejicit, & univerſis interdicit, aliqvid de libris ipſius posſideri; ſed ſint ſcripta ejus profana & aliena ab Eccleſia Chatolica, ingneqve comburantur â posſidentibus, niſi qvi iſta habent, velint periculum pati. A nemine 5.
ergò ſcribantur, neqve ad pulchritudinem, neqve ad velocitatem ſcribentium ſub pœna amputationis manus. Neqve enim vult in futuro tempore ex illis blasphemiam protrahi.

§. 3. Civitatem Conſtantinopolitanam jubet egredi 6.
& diſtrictum ejus, inq; ſolitudine aliqva, & ſilentio ſedere, & non corrumpere cœteros, neqve in blasphemiam ipſos adducere, & non ſemper aliqvid novi invenire contra vera dogmata, per qvod ſanctisſimas Eccleſias conturbare feſtinet.

CAP. II.

1. NEc Petrum Apameæ Episcopum regiam habitare Urbem permittit, aut ipsius districtum, vel aliqvam de insignibus; sed qvorum secutus est errorem, horum imitetur diætam (conversationem Cic. *lib. 1. Epist. ad Lentul.*) qvam longissimè abscedens, & occultans se
2. ipsum. Nam talibus occultari, qvam videri utilius est, ignoti enim existentes se ipsos lædunt solos, publicantes verò sua dogmata, multis ex simplicioribus occasionem perditionis præbent, qvod nullô modô fieri in Christiano ovili Dei & orthodoxo populo justum est, neqve ab Imperio permissum est.

CAP. III.

1. CUm & Zoarem sub anathematismo esse, qvi justa judicant Episcopi, voluerint, eorum sententiam hic confirmat Imperator, imò ulterius, si qvid in sententia eorum continetur, qvæ prædictos deponit, & anathematizat, hoc firmius ponit, & diutius, ac Imperialibus LL. id ipsum ita corroborat, ac si ab imperio ipso provenisset.

2. §. 1. Interdicit omnibus conatibus Catholicam Dei Ecclesiam divellere, Ecclesiis seditionem immittere, & loqvi aliqvid de fide; sed sancit, qvemlibet Hæreticorum silentium ducere, non convocare aliqvos ad se, nec accedentes recipere aut parabaptizare, aut sacram communionem sordidare, & ipsam aliqvibus tradere, aut interdictas doctrinas exponere, sive in Civitate Constantinopolitana, sive in alia; sed omne supportare periculum, si qvod tale fecerit.

3. §. 2. Interdicit omnibus eos suscipere, & sancit abjici de Civitatibus ab ipsis concitatis, nam jam tum Divales Constitutiones domos ipsas, in qvibus tale qvid fit, & campos, ex qvibus nutrimenta præbentur, Ecclesiis assignant, & â possidentibus auferunt.

§. 3.

§. 3. Atqvi hæc pro communi Ecclesiarum Pace, 4.
statuit, & sententiavit, seqvens Sanctorum Patrum dogmata, ut omne Sacerdotium imperturbatum de cœtero permaneret, qvo in pace servatô exuberabit politia desuper Pacem habens, qvam omnibus MAGNUS DEUS & SALVATOR NOSTER JESUS CHRISTUS Trinitatis Unus, unigenitus DEI FILIUS prædicat, ac donat his, qvi sincerè ipsum & verè glorificare ac adorare digni habiti sint.

Addit. De Pietate, Sanctitate, & Cura Sacratissimi Impe- 5.
ratoris erga Ecclesias, de promovenda fide Christiana, & extirpandis hæresibus, satis hæc Novella docet. Qvippe *Princeps* 6.
à Communione Civilis Societatis excludere, & Lupos ab ovili Domini arcere potest, ac debet. *Ministri Ecclesiæ* à Communione Corporis Ecclesiastici. *Privati* Hæreticos sufficienter admonitos à Communione convictûs. Notatu verò dignum hic 7.
est, licet hi Hæretici accumulatas fecerint turbationes, ut commune qvoddam ac abominabile bellum Sanctissimis Ecclesiis immittere visi sint, variis dogmatum & à rectitudine alienatis intellectibus ac blasphæmiis sint usi, & universa conturbaverint &c. Imperatorem tamen eos gladio non plectere, qvippe pugnat hoc cum *Interdicto CHRISTI Matth. 13. v. 30. cum Exemplo & praxi Apostolorum,* qvi à CHRISTO melius informati, neq; ipsi PseudoProphetas, & PseudoApostolos gladiô jugularunt, neqve aliis Svasores Capitalis supplicii fuerunt; sed in Exclu- 8.
sionis pœna acqvieverunt; *cum praxi Ecclesiæ primitivæ,* cui nunqvam placuit in qvemqvam, licet hæreticum, ad mortem usqve sævire, unde nec Arium, nec Eutychem, aut Nestorium adjudicavit morti; sed ut Imperator hic sufficienter convictos à communione exclusit; *Cum proprietate Religionis,* qvæ non debet, aut potest cogi Lactant. *Institut. lib. 5. C. 19. 20. Cum Statu Politiæ Evangelicæ,* qvæ in hoc etiam differt à Statu Politiæ Mosaicæ *Luc. 9. v. 54.* Non obst. qvæ hic obblaterant Sociniani, Anabapti- 9.
stæ, & Weigeliani, qvi Magistratui, ut Custodi utriusqve Tabulæ incumbere ajunt, ut Subditi in omni pietate vitam agant,

per proscriptionem & anathema verò Hæreticos fieri acerbiores & majus nocumentum inferre paratos esse, ense, rota, ferrô, funibus, igne perseqvi fas esse, qvippe ad hæc & similia alia satis jam tum responsum â Nostratibus Theologis. vid. B. Dn. Schertzer. *in Breviar. Theolog. Hülsemann. C. 20. thes. 21. & seqq.* & *in System. Theolog. Loc. XXVI. Thes. 13. & seqq.* B. Dn. Qvenstædt. *System. Theolog. part. ult. C. 13. Sect. 2. qvæst. 6.* Interea
10. tamen sine omni pœna dimittendi non sunt Hæretici, nec Imperator eos dimittit, nam huic Hominum generi nihil ex moribus, nihil ex LL. commune vult esse cum cœteris *L. 4. pr. C. de hæret.* ab Ecclesiis ejicit, *L. 3. §. 4. C. de Summa Trinit.* Schemate atqve nomine Sacerdotum exuit, *L. 20. §. 2. C. de Hæret. & Manich.* prohibet facere ea, qvæ muneris sunt & officii Ecclesiastici *L. 8.*
11. *§. 2. eod. c. 3. §. 1. h. N.* Sic non possunt Episcopos & Presbyteros aliosve Clericos creare & habere, non synacteria aut Collectas facere aut parasynaxes, aut Synodos, aut ordinationes aut baptismata, aut Exarchos habere, aut Paternitates, seu Abbatias, aut defensiones instituere, aut curare seu administrare villas vel per se ipsos, aut nunqvam morandi conveniendiqve habeant facultatem *L. 3. C. de hæret.* imo omnia loca adimantur, sive sub Ecclesiarum nomine teneantur, sive Diaconica appellentur, vel etiam Decanica, sive in privatis ædibus vel locis hujusmodi cœ-
12. tibus copiam præbere videantur, *L. 3. C. eod.* Porrò cum Officii sit Sacerdotalis ore & libris Catholicam fidem defendere, hæreticis etiam silentium imperatum, *C. 3. §. 1. h. N.* sic, ut non de errore hæretico disputent, ac perversitatem facinorosi dogmatis asserant, nec contra venerabilem Chalcedonensem Synodum aliqvid dictent, vel scribant aut aliorum dicta & scripta super ea-
13. dem re proferant. *l. 8. §. 5. C. de hæret.* Libros qvoqve Hæreticorum diligenter conqviri & flammis exuri jubet *L. 3. §. 1. & 3. C. de Summa Trinit.* & qvi describit eos vel ad pulchritudinem vel ad
14. velocitatem amputatione manus plecti vult *L. 1. §. 2. h. N.* Post Ecclesiasticas dignitates etiam â Civilibus muneribus arcentur Hæretici, prohibentur enim Magistratum gerere, dignitatem habere, aut jus dicere, aut Defensores, aut Patres Civitatum fieri, ne habeant licentiam vexare, aut judicare Christianos Episcopos *L. 12. pr. C. de Hæret.* solvuntur & ignominiosè cingulo militiæ, & nul-

& nullus ad aliqvam aſpirare militiam *L. 11. C. eod.* non officiis
aulæ, non qvocunqve publico honore digni ſunt, præter-
qvam ſi munera illa oneribus magis cohæreant, qvàm dignita-
te & emolumentis *L. 8. §. 4. C. eod.* illa enim perferre LL. qvas-
cunqve Sectas volunt. In privatis negociis & communi Homi- 15.
num vita ante omnia honeſto bonorum Civium Conſortio in-
digni habentur, mox omne Commercium cum illis interdicitur,
non tantum qvod intervivos exercetur, cum nec ipſis aut Hæ-
reticorum cœtui donare aliqvid liceat, aut vendere; ſed & ſi
qvid ex ultima voluntate venit, ſive per Teſtamentum ſive ab
inteſtato. Amoventur ab omni Succesſione qvolibet titulô ve- 16.
niente, nec filii hæredes eis exiſtere, aut adire permittuntur, ni-
ſi à paterna pravitate diſceſſerint, nullo etiam diſcrimine inter
militare & paganum Teſtamentum facto. *L. 8. §. 4. C. de Hæretic. l. 5. 10. l. 20. §. 3. l. 4. §. 2. & 6. C. eod.* Deniqve etiam omnes Hæreti- 17.
cos anathematizat, per qvam pœnam qvid indigitetur placet ex
Hulſemanno *de Corrept. fraterna. §. 18. n. 131.* qvem allegat Ziegl.
ad Lancellott. lib. 4. tit. 13. circa f. deſcribere, qvod ſit Cenſura
Eccleſiaſtica, per qvam cujusvis particularis Eccleſiæ membrum,
ob ſcandalorum crimen invita, aut falſam & ſcandaloſam pro-
fesſionem in fide ſuſpenditur, vel etiam planè excluditur â Com-
munione, tum interna gratiæ ſpiritualis, tum externâ verbi &
Sacramentorum, nec non Converſationis fraternæ, qvæ Chriſti-
anis tanqvam fratribus etiam extra cœtus ſacros intercedit, qvæ
pœna generaliter in ſeſe complecti videtur omnes eas, qvæ in
ſpecie paulò antea ſunt ex LL. recenſitæ. Sola itaqve rema- 18.
nent Capitalia judicia, â qvibus Noſtrates Doctores immunitatem
hæreticis largiuntur, Pontificiis contra & verbis & uſu immodice
ea urgentibus. Ultimò ne & hæreticæ mulieres ſine pœna abirent
ipſis Privilegia dotis aliàs Mulieribus per *L. Asſiduis 12. C. qvi potiores in pignore* conceſſa, denegat, de qvibus v. infra *Nov. CIX.*
Conf. *& Nov. CXXXI. Cap. XIV.* Remotis igitur Hæreticis, & 19.
perniciofis eorum dogmatibus abolitis Sacerdotio imperturbatô
manente, non vanè exiſtimat Imperator, Politiam exuberatu-
ram, & Pacem deſuper habituram, ſiqvidem Religionis & Poli-
ticæ gubernationis magna eſt affinitas, alia enim aliam trahit tra-

dente Adamo Latzen *lib. 9. Polit. c. 10. §. 7.* & Hannibal Scot. *in Comment. ad Tacit. lib. 1.* Tria, inqvit, ſunt vincula, qvæ hominem à malefaciendo deterrent, *Religio, Pudor*, & *pœna* qvorum ultimum, qyod à LL. imponitur, infirmius eſt cœteris duobus,
20. & meritò Religio humanæ Societatis Fundamentum, & Magiſtratuum Propugnaculum, qvi Religionem ſolam miſſione mutavere, & dicente Famiana Stada *de bello Belg. l. 2. p. 72. qvoties mota eſt hæc Sacra Anchora, toties fluctuavit Reipubl. navis.* Eò per-
21. tinet Lex Sanctiſſimi Legislaroris Populo Judaico & ejus Principi data, *Joſ. Cap. I. 7. & ſeqv. Ne recedas ab ea neqve ad dextram neqve ad ſiniſtram* (qvod explicat Vatablus *d. l.* non addas Verbo DEI, nec detrahas) *ut prudenter agas in omnibus in qvibus incedis. Non recedet liber Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaveris in eo die noctuq;, ut cuſtodias & agas juxta omne illud, qvod ſcriptum eſt in eo, tunc enim proſperum reddes iter tuum, tunc prudenter ages*, i. e. felix eris. Vatabl. & tendit huc Inſtructio Davidica *Pſ. II. 10.* ad Reges ne conſpirent in CHRISTUM; *Sapite ô Reges! audimini Judices*
22. *terræ, ſervite Domino in timore, & exultate cum tremore* &c. qvæ & ſimilia alia dicta ſatis corroborant S. Principis jus in religionem, adverſus illos, qvi id ipſi diſputant, ut adeò verum ſit illud vulgatum, *cujus eſt Regio, illius etiam eſt Religio*, h. e. Diſpoſitio de Religione, ejus Cuſtodia, Inſpectio, & Reformatio, qvæ & vi Pacis Religioſæ de Anno 1555. jurisdictioni territorali cohæret. vid. Dn. de Rhetz *Inſtit. J. Publ. l. 2. tit. 1. 11.*

NOV. XLIII.

De Officinis ſive tabernis Conſtantinopol. urbis &c.

PRÆFATIO.

1. IMperatori potentiæ ſuæ ſubditi ſive vivant, ſive moriantur, curæ ſunt, ne vel graves ipſis ſepulturæ vel defuncti cognatis damnoſæ exiſtant, qvapropter, qvæ eorum ſepulturam concernunt, præſentem edidit Conſti-
2. tutionem. Inſiſtit verò hic ſanctionib. Anteceſſorum Divo-

Divorum Conſtantini & Anaſtaſii, qvi Lecticarios ſeu Decanos mille & centum, totidemqve officinas definierunt, cum nullo augmento ullô tempore faciendo, qvo liberæ eſſent ab omni vectigali ob curam demortuorum efferendorum, inde eundem numerum confirmat, &

CAP. I.

SAncit, ut L. qvidem illæ & mille officinæ majori Ecclesiæ occaſione Decanorũ ſive Lecticariorum ad peragendas defunctorum exeqvias deputatæ omnibus modis integrô numerô & ab omni præſtatione liberæ conſerventur, ut præter ipſam tamen nulla alia posſit Decanum exigere, & octingentæ qvidem Officinæ corpora præſtent, trecentæ autem in exactione pecuniarum conſiſtant. Hæ igitur immunes, ab omniqve vectigali maneant exemptæ, nec ullum Collegium cujuscunqve dignitatis vectigalia ipſis imperet. 1.

§. 1. Cœterum vero omnes Urbis Conſtantinopolit. 2. 14. Regionum officinæ, cujuscunqve etiam Eccleſiæ, Hoſpitalis, ſive monaſterii publica ipſis impoſita præſtent vectigalia, & omnia alia tum faciant, tum impleant, qvemadmodum qvemqve in ſuo Collegio facere æqvum eſt, *ſemperq; per Collegii Præfectos in publicum perſolvant* nemine qveunte ea de cauſa inniti privilegiis, aut ejusmodi alia uti excuſatione. Ergò in 100. & mille officinis exeqviarum defunctorum ratio habentur.

§. 2. Si qvis conetur excuſatione aliqva uti, & ſe 3. ipſum â præſtanda Contributione liberare, nec committere, qvo magis ab inqvilinis ſuis exigatur, &c. in univerſum Officinæ dominio excidito eademqve fit ipſis publica, toti addicta Collegio. Porro ſi minutatim & pariter in omnes vectigalia diſtribuantur, non ſolum paululum erit, qvod præſtitum fuerit; ſed etiam tanto modera-

deratius, levius, tolerabilius, facilius vel qvod confertur existit, qvanto â pluribus colligitur.

5. *Addit.* Lecticariorum seu Decanorum, qvorum hic fit mentio, munus fuit olim Ecclesiasticum, qvi efferentis cadaveribus deserviebant, vocantur & *κοπιάζονταις τῷ νεκρῶν κλίνας ἄγοντες*. Brisson. *de V. S.* qvorum munus in nonnullis Civitatibus æditui Templorum subeunt certò honorariò propterea ipsis con-
6. stituto. Lecticarii autem apud Veteres propterea dicti videnter, qvod lectos in funere servent, nam ut testatur Alex. ab Alex. *lib. 3. Genial. dier. C. 7.* ut in ampliore efferrentur funere plures defuncto stravere lectos, qvi instanti in pompa funeris anteibant, sicut de Sylla, cui sex millia & Marcello, cui sexcentos Prælatos legimus. Salmuth ad Panciroll *L. 1. tit. 62.* refert. Elucet
7. verò & exinde pietas Imperatoris, qvod funera defunctorum publici juris esse voluerit, sumtus eorum ab Ecclesia majore Constantinopolit. præstari, & hunc in finem certas ipsi assignare tabernas & ab oneribus & tributis publicis eximere, ut ipsa Ecclesia eò facilius, qvæ funerationi conducunt, præstaret, qvod si apud nos hodie observaretur, rationabilem sæpe locum sepulturæ haberent pie defuncti & alias honesti pauperes, qvibus tamen sæpe ob egestatem non valentibus, qvod Oeconomi Ecclesiarum exigunt, præstare, locus planè insolitus & hone-
8. stati Christianæ minimè conveniens, assignatur. Qvod tamen contra Pietatem, nec enim sunt abjicienda corpora defunctorum, maximè justorum ac fidelium, qvibus tanqvam organis & vasis usus est Spiritus S. est egregium dictum Augustini *L. 1. C. 13. de Civitate Dei*, qvod Ambrosius confirmans inqvit, Si viventes nudos Lex aperire præcipit, qvanto magis debemus operire defunctorum corpora. Si viantes ad longiora deducere solemus, qvantò magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur. vid. Drexel. *in Tobia P. 1. C. 4. §. 1.* Apud Nos
9. hodie unusqvisqve habet liberam facultatem eligendi sepulturam, & si qvis non eligat, in Parochiali Ecclesia aut in Majorum sepulchris est sepeliendus. *C. 1. & C. Fraternitatem X. de Sepult.*
10. *C. 2. §. 1. X. eod. in 6to.* Est verò in sepeliendo defuncto illa potius præferenda Parochia, in qva qvis habitat, & pietatem perceptione

ceptione Sacramentorum colit, qvam in qva per exiguum aliqvod tempus commoratur. Ziegler. *Instit. Jur. Canon. ad Lancell. L. 2. tit. 24. §. 8.* Cœterum an jus Sepulturæ immediatè ad Ecclesiam pertineat, & ab ea impetrandum, an verò ex jure Patronatus dependeat, deducit Dn. D. Stryk. *Annotat. ad Jus Eccles. Brunneman. lib. 2. cap. 2. §. 12.*

NOV. XLIV.

De Tabellionibus, & ut Protocolla dimittant in chartis.

PRÆFATIO.

PRæsenti Legi præbuit occasionem Mulier literarum 1.
ignara, cujus documentum prolatum completum qvidem à Tabellione & Tabulario habens simul subscriptionem & Testium præsentiam: cum autem Mulier diceret, â se non esse mandata, qvæ Charta loqvebatur, Judex â Tabellione cognoscere in veritatem volens Tabellionem ad se accersiri curavit, qvi nihil horum, qvæ secuta sunt, novit, nec sibi ab initio qvid mandatum; sed cuidam suorum hoc facere commissum, nec post ad completionem venisse; sed rursus alii tabulario commisisse; 2.
illeqve etiam, qvi affuit Completioni, ut Magister stationis, se nihil nosse dixit, nec enim se scriptorem fuisse documenti; sed tantum docuit, præsente se mandatum fuisse, ut scriberetur, neminemqve esse, cui ab initio mandatum, unde cum nisi per Testes Judex causam cognoscere purè potuerit, periculum patiebatur mulier, ut adeo putaverit Imperator, casum hunc competentem meruisse Examinationem & Decretum per sententiam.

Addit. Tabularios definit Cujacius, qvod sint, qvi Civita- 3.
tum aut Provinciarum Chartas & rationes tractant ac supputant, qvi præsunt Tabulario Civitatum, in qvo pleraqve publica & privatorum reconduntur, veluti debitorum obsignatæ pecuniæ. *L. pen. C. de Tabular. l. fin. §. hi qvoq; ff. de muner. & honor.* juxta *L. 11. C. qvi*

C. qvi pot. in pign. Tabularii & Tabelliones iidem esse videntur,
4. qvi Instrumenta publica testationesqve conscribunt. Tabularius etiam sumitur pro Calculatore, qvem Græci ψηφιστὴν vocant, qvi in Tabula calculandi & computandi artem Pueros docet, Arithmeticum hodie vocant. *L. ult. §. fin. ff. si mens. fals. mod.* Glossa *ad h. Præfat.* Sic distinguit, ut Tabellio fuerit minor, Tabularius autem major, & Magister stationis major utroqve, magistrum autem hic adiverunt Contrahentes, qvi commisit Tabulario audientiam, Tabularius autem Tabellioni scriben-
5. dum commisit, ut probant seqventia. Appellantur & Notarii *Logographi*, qvod in rationibus describendis sint occupati. *L. 1. C. de Tabular. scrib. &c.* Boëth. *l. ult. C. eod.* ut & Servi publici, non qvod servi sint conditione, nam Servus esse non potest Notarius *L. generaliter pr. C. de judic.* sed qvod omnibus pariter munus suum implorantibus ex officio inservire debeant, & teneantur cum mercedis præstatione. Mev. *P. 8. dec. 124.* Conf. Constitutio
6. Maximil. I. *de Notat. §. Notarius sive Tabellio.* nisi qvod à pauperibus petere pecuniam non debeant, qvod & se facturos promittunt in juramento, qvod præstant, qvando creantur. Matth. Steph. *de Jurisdict. lib. 2. part. 2. C. V. n. 12. & seqq.* v. & Menoch. *lib.*
7. *2. A. 1. qvæst. casu 369.* De Servo permittente Domino munus Tabellionis exercente v. Brunnem. *ad L. 3. C. de Tabellar. Serv. &c.*

CAPUT I.

De Officio Notariorum.

1. IMperator universis auxiliari volens, & communem in omnibus facere Legem, injungit, ut dum Contractus perficitur, Tabellio sit præsens, nec aliter Instrumentum perficiatur, nisi hisce advenientibus, 1. ut habeant, unde sciant negotium, 2. interrogati à judicibus possint respondere, maximè qvando reqvirentes Officium Notarii literarum ignorantes sunt.

2. §. 1. Et hæc vult observari ab omnibus Notariis sive in ipsa Civitate, sive in Provinciis sint, scientibus, si præter hæc qvid egerint, officio suo privari debere, & mutari causam.

§. 2.

§ 2. Nec per Substitutum Instrumenta conficere 3.
debent sub pœna amissionis Stationis suæ sive muneris, qvod in Substitutũ confertur, si hic aptus sit, è contra verò Tabellio detruditur in locum Substituti sive Amanuensis.

§. 3. Nec excusatur Tabellio ob ægritudinem qvo minus adesse possit, & Contrahentes audire, nam potest 4.
ad se in domum suum vocare, & qvatenus per morbum licet, Instrumentum conficere; non obst. qvod alii dicunt, sic qvæstus Notariorum minores fieri, recte enim sub *fin. huj.* §. respondet Imperator *melius est agere pauca cautè, qvàm multis interesse periculosè.*

§. 4. Ne dura Lex hæc videatur Notariis, concedit Imperator singulis unum substituere, apud Magi- 5.
strum Census Civitatis Constantinopol. qvi intersit, cum completur Contractus; Non autem Tabellio discipulum aut amanuensem suum ad componenda Instrumen- 6.
ta delegare debet, si autem fecerit Instrumentum, non vitiatur id qvidem, Tabellio tamen pœnam patitur.

Addit. Non aliter fungitur Officio suo Notarius, qvam si reqvisitus, & ad id citatus sit, qvia si irreqvisitus, qvid scribat 7.
vel faciat, eo ipso se suspectum reddit, & facit, à se acta non valere *L. 11. ff. de Testib.* si autem nolit sine justa causa præstare, invitus qvoqve potest cogi ad instrumentum conficiendum. Menoch. *R. I. qv. cas. 369. in fin.* Mev. *P. 2. Dec. 5. & P. 8. Dec. 124.* Et si tum non faciat ea, qvæ sui sunt Officii, parti læsæ ad Interesse tenetur. *L. 3. ff. Mand. L. & eleganter 7. §. pen. ff. de dol. m.* qvod juramento suo obtinere potest Bart. *in L. fin. ff. de Tabb. exhib.* qvin imò cum spernunt facere ea, qvæ ad eos spectant, exinde dolꝰ præsumptus oritur. *L. Mancipia C. de serv. fugit.* Qvod si duo- 8.
bus in locis unô tempore conficere Instrumentum sit rogatus, ad illum se potius conferat, idqve expediat negotium, cujus momentum maximum esse videtur, cum melius sit cautè agere, qvàm periculosè, & sic in alio loco per Substitutum potest inservire, licet enim ministrantibus qvomodo libet stationem derelinqvere aut mutare pro lubitu non sit concessum; sed Officio

qvaſi mancipati & abſcripti ſint *arg. L. 64. C. de Decur.* aliud tamen ſi ſubſtituendi poteſtatem à Principe obtinuerint, aut inſtar privilegii hanc licentiam expresſam habeant, *L. nullus 60. C. d. t.* tunc enim illa ſua faciunt, qvibus autoritatem ſuam impertitus eſt Imperator. *L. 2. C. de V. I. E. C. ſi Apoſtolica de præb. in 6.* aut ſi infirmitate tali laboraret, ex qva perſonaliter munus ſuſceptum expedire neqveat. vid. *C. 1. §. 3.* aut ſi in alio loco ſimul ad Inſtrumentum conficiendum ſit rogatus, cum unus duobus locis ſimul & ſemel eſſe non posſit. Ut verò formalia In-
9. ſtrumenti Notarii notemus, ſunt ea ſecundum Brunnem. *ad L. 3. C. de Tabular.* ſeqventia: 1. Invocatio Nominis Divini. 2. Annus Domini. 3. Indictio, ubi circa finem addit, Indictionem & Annum Imperatoris ſuppleri per Annum Chriſti. 4. Dies, ubi itidem notandum, cum qvilibet actus extra judicialis noctu qvoqve fieri posſit, Brinckman. *de Notar. poſit. 30. qv. 44.* qvod Notarius nihilominus diem inſcribere posſit, nullâ noctis mentione factâ ſine crimine falſitatis. Brunneman. *ad L. 20. C. de Transact.* 5. Nomen Imperatoris, qvod qvidem præmittendum in locis ubi Jus Romanum viget, non verò alibi, ut in Gallia, Hiſpania, Dania &c. 6. Locus, 7. Res geſta. 8. Teſtes. 9. Tabellionis Nomen. 10. Ejusdem ſignum, qvod ſine judicis autoritate mutare, aut alieno ſigno Inſtrumentum notare non poteſt Steph. *de Jurisdict. lib. 2. P. 2. C. 5. n. 9.* Sic, ut nec ſuppleri posſit per appoſitionem Sigilli privati. Carpzov. *lib. 3. Tit. 8. Reſp. 35.* Conf. infra Add. ad Cap. II. *Nov. 47. Præfat. & C. 1.*

CAP. II.

Ut Tabellationes in Protocollo deſcribant, idqve cum die & conſule.

1. NOtarius in Charta pura ſcribat Inſtrumenta non in alia Charta niſi initio ponat nomen Comitis Sacrarum largitionum, ut & tempus, qvo charta facta eſt, & Protocollum non incidant, ſed inſertum relinqvant, cum multæ falſitates ex talibus chartis & prius & nunc ſint oſtenſæ, licet igitur aliqva ſit charta habens Protocollum

collum non ita ſcriptum; ſed aliam qvandam Scripturam gerens, illam tanqvam adulteram non ſuſcipiant judices, ut ad talia non opportunam.

Addit. Protocollum qvaſi primum Chartæ collum dictum putat Pancirol. *Theſ. variar. lect. lib. 1. c. 26.* qvalia vocabula partim Græca, partim Latina licet à Criticis improbentur qvoad terminos juris tamen tunc temporis freqventata fuiſſe certum eſt, cum hand pauca ſuppeditet Græcus Novellarum codex. Pertinet huc in Marchia non incognita Charta ſignata, *das geſtempelte Pappier*, qvæ ad ſolennia Contractus pertinet, eaqve non adhibitâ Contractus non valet, & hic in Marchia ad Notariorum Inſtrumenta omnino pertinet, cum Conſtitutio Sanctionis Electoralis de ea generalis ſit die 15. Julii Anno 1682. verbis: *Sondern jedermänniglich deßen ſich zubedienen, ſchüldig, und gehalten ſeyn, und da einer oder der ander dieſem zu wieder handeln, etwas übergeben &c.* id eſt, qvilibet Charta ſignata debet uti, & ſi qvis contra faciendo aliam Chartam exhibere conetur &c. Et hæc charta propriè juxta hanc *Nov. 44.* Protocolli nomen meretur; unde, qvia non ubivis in Imperio Romano ejusmodi Chartæ ſignatæ copia haberi poterat, non univerſalem, ſed localem illam ſanctionem de Inſtrumentis in Protocollo ſcribendis eſſe voluit, eandem ad Civitatem Conſtantinopolit. reſtringendo, qvia ibi chartarum abundantia, & plurima contrahentium erat multitudo. *C. 2. h. N.* Qvandoqvidem autem præcipua vis Protocolli in legitima confectione conſiſtit, ejus reqviſita ſecundū doctrinam Excell. Dn. Strykii *Diſſert. de Protocoll. c. 2. n. 10. & ſeqq.* recenſeo. (1) Reſpectu Notarii, ut ad actum illum, qvi in Protocollum redigendus legitimè fuerit rogatus, nec enim ſufficit, incidenter præſentem fuiſſe, & placita partium audiviſſe, & rogatio efficit, ut officii memor, & animô, & corpore præſens ſit, hinc in literis Reqviſitorialibus reqvirens Notarium regulariter ſubjungere ſolet; *Er wolle ihn hiemit ſeines Ampts erinnert haben.* id eſt, Reqvirentem admonere hic Notarium, ut officii ſui memor ſit. (2) Ut Notarius ipſe geſta coram ſe inſcribat non verò per alium, qvod & vult Imperator in *h. N. c. 1. §. 2.* Hinc Protocollum partim Notarii manu, partim manu alterius ſcriptum,

2. 3. 4. 5. 6. 7.

non dicitur scriptura munda; sed suspecta. Et Bald. *ad Rubr. C.*
8. *de Fide instrum. n. 44.* tradit, tria sunt, qvæ per alium non facere potest Notarius; sed solum per se (1) audire & interesse. (2) Protocollum scribere. (3) Subscribere & signare. Verba Maxi-
9. mil. I. Imperat. *Ordinat. Notar. §. und wiewol.* Unde fluit (3) Reqvisitum Notarii subscriptio. (4) Prælectio, ut scilicet postqvam Conventiones pactaq; Contrahentium in Protocollo concepit, prælegat prius partibus ac Testibus, ut inde constare possit, an satis mentem
10. Contrahentium perceperit. (5) Ut in Protocollo substantialia Instrumenti scribantur, per qvæ intelliguntur omnia ad causam ipsam pertinentia, ut scilicet nihil eorum, qvæ gesta sunt, sit omissum inserenda ergò ; Negocii Circumstantia, modus Conventionis, Renunciationes jurium, cæteraqve, qvæ vel Partibus prodesse, vel præjudicare possent, qvod itidem Maximil. I. Imperator *d. Ordinat. Notar. §. und wiewohl ein Protocoll* exprimit;
11. Cætera ad hanc materiam facientia abunde B. Lector petere potest ex *d. Dissertat.* Dn. D. Strykii. Conf. & Mantzius *Centur. Decis.*
12. *Palatin. qv. 55. 72.* Cum & alias, qvæ de Notariis eorumqve Instrumentis hic adduci poterant satis latè à Doctoribus proposita legantur, amore brevitatis alia multa omitto. vid. Brinckman. *de Notar.* Anton. Tassara *de Error. Notar.* Casp. Pistoris *de Officio Notariorum Constitutio Maximil. I. Imperat.*

NOV. XLV.

Ut non liberentur Curiali fortuna Judæi, nec Samaritani aut Hæretici, occasione eorum religionis; sed curialibus qvidem functionibus subjaceant, privilegiis verò Curialium non fruantur, posse verò eos contra Orthodoxos, qvod subjaceant Curiali fortunæ, testimonium perhibere, ut qvi & pro Orthodoxa politia rectè testimonium perhibeant.

PRÆFATIO.

1. CUm ad Relationem Præf. Prætorio intellexisset Imperator, inter Curiales esse Judæos forte aut Samaritas,

ritas, aut Montaniſtas, aut aliter reſpuendos Homines, qvibus nondum hactenus recta & immaculata fides illuxit; ſed in tenebris ſedent, animis vera non ſentientes Sacramenta & libertatem Curialium functionum, & qvæ his competunt, declinantes; hac Conſtitutione ſancit Imperator, debere eos complere corporalia & pecuniaria munera, nullamqve ab his eos eripere Legem, nulloqve frui honore; ſed *debere eſſe in turpitudine fortunæ, in qva & animam eſſe volunt.*

Add. Peſſima erat Samaritanorum ſecta, non cum Sadducæis Reſurrectionem mortuorum, nec vitam æternam credebant, 2.
Angelos tamen ſtatuebant, Judæos vatiniano proſeqvebantur odio, execrationes ſibi mutuas faciebant, ſeqve invicem excommunicabant. Schisma inter eos cœpit ab ædificatione Templi 3.
qvod in monte Garſiarim ædificarunt Hieroſolymitano ſimile, & Judæi qvidem Prophetico Templo adhærebant, & vero Sacerdoti, Samaritani verò partes Manaſsis ſeqvebantur, nec planè erant in cultu DEI inſtructi; ſed & Deo & dæmonibus more gentilium ſerviebant, unde pro hæreticis habebantur. Tholoſan. *de Repub. lib. 12. c. 21. n. 18.* & in judicio Partium advocati utrinqve 4.
non niſi cum Capitis periculo de Controverſia dicebant idem *C. 4. n. 6.* v. Hiſtoriæ Judaicæ Compendium ex Joſepho Contractum inſertum *Georgii Hornii Hiſtoria Eccleſ. fermè ſub princ.* & infra *Nov. 129.* Non minus Montaniſtarum inſignes erant Errores, 5.
nam 1. mortuos baptizabant. 2. ſtatuebant, Prophetas non intellexiſſe, qvæ dixerunt. 3. Semel lapſos non poſſe conſeqvi peccatorum Remiſsionem. 4. Rebaptizabant ſuos. 5. Primas nuptias tantum eſſe licitas. 6. Conjugium pro arbitrio poſſe diſſolvi. Horn. *Hiſtor. Eccleſ. Artic. 11. ab Exceſſu Apoſtolorum ad Conſtant. M.* Conf. Dieterici Catech. *Loco de Caſtitate & Conjugio qv. 46.* & Alex. Roſſæus *von der gantzen Welt Religionem p. m. 23.* Montanum tamen à qvo ipſi9 Aſſeclæ, à Spiritu veſano agitatũ inſtar Judæ Proditoris ſe cũ *Maximilla* amaſia ſua ſuſpendiſſe, refert Horn. *d. l.* Hoſce iiſdẽ 6.
ferè pœnis dignos judicat in *Tit. C. de Hæred.* qvib9 ſupra Neſtorianos & Eutychianos *Nov. 42. mactavit*, ſed Curialibus functionibus

bus subjicit, nec enim dignos statuit beneficio Legis, cum beneficia per Legem introducta contemnant. *arg. L. Auxilium 37. ff. de Muner.*

CAP I.

Qvatenus Hæretici Testimonium perhibeant.

1. I. EOs qvatenus Orthodoxi inter se litigant Testimonium perhibere prohibet Imperator, si uterq; hæreticus sit, Actor, & Reus, possunt Testimonium
2. perhibere, si hæreticus & orthodoxus, hæretici Testimonium pro Orthodoxo qvidem valet, non verò contra eum, si ambo Orthodoxi litigent, nullus ad Testimonium ipsis est accessus.

3. II. Qvando pro Curia, vel Curialibus muneribus qvid ab Orthodoxo vindicatur, non obstante hæreticos exstirpandos, admittitur Testimonium Hæretici, modo Curia sit orthodoxa, habendus est enim ac si pro Orthodoxo Testimonium perhibuisset, & dicit Imperator: *Conversationem suam rectam esse, & plenam Orthodoxâ fide, omni alia haresi meritò constituta sub odio.*

4. *Addit.* Qvæ hic traduntur meritò ad Judæos qvi inter Christianos hodie tolerantur, applicanda, nam si inter se litigant, ipsis alios suæ Sectæ testes producere conceditur, nihil enim Judæus Judæo, nihil Catilina Cethego objicit. *Gloss. ad L. 39. ff. solut. matr. & ampl. L. in Curam 11. C. de inoff. Testam.* In causis
5. Christianorum verò â ferendo Testimonio meritò repelluntur, qvi enim divina Testimonia non seqvuntur, pondus humani Testimonii perdiderunt. *C. ipsa Pietas 23. qv. 4.* accedit odium, qvo Christianos proseqvuntur, nam *juxta C. 13. X. de Jud.* eandem ipsis impendunt retributionem, qvam mus in pera, Serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.
6. Addmittitur autem 1. Judæus contra Christianum, si consentiat, ut contra se producatur, *arg. L. penult. C. de pactis.* Vel 2. si ejus Testi-

Testimonium fuerit adminiculatum, & coadjuvetur ab aliis integris Testibus Christianis, Barbosa ad *C. 21. X. de Test.* licet enim Judæus prose non sit habilis ad testificandum, nec ei credatur, facit tamen Judici ejus depositio semper qvale qvale judicium. *arg. L. 20. ff. de Testib.* 3. In caussis gravioribus, ut est Crimen 7.
Hæresis, Læsæ Majest. &c. *C. 13. X. de Haret. in 6to.* qvi textus licet loqvatur tantum de crimine Hæresis, idem tamen dicendum est de crimine læsæ Majest. cum hæc crimina inter se æqviparentur. *C. 10. X. de Haret. Gloss. in L. 4. §. 4. C. de Haret.* vid. Gigas de crimine læsæ Majest. *lib. 2. rubr. qvomodo & per qvos crimen læsæ Majest. probetur, qv. 10. n. 4.* 4. Contra Christianos in- 8.
fames, usurarios, aliosqve ejus farinæ homines producti admittendi videntur per *Gloss. L. 3. §. fin. ff. de Testib.* 5. Qvintus casus hic in textu habetur *M. 11.*

NOV. XLVI.

De Ecclesiasticarum rerum immobilium alienat. & solutione.

PRÆFATIO.

CUm Imperator vidisset Ecclesiarum possessiones 1.
paulatim ad alias migrare, nec pretiis solutis dignis, nec necessitate inevitabili imminente alienari; sed & contra jam positas Leges decies millies circumventiones fieri suprà *Nov. VII.* scripsit Legem de Sanctissimis Ecclesiis omnibus, & Monasteriis, nullam ipsis rerum immobilium alienationis licentiam permittentem. Cœte- 2.
rum cum sæpe eveniat, ut mole debiti gravetur Ecclesia, nec mobiles res ad liberandum se ære alieno sufficiant, potest etiam immobiles res vendere, atqve pretio exinde reducto possessiones Ecclesiasticas pro solutione Creditoribus dare. Fiscus verò in solutum prædia non accipit; sed Emptor prædiorum ex fisco tributa solvit, qvæ debet Ecclesia.

3. *Add.* Qvod aliàs dicitur Necesſitas & utilitas Reip. commodo & Privilegio præponderat Brunnem. *ad L. Jubemus 10. C. de SS. Eccleſ.* id & meritò in Eccleſiæ Necesſitate & utilitate locum habet, ut ſi bona mobilia ad æs alienum non ſufficiunt, immobilibus venditis, vel ſi illa Emtorem non inveniant, posſint in ſolutum Creditoribus addici, & ſic ab ære alieno penitus liberari, præſuppoſito bona ſufficientia eſſe exſolvendo debito, qvalem qvoqve caſum Imperator præſupponit in *Nov. 4. cap. 3.* ſuprà, *qvæcunq; meliora ſunt, dentur Creditori, qvæ verò deteriora apud debitorem*
4. *poſt debiti ſolutionem manere ſinantur.* aliàs non in totum; ſed in tantum liberatio contingit, in qvantum ſatisfactum, & contingeret maximè gravari Creditores, dum non tantum alias res inviti accipere cogerentur; ſed inſuper talis res, æſtimatione ſua ſummam debiti non adæqvarent, qvod tamen contra intentionem Imperatoris, qvi qvidem infelicibus debitoribus voluit auxiliari, Creditoribus tamen interea durus apparere noluit. *d. Nov. IV. c. 3.*

5. Fiſcum non vult gravare Imperator prædiis non necesſariis; ſed hic ab Emtore prædiorum qvalis qvalis etiam ſit, accipit tributa, nam pro his bona tacite videntur obligata Tesſaurus *Deciſ. 164.* Trentacinqv. *Lib. 1. Reſ. IV. Tit. de Jure Fiſci.* Klock. *de Contribut. c. 11. n. 114.* & onera futura etiam tranſeunt cum re ad
6. qvemcunqve poſſeſſorem etiam Eccleſiam vel Principem. Ergò ſi cui Statui Imperii accedat Comitatus, vel Baronatus Imperii, eum qvoqve onus Collectarum ſeqvi oportet. *Rec. Imp. de An. 1548. §. dieweil.* indicuntur enim ratione poſſeſſionum, & cum qvalitate perſonæ nihil habent commune. Limn. *ad Jus Publ. lib. 1. c. 7. n. 97.* v. Becker *in Synopſi Jur. P. lib. 3. c. 2. n. 4.* Klock. *de Contribut. c. 17. n. 144.* vid. Carpz. *lib. 4. Reſp. 78. n. 8.*

CAPUT I.

Qvò caſu bona Eccleſiæ immobilia vendenda.

1. QVæ ſub finem Præfationis dixerat, hic ulterius firmat Imperator, ſanciens, ut ſi Eccleſia fiſcales functiones

ctiones debeat, conveniant omnes in unum ex Clero, & sacris propositis Eloqviis causam examinent, & si appareat, fiscale debitum non posse solvi, judicis provinciæ decretô interveniente immobilia Ecclesiæ bona alienari ad solutionem debiti, nihil metuendo supra Nov. 7. positam L. modo probetur, qvod fiscalia sint tributa soluta, & omnia secundum Legem gesta, ne aliqvis Clericorum in posterum aliqvod fiscale debitum ulterius fingere qveat, & sic ad alienationes rerum immobilium accedere. Et idcircò decreti interpositionem permisit, ut & 2.
fiscale debitum Testimonio pandatur, & cum pecuniis solutum non sit; sed fundus Ecclesiasticus in necessitatem alienationis venerit, ut ex eo debitum reciperet, utq; scirent Episcopi, Clerici, & alii omnes, *qvia Deus respicit, qvæ geruntur ab eis, & si qvid egerint per dolum aut lucrum, aut machinationem hoc in suis recipient animabus, viventes ac morientes.*

Add. Licet aliàs multis insignita privilegiis Ecclesia legatur, 3.
ex hoc tamen C. constat, juri alterius non posse præjudicare, & convenit cum hac *Nov. Auth. item prædium C. de SS. Eccles.* nec enim à realibus muneribus, ut tributis, vectigalibus, pensitationibus fiscalibus, annuô censu prorsus est immunis Ecclesia, *l. 3. C. de Episc. & Cler.* pendere namqve tributa ordinaria & jam olim 4.
constituta, eaqve maximè, qvæ prædiis anteqvam Ecclesiæ darentur, erant imposita, qvippe res cum suo onere transit. Hinc Ambrosius; *si tributum petit, non negamus, agri Ecclesiæ Tributum solvunt.* Peretz. *C. Tit. de SS. Eccles. n. 4.* ut adeò hic rectè notet Brunnemann. *ad d. Auth.* Rem esse Ecclesiæ minus proficuam talia habere prædia, ex qvibus Tributum fisco, vel census Magistratui sit solvendus, possunt igitur talia distrahi, modo solennia, qvæ Imperator modò recensuit, interveniant. Absit verò à 5.
Clericis, ut dolosè causam alienationis fingant, perqvam se locupletent, Ecclesiam verò spolient; Nam LL, qvæ bona Ecclesiarum alienari prohibuerunt, non fuerunt latâ pro Clericis contra Ecclesiam, ut nimirum illi abundarent, & posthabitis Eccle-

siæ, aut pauperum necessitatibus in deliciis luxuriarentur; sed pro Ecclesiis contra Clericos, ne ipsi Ecclesiæ bonis dilapidatis illa vel eorum pretia in fraudem Ecclesiæ sibi usurparent. M. An-
6. ton. de Dominis *de Repub. Eccles. lib. 9. cap. 3. num. 11.* Cœterum in diversa omnia Clericorum mores abierunt, qvi extrema & insatiabili avaritiâ ducti deceperunt Laicos, ut Ecclesiis multa relinqverent, saltem, ut iis turpiter liceret abuti, pascendo Eqvos suos, familiares, parentes, meretrices & filios, ut adeò contra *L. 1. C. de SS. Ecclesiis* vetuerit Edicto suo Carolus V. bona immobilia Ecclesiis aliisqve piis locis ultra acqviri absqve consensu Principis, qvod & olim Nicephorum Phocam edixisse, aliosqve Imperatores Christianos ex Zonnar. *tom. 2. mand.* & *L. 20. 27. C. Theodos. de Episc. & Cler.* deducit Tuldenus *C. de SS. Eccles. num. 4.*
7. nam ut Augustinus jam de suo Seculo conqvestus est; *Cum lignei essent calices, aurei erant Sacerdotes, postqvam verò calices aurei redditi, Sacerdotes è contrario lignei sunt effecti*, qvod dictum allegat Burgold. *ad I. P. part. 2. disc. IX. th. V.* qvi hic uberius consu-
8. lendus. Qvæ in cœteris duobus capitibus habentur, jam tum in *Præcedent. C. & Præfat.* sunt exposita, illud in *C. II.* dicitur saltem, pro debitis fiscalibus permitti alienationem & in solutum dationem, pro privatis autem, solam dationem in solutum; Hodie verò generaliter permittitur alienatio propter debitum vel fiscale, vel privatum, cum solennitate tamen, ut suo locô dicetur.

NOV. XLVII.

Ut præponatur nomen Imperatoris documentis & ut Latinis literis apertius documenta inscribantur.

PRÆFATIO ET CAP. I.

1. IN omnibus Instrumentis sive judicialibus, in qvibus memoria temporis observatur, sive etiam extra judicialibus apponi debet nomen Principis & Consulis, mensis & dies, simul qvoqve qvot annis præterlapsi, qvibus illa Civitas facta, inchoëtur qvoqve Instrumentum Auctore Deo â præcedente prima indictione.

Addit.

Addit. Reqvisita Instrumenti paulò supra ad *Nov. 44. C. 1.* 2.
sunt notata, duo verò hic imprimis sunt notanda. 1. *An invocatio Nominis Divini necessario sit præmittenda Instrumentis, & an sit de Substantia seu forma Instrumenti publici per Notarium confecti?* 2. Qvid circa Indictionem Romanam notandum? Et qvod primam qv. 3.
concernit, non desunt, qvi existimant, vitiari penitus Instrumentum, nisi nomen Domini præponatur, qvod præcipuè ex *C. 1. h. Nov.* probant. Receptior tamen est, juriq; Justinianeo convenientior eorum sententia, qvi contendunt, Instrumentum Notarii, qvod præfatione Divini Nominis caret, si non aliud subsit vitium, omninò valere, cum nulla Lex, nulla Constitutio aperte Divinæ Nominis præfationem ad Instrumenti Substantiam reqvirat, nec ad actus alicujus perfectionem, plures solennitates, qvàm LL. præscribunt, exigere sit necessum. *L. 5. pr. ff. de peric. & adm. Tut. L. 71. §. 5. ff. de A. vel omitt. hæred.* Qvia si ad- 4.
mitteretur hic Nominis Divini invocatio, vel ex civili, vel naturali ratione descenderet necessum est, jam autem Lex Civilis silet, nec ex naturali ratione descendit, qvæ non dominatur in Instrumentis, qvæ juris Civilis & stricti sunt. vid. Harpr. *ad Inst. Proœm. n. 6. 7.* Qvò facit, qvod verba *Autore Deo in h. Nov. C. 1.* enunciativè tantum sint prolatæ, prout & alibi hac formula Imperatorem usum fuisse docet *L. un. §. 1. & 2. C. de Off. Præf. Afr.* Per 5.
Recessus tamen Imperii in Instrumentis Notariorum hæc Clausula Necessitatis facta fuisse videtur. vid. Ordinat. Notar. *de An. 1512. §. Und nachdem.* Si tamen dicendum qvod res est, respicit ibi Maximil. I. ad Consvetudinem, qva in omni Instrumento apponi solet invocatio Nominis Divini, ut & sentire videtur Gerlach. Buxtorff. *in Dissert. ad A. B. Concl. 2. lit. A.* Cœterum iis in locis in qvibus ex recepta consvetudine Invocatio Nominis Divini ad Substantiam Instrumenti Publici exigitur, eam absqve vitio neutiqvam omitti posse, ostendi potest etiam ex *L. 32. & 33. ff. de LL.* qvibus non adversatur *L. 2. C. qvæ sit long. Consvet.* Indictionem, sive *der Römer-Zinszahl* ejusqve initium qvod con- 6.
cernit, observat Wehner. *Observ. Pr. d. voc.* Cœpisse à Romanis institui, cum dominarentur ferè universo orbi, & plerasqve nationes terrasqve sibi fecerant tributarias, præcipientibus, ut terræ

remotiores propter difficultatem tranſitus, plura ſimul exſolverent tributa, cum ſingulis annis non poſſent in urbe commode perſolvere. Placuit igitur Romanis, ut triplicia tributa ternis luſtris ſolverentur, & qvidem primô luſtrô transactô, vel in fine primi qvinqvennii aurum, aliaq; pretioſa, pro Majeſtate Imperii tuenda, & ad dominationis typum adferrent, ſecundo autem argentum, ad ſtipendia militum, tertio deniq; æs & ferrum ad armorum reparationem, qva de cauſa Indictio à qvibusdam *aurea* ab auro, *ferrea* à ferro, & *ærea* ab ære in fine ejus ſoluto
8. dicebatur. Ne ergò ullam Regionem, Provinciam, vel Civitatem lateret Cycli Indictionalis qvintenarii, vel trium luſtrorum periodus, aut tributorum ſolvendorum memoria laberetur, Edicto cautum eſt, ne ullis literis, privilegiis, ac Inſtrumentis fides haberetur, qvibus numerus Indictionis non eſſet asſignatus.
9. Unde adhuc Notariis uſitatum eſt, in libellis conficiendis hunc numerum retinere; Eſtqve inde qvod de praxi hodie Inſtrumentis ac Teſtamentis ſoleat ac debeat adjici Indictio *der Römer-Zinszahl*, qvota ſcil. eò annô ſit Indictio, eſt enim clauſula Indictionis necesſaria ac ſolennis, Rec. Imp. Colon. *de An. 1522.*
10. *de Notariis §. Und nachdem von Gemeinen.* Ad cognoſcendam itaqve Indictionem veram alicujus Inſtrumenti, vid qvis ſit Anno Domini, dum hæc ſcribuntur habemus An. 1696. hinc dividuntur illi anni Arithmeticè per qvindecim, & addantur tres anni, & qvi numerus infra 15. remanet, eſt indictio. Notant communiter de ejusmodi computatione ſeqventia diſticha:

11. *Si per qvindenos Domini diviſeris annos;*
His tribus adjunctis Indictio certa patebit;
Si nihil excedit, qvindena Indictio currit.

Sic v. gr. in numero Anni 1696. numerus qvindenarius invenitur centies decies & ter 113. unus tantum excedit, hinc ſi diviſio Arithmetica per XV, fiat, additis tribus annis, apparebit Indictio hodierna, qvæ eſt XV. Indictio ſi per Notarium erroneè & corruptè fuerit appoſita, qvid juris? & an ubiqve conſvetudo ſit, ut apponatur? vid. Bertazol. *de Clauſ. Inſtrum. clauſ. 1. per tot.* Ruin. *Conſil. 23. lib. 4. n. 4. verſ. non obſt.* dicit, etiam vitiari Inſtrumentum, qvamvis Notarius reliqverit ſpacium pro Indictione apponenda

nenda, imò qvando Notarius scripsisset *Indictione* sic & nihilominius non poterit Indictionem supplere, *d. l. n. 2.* ait; vitiari Instrumentum, qvamvis ex annis appositis Instrumento possit dignosci Indictio, ex ratione, qvod hæc reqviratur pro Substantia Instrumenti, hancqve opinionem communem dicit Joseph. Ludovic. *Dec. 13. n. 37.* Consvetudo tamen circa Instrumenta eorumq; reqvisita inspicienda, qvæ hic maximè valet. vid. Dissertat. 12.
Dn. Lyncker. *de Indictione cap. 2. & 3. Gloss. C. inter dilectos 6. X. de fide Instrum.* Peretz. *C. de Indict.*

CAP. II.

Ut Tempora qvæ Latinis Literis designantur, apertius describantur.

I. IN omnibus judiciis observetur, ut post literas antiqvitatis incertas & obscuras, aliæ subdantur, & omnibus notæ, qvæqve legi abomnibus facile possunt, & significare tempus gestorum, ne fatigantur reqvirentes id tempus, & si carent, exspectare cogantur, donec hominem qvemcunq; reperiant, qvi proveritate literas illas legere possit. 1.

II. Si cœtera, qvæ in Instrumento continentur, sunt Græcis literis exarata, Græcis literis debet tempus subdi; sed post scriptionem literarum incertarum Romanarum, qvæ Græcis sunt incertæ apud qvos Instrumentum factum fuit, debet in Græco sermone Interpretatio fieri. 2.

Addit. An dentur verba ambigua olim dubitatum non solum inter Philosophos apud Gellium *N. A. 11. 12.* Scriptorem *ad Herenn. 2. 15.* verum & JCtos. Nam Paulus *in L. 3. ff. de reb. dub.* qvoad vim internam omnem ambiguitatem vocibus ademit: sed & Celsus in *L. 7. ff. de Suppell. leg.* esse tamen qvoad vim externam, scilicet sonum & loqvendi rationem dubium. vid. *L. 125. ff. de V. S.* Kulpis *in Collegio Grotiano p. 86.* ibiqve allegati, & incertitudinem vitiare promissionem, legatum, sententiam, & Instru- 3. 4.

Instrumentum dubium non habet, & probat Pacian. *Consil. 69. n. 19.* qvæ obscuritas per amphibolias vel verba unum idemq; significantia, ac qvæ duplici sensu sumi possunt, si qvis nimirum circa Orationem αἰνιγματικῶς loqvatur, ut est illud:

Ajo Te Æacidem Romanos vincere posse.

vel illud olim ex Oraculo Diabolico Crœso responsum:

Crœsus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim.

aut illud:

Ibis, redibis non eris captivus.

ad qvæ & similia qvadraret illud Euripidis *in Hecuba*:

Divinus haud sum, nec nisi audiero, qveam
Viam tuorum nosse cogitatuum.

5. In hisce & similibus casibus qvilibet vel Judex, vel Testis, vel Notarius incertum & obscurum qvod scripsit, suo scripsit periculô *Gloss. ult. in L. si adorem 17. ff. de S. R. P.* Enenckel. *lib. 2. de Privileg. cap. 2. n. 14.* Potest tamen, si judex vult, constringere Notarium, ut ipse suum declaret Instrumentum, vel ut aliud clarioribus conceptum verbis conficiat, nec enim illud per qvod pars in judicio probare intendit, dubitationem aliqvam
6. habebit: dum idem valent Instrumenta, qvod Testes *L. 15. C. de fide Instrum.* vid. Berlich. *Decis. 100.* licet de jure Civili paratam non habeant excusationem, *L. 1. 2. C. de Excusat. rei judic. L. 9. C. de O. & Act.* nisi hoc pacto conventum, vel consvetudine aliter sit introductum Lauterb. *ad Tit. ff. de fid. Instrum.* Inprimis verò
7. Notarius abstineat à Cipliris & notis per literarum conseqventias intellectum formantibus, qvid enim hac scriptione opus est, ubi clarior formari potest, & debet intellectus, in illa scilicet re,
8. cui pars probationis fidem credit? Hinc abbreviatura Notarii, qva hoc vel simile Mandatum recepisse dicit, & attestatur, qvod annô & die tali hic vel ille nominatus Procuratori fidem non facit, ut possit in formam publicam redigi & qvoad Effectum
9. Executioni dari. Malè qvoqve agunt, qvi scribunt depositiones Testium, per Relationem, scilicet, Testis hic secundus deponit similiter, vel idem, qvod Testis primus, nunqvam enim diversi Testes tam similiter deponunt, qvia verba diversa pro-
10. nunciant. Cum ergò alia verba aliis majorem habeant Emphasin,

ſin, omninò annotari debent, idqve non per abbreviaturas; ſed integras literarum conſeqventias. Ruland *de Commisſar. P. 2. lib. 2. cap. 28.* Et dicta Teſtium ſunt ſcribenda non diminutivè: ſed 11.
per extenſum, alias non probant, qvod ſi negligat Judex vel Commisſarius inanimadvertenter & beſtialiter rotulum confeciſſe dicitur. Maranta *de Product Teſtium n. 11.* qvem refert & ſeqvitur Umm. *ad Procesſ. Diſp. 16. n. 84.* Limit. dicta, niſi notæ non 12.
obſcuræ, & inconſvetæ; ſed ubiqve receptæ & uſitatæ ſint. Richter. *P. 1. Deciſ. 29. n. 17.* Idem *in Tr. de ſignific. Adverb.* voce *preſsè.* Et teſtatur Brinckman. *de Notariis C. 1. Poſit. 1.* univerſum Homeri Poëma notarum beneficio ita ſubtiliter in membranis fuiſſe deſcriptum, ut illu dtotum levi nucis putamine concludi potuerit. De Protocollo & Cœterato vid. Idem *Cap. 6. Poſit. 27. lit. b. & c.*

Licet autem ſub Statu Imperii Romani in Inſtrumentis & 13.
actis publicis ſermo latinus ſit adhibitus, & in ditionibus Græciæ, qvæ Imperio paruerunt, Græcum idioma ex permisſu Imperatoris ſit toleratum, cum tamen hodie ad Germanos Imperatores Imperii ſceptra ſpectent, in ſermone Germanico actus Imperii publici expediuntur, qvæ res à Rudolpho I. Habſp. manas- 14.
ſe videtur, qvi conſtituit, ut deinceps in Cancellariis & Contractibus Germanicum reciperetur idioma, abrogatis è ſtylo Germanico latinis characteribus, cujus rei teſtes ſunt Aventinus *Annal. Bojar.* & Cruſ. *de reb. Svevic.* nam Majeſtatis argumentum eſt, ſubditos poſſe cogere, ut imperantis lingvâ & ſermone utantur. Carpzov. *ad L. Reg. German. cap. 10. Sect. 4.*

NOV. XLVIII.

De Jurejurando à moriente præſtito propter menſuram ſuæ ſubſtantiæ.

PRÆFATIO.

DIſpoſitiones hæredum ſemper ſint firmæ, niſi reſul- 1.
tent Legi, & apertè contrariæ ſint illi, qvæ Teſtatori placent. Cum igitur teſtaretur qvidam, omnia ſua bona dixit, hæcqve ſola ſuis hæredibus relinqvere, a-

liqvi verò hæredum eum secuti essent dicentium se qvidem esse hæredes, & acqviescere in dispositis ab eo, qvæ verò cum jurejurando dixit, neqvaqvam rata manere, nec custodire volunt, cum vero persona heredis & Testatoris una eademqve sit, sicqve nec ille sibi reluctari possit, sed qvod dixit & juravit, ratum maneat, hinc sancit.

CAP. I.

2. I. SI Testator bonorum suorum qvantitatem vel ipse scribat, vel ab alio scriptam subscribat, subsignet, vel in Testamento suo determinet, hæredibus forte aliis præsentibus, aliis verò absentibus, aut etiam omnibus præsentibus, non licebit hæredibus contravenire.

3. II. Si autem moriens juraverit, se nihil præterea habere, hoc amplecti debent hæredes, sivè filii, sive Extranei sint, nec tergiversari, nec calumniari suos Cohæredes, tanta enim videtur esse substantia, qvantam juravit Testator, qvam solam juramento suo apud hæredes inveniri voluit.

4. §. 1. Sed hæc qvidem inter hæredes obtinent, non tamen inter Creditores; sed illis licentia sit omnia perscrutari, qvo volunt modó; Hæredes verò contenti sint iis, qvæ à Testatoribus dicta, sub pœna amissionis, qvod iis relictum, debent igitur hisce aut obedire, aut omnia contemnere, nec hæc eligere, illis verò resultare; sed defuncti voluntatem ab ejus Successoribus ita servari, ut in nullo ei contradici præsumatur.

5. *Addit*. Juramentum à moriente præstitum summam bonorum determinans præjudicat hæredibus, indeqve ab Irnerio transscripta *Auth. qvod obtinet C. de Probat.* nam LL. Romanis una qvodammodo videtur esse persona hæredis & ejus, qvi in eum transmisit hæreditatem *h. Nov. pr. L. 14. C. de usufr. L. 14.*
6. *C. de R. V.* Et qvidem rata est hæc assertio inter hæredes, non verò Creditores. Rationem hic subnectit ipse Imperator: *Qvacunqve*

cunqve pro se qvisq; vel dixerit, vel scripserit, ea neq; ipsi profutura esse, neq; Creditoribus paritura præjudicium, possunt igitur Creditores defuncti non obstante illa assertione, sive declaratione morientis licet jurata, etiam alia defuncti bona perscrutari, sibiqve nomine hypothecæ vindicare, aut aliis juris remediis uti Rittershus. *ad Nov. P. 6. C. 7. n. 6.* & licet juraverit Testator se Me- 7.
vio 100. debere, Mevius tamen post mortem ejus admitti potest ad probationem, sibi plus deberi, cum exinde, qvod juratum, Mevio non præjudicetur. Procedit id tamen ita, si propriô mo- 8.
tu juraverit moribundus, non si à Creditore ipsi delatum juramentum, illud enim habet vim transactionis, ut ne qvidem per nova Instrumenta detegi possit perjurium, *L. Admonendi 31. ff. de jurejur.* Porrò qvoqve sic procedit, si dicat Idem sub amissio- 9.
ne Salutis suæ hæc vera esse, *Er nehme es auff seine Heimfarth, Er wolle darauff leben und sterben, &c. Er nehme es auf sein Christliches Gewissen,* i. e. tam verè se hæc jurare, qvàm verè piè sit moriturus & per Conscientiam suam, qvibus assertionibus temerè fidem non abrogandam esse tradit. Brunnem. *ad Auth, qvod obtinet C. de probat.* donec probetur contrarium, qvando persona fide digna est, & Christianè vixit. Ergò, ut rem in pauca con- 10.
trahamus: opitulatur hæc *Nov. 48.* Creditoribus, cum Testator minus dixit se habere in bonis, cum plus habeat; sed præcedens *L. 6. C. de probat.* opitulatur debitoribus, qvos scil. hæredes dicunt esse hæreditarios debitores, ipsi autem inficiantur, ut scil. non convincantur scriptura Testamenti. Brunnem. *d. l.* Illud 11.
adhuc hic qværi possit; *Si Testater juraverit se plura bona non habere, qvàm haredibus ab intestato reliqvit, habeat tamen adhuc aliam Substantiam, qvàm Extraneis in Testamento postmodum reliqvit, annon de perjurio possit conveniri, & haredes sui bona ista revocandi habeant licentiam?* Resp: 1. Utrumq; negando, nam Testatoris ju- 12.
ramentum se extendit ad illa bona saltem, qvæ ab hæredibus inveniri voluit. 2. Qvod nullus, nisi sciens & volens, contra proprium juramentum veniens, perjurus dici possit, cessante enim dolô, licet qvis sit in culpa non dicitur qvis perjurus, qvia qvælibet causa, etiam injusta, & qvælibet Credulitas, etiam fatua excusat à dolo, & à pœnis doli. Setser. *de Juram. L. 1, C. 26. n. 5.* qvam-

13. 5. qvamvis igitur temerè jurans in culpa omninò sit, qvia tamen intentionem decipiendi non habet à perjurii reatu immunis erit. Nec 3. verè dici potest perjurus, qvi simplicem assertionem fidei interpositione confirmatam est transgressus Setser. *d. l. cap. 15. num. 4.* ubi tamen in subseqventibus id in Viris Principibus limitat, qvorum

Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.

& nihil est, qvod in Principe æqvè præfulgere debeat atq; rècta
14. fides. Günth. *in Ligur.* Sets. *n. 6. & seqq.* Nec revocant Hæredes sui cœtera bonâ, præsuppositô legitimam habere, hac enim relictâ reliqvà hereditate etiam absqve causa parentes liberos privare docent Finckelth. *obs. 78. n. 9.* Brunnem. *ad L. 8. C. de Inoffic.* Gail. *lib. 2. obs. 112.* Fachin. *lib. 4. Controvers. c. 2.. vers. sed non vulgaris.* Harpr. *ad §. 3. I. de Testam.* qvam sententiam diversis præjudiciis exornat Richt. *P. 1. Dec. 39.*

NOV. XLIX.

De His qvi egrediuntur ad Appellationem, & qvando per Scripturam manus propriæ fiat Collatio Literarum, & de jurejurando Dilationis, & ut conjungatur jurejurando calumn.

PRÆFATIO.

1. VOlubile hoc & humanum, qvod idem manere nunqvam potest, & semper qvidem fit, nunqvam autem manet, legislationibus, & iis, qvæ se habere rectè & firmè posita indicantur, aliqvem introducit tumultum &
2. emergentium causarum varietatem. Dudum enim correxit Imperator, qvod malè & dolosè circa appellationes actum, dum victori qvidem victoria constabat, non autem poterat judicatis frui ob appellationem interpositam, aut appellationem ipsam examinare ob Appellantis absentiam.
3. §. 1. Dudum igitur & qvidem primum annum concessit

cesſit Imperator, intra qvem appellationem offerret, & litem exeqveretur; Si verô per occaſionem judicis appellatio prolongaretur, aut per aliam qvamlibet inevitabilem cauſam, adhuc alium adjecit annum, poſt qvem niſi lis ad finem perducta ratum victoris ſententiam in prima Inſtantia haberi voluit.

§. 2. Dicit plurimos ſe interpellasſe, dicentes, ſe 4.
qvidem denunciasſe appellantibus, & voluisſe litem examinari, non tamen hoc à judicibus impetrare potuisſe, ob qvasdam inevitabiles occupationes, tum alii ventorum immenſitatem accuſaverunt, ob qvam navigare non licuit de provincia, contrariis flantibus ventis, nec verò per terram venire potuisſe propter inopiam, ſicqve non valuisſe examinare negotium usqve ad finem, ne qvidem ſecundô annô, unde hæc juſtè moverunt Imperatorem, & ne per qvandam fortunæ circumventionem lædantur, posſibile dedit præſidium.

CAP. I.

Ut imminente biennii fine Appellationis cauſa pertractetur.

APPellationis Procesſus intra annum ad finem eſt per- 1.
ducendus, niſi juſta ac gravis cauſa interveniat, ſic enim biennium conceditur, qvò ferè præterlapſô, ſi Appellans proſeqvi appellationem intermittat, Appellatus ſive Victor prioris Inſtantiæ qverelam interponere poteſt coram judice ad qvem, ut citetur Deſertor, qvi ſi non compareat, appellato jura ſua deducere licet, & ita judex ad qvem ſententiam priorem vel confirmabit, vel reformabit, pro cauſæ juſtitia, ſemper tamen ob commisſam contumaciam in Expenſas condemnabit, neutro intra biennium comparente ſententia primæ Inſtantiæ confirmatur, & Appellatio habetur pro deſerta.

2. *Addit.* Imperator *in Præfat. & C. 1.* præscribit fatale appellationis justificandæ tempus annuum, intra qvod si fieri neqveat biennium. Ad id verò, ut præterlapsô primô annô detur secundus necessum est dicente Brunnem. *ad Auth. Ei qvi appell. C. de tempor. Appellat.* ut si impedimentum contigerit in ultima parte primi anni etiam tanto tempore duraverit, ut proseqvi intra illud tempus non potuerit, qvia si in prima parte impeditus, in secunda autem parte neg[illegible]ns, negligentia seqvens impe-
3. dimentum procedens absor[illegible]et. Solent verò multa appellantibus occurrere impedimenta, qvæ sicuti instantia cursum lapsumqve fatalium impediunt, ita etiam excusationem præbent, qvò minus ob non justificatam in termino præfixo appellationem ea pro non deserta habeatur. *Auth. Ei qvi appellat. C. de tempor. ap-*
4. *pellat.* Et exempla refert ipse Imperator *§. 2. Præfat. huj. Nov.* & aliqvot Anton. Tesaur. *Decis. Pedem.* X. *n. 3. & seqq.* Qvò pertinet, si Appellans factô Principis Appellationem proseqvi fuerit impeditus, ut in *Auth. sed & lis. C. d. Tempor. Appell.* vel si agendo de nullitate principaliter dicat sententiam nullam, & probabili ratione id ostendat interea enim non currit tempus ad Ap-
5. pellandum. Et hisce casibus tradit Carpzov. *lib. 3. Respons. Tit. 12. Resp. 120. n. 14.* Appellantem melius facere, si ante terminum proferat Excusationem, allegando impedimentum, & dilationem
6. petendo, qvam facile à judice impetrabit. Cognoscit autem Judex Superior super Appellationis desertione, modo Appellatio jam introducta, & inhibitio Judici à qvo fuerit insinuata. Carpz.
7. *P. 1. Const. 20. def. 31.* Idem qvoqve super Expensis cognoscit, non etiam reqvisitus, ne dentur fomenta detestabilis jurgii, si improbi vincantur illæsi, & judicis arbitrio relictum videtur, qvando & qvibus in casibus Appellantis vel Appellati malitia Expensarum condemnatione sit coërcenda *L. 15. C. de judic. L. 25. §. 8. ff. de Æ. E.* qva tamen in re cautè, ac circumstantiis probè perpensis esse procedendum, observatô imprimis more ac stylo cujusqve judicii monet Carpzov. *Lib. 3. Resp. 122. n. 7.* vid. Gail. *lib. 1. Obs. 187.* ibiqve Græv. Ungep. *ad Decret. de Accusat. Recus.*
8. *&c. num. 25.* Cœterum in dubio judex pronunciare debet, appellationem non esse desertam. Röding. *Præd. Camer. L. 1. T. 32.*

& qvod

& qvod qvævis appellatio, qvocunqve etiam modo deserta sit, pro tali non sit habenda, priusqvam coram judice Appellationis Contumacia Appellantis accusata, & prævià causæ cognitione sententia super desertione fuerit lata. Carpzov. *P. 1. Const. 20. defin. 30. & Lib. 3. Resp. 123. n. 1. & seqq.* qvod usu servari dicit Nicolai *in Proc. P. 2. C. 11. n. 27.* ubi *num. 29.* addit: Appellatione li- 9.
cet desertâ, nihilominus tamen adhuc posse allegari & deduci nullitatem sententiæ & Processus. vid. Gail. *Lib. 1. Observ. 135.* Mynſ. *Cent. 2. Obs. 77.* C. A. *Tit. de re jud. th. 109. n. 8.*

CAP. II.

Ut ex solis documentis publice celebratis comparationes fiant, exceptis privatis, qvibus adversariis pro se utitur.

EX publice confectis documentis Imperator vult fieri 1.
comparationem, & non ex aliis, qvæ à qvoqvam scribuntur.

§. 1. Ergò si qvid tale contigerit, & qvis voluerit 2.
juxta probatas ab Adversario literas Examinationem fieri non debet accusari minus rectè factum; cui enim qvis credidit, & qvod is protulit contra qvem, & ex qvo suas allegationes affert, id non accuset, nec prohibeat Comparationem literarum ad eum fieri, licet documentum manu cujuscunqve sit conscriptum, nec enim ipse sibi resistit, & qvæ affirmavit, hæc accusavit.

§. 2. Scriptum qvod ex publicis archivis profertur & 3.
publicum habet Testimonium, ad collationem manuum susceptibile vult esse Imperator, sic tamen, ut omnibus modis jurejurando comparatio fiat.

Add. Comparatio literarum est extraordinarius probandi 4.
modus, & remedium subsidiarium, cui locus non est, nisi aliis remediis deficientibus. *L. 20. ff. de Fide instrum.* & nemo ad eam admittitur, nisi juraverit, se aliis probationibus destitui & qvod nec lucri causa, nec inimicitiis, nec gratiâ tactus hujusmodi faciat

ciat probationem. *Nov. 73. C. 7. §. 3. d. l. 20.* & debebat regulariter ex publicis non privatis fieri Instrumentis *d. l. 20. & pr. h. N. §. 1.* nisi adversarius Chirographum producat, eoqve pro se utatur, *nec enim sibi ipse resistere & qvæ semel affirmavit, hæc accusare po-*
5. *test. §. 1. h. C.* idem qvoqve in scriptura ex Archivo deprompta procedit. *§. 2. h.* locus enim publicus facit scripturam publicam. *Auth. ad hæc C. de fid. Instrum.* Qvia verò Comparatio literarum fallax & periculosum indicium præbet, cum multi inveniantur, qvi manum alienam facilè imitari, & exprimere qveunt, idcircò cautè & circumspectè agendum, & reqvisita ejus notanda sunt:
6. 1. Ut Scriptura illa, ex qva fieri debet Comparatio & indicium sit authentica, & certò ejus, qvi eam scripsisse dicitur, manu exarata per *lib. 20. C. de fid. Instrum.* 2. Ut sit publicè confecta, sive à tribus testibus subscripta, aut verò Testes in judicio deponant, se vidisse scripturam illam à debitore scribi *d. l.* hoc verò, nisi ea scriptura tunc in judicio cognita & confessata, Menoch. *Lib. 2. A. I. qv. cas. 115. num. 29.* Sichard. *ad hanc L. num. 7.* vel in judicio ab ipso, cujus esse dicitur, jam ante producta. Decius *Cons. 615. num. 3.* Köppen. *Decis. 46. P. 1. n. 37.* vel ex publico archivo deprompta fuerit *§ 2. huj. C.* Sichard. *ad d. l. num. 8.* Stracha *de Mercat. part. princ. ult. P. 1. de Probat. n. 18.* vid. supra *Nov. XV. C. 5.* qvibus casibus tradunt fieri posse comparationem, licet nec publicè confecta, nec à tribus testibus subscripta fue-
7. rit. 3. Ut à Testibus si non omnibus ad minimum tamen à duobus, à qvibus subscripta, vel in qvorum præsentia facta & scripta est, recognoscatur, *L. 20. C. d. t.* nec enim necessarium esse, ut illa scriptura propter qvam, seu ad qvam fit Comparatio sit à tribus testibus subscripta, & easdem solennitates reqviri qvoad subscriptionem in una, qvæ in ultima reqviruntur, & in hoc lapsos Dd. tradit Carpzov. *Lib. 3. Resp. Tit. 8. Resp. 84. num. 8.*
8. 4. Ut Comparationem fieri petens, Juramentum Calumniæ præstet, si hoc à Parte adversa petitum fuerit, Sichard. *ad d. l.* qvo non præstitô, Comparationem nullius esse momenti, nec qvicqvam operari tradit Idem Sichard *ad d. l. num. 5.* Scaccia *de Judic. lib. 2. C. 11. num. 1058.* 5. Ut adhibeantur duo in arte scribendi periti, qvi unâ cum judice de similitudine literarum sive characterum

racterum cognoſcant & judicent. Menoch. *L. 2. A. I. qv. caſ. 114. n. 26.* 6. Ut periti ſingulos characteres & ductûs literarum, nec non ſubſcriptiones & ſigilla diligenter obſervent, & conferant, Menoch. *d. l. n. 31.* imò ſtylum utriusqve Curiæ deferri debere, tradit Felin. *ad C. ſcripta n. 37. X. de fid. Inſtrum.* 7. Ut factâ ejus- 9.
modi literarum collatione & comparatione, periti non ſolum judici referant, ſed & juratò confirment & deponant, ſe *Credere*, Scripturam controverſam talis eſſe Notarii, vèl ejus manuſcriptam. Joſeph. Ludovici *Deciſ. Peruſ. 7. n. 8.* hoc enim juramentum non debere eſſe veritatis; ſed Credulitatis teſtatur idem, & Trentacinqv. *Reſolut. 7. de fid. Inſtrum. n. 3. verſ. qvintò reqviritur.*
8. Ut hiſce peractis, judex interloqvatur, illam ſcripturam eſſe 10.
illius manu ſcriptam. Trentacinqv. *d. l.* Menoch. *d. l. n. 9. 10.* An verò hæc reqviſita ſimul & ſemper nullô omisſo reqvirantur, & necesſaria ſint, pro caſuum diverſitate judicem arbitrari oportet.
Recognitio autem vel diffesſio jurata in Procesſu Executivo or- 11.
dinario, facienda modò illo agere & ſuum conſeqvi præoptet Actor. Fibig. *Proc. P. de Proceſſ. Exec. c. 1.* Recognitio autem fieri poteſt, non autem jurata diffesſio, niſi altera parte permittente. Finckelth. *Obſerv. 110. n. 26.* vid, Mev. *P. 6. Deciſ. 20.* & infra *Nov. 73. C. 7.*

CAP. III.

De Juramento præſentis hypotheſis cum Juramento calumniæ jungendo.

JUramentum calumniæ mox in principio litis præſtare 1.
debent litigantes, & *Actor* qvidem, qvod non calumnians litem inferat, *Reus* verò, qvod credat, ſe ſatisfactionem competenter facere, & non cauſa contentionis; illud adjiciendo, ut ſi qvis ſermonum aut literarum ſuarũ probationem petierit, prius juret, qvod *non dilationis cauſa* petat, multi namqve ſola injuriæ cauſa & maximè ſive 2.
literarum ſive ſermonum probatio objiciatur, ſive alia qvælibet cauſa ad jusjurandum hoc concurrunt, ut in uno negotio freqventer jusjurandum præbeatur.

3. §. 1. Sancit, ne crebrò in eodem negotio jusjurandum præbeatur, ut utraqve pars, dum una de Calumnia Sacramentum præbuit, alia verò justam reluctandæ litis causam se habere credens, adjiciat, se in tota lite adversario probationes exigente, non dilationis causa facturum; sed pro veritate, & si hoc jurejurando pollicitus, licet postea crebræ reqvirendæ probationes, neqvaqvam debet ulterius peti Sacramentum, sufficiente semel præstito juramento.

4. *Add.* Ad Calumniæ juramentum sufficit, ab initio litis esse præstitum, sic enim in singulis judicii actibus, si scil. probationes fuerint petitæ, repetendum non est. *Auth. Hoc Sacramentum C. de jure propt. Cal.* jurat autem *Actor*, se non Calumniandi animô litem movisse; sed existimando bonam se fovere causam. *Reus* autem, se putare, qvod bona nixus instantia ad reluctandum pervenerit. *L. 14. §. 1. C. de jurej. propt. cal.* Constituunt autem
5. Ddr. V. hujus jurejurandi capita, (1) qvod Actor juret, se non animô calumniandi; sed existimando, se bonam causam habere, litem movisse, Reus verò se non Calumniæ causa; sed qvod putet, se bona instantiâ uti, ad reluctandum venisse. (2.) Se probationes differendi negotii causa, ab Adversario minimè petiturum. (3.) Se interrogatum, verum diffiteri nolle. (4.) Se differendæ, seu protrahendæ litis causa dilationem nolle petere. (5.) Se nihil penitus patrocinii causa judicibus, vel alii cuicunqve personæ pro hac causa daturum, vel promissurum, vel qvicqvam datum, promissumve iri, aut per se aut per intermediam personam. Sneidew. *ad §. 1. n. 7. I. inf. de pœna temerè litigant.* Sichard.
6. *ad rubr. C. de Juram. Cal. n. 5.* Cœterum duo priora Capita duntaxat necessaria esse, reliqva verò tria in Juram. Calumniæ omitti posse scribit Georg. Obrecht *Tr. de Juram. Calumniæ c. 10. num. 29.*
7. qvæ sententia vera. Notandum autem, partes jurare non teneri, se bonam causam fovere, vel se bona instantia uti; sed qvod *putent*, sive *credant*, se justam habere causam, bonaqve Instantia uti Gillmut. *Arbor. Judic. Civ. c. 5. Rem. 8.* Sneidew. *ad §. 1. Inst. n. 3. de pœn. tem. litig.* Sichard. *ad rubr. C. de Jurej. Calumn. num. 7.*

Obrecht.

Obrecht. *d. C. X.* Si Juramentum hoc Calumniæ petitum, & 8.
à judice decretum Actor præstare recusat, causa cadit, & Reus
ab ipsius impetitione absolvitur, Reus autem illud præstare re-
cusans, habetur pro confesso, & condemnatur ad id, qvod peti-
tum fuit. *L. 2. §. qvod si Actor, & §. qvod si Reus C. de Juram. Cal. C. f.
X. eod.* Gail. *lib. 1. obs. 86.* Rulandt *de Commissar. P. 4. lib. 6. c. 4. M. 4.
n. 13.* ita tamen, ut recusans jurare de Calumnia possit moram 9.
suam purgare usqve ad sententiam judicis declaratoriam. Obr.
de Juram. Calumn. c. 12. n. 19. nec pœna hæc non jurantis de Ca-
lumnia transeat in hæredes si contumax ante sententiam de-
cesserit. Obrecht. *d. c. 12. n. 22.* Gail. *lib. 1. obs. 86. n. 7.* Est verò Ju-
ram. Calumniæ vel *Generale*, vel *Speciale*. *Generale* est, qvod ad to- 10.
tam causam præstatur, de qvo in *h. C. 3. Nov.* *Speciale*, qvod in cer-
to articulo causæ defertur, vel à Lege, v. gr. ei, qvi alteri jura-
mentum judiciale defert. Brunnem. *Proc. Civ. C. 15. n. 5.* & gene-
raliter in unaqvaqve parte litis toties præstatur qvoties est
præsumptio contra aliqvem, qvod malitiosè aliqvid pro-
ponat, vel ab adversario postulet, & imprimis freqventari
solet circa probationes; aliàs appellari consvevit *Juram. Ma-
litiæ* Carpzov. *P. 1. C. 12. def. 20.* ubi *def. 22.* dicit: Licet in foro 11.
Saxonico Juramentum Calumniæ generale consvetudine pror-
sus sit abrogatum, qvandoqve tamen ibi speciale posse injungi,
nullam habere dubitationem. Addit eodem loco Goswin ab 12.
Esbach. apud Gallos Juram. Cal. exolevisse, itidemqve apud
Belgas; sed in Camera Imperiali in viridi adhuc esse observan-
tia constat ex R. I. de Anno 1654. *§. über dieses 38.* Et de Jure 13.
Communi Judicem ex officio Juram. Calumniæ & malitiæ impo-
nere posse patet *ex C. 2. §. fin. de Jur. Cal. in 6to de. R. I. & §. 38.* qvin
imò est de substantia judicii, qvando scilicet à Parte exactum
est, adeò, ut missio ejus vitiet processum, & sententiam ipsô ju-
re nullam reddat. *L. 2. §. 4. C. de Jurej. propt. Cal.* Gail. *lib. 1. obs. 48.*
idcircò consensu partium expresse remitti non potest, qvamvis 14.
tacitè possit remitti, qvod factum intelligitur, qvando à neutra
parte fuit petitum. Gail. *obs. 85.* Imò nec judex remittere potest,
qvando talis remissio ad præjudicium partium spectat, & occasi-
onem calumniandi præbet. *d. l. 2. §. 4. C.* Menoch. *lib. 1. A. I. qv. 20.*

propinqvis locis ipſe per ſe audiat, alias verò ex Caria & prædictis Inſulis, ſi ab initio apud Præfectos motæ, ſi Qvæſtor Exercitus in Urbem Conſtantinopol. venerit, ſub ſe moveri & examinari una cum Qvæſtore Sacri Palatii in ſacro Auditorio patiatur.

§. 1. Si vero Qvæſtor in Myſia & Scythia commoretur, apud eum, qvi ejus locum in Urbe Conſtantinopol. 3.
implet, introduci debent Appellationes, & factum ipſum una cum Qvæſtore Palatii audiri, nec tot difficultatibus Proceſſus litigantes debent implicari; ſed in communi judicari, cum dederint Imperatori cauſam ita ordinandi Legem, ut cum majore & grandiore diligentia cauſæ exerceantur.

§. 2. Si ipſe Qvæſtor dat judicem in prædictis ſupe- 4.
rius Provinciis, is qvi ejus officium in Civitate regia ſuſtinet, audiet cauſas prout à præfecto eſt conſtitutum. Si inchoari apud Qvæſtorem litem contingat; ſed poſt in 5.
medio ejus ob militares impenſas emigrare cogatur, apud ejus officium, ſicut ipſe eandem audiviſſet, absqve mora debet impleri. Sed ſi ab initio non à Præfectis Appellatio ex aliqvot Provinciis remittatur; ſed in aliud judicium, morem Antiqvitatis obſervari vult.

Addit. Varia apud Romanos Qvæſtorum genera fuiſſe 6.
ex ipſorum Hiſtoriis patet, nam præter Qvæſtorem Palatii, qvi nunc Cancellarius dicitur, de qvo ſupra ad *Nov. 35.* habuerunt etiam Qvæſtorem Exercitus, ad qvalem præſens Novella conſcripta, cujus inter alia Officium erat, ſtipendia præbere militibus, & ſingula accepta expenſaqve rationibus inferre. vid. Alex ab Alex. *Lib. 2. Genial. dier. cap. 2.* audire qvoqve Provincialium cauſas, una cum Qvæſtore Sacri Palatii *Nov. 6. Præf. &* §. 2. Con- 7.
ſtat porrò ex hac Nov. qvot præſtantiſſimæ ditiones & Provinciæ olim ad Romanorum pertinuerint Imperium, qvarum jam pleræqve jugum Turcicum ſentiunt & paſſim ſub eo gemiſcunt; Sic Rhodum opulentam Inſulam olim, & re nauticâ maximè no-

bilem occupavit Solymannus Turcarum Rex Anno 1526. eamqve Johannitis Eqvitibus eripuit, qvi in ſedem ſuam elegerunt Maltam Inſulam, dictiqve inde Eqvites Melitenſis. Con-
8. ring. *P. 1. Theſ. Rerumpubl. Tit. 9. theſ. 10.* Ulterius Solymannus Anno 1570. Cyprum Inſulam ad Venetos poſt Romanos ſpectantem oppugnare, ac intra biennium expugnare cœpit, cauſatus, penes ſe poteſtatem Regni occupandi eſſe, qvomodocunq; vellet cum jam ante Regnum Cypri Sultanis Ægypti Tributarium fuerit, etiam Reſpubl. Venetorum Majoribus ſuis Tributum ſolverit, nunc verò ſibi non amplius integrum eſſe pro exiguo pretio id qvod ſuum esſet, alii relinqvere. Funcc. *Breviar. Orb. hodie Imp.*
9. *ſub Rep. Venet. qv. 27.* Imperator §. 1, ſubjectis è longinqvis oris venientib9 ſtatim vult ſuccurri, non longo litiū ſufflamine detineri; ſed qvam brevi poteſt temporis ſpacio cauſam maturari, ne rei familiaris & commerciorum diuturna & detrimentoſa abſen-
10. tia ſuâ jacturam faciant. Et licet illi, qvi ſub jurisdictione noſtra ſunt, peregrini eſſe non videantur, tamen qvia nec origine, nec incolatu de Corpore Civitatis ſunt, ubi cœteri domicilium habent Extraneorum & *ἀπολίδων* loco habentur, & ſic certo modo Extranei & peregrini & omnimodo favore digni, qvorum
11. ſingularem haberi rationem vult ipſum Jus Divinum, *Levit. 19. v. 33. Deut. 10. v. 18. cap. 24. v. 17. c. 26. v. 19.* inter miſerabiles perſonas referuntur, qvarum ſingularem curam Deus habet. *Pſal. 146. v. 9. Gen. c. 21.* Sed hodie plerisqve in Civitatibus peregrini odio habentur, premuntur, & ab officiis omnibus excluduntur, dum qvilibet medium concludendi, vel fundamentum cauſæ ſuæ in
12. eo ponit. Se Civicum eſſe, & Civis filium, qvod tamen contra L. Dei, ipſum Naturæ Jus, qvod cognationem inter omnes homines conſtituit, qvomodo enim lucem diemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus Viris natura aperuit, referente Tacito *lib. 20. Annal.* nam ut Poëta inqvit:

13. *Omne ſolum forti Patria eſt, ut piſcibus aqvor.*

Sic & multorum populorum humaniorum Statuta, Summario Procesſu ipſis ſuccurrere properant, prout variis locorum & Civitatum Statutis allegatis probat Giſebert. *Peric. Statut. Art. 17. §. 37.* & pluribus confirmat *Deuteronom. Harmon. Iſrael. cap. 1. n. 366.* add.

add. Benedict. *Finsterwalde Pr. Observat. 19. ad Consvetud. Archi-Duc. Austr. Super. Denen Ausländern soll man förderliches Gastrecht ergehen lassen.* Qvale genus citissimi judicii Lubecæ & in aliis 14.
Civitatibus est receptum, qvo Hospiti contra Civem, & vice-versa de simplici & plano amputatis dilationibus, & brevissimis præfixis terminis plerumq; ad summum trium dierum nonnunqvam de die in diem, *von einem Sonnenschein biß zum andern*, jus dicitur, nec sententiæ Executio ulterius extenditur. vid. Mev. *ad Jus Lubec lib. 3. Tit. 1. Art. 1. n. 52. & Tit. 4. Art. 7. n. 4.* vid. Joh. Gotth. de Borckellen. *Tr. de Jure Hospitiorum. cap. 4. n. 19. Der Rostocker Gerichts-Ordnung lib. 2. Tit. von Gast-Recht*, ut & *Gerichts-Ordnung der Churfürstlichen Stadt Franckfurt an der Oder eod. Tit.*
Cujus in judicio hoc probare sit, ostendit Modestin. Pistor. *Consil. 52. p. 580.* 15.
Neqve Extraneos nimiis sportularum actionibus esse onerandos patet ex *L. fin. C. de fructib. & lit. impens.* ut nempe æqvalitas in judiciis servetur, dum justitia suum cuiqve tribuens, omnium personarum respectum desuper habet, sicut enim Sol non est alius Pauperi, alius Diviti, non alius Majori, non alius Minori, sic in administranda justitia non respiciet personas; sed rem, ut sunt verba P. Peckii *ad Reg. 12. Jur. Canon. n. 3. in 6to.*

NOV. LI.

Scenicas non solum si fidejussores præstent sed etiam si Jusjurandum dent, sine periculo discedere.

PRÆFATIO.

Fidejussores à Scenicis mulieribus non debent exigi, 1.
qvod ad melioris vitæ frugem se velint reformare, impiam enim nihilominus complent operationem, pœnitentiæ tempus non habentes, sint igitur Fidejussores illi sine obligatione. Cœterum licet fidejussores accipe- 2.
re prohibuerit Imperator, aliam tamen viam ad majorem deducentem impietatem invenerunt lenones, jusjurandum enim exigunt, qvod nunqvam ab impia illa & turpi

turpi operatione cesſare velint, mulieres autem miſerè exiſtentes, & malè ſeductæ, piè ſe gerere putant, cum impiè agunt, & ut cuſtodiant jusjurandum, proſtituant ſuam caſtitatem, cum oporteret agnoſcere, *hujusmodi transgresſiones magis placere DEO, qvàm jurisjurandi obſervationes.*
3. Non enim ſi qvis ab aliqvo jusjurandum acceperit, qvod occidere, aut adulterium committere, aut aliqvid tale illicitum agere velit, oportet ſervari jusjurandum, utpote cum ſit turpe & illicitum, & ad perditionem ducens, po-
4. teſt igitur mulier recedere â jurisjurandi hujus amaritudine, & caſtè vivere ſine periculo perjurii, magis autem DEO amabiliter pœna perjurii contra eum, qvi jusjurandum exigit, convertenda.

5. *Add.* Qvid ſit Scena explicat JCtus in *L. 2. §. fin. ff. de his qvi not. infam.* inde Scenicæ mulieres, qvæ ludorum & qvæſtus cauſa in ſcena ſpectaculum ſui præbebant & ipsô jure erant infames, non poterant illæ fidejuſſores ſe turpem vitam relicturas, conſtituere, qvippe maleficiorum fidejusſores accipi non posſunt. *L. 70. §. f. ff. & L. 6. §. 3. L. 12. §. 11. de fidejuſſ. & mand. L. 26. &*
6. *ſeq. ff. de V. O.* nec valebat juramentum, qvo promittebant, ſe ceſſaturas nunqvam à turpi & impia operatione, nec enim eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum *C. 58. X. de R. I. in 6to.* ſemper enim ſic juramentum debet intelligi, ne ad illicita extendatur, *c. 23. X. de Juram.* tolerabilibus namqve eſt inhoneſtè promiſſum non ſervare, qvàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam horrendum crimen committere *C. 22. qv. 4.*
7. *c. 1.* v. Gail. *lib. 1. de P. P. c. 4. n. 16.* hinc laudatur David Rex, qvi temerè qvidem juravit, non tamen implevit jurationem majori pietate *C. juravit David. c. 22. qv. 4. 1. Sam. XXV. 34.* ê contra Herodes adverſus officium Sacramentum cuſtodiit, qvi juravit, qvicqvid petitum eſſet, ſe daturum filiæ Herodiadi, & necem Jo-
8. hannis præſtitit. *C. eſt etiam c. 22. qv. 4. Marc. 6. 23. & ſeqq.* Qvod ſi ejusmodi impiæ mulierculæ turpi & inhoneſtæ vitæ asſvetæ jam, videantur ad melius vitæ frugem ſe reformare velle, nondum tamen ad meliorem vitam à mores imbutæ, ut lenones ſem-

nes semper adhuc eas adsectentur, nec sic temerè juramentum exigendum, qvod ad pristinos mores nunqvam reverti velint, nam suspicio est, pejeratarus esse, nullum enim juramentum 8. grave est, furi, impostori, adultero, ut loqvitur Sophocles apud Stopæum, itaqve sapienter Apollodorus, qvi juramentum à malo Viro postulat, insanus est. De qva re extat D. Augustini testimonium *Serm. 8. C. qvi exigit 22. qv. 5.* Qvi exigit, inqvit, jurationem, multum interest, si nescit, illum juraturum falsum, anscit; si enim nescit, & idem dicit, jura mihi, ut fides ei sit, non est peccatum, tamen humana testatio est; si autem scit, eumfecisse, & cogit jurare, homicida est, ille enim se suô perjurio interimit; sed iste manum interficienti & impressit, & pressit vid. Setser. *de Juram. lib. 1. cap. 2.*

CAPUT I.

De Pœna Judicis Mulieri non assignari qvod ratione pœna ipsi assignavit Imperator, Negligentis.

Ergo qvisqvis tale juramentum accipere præsumit, 1. 10 librarum auri pœna plectatur, qvæ qvantitas ipsi infelici mulieri dari debet ad reliqvam bonæ figuræ vitam, & exigi per Administratorem Provincialem, & ei sciente judice dari, qvod si neglexerit, judicem, ejusqve hæredes & Successores, ad pœnam habebit obligatos, qvod actum pium neglexerit.

§. 1. Qvod si ipse Præses Provinciæ jusjurandum ex 2. egerit à puella, ne debeat a turpi & impia conversatione cessare, ipse etiam dicta pœnâ 10. librarum auri plectatur, & si militaris judex sit in illa provincia per illum mulieri dabitur. Si non habeat talem, Provinciæ illius Episcopus provideat; qvod si verò nec sit judex militaris, nec etiam Metropoleos Episcopus, exigat Præses pœnam prædictam à vicinis majoribus Magistratibus, qvi

ſunt in vicina provincia, & ſive judex ſive privatus ſit memorata caſtigari pœna debet, eaqve omnibus manifeſta fieri, ut cognoſcant Imperii circa caſtitatem ſtudium.

3. *Addit.* Apparet ex hoc Cap. Ipſum Judicem, ſi, qvod Officii ſui eſt, negligat decenti pœnæ ſubjici *arg. §. 91. de publ. Jud.* Ipſumqve ex officio ad actiones pias peragendas eſſe obſtrictum, nec enim prolubitu Jus & Juſtitiam adminiſtrat; ſed ut Vicarius DEI ſub pœna gravi Officium ſuum gerit, hinc cogitet, ſe non tam alios judicare, qvàm ipſum à DEO judicari. *L. 14.*
4. *C. de Judic.* Ut verò inferiores Judices & Magiſtratus ad melioris fidei frugem reforment Subditos, ipſimet ſuperiores vigilantes erunt, prout hic Imperator laudabili Exemplo alios præit, dum tantum & impiarum muliercularum animarum curam gerit, qvem in finem pœnam ipſis adjudicat, ut ſuppetat unde a-
5. nimæ neceſſaria ſuppeditentur. Nam Rex eligitur, non ut ſe molliter curet; ſed ut per ipſum ii qvi elegerunt benè beateqꝫ agant Xenophon *in memorab. Socr. lib. 3.* & viderint, qvid æterno judici reſponſuri ſint illi, qvi omnes ſibi natos exiſtimat, conceſſaqve Poteſtate temerè abutentes, innoxios ſpoliant, violant, & ſi ulterius inſanire libeat etiam Carnifici tradunt extingvendos, ſunt verba Zevecotii *Obſervat. Polit. ad Sveton. Julium Caſarem C. 43.*
6. *circa finem.* Princeps potius clementiam Dei debet imitari, & verba Imperatoris Juſtiniani in *L. Imperialis 23. C. de Nupt.* benè *perpendere; Credimus DEI benevolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam, qvantum noſtra natura posſibile eſt, imitari, qvi qvotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, & pænitentiam*
7. *ſuſcipere noſtram, & ad meliorem eam ſtatum deducere.* Ergò licet mulier Scenica olim Senatori nubere non potuerit *L. 44. pr. ff. de R. N.* vel ſi jam nupſiſſet, & artem ludicram facere cœpiſſet, dimitti potuerit *d. l. §. 7.* ſi tamen relinqvat Conſortium hujusmodi, & ſe honori à Principe reſtitui petat, poteſt à Senatore duci in uxorem, qvod non ex hac Nov. LI. eſſe dicit Matth. Steph. ſed ex *Nov. 89. & Nov. 117.* ut adeò differentiam inter hanc & *Nov. 89.* tradat cum Cujacio & Rittershuſio.

NOV.

NOV. LII.

Ut non fiant pignorationes pro aliis personis &c,

CAP I.

De Pignoratione.

PRohibentur hoc C. Pignorationes, ne propter debi- 1.
tum alterius alter detineatur, qvod si qvis fecerit,
qvadruplum illius, qvod sic exegit, violentiam passo
restituere debet, insuperqve actione, qvam adversus verum debitorem habebat cadit.

Non enim habet rationem, alium qvidem esse de- 2.
bitorem, alium verò exigi; sed nec alterum molestum esse pro altero qvodam, tanqvam invasionem aut injuriam committentem, & alium qvasi vicaneum existentem cædi, aut injuriam sustinere, & aliqvid pati pro alio, qvod non convenit, & absqve legitima occasione qvamlibet perferre calumniam, & supplicia sustinere in corpore, addit Imperator, si præsides pignorationes fieri permittant in Provinciis, qvibus præsunt, nihil tale esse qvod â manibus suis eos eripere debeat.

Add. Qvæ in hoc C. habentur cum *L. 39. ff. ad L. Aqvil.* con- 3.
veniunt, qvæ etiam pignorationes prohibere videtur; sed juxta hanc Legem pecus sic expellere debet, qvomodo si suum deprehendisset, inde etiam contra illum promittit Imperator, qvi eqvam prægnantem ita per culpam ejecit, ut postea abortum
passa fuerit *d. l. pr.* Interea omnis Pignoratio Jure Civili impro- 4.
banda non est, qvatenus enim medium compellendi & coërcendi contumaciam est, eatenus utiqve Jure Romano permissa vid. *§. pen. I. de satisdat. tut. l. 4. §. 1. ff. de damn. inf. l. 3. ff. de reb. cor. l. 9. ff. de minor. l. 40. ff. de judic.* Huc spectat illud Ciceronis *Philipp. II. Senatores, qvi sine causa â Senatu aberant pignoribus & mulcta coer-*

5. *cari.* Hodiè ex generali totius Germaniæ consvetudine pignorationes pecudis alienæ, donec de damno dato satisfiat permissas esse probant Berlich. *P. 2. Conclus. 341. n. 2.* Richt. *P. 1. dec. 5. n. 5.* Hahn. ad Wesenb. *Tit. ff. Si qvadr. pauper. fec. n. 6.* Johan. Thomæ *de Noxa animal. c. 23. n. 18.* Brunn. *ad L. 39. ff. ad L. Aqvil.* Mev. *ad*
6. *Jus Lubec. lib. 3. Tit. 11. ad rubr. n. 10.* Pecus autem pignoratum in suo fuisse repertum pignorans probare debet. vid. Thomæ *d. l. c. 8. & c. 24. n. 6.* Mev. *P. 2. dec. 107.* Secundum R. I. *de Anno 1654. §. auff daß auch der Proceß.* imprimis inqvirendum, per cujus se-
7. ptas, i. e. *Durch wessen Wehr oder Wachtungen* pecus irruerit, vel cujus culpâ damnum dederit, ita, ut si per neglecta sepimenta pignorantis id contigerit, pignoratio non solum non teneat; sed etiam talis pignorans Domino pecoris omne damnum tali pignoratione causatum restituere teneatur. *argt. L. 5 §. 1. l. 44. ff. ad L. Aqvil. l. 5. C. eod.* imò etiam aliqvando ratione injuriarum est obligatus *argt. L. 1. §. 4. 5. & seqq. de injur. l. 3. §. 1. l. 15. §. 12. ff. eod.*
8. Mev. *P. 2. dec. 331.* Nec injusta videtur talis consvetudo obinde, qvod qvis sibi ipsi fermè jus dicere videatur, qvod per *L. extat ff. qvod met. C. & l. 7. C. unde vi.* prohibitum, cum nullum dubium sit, valere statuta vel Consvetudines, de occupandis rebus propriâ autoritate, imò & inter privatos talia pacta esse licita, de qva materia uberius consulendus Excell. Dn. Stryke *Dis-*
9. *sertat. de Pignorat.* Differunt autem Pignorationes à Repressaliis & Retorsione, qvippe pignorationes sunt inventum juris Consvetudinarii, vel Statuti & prohibentur Jure Communi. *hac N. 52. c. 1. l. 39. ad L. Aqvil.* & hoc nomine in Camera decernuntur Mandata sine Claus. v. Ordin. Cam. *P. 2. Tit. 22.* Blum. *Process. Camer. Tit. 37. n. 40.* Conf. *L. un. C. ut nullus ex Vican.* Repressaliæ autem
10. sunt ex jure Gentium, & belli speciem referre dicuntur. Gail. *L. 1. Obs. 28.* Sixtin. *de Regal. lib. 2. c. 1. n. 30.* qvia omnes Repressaliarum justitia in eo consistit, ut non aliô juris remedio mihi consulere possim, dum superior non est, qvi adiri possit. vid. Pesch-
11. witz *de Repressal. c. 4. n. 7.* & Repressaliæ spectant ad juris nostri denegationem; Sed Retorsio non tam ad juris nostri denegationẽ qvàm potius ad juris nostri alibi iniqvè applicati retributionẽ ita, ut alii hic loci idem jus expectent cujus justitia fundata est *in t. t.*

ff.

ff. qvod qvisq; juris statuit &c. v. Zoes. *ad ff. Tit. Qvi Testam. fac. poss.* Illustr. Dn. de Rhetz. *Instit. J. Publ. lib. 2. tit. 10.* Nihil qvoqve habent Pignorationes cum arresto commune, qvamvis enim & 12.
Arresta dicuntur remedia extraordinaria, odiosa, ac species executionis Mev. *P. 3. dec. 315.* hujusmodi tamen ex singulari causa inter qvaslibet personas, qvæ nobis ex Contractu, Delicto, vel qvasi sunt obligatæ, etiam privatas obtinent, & fiunt autoritate Magistratus, ut hinc si qva iniqvitas subesse videtur, Magistratus autoritate temperetur. v. Gail. *de Pignorat. O. 1.* sed Pignoratio fit vel *privatâ autoritate* vel *vi Jurisdict.* vel ab eo, qvi Jurisdictionem in eo loco habet, ubi pignoratio instituenda, uti 13.
enim extra territorium jus dicenti impune non paretur *L. fin. ff. de Jurisdict.* ita qvoqve extra territorium Pignoranti impune resistitur. Inferior tamen Jurisdictio ad pignorandum sufficit, & qvidem in Saxonia & Marchia. Dn. D. Stryk. *Diss. de Pignorat. C. 2. & seqv.* Porrò qvoqve spolii & Pignorationis differentiam allegat Gail. *de Pignorat. obs. 1. n. 8.* qvod spolium non habeat locum, 14.
qvando res mobilis auffertur, cum nullum interdictum possessorium pro re mobili comparatum sit; sed pignoratio fiat in rebus mobilibus, qvia pignus à pugno dicitur, & propriè in mobilibus consistit. *L. 1. ff. de Pignorat. act.* & vid. Gail. *d. loc.* Qvantumvis autem pugnorationes inqvantum pro tuenda jurisdictione 15.
faciunt, & defendendo nostro jure moribus utiqve locorum hodie sunt permissæ, ut paulò supra demonstratum, in qvantum verò sunt species privatæ vindictæ, seu propriæ autoritatis exercitii regulariter sunt illicitæ, *argt. L. extat 13. ff. qvod met. caus. & L. si qvis intantum 7. C. unde vi.* ideò in dubio pro illicitis atqve injustis censentur, qvamdiu consvetudine non receptas apparet, de qvo & aliis passim ad h. materiam pertinentibus multis agit Mevius *in Decis.* v. imprimis. *P. 1. Dec. 34. P. 2. dec. 106. 107. & 331.* v. & Köppen. *dec. 41.*

CAP. II.

Ut donationes Imperatori â privato homine factæ non egeant insinuatione.

1.

Ratio. Non enim seqvitur, ut nec his fruatur Imperium â privatis, qvæ ab eo præbentur illis, vel ut in f. dicit, ut ex æqvalitate justitia causæ adjiciatur, facit & hæc ratio â parte Principis, qvod Dominus terræ sit in sua terra, nec possit cadere deceptio in donatione, cum donare proprium sit Principum, & actus nobilitatis. Sneidewin. *ad* §. *2. I. de Donat. n.31.*

2.

Decl. in Textu. Ut fiant hujusmodi donationes in rei veritate, & scribantur per Tabellionem & Testes adsint, præsentia autem judicis ordinaii non est necessaria, qvantacunqve etiam sit qvantitas. *gloss. hic.*

3.

Add. In Principe, qvi multa à DEO T.O.M. habere noscitur liberalitas facillimè esse debet, *N. 7. C. 2.* adeò qvidem, ut qvamvis Princeps fronte donet, ad donationem tamen se obligatum existimare debeat *c. 1. X. de donat.* sicut enim Imperialis fortuna omnes alias supereminet, ita oportet Principum liberalitates culmen aliqvod habere præcipuum *L. cum multa 7. C. de bon. qvæ lib.* & temerarium foret, Principis liberalitatem astutâ interpretatione non ad augmentum; sed ad diminutionem convertere. *L. fin. C. de Præposit. agent. in reb. l. 12.* Qvæ verò sic â Principe Imperii Filiofamil. sunt donata ad similitudinem qvasi Castrensis peculii ipsi in totum cedunt, Patri ne qvidem usufructu relictô, siqvidem non præsumitur, Principem donare, nisi de Republ Arte vel Marte bene meritis. vid. Myler. ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imper. P. 1. C. 27.* Illustr. Dn. de Rhetz. *Institut. Jur. Publ. lib. 2. Tit. 21.* & Dn. D. Schultzen *Dissertat. de Donatione Principis.*

4.

NOV. LIII.

De Exhibendis & Introducendis Reis, & ut hi qvi conveniuntur post 20. diem præsententur judicibus &c.

CAP. I. & II.

De Reis ab alio loco in alium retrahendis.

ACtor qvi impetrato Rescripto Principis Reum ad forum extraneum evocat, cavere debet per fidejussores ad certam qvantitatem datos, se executurum causam, sententiamqve suscepturum, & qvantitatem illam omnino à fidejussoribus debere exigi, & dari Reo frustra calumniam passo. Qvod si per jusjurandum etiam plus aliqvid declaraverit, Reus certa qvantitate â judice tamen antea taxata definita, & hoc debet exigi, ab Actore vel Fidejussoribus, ut cognoscant, non illudere vitas alienas; sed in provincia eligere judices, & ibi contra suos adversarios litigare. Mutuâ hac cautione ab utraqve parte præstitâ, si non compareat Actor intra 10. dierum spacium, ex qvo Reus comparuit, hic judicem adire potest, & petere, ut ab Instantia absolvatur, & Actor in expensas inutiliter factas, juramento Rei ante determinatas à judice verò moderatas, ut & in pœnam conventam condemnetur. vid. *Auth. Qvod fieri C. de Dilation.*

1.

2.

3.

Addit. Evocatio illa Reum ad aliud Territorium vel judicium hodiè non est recepta, & derogatum huic Novellæ per primæ instantiæ beneficium, licet non negem & huic renunciari posse. Mev. *P. 11. Decis. 376.* Illud tamen observatu dignum, 5.
ad

4.

ad id, ut renunciatio fori legitimè facta sit, reqviri renunciationem specialem, ita debitor vel fidejussor specialiter suo foro, in qvo domicilium fixit, renunciare debet, clausula enim generalis, Ex. gr. *Daß der Gläubiger den Bürgen für allen Gerichten fürnehmen und besprechen möge*, i. e. Creditorem facultatem habere conveniendi fidejussorem coram qvocunqve judicio, intelligitur tantum de judiciis competentibus, beneficium enim instantiarum non est facilè adimendum. Chr. Fabric. *in Addit. ad Mynf. C.1. Observ. 88.* vid. Ruedinger. *Cent.5. Observ. 37.* Specialiter Im-
6. perator Carolus IV. *in Aur. Bull. C. 11. EE.* subditis concessit, ne ab eorum judiciis ad extranea judicia, nempe ad Cameram, Aulam Cæsaream, vel Judicium Rothweilensè evocentur, tractu tamen temporis ad omnes reliqvos Imperii Status est extensum;
8. Et licet hoc Privilegium etiam tempore Caroli IV. Imperatoris, qvorundam tantum Statuum Imperii per singularem Concessionem proprium factum fuerit, hoc tamen postmodum universaliter omnibus omninò Statibus Imperii sub Maximiliano I. Imperatore per Ordinat. Camer. de Anno 1495. concessum fuisse, censet Myler. ab Ehrenb. *in Addit. ad Aur. Bull. Rumelin. P. 2. Dissert. 1. th. 2.* Buxtorff. *Dissert. ad A. B. concl. 94. lit. A.* Carpz. *ad L. Reg. German. C. 9. Sect. 2.* Aliud est Avocatio causarum, qvæ à Superiori ad Inferiorem Judicem fit, regulariter præsuppositô, qvod judicio cuiq; cursus suus integer & imperturbatus relinqvi & judicium ubi cœptũ est, finiri debeat, *L. 30. C. de Judic.* Nev. *P. 2. Dec. 134.* licet præclusum, & regulariter sic firmatum, qvod Superior causas ab inferiore avocare non debeat, Mev. *d. l.* limit. tamen, si magna &
9. necessaria causa avocandi fuerit. Idem *P. 6. Dec. 230.* Et dividitur avocatio in *Propriam & Impropriam. Propria* dicitur, qvando Princeps vel alius, cui jus avocandi competit, ab Inferiore aliàs competente judice Processum evocat, & cognitionem causæ vel recipit, aut ad suum transmittit Concilium. Damhouder.
10. *Prax. rerum Civil C. 193. num. 1. Impropria* dicitur, qvando Superior litem coram judice intentatam ad se advocat, qvod adeò procedit, ut licet partes in judicem incompetentem consenserint & Privilegio fori renunciaverint, nihilominus tamen Subditos aut eorum causas evocare Superior possit, qvâ avocatione ple-

ne pleriqve Imperii Principes contra peregrinos judices de causis subditorum suorum cognoscentes uti solent. Cum enim ho- 11.
die mutatâ Reipubl. formâ Principes & terrarum Domini jurisdictionem in subditos non jure Magistratus, aut per viam mandati Ordinarii vel Extraordinarii possideant; sed jure territorii & patrimoniali, sine facto eorum à Subditis ipsis invitis prorogari neqvit. Paurmeister. *de Jurisdict. lib. 1. C. 25. n. 42.* vid. Gail. *lib. 1. Observ. 40. per tot.* Sic si Studiosus coram judice op- 12.
pidano conventus, se sistat, ejusqve cognitioni se subjecerit, Rector Magnificus, & Senatus Accademicus causam ab illo Judice incompetente ad se possunt avocare. Besold. *Thesaur. Pract.* verb. *Absoderung.* Ubi id exemplificat in Academia Jenensi & Wittebergensi, in qvibus id strictè observari, & præ reliqvis Lipsiensem hoc privilegio frui testatur, ut non tantum causas coram Urbico Magistratu pendentes; sed etiam extra urbem ad tres diætas, ad 21. milliaria ad se avocare possit. Richter. *in Add. ad Besold. d. l.* Qvibus autem aliàs jus avocandi causas compe- 13.
tat, vid. Brunnemann. *Processs. Civ. cap. 28. n. 130.* Berlich. *P. 2. Dec. 158.* Coler. *de Process. Execut. P. 2. cap. 1. n. 149.* Covarruv. *Practic. qv. Cap. 9. n. 3.* vers. *qvarto hinc jure Pontificio.* ubi ostendit Legatum Romani Pontificis non posse causas pendentes coram judiciis ordinariis avocare, cum sit locus præventioni inter Eum & Ordinarios, per *C. si à sede de præbend. in 6to.* Speculat. *Tit. de Legat. §. nunc ostendendum vers. præmissa.*

Nec Imperator causas Subditorum statuum Imperii ad se 14.
avocat ob idem privilegium ipsis per *Aur. Bull. cap. 11.* concessum & per text. in Ordinat. Camer. de Anno 1595. rubr. *Die Unterthanen in ihren ordentlichen Gerichten bleiben zu lassen*, ut Subditi coram judiciis ordinariis sistantur. Qvod in d. Ordinat. Cam. *P. 2. Tit. 1. pr. & Tit. 5. §. Und soll sonst* ibi; *Churfürsten, Fürsten, Graffen, Herren und Stände bey ihren Rechten und Gerechtigkeiten bleiben lassen, ohne unser und männigliches Eintrag und Hinderung &c.* i. e. ut relinqvantur Elect. Principibus, Comitibus & Statibus jura sua & privilegia sine cujusvis impedimento. Nec citat hodiè Imperator Subditum mediatum sine subsidio, nisi jurisdictio ipsius aliàs fundata sit, ex. gr. si lis per Appellationem ad Cameram

fit devoluta. vid. Illuſtr. Dn. de Rhetz. *Inſtitut. Jur. Publ. Lib.* 1. *Tit.* 3. §. *fin.*

CAP. III.

Ut Reo in Jus vocato poſt Libelli dationem 20. dierum induciæ dentur.

§. 1.

1. ACtor offerre libellum Judici tenetur, & deinde Expenſis ſuis etiam Reo, poſtea ipſi olim 10. dierum induciæ concedebantur, nunc autem per hoc Cap. 20. dierum, intra qvod tempus vel repudiare judicem ſuſpectum poteſt, vel deliberare, an contendere velit, vel minus.

2. §. 2. Suſceptô libellô Reus de *judicio ſiſti* cavere debet, & tempus inſinuationis libello ſubſcribere, ut conſtet, an tranſierint 20. dies an non, poſt demum litis conteſtatio facienda, qvibus non obſervatis habetur, ac ſi nulla litis cont. facta fuiſſet.

3. *Addit.* Ex hac Nov. deſumtpa eſt *Auth. Offeratur C. de litis Cont.* cui renunciari poſſe putat Brunnem. *ad eam* niſi qvoad Libelli oblationem, qvæ ad informationem judicis reqviritur, unde patet non poſſe partes renunciare libello; eſt enim libellus origo, & fundamentum litis, qvô remiſſô, remittitur qvoqve litis conteſtatio. Gail. *lib.* 1. *Obſerv.* 76. *n.* 4. Peretz. *C. de Lit.*
4. *Cont. n.* 7. Illud hic meritò qværitur, *cuinam compoſitus libellus*
5. *offerendus ſit, Reone an judici*? Ex Sichard. ad *d. Auth. Offeratur n.* 8. hodie in Germania Reo ab Actore libellum offerri, idq; olim etiam obtinuiſſe colligi videtur, ex *L.* 1. §. 1. *ff. de lit.* Poſtea invaluiſſe videtur, ut libellus primum judici offerretur, & poſtea Reo unà cum citatione ab ipſo judice transmitteretur. *h. Nov.* 53. *cap.* 3. *Nov.* 112. *cap.* 1. & tenent Dd. communiter, Libelli ob-
6. lationem hodieqve ipſam citationem præcedere debere, Baldus in *L. cum Clericis C. de Epiſc. & Cleric.* qvo modo fieri non poteſt, qvin ipſi judici potius, qvàm reo libellus offerri debeat, qvod

forſan

forsan de Supplicatione pro Processu extrahendo verum est; sed de mero libello admitti neqvit, & Obrecht. *de Concip. & form. lib. cap. 4. n. 4.* notat, in plerisqve locis ex simplici Actoris petitione Reum in jus vocari, & postea comparenti libellum sive ejus Exemplum porrigi, qvæ omnia eo conspirare videntur, qvod nostris moribus judici amplius libellus non offeratur, utcunqve sit, vulgò ita observatur ut Reo ad supplicantis nar- 7.
rata citato comparente, Actor libellum in duplo exhibeat, & judex alterum ipsi reo tradat, alterum ad acta deponat, qvam practicandi rationem esse putat Obrecht. *d. Tr. cap. 4. n. 5.* & juri omninò congruam esse existimat Umm. *Disp. ad Proces. Jud. 6. th. 9.* non tam propter *Nov. huj. cap. 3. & Nov. 112 cap. 1.* qvam qvod finis libelli sit, ut judici & adversario speciem litis demonstret, & agentis desiderium exponat. *L. 1. ff. & L. 3. C. de Ed.* Obrecht. *d. l. cap. 17. n. 1.* illum autem nunqvam asseqvatur, nisi
utriqve exhibeatur. Induciæ aliàs sunt vel *Probatoriæ*, vel *Citatoriæ*, vel *Deliberatoriæ*, qvæ inprimis hujus loci sunt, qvæ hodiè cum Citatoriis absorbentur, qvia libelli ipsi Citationi inseri solent Brunnem. *Proc. Civil. cap. 6. n. 7.* 8.

Qvod si Pars metuat judicem suspectum esse ante Litem 9.
Contestatam Exceptionem de suspecto ipsi opponere fas est, *L. apertissimi C. de Judic. Auth. Offeratur C. de lit. Cont. C. Cum speciali de appellat.* & integra Collegia, Dicasteria, & Senatus modô adsit causa recusare licet vid. Mev. *P. 2. dec. 31.* Præside tamen Tribunalis suspecto, non statim possunt recusari ejus Membra, qvia remotô Præside surrogari potest alius. Marius Giurba *Decis. Regni Sicil. XXVII. n. 3.* Imò si causa recusationis post Litem Cont. 10.
ipsi recusanti cognita fuerit, & is non habuerit prius ejus causæ scientiam, potest post L. C. præstito hujus Ignorantiæ juramentô non minus judicem recusare, qvod sanè iniqvum non est, præsertim qvia & aliæ Exceptiones, qvæ jure ante L. Cont. sunt proponendæ admittuntur post Litis Cont. etiamsi prius fuerint ortæ, modò ipse Reus post L. C. earundem cognitionem ac scientiam habuerit *C. Pastoralis X. de Except.* Plures casus, in qvibus 11.
Exceptio hæc etiam post L. Cont. admittitur enumerant Covarruv. *Practic. Qv. c. 26. n. 2.* & Zanger. *de Except. P. 2. C. IV. n. 5.* Pacianus

12. cianus *de Probat. C. 45.* Causæ autem Suspicionis sunt inimicitia Capitalis, Imperitia Juris, si sit cognatus, vel affinis alterius Partis, ob singularem ad Causam vel Personam affectionem. Mev. *P. 1. dec. 103. n. 1. P. 2. dec. 77.* si unius Partis jura tuetur, Mev. *P. V. dec. 332.* Zanger. *de Exc. d. l. n. 20.* ubi causas præcipuas, qvi judicem
13. suspectum faciunt, recenset. *Etiamsi verò nulla humana Lex hac de re in specie fuisset facta, ipsa tamen ratio facillimè ostenderet, eorū judicia nobis fugienda, omnibusq; modis cavenda esse, qvos propter odium, inimicitiam, aliamve causam habemus suspectos, aut justè opinamur, maximè esse amicos, & propensos hisce, qvi nobiscum aliqva de re controvertunt, idcircò æqvissimô consiliô utroqve Jure Canonico & Civili constitutum est, ut nemo cogatur pati judicem, qvi sibi sit adversus, suspectus, & inimicus* sunt verba B. Dn. Ziegleri *Dicast. Conclus.*
14. *XIV. n. 2.* Unde satis manifestum evadit, injuriarum reum non esse, qvi Exceptione Recusationis utitur, modò non abutatur, sicut fit, si vel ad protrahendam litem frivolè opponitur, vel in Contumeliam judicantis tantùm dirigitur, qvod tamen non præsumitur, nisi eluceat animus injuriandi, qvem excludit cum juramentum Calumniæ, tum productæ causales cum oblatione probationis, modò tales, ut verificatæ aliqvam faciant suspicionem, & allegans hasce ad probandum admitti debet. Mev. *P. 1.*
15. *Decis. 51.* Susceptô libellô tenetur Reus satisdationem præstare de judicio sisti, qvam Imperator hic §. 2. *personalem fidejussionem* appellat, & subscribere libello, qvi itidem hic *Responsionis* appellatur, qvod si immobilia bona habeat Reus, à satisdatione est immunis *L. sciendum 15. ff. qvi satisd. cog.* ad juratoriam cautionem verò Reus non admittitur, si sit contumax in non parendo judici, nam sic beneficium juratoriæ cautionis perdit Hering. *de Fidejussor. c 16. n. 108.* qvæ aliàs nunqvam admittitur, ubi aliô remediô, qvàm per illam utriqve Parti consultum esse potest. Idem *num. 111.*

CAP. IV.

De Juratoriis Cautionibus.

1. I. Semel repudians judicem, si alium petierit, eundem rursus repudiare non potest; si juravit Reus de judicio

dicio sisti, deinde verò ante Litem Cont. latitet, ut perjurus manu injecta etiam in causa Civili jussu Magistratus est reqvirendus, si non inveniatur, præstituitur dies certus, intra qvem si non venerit judex causâ ab utraqve parte examinatâ, Actorem pro modo debiti mittit in Bonorum possessionem.

II. Si verò Reus revertatur refuso Actori omni interesse ac damnô per Contumaciam datô, ut & Fidejussore de lite perseqvenda dato, rem ab Actore possessam recipit. 2.

Add. Qvemadmodum Chamæleon connumeratur inter animalia, qvæ colorem mutant, fitqve nunc niger, nunc pallidus, nunc aliô colore mixtô, ita nonnulli Homines Polypi mentem tenent, aliud stantes, aliud sedentes volunt, de toga transeunt ad Pallium, & qvacunqve occasione levissima mox de his pœnitet, de qvibus paulò ante constituerunt contra regulam Juris Canon. *qvod semel placuit, amplius displicere non potest* vid. Peck. *ad regul. 21. jur. Canon.* & contra illud; viam qvam elegisti ambula *L. 21. inf. ff. qvod met. c. & L. si qvis 11. C. de reb. Cred.* ita non minus absurdum est, semel repudiato Judice alium petere, eundemqve rursus repudiare, nam satis absurdum est, redire ad hoc, cui renunciandum putavit, & ad tales venientes iniqvitates judices nullô modo audire debent. *d. l. 11. C. de reb. Cred.* Ulterius patet; Si reus juraverit, se judicio staturum, & postea ante L. C. latitet, ob perjurium non solennibus Edictis citatur, sed jussu Magistratus inqviritur, & manu injecta adducitur. Gail. *lib. 1. obs. 54.* Actor tamen ejus Contumaciam accusans, missionem in Bonorum possesshionem petere potest, *L. 21. §. 2. qvib. ex caus. l. 8. §. pen. C. de præscr. 30. annor. C. qvoniam § in aliis X. ut lite non Cont.* & qvidem cognitô summariter negotiô ex primo decreto rei servandæ & custodiendæ gratiâ Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 4. c. 6. verb: qvartum remedium.* qvam actione reali petit *c. ult. X. ut lite non Contest.* Si autem de rebus incorporalibus qvæstio sit, ut de Servitutibus Actor petere potest, ut servitute uti sibi liceat *L. 18. ff. Si servit. vind.* In actione personali autem petit, habita tamen bo- 3. 4. 5. 6. 7.

norum distinctione immissionem pro modo debiti *C. fin. X. de eo*
8. *qui mitt. in possess. C. qvoniam X. ut lite non Cont.* Si verò post Litem Cont. Reus contumax fuerit, potest qvidem causa in Contumaciam pro conclusa haberi, non tamen ob solam contumaciam reus amissione causæ plecti debet, qvia judex causam ipsam secundum acta & probata debet examinare, & ita secundum LL. sententiam ferre. *L. 73. ff. l. 13. §. 3. C. de Judic. l. 1. C. qvom. & qvando*
9. *Jud.* Gail. *lib. 1. obs. 60.* Dum verò hic de latitatione Rei dicitur, non qvævis sanè hic sufficit, cum ex probabili causa, vel ex culpa, nimioqve timore hominis qvis latitare possit; sed reqviritur, ut latitet fraudationis causa, i.e. ut credat justam Actoris petitionem *L. 7. pr. §. 2. & 4. ff. Qvib. ex causis in possess.* nec puto juxta Matth. Steph. sententiam *ad hanc Nov. n. 8. & seqq.* missionem in universa bona mobilia & immobilia actiones & jura decerni,
10. necessum esse; sed sufficere tantum in partem, pro qvantitate debiti, ut communis habet opinio, qvam seqvitur multis Ddr. autoritatibus allegatus Brunnem. *ad Auth. Et qvi jurat C. de bonis autorit. jud.* qvam etiam verbis Novellæ h. C. amicam dicit, ubi hæc verba *secundum mensuram* non distractioni; sed missioni jungi tradit, posse verò & Actorem jus immissione qvæsitum alteri cedere satis probatur ex *L. fin. §. 1. C. de bon. autor. jud.*

CAP. V.

De Hypothecis militiarum ex casu qvæ personæ & qvando hoc jus habeant.

1. UT plurimum olim dubitatum fuit *an militiæ possent obligari, an minus?* qvod qvidem jam Lege definitum est, nimirum consistere, qvæ vendi aut obligari, vel transire ad heredes possunt; Cœterum, qvia antiqvis temporibus juxta majorum constitutionem in militiis hypotheca non consistebat, paulatim Imppr. interpellantium Creditorum miserati hypothecam concesserunt, cum utiqve omnis militia publica esset, nullum omninò qvæ-
2. stum alium, qvam ex Imperiali munificentia habens. Sancit

cit igitur Imperator, militias, qvæ ex casu appellantur i. e. vacua Salaria non omnibus æqvè Creditoribus esse hypothecata, nisi Creditor mutuaverit ad illud, ut sibi militiam compararet, alioqvin filii, aut uxor defuncti si adfuerint, omnibus modis debent præponi, ut adeant Imperatorem eandemqve habeant non ut hæreditatem paternam, si in aliis inops sit; sed velut Imperialem munificentiam, ut bona non habentibus meritò solatium aliqvod præbeatur, militia silentiariorum, & privilegiis ipsis concessis in sua virtute interea manentibus.

Add. Militia, ut describit Gothofr. *ad L. 22. ff. de legat. 2.* est 3.
officium eorum, qui in aliqva Schola vel Collegio inter statuta sunt relati, ex qvo Commoda & Salaria à Principe conseqvuntur, talem fuisse silentiariorum militiam refert Matth. Steph. *ad huj. Nov. 17.* Faciebant hi audientiam, murmur voce compesce- 4.
bant, & cohibebant, qvorum Schola in aula Constantinopolitana erat, ut ex Nicephoro *Lib. 16. cap. 14.* apparet, de illis meminit *L. ult. C. de Excusat. Tut. & L. 30. §. ult. ff. de Inoffic. Testam.* hosqve intellexit Claudianus dum ait:

Sacroq; adhibere silentia somno.

Apud Romanos, qvi militiam ejusmodi habebant, ferebant 5.
commoda & annonas ex fisco, eadem commoda sibi vendicabant Creditores jure hypothecæ, adeoqve Creditor, cui militia qvædam erat obligata poterat Jure hypothecæ per actionem hypothecariam sibi vendicare commoda & stipendia, qvæ ex fisco percipere solebat is, qvi militiam habebat jure hypothecæ alteri obligata, Steph. *ad Nov. huj. n. 18.* qvi uberius hanc materiam & qvid circa eam apud Romanos obtinuerit, examinat. Ho- 6.
diè licet officia & munia ejusmodi apud nos cessent, jura tamen circa hæc observata hodiè ad Salaria Advocatorum posse applicari non est dubium, qvia nec incongruum est illorum sententia, qvi & ad Annum Gratiæ hodie ex munificentia Principis Professorum & Pastorum Viduis concessum, extendunt. In- 7.
de & hodiè communis Ddr. est sententia Salarium Advocati transmitti ad hæredes, licet intra Annum decedat, nec possit pro

pro toto tempore, qvo tenebatur, patrocinium præstare; qvam sententiam nominatim firmant Wesenbec. *ff. C. de Advoc. diverſ. Judic.* Berlich. *P. 1. Concl. IX. n. 28.* Steph. *de Jurisdict. lib. 3. P. 2. c. 3.* Menoch. *lib. 3. præſ. 85. n. 17.* Mascard. *de Probat. Concl. 990. num. 2.*
8. Conf. Excell. Dn. Stryk. *de Privileg. Advocat. Vol. 1. C. 3.* ſicut & Salaria vacua non omnibus æqvè Creditoribus erant hypothecata qvondam h. C. ita nec hodie Creditores, qvæ ex munificentia Principis proficiſcuntur admittuntur inprimis ad ea, qvæ ad liberos & viduam ob annum Gratiæ debentur, non enim à Patre ad filios transferuntur; ſed ex liberalitate Principis, ut per conſeqvens Creditoribus hic nihil juris ſit concedendum argt. *h. C. 5.* ex qvo textu hoc pari modô decidunt Rauchbar. *P. 1. qv. 25. n. 23.* Carpzov. *Jurispr. For. P. 2. C. 5. def. 10. & Jurispr. Conſiſtor. lib. 1.*
9. Finckelth. *de Jur. Patron. C. 6. n. 108.* Atqve hæc non ſaltem in Vidua & liberis Paſtorum; ſed & Profesſorum, cum in his par æqvitatis ratio militet, meritorum ſcil. & Salariorum exiguitas. Hinc de ipſis rectè dicitur, qvod Profeſſores in fata concedentes famam qvandoqve ſibi, liberis & familiæ famem utplurimum relinqvant, & ita eorum hæreditas ſine ullo corpore intellectum juris habeat. Limn. *Tom. 3. Jur. P. lib. 8. c. 3.* Conf. Excell. Dn. Stryk. *Diſſert. de Anno Gratiæ C. 7.*

CAP. VI.

De Muliere inope indotata.

1. SI ſine dote exiſtentem uxorem Vir dimiſerit, qvartam partem ejus bonorum accipiet, licet forte paucos aut plures filios habeat, qvod ſi ipſi Vir legatum aliqvod reliqverit, minus qvarta hoc omninò compleri debet, qvod ſimiliter in Viris & mulieribus debet obſervari.

2. §. 1. Qvod ſi qvasdam res proprias mulier in domo viri aut alibi repoſitas habeat, harum actionem & retentionem omnibus modis habeat imminutam, nec Creditoribus mariti ſubjaceant, niſi forte qvando mulier dives deceſſit, & vir inops ſuperſtes eſt, & ſuccedat cum liberis in qvartam bonorum.

§. 2. Di-

§. 2. Dicta locum habent, si Dos aut Donatio propter nupt. facta non fuerit, & sic vir aut mulier inops inveniatur, moriens autem Vir aut mulier locuples inveniatur, ille verò vel illa pauper existat, nam si dotem intulerit uxor, eandem repetere, nec paupera dici potest, nec erit justum gravare filios per successionem; nisi tamen vir aut legatum ipsi, aut aliqvam partem titulo pro hærede reliqverit, qvod fieri omninò permittit Imperator, ut omnibus modis concordantiæ LL. serventur, & inopia conjugis per divitias alterius sublevetur. 3.

Addit. Principium huj. Novellæ correctum est per *Nov. 3. Cap. 5.* ubi qvartam partem tunc demum accipit, si tres sint liberi vel pauciores; si verò plures succedit in virilem portionem reservatâ liberis proprietate, si adsint, si nulli superstites qvartam partem plenô jure capit. *Auth. Præterea C. unde Vir & Uxor.* Reqviritur tamen per hoc *Cap. 6.* ut conjux præmoriens locuples. 2. Ut superstes sit inops, qvid verò juris si uxor ipsa inopia qvidem laboret parentem tamen divitem habeat, an nihilominus qvartam ex bonis mariti petere possit? examinat Excellent. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab Intest. Dissert. 4. Cap. 1. th. 21. & seqq.* 3. Ut Matrimonium sit indotatum, dotem enim si habeat, repetere potest *§. 2. l. c.* Necessarium tamen esse dicit Idem *c. l. th. 22.* ut dos tanta sit, unde se exhibere possit uxor. i. e. qvæ ad necessaria vitæ subsidia sufficiat. Hinc si modica dos fuerit, nihilominus hanc successionem deberi putat. Idem juris esse putat, si pactis dotalibus certa portio expressa sit, qvæ superstiti Conjugi in casum mortis præstari debeat, eo ipsô enim jure petendi qvartam vel portionem statutariam renunciatum videtur, nec inopiam allegare potest Vidua, qvæ in casum mortis se illa portione contentam fore in pactis dotalibus constituit. Idem *th. 23.* Illa qvarta autem de Jure Civili ita præcise debebatur, ut maritus ea uxorem privare non potuerit, qvod Carpzov. *P. 3. Constit. 7. defin. 8.* sic extendit, licet statutum Conjugi superstiti totam Defuncti Substantiam deferat, in qvo tamen contradicentem habet Mevium *ad Jus Lub. P. 2. Tit. 1. Art. 8. n. 61.* vid. & Berlich. *P. 3. Conclus. 9. n. 45.* 4. 5. 6. 7.

8. Solutô Matrimoniô recuperat omnia ad Maritum illata bona Uxor, qvaliacunq; ea sint *s. 1. b.* & licet aliqvi tradant, in bona dotalia uxoris Creditores immissionem petere posse, cum fructus sint mariti, adeoq; in illos Creditores immissionē petere, hoc tamen intelligit Brunn. *ad L. 3. C. Ne uxor pro mar.* si maritus ex labore vel arte sua uxorem alere, & onera matrimonii ferre possit, sic enim cum alimenta à marito habeat, non posset qvidem impedire, qvo mariti Creditor in fructus dotales prædii immitti, & eos tamdiu percipere possit, qvamdiu matrimonium constat, cum fructus mariti sint, aliud verò si maritus non ferat onera matrimonii ob paupertatem, & uxor ea ferre teneatur,
9. multò minus etiam ex fructibus Paraphernalium Creditor potest solutionem petere, qvia eorum fructus ad maritum non pertinent; Ergò nec ullò colore Creditor eos petere potest. Gail. *Lib. 2. Observ. 83.* omnium minimè verò in Receptitiis bonis, qvorum nec Administratio cum marito competat, Creditores mariti
10. nihil juris prætendere valent, vid. Brunnem. *ad d. L. 3.* Ergò si nec qvoad Civilia Uxor obstricta, multo minus in criminalibus pro marito tenebitur uxor, v. gr. in crimine perduellionis, à qvo in specie eam eximit Imperator. *L. qvisqvis 5. §. 5. C. ad L. Jul. Maj.* scilicet ut cum ob id omnia mariti bona confiscantur, dotalia tamen uxoris eximantur, *L. qvod placuit 37. ff. de Jure fisci d. L. 5. C.* Gail. *lib. 2. de P. P. Observ. 16. n. 4. per tot. & lib. 2. Observat. 86.*
11. Qvod adeò verum est, ut uxor pro dote recuperanda etiam domus demolitionem, in qva delictum commissum est, impedire possit. vid. Myler. ab Ehrenb. *in Addit. ad Rumelin. A. B. P. 3. Dissert. 4. ad th. 18.*

12. Ultra dotem, qvam Maritus Uxori post mortem debet, non prohibetur uxori per ultimam voluntatem legatum relinqvere, nam si erga Extraneum liberalitatem suam exercere nemo perhibetur, modo illa LL. congrua sit, & judicialiter fiat, si excessiva, qvare non & in uxorem, qvæ omnis fortunæ, & divini humaniq; juris viva consors fuit, & per mortem fuerit con-
13. firmata. *L. 32. §. 3. ff. & L. 24. 25. C. de donat. inter Vir. & Ux. c. fin. X. eod.* Si autem bona dotalia consumpta, & legatum maritus reliqvit, illud meritò in qvartam imputatur, qvod & locum habet

bet in statutaria portione, qvæ in locum qvartæ alicubi surrogata; nam cum in necessitatibus nemo liberalis præsummatur, legatum tale in portionem statutariam merito imputandum tradente Brunnem. *ad L. un. & Auth. Praterea C. unde Vir. & Uxor.* vid. Rittershus. *Jus Noviss. P. 1. C. 18.*

NOV. LIV.

De adscriptitio & ex libera natis liberis &c.

PRÆFATIO ET CAP. I.

Ut natus ex adscriptitio & libera sit liber.

OLim nati ex Adscriptitio & Matre libera adscriptitiam fortunam secundum servilis fortunæ observationem seqvebantur, & erant Adscriptitii, qvod tamen post correxit Imperator, ex libera namqve matre procedere servilem partum ejus benefaciens noluit Lex, ideoqve sancit, omnes qvi nati sunt, à tempore Legis solutos esse adscriptitia fortuna, modò ex liberis nati matribus. 1.

Add. Adscriptitii dicuntur glebæ adscripti, qvi prædio ita sunt adscripti, ut ne momento qvidem temporis se separare possint *L. 15. C. de Agric. Censit.* Gallis vocantur *Hommes de main morte.* Cum igitur à prædiis avelli non possint, non potest id Dominus vendere, vel donare sine Colonis, qvare eos qvos utiles esse credit aut cum prædio retinere, aut profuturos aliis relinqvere debet, si sibi prædium prodesse desperat. *L. 2. C. d. t.* ne scil: Agricultura detrimentum patiatur in grave Reipub. dispendium, idcirco Covarruv. *ad C. qvamvis P. 2. §. 1. n. 3.* dicit, Contractum hunc non valere, nec juramento confirmari. Apud nos hominibus Propriis similes esse videntur, nec enim servi sunt omninò; sed in territorio Domini sunt tanqvam alligati, non habentes demigrandi facultatem, & si alio fugerint, potest eos Dominus perseqvi, & capere, qvamvis ingressi fuerint loca exemta, 2. 3.

4. eorumqve privilegiis se tueri velint. Peretz. *C. h. t. n. 31.* idqve dicente Mevio *P. 2. Dec. 274.* meretur tum ipsorum crimen, tum jus Dominorum, tum eos sine mora ad glebam reducendi æqvitas, & utilitas. Si verò in servitute aliqvando fuisse negatur, aut ignoratur, deficiente probatione ante causæ Cognitionem, re-
5. stitutioni locus non est. Mev. *P. V. Dec. 227. n. 5.* Vult autem hic Imperator ex Adscriptitio & libera natos nunc esse liberos homines, ad hunc Effectum, ut sibi possent acqvirere, & peculium proprium habere, non tamen, qvia Coloni una cum Sobole sua maneant, & agrum colere cogantur cui Pater fuit adscri-
6. ptitius. Cujacius *lib. 4. obs. c. 28.* Ne tamen Domini per hujusmodi Constitutiones damnum paterentur, vetitum fuit Connubium Adscriptitiorum cum liberis mulieribus, sic ut illi ab eis extrahi possent, & per Præsidem moderatâ castigatione corrigi, si non consentiente Dominô duxissent *L. ult. C. de agric. & censit.* v. Mev. *P. 6. dec. 102.* & ex hac ratione non poterant sine expresso consensu Dominorum suorum vel Clerici creari, vel in Monasteria recipi, qvia Ecclesia nemini adimit, qvod suum est, cum sit cultrix & amatrix justitiæ *L. 57. C. de Episc. & Cleric.* qvod tamen *Auth. Adscriptitio 5. C. eod.* concedit, modo alium Agricolam surrogant, & substituant, qvia sic Dominus lædi non videtur. vid. Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 1. c. 5.*

CAPUT II.

Ut œconomi res Ecclesiæ permutare invicem possint excepta Ecclesia Constantinopol.

1. OEconomi Ecclesiarum possunt permutare Ecclesiam ad Ecclesiam aut Ptochotrophium, aut Monasterium ad venerandam domum, aut Xenodochium aut nosocomium, &c. sic tamen, ut decretum interponatur cum omni subtilitate & jurejurando, & apud locorum Metropolitam consideretur, atqve hoc ita ratum sit, & valeat, ut non egeat speciali jussione, neqve pragmatico

gmatico divino typo, habentibus iis, qvi ad talia convenient, magnum Dei judicium, siqvidem prævaricati fuerint, aut qvoddam fecerint colludium, aut aliqvid propter utilitatem utriusqve partis gesserint.

§. 1. Sola excipitur Ecclesia major, qvæ nullam cum alia permutationem facit. 2.

Add. Supra Imperator *Nov. 7. cap. 5.* Se solo exceptô etiam permutationem unius rei Ecclesiasticæ cum alia prohibuerat, 3.
hic verò eandem præsulibus Ecclesiarum concedit, modò bonâ fide, nec dolosè vel fraudulenter fiat, nam multa, qvæ alienari non possunt permutari tamen qveunt ut fundus dotalis *l. 26. ff. de Jure dot.* Idem in Emphyteusi communiter volunt Ddr. Brunn. 4.
ad Auth. item sibi invicem C. de SS. Eccles. aliud verò in Feudo qvamvis enim ita Feudum recipiat, & prioris Domini Vasallus maneat, invito Domino tamen id facere neqvit, utpote cujus voluntas ad certum prædium est restricta, & permutatio vicem emtionis obtinet. *L. 2. C. de Rer. permutat.* Gothofr. Anton. Disppt. *Feudal. IX. th. 5.* Excell. Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feudal. C. 19. qv. 6.* Sola excipitur Ecclesia Constantinopolit. Major, qvæ ut Religio- 5.
nis & fidei mater perpetua est, ita & patrimonium ejus, qvod in prædiis Ecclesiasticis consistit, perpetuum esse oportet; Brunn. *ad L. Jubemus 14. C. de SS. Eccles. n. 11.* Licet qvoqve *in d. l. 14.* Ecclesia Constantinopol. fidei ac religionis mater perpetua vocetur, ex eo tamen Elogio primatus istius Ecclesiæ non probatur, & qvod sit aliarum Caput potestatis ratione observante Brunnem. *d. l. pr. in fin.*

NOV. LV.

Ut de cœtero commutationes rerum Ecclesiasticarum non ficte fiant ad Imperat. & hoc modo ad alias personas res transeant &c.

CAP. I.

1. PErmutationes qvæ cum Imperatore fiunt, valent, ut tamen perpetuo apud Imperium maneant, nec transferantur ad privatum, nec illorum jus per medium Imperium ad eos proficiſcatur. Si contra fiat, Oeconomi rurſus ad Eccleſias trahant, planè & ſi nec ab initio tales permutationes fuiſſent factæ cum Imperatore.

2. *Add.* Permutationes igitur Bonorum Eccleſiaſticorum cum Imperatore valent, ob rationem jam tum ſupra *Nov. 7. C. 11.* allegatam; *Cur enim Imperator non det meliora, cui plurima dedit Deus habere, & multorum Dominum eſſe &c.* qvod tamen dicitur in privatos ejusmodi bona non transferri debere, mutatum eſſe videtur per *Nov. CXIX. C. 7.*
3. Qvod ſi attendatur ratio *C. 3. X. de rerum permutat.* juxta qvam qvod ſemel Deo conſecratum eſt, ad humanos uſus transferri non decet, nec cum Principe qvidem rem Eccleſiæ permutare liceret, contrarium tamen expreſſe *C. VI. X. eod.* eſt deciſum, juxta qvod Eccleſiæ jure proprietatis poſ-
4. ſunt ad invicem permutari, prout & poſſesſiones earum, aliud verò in Præbendis & Beneficiis, qvæ pacto præcedente permutari non poſſunt *C. 5. X. eod.* & ait Ziegler. *ad Lancellott. lib. 1. Tit. 19. ad §. 4.* optimè ſe res Eccleſiæ habere, ſi permutationes ejusmodi adhuc omninò eſſent prohibitæ, dum priſca ſeveritas Commercii hoc genus ferre non poterat, qvod hodiè utilitatis velamento adumbrari plerumqve ſolet.

CAP. II.

Ut Eccleſiis inter ſe liceat perpetuos contractus Emphyteuticos facere.

Vid. ſupra Nov. VII. Cap. III.

NOV. LVI.

Ut ea qvæ vocantur inſinuativa ſuper Clericis in Majore qvidem Eccleſia dentur, in aliis autem non.

Im-

IMperator prohibet insinuativa exigi à Clericis ordinatis. 1.

Ratio Nam defunctiones & Ministeria non per Venditio- 2.
nem, nec per mercationem fieri aliqvam vult; sed purè & citra redemptionem. Si qvis tale qvid egerit, privari debet Sacerdotio, & electus alius ipsi succedere, custodiant qvoq; hoc Defensores Ecclesiæ sub pœna 10. librarum auri, si qvid horum neglexerint, nam gratis omnia procedant.

Excipiuntur Ordinati in Ecclesia majori, à qvibus juxta 3.
consvetudinem accipere licet.

Addit. Insinuativa vel ἐμφανιστικά dicuntur dona & mu- 4.
nera ad aliqvem dignitatis gradum (maximè in spiritualibus) conseqvendum, largita. & qvidem non rectâ; sed per qvosdam sinus, & qvasi diverticula. Hæc si dentur pro ingressu, ut vult 5.
Stephan. *ad h. Nov.* extra labem sunt, cum per hæc non æstimetur res Sacra pretio, & dentur potius pro alimentis & sustentatione necessaria, Zœs. *ad Decret. de Simonia n. 16.* & sic etiam eadem probat Brunneman. *ad L. 31. C. in fin. de Episc. & Cleric.* licet non sit negandum, exinde morem fluxisse, qvod bona ingredientium Monasteria applicari cœperint ipsis Monasteriis. Propter qvod Privilegium, inqvit Joh. Petrus de Ferrariis *in Pr.* 6.
Tit. 50. Gloss. 9. n. 4. & seqq. Multiplicata sunt & fundata Monasteria infinita per universum orbem olim causa devotionis, licet hodie causa rapinæ & avaritiæ in tantum, qvod destruxerunt hodie mundum, & annihilaverunt statum imperii & omnium Laicorum. Possint ergo meritò dici talia loca facta vel fienda 7.
retia contexta ad capienda Laicorum bona. Surgat ergò bonus Imperator, & dicant omnes: Fiat Pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, qvæ sunt verba dicti de Ferrariis allegata à Ziegler. *ad Lancellot. lib. 1. Tit. in fin.*

Qvod si verò insinuativa dentur, ut apud Eligentes & 8.
Patronos Candidati se insinuent, meritô illicita sunt, & Simoniaci tales censendi, nec enim pretiô sed precibus ordinandus est Episcopus, non æstimandum qvantum qvis dare possit; sed qvanta sint ejus merita, à Sacris adytis repellendum piaculare flagitium, imò tantum abest, ut qvis pretio obtinere possit Episcopatum,

ſcopatum, ut etiam ille eligi debeat Epiſcopus non qvi ambit, ſed invitus, & qvi recuſat, indignus enim Sacerdotio eſt, qvi non fuerit invitus ordinatus, ſunt verba Brunnem. *ad d. L. 31. C. de Epiſc. & Cler.* vid. & in *Jur. Eccleſ. lib. 2. C. 18. n. 6. & ſeqq.*

NOV. LVII.

Ut Clerici qvi recedunt aliis pro eis ſurrogatis præbeant ſurrogatis emolumenta &c. &c.

CAP. I.

De Clericis ſurrogandis in locum deſertorum Clericorum.

1. SI Clerici dereliqverint Eccleſiam ſuam, alii in illorum locum ſunt ſurrogandi, qvibus derelinqventium emolumenta ſunt asſignanda, qvod ſi denuò remeare voluerint, revertentes non debent ſuſcipi. Non verò Oeconomi ejusmodi emolumenta in ſuum lucrum vertant; ſed integra Clericis bona fide diſtribuant.

2. *Addit.* Miniſter Eccleſiæ ex qvo Eccleſiæ præſentatus, ordinatus, & ei præfectus eſt, Spirituale Conjugium cum Eccleſia ſua iniit, hinc ſicuti Maritus fidelis Uxorem legitimè ſibi junctam non deſerit, ſic nec tale nefas committat pius Miniſter, qvare ſi vel periculô belli aut peſtis deſerat Eccleſiam, aut fugiat, ſuſpectum ſe reddit, qvod nullam fiduciam in Deum habeat, & ſit mercenarius. Brunneman. *Jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 6. M.*
3. *10. §. 12.* facit, qvod in ejusmodi calamitoſo & periculoſo ſtatu Miniſtri opera & præſentia tum propter ſolatii ſuggeſtionem, tum SS. Cœnæ adminiſtrationem, tum deniqve ob Ευθανασίας præſcriptionem maximopere opus habeant Auditores. Eckhard.
4. *Paſt. Conſcient. Claſſ. 1. qv. 6. & 15.* Hinc licet perſecutio univerſalis ſit, & hic nihilominus fugiat, Conſcientiam lædit, atqve aliqvando rationem redditurus eſt. Eccleſiæ autem, ut erranti ovi,

cum

cum ſine paſtore esſe neqveat, jus integrum manet alium vo- 5.
candi, eidemq; emolumenta debita asſignari, ita, ut periculô ceſſante ſi ſe offerat deſertor, receptionem non mereatur, non enim hic redintegrationi & receptioni locus eſſe debet, licet re integrâ revertatur, damnum enim hic ſuâ culpâ dedit, qvod tamen in deſertore Conjugis aliter ſe habet, vinculo matrimonii licet laxato, qvod factum in favorem deſerti, & odium deſerentis. vid. Carpzov. *Juriſpr. Eccleſ. l. 3. def. 68.* Conf. Mengering. *Informator. Conſc. Evangel. Domin. Remitt. qv. 2.*

CAP. II.

Ut Fundatoribus Eccleſiarum facere in eis Clericos non liceat; ſed tantum præſentare.

1 FUndatores Eccleſiarum, qvi easdem vel ædificarunt, vel reditibus certis dotarunt, non habeant ullam fiduciam qvos volunt ordinare Eccleſiæ Miniſtros; ſed debent examinari ab Episſcopo, cujus ſententiæ debet ſtari, an ſint digni miniſterio, vel minus, ne profanentur Sancta DEI; ſed intacta hæc & ineffabilia tremendaqve conſtituta ſanctè & DEO amabiliter & venerandè tractentur.

2. *Addit.* Jus Patronatus definit Matth. Steph. *Tr. de Jure Patronat. P. 1. C. 7.* qvod ſit jus ſive poteſtas præſentandi inſtituendum Epiſcopo ad vacans beneficium ſive munus Eccleſiæ, vel Academiæ, vel ſimile, competens ex eo, qvod qvis Eccleſiam, vel Academiam fundavit, exſtruxit, vel dotavit. Longè tamen 3. differt hoc jus Patron. à Jure Epiſcopali, nam 1. Nominatio, Vocatio, & Præſentatio Patrono Jure Patronatus competit *Nov. h. 57. c. 2. & c. fin. X. de Jure Patron.* Ordinariè verò inſtitutio, ſeu Confirmatio expeditur ab Epiſcopo, ſeu Conſiſtoriis. d. c. fin. 4. Matth. Steph. *de Jurisdict. lib. 4. c. 12. n. 44.* 2. De cauſis Juris Patronatus ipſe Patronus cognoſcere neqvit; ſed Cognitio iſta ad Epiſcopum pertinet *c. 10. X. de Jure Patron.* idqve vi & poteſtate Juris Epiſcopalis, cum nihil commune habeat Jus Patronatus

cum Jurisdictione Ecclesiastica Steph. *d. l. P. 1. c. 3. n. 7. seqq. & ad Nov. h. n. 9. & seqq.* Finckelth. *de Jure Patron. C. 2. n. 21.* 3. Qvod
5. semel à Patrono præsentatus, & ab Episcopo institutus non à Patrono iterum ab officio removeri, vel pro arbitrio suo suspendi possit, cum ut jus instituendi, ita & jus destituendi, si gravis & sufficiens causa adsit, non nisi ad Episcopum pertineat. Finckelth. *d. l. n. 21.* Brunnem. *Jus Eccles. lib. 2. c. 8. n. 1.* unde seqvitur, nec Patronum posse Pastori suggestum interdicere, cum ex hac sæpenumero vel depositio, vel remotio seqvi soleat. Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 1. tit. 5. def. 70.* In Marchia tamen obtinuerunt
6. hoc Patroni, ut & jus removendi vocatum Pastorem habeant, per dispositionem Ordinat. Consist. March. *Tit. X. §. fin. ibi: Weil die Patronen und Collatores, welche die Pfarren zu vociren, und zu præsentiren, auch wieder zu entuhrlauben hergebracht haben, soll es dabey nochmahls gelassen werden.* i. e. cum Patroni habeant facultatem, & vocandi & præsentandi Sacerdotes ut & dimittendi ab anti-
7. qvo, sic etiam imposterum iis debet relinqvi. Hoc verò ut præviô legitimô Processu fiat, statutum in Recessu Provinciali March. de Anno 1653. §. 3. qvô casu tamen si delictum, ob qvod removendus Pastor, ipsum Patronum respiciat, si fortè hunc injuriis affecerit, ne hic in sua causa judicet, coram Consistorio Processum ventilandum esse putat Excell. Dn. Stryk *in Add. Brunnem. Jus Eccles. d. l. §. 30.* adductus præjudicio in Consilio secretiori Brandenb. die 4. Julii Anno 1656. publicato, cujus tenorem dicto loco recenset.
8. Patet autem ex textu *ædificatione* Jus Patronatus acqviri, qvi tamen ædificat etiam ad dotandam se obligasse videtur non aliter ac Pater generans filiam eidem dotem debet, cum paternum sit officium dotare filias *L. fin. C. de dot. promiss.* imò & per reædificationem acqviritur, modò Patronus, qvi Ecclesiam fundaverat, eam reficere nolit, nam si velit, alius ad hanc refectionem non admittendus, qvod si nolit, ejus jus per hanc negligentiam exspirat. P. Pechius *de Eccles. repar. c. 34. n. 1.* Magir. *de Advocatia ar-*
9. *mata. c. 4. n. 614.* v. Zœs. *ad Decr. Tit. de Jure Patron. n. 6.* Sola verò reparatio non sufficit, hinc si ruinosa sit Ecclesia, eaq; pro parte tantum, vel etiam integra diversis tamen vicibus ex eadem vel diversa materia refecta sit, neqve prior patronus jus suum amit-

tit,

tit, nec reficiens Jus Patronatus inde conseqvitur. Dn. D. Stryk.
c.l. ad §. *VI.* Dotem verò qvod attinet, qvanta debeat esse, & qvæ 10.
dicatur dos Ecclesiæ sufficiens seu congrua exponit Ziegler. *Tr. de Dote Eccles. c.7.* An verò hi tres modi Fundatio, Constructio, & dotatio copulativè reqvirantur distinctè explicat Finckelth. *C.IV. qv. 20. de Jure Patron.* qvi de hac materia uberius cum cœteris Ddr. consulendus. vid. Matth. Steph. *d.l. P.1.C.13. & seqq.* Carpzov. *Jurispr. Eccles. lib.1. tit.2.* Vallens. Zœs. *Decret. de Jure Patron.* Ziegl. *ad Lancellott. lib.1. Tit.28.* Nec verò potestas ordi- 11.
nandi aut examinandi Canditatum, an nimirum sit instructus necessaria & sufficiente articulorum fidei & lectionis Biblicæ cognitione, ad Patronum Ecclesiæ pertinet, ne Asinus pro Iside obtrudatur Ecclesiæ, ut fit sæpenumero non sine vulnere Conscientiæ. Ergo Examen præmittendum est, apud Protestantes 12.
qvidem in Consistoriis à Viris doctis & in S. literis abunde instructis, nec verò Concio δοκιμαστική stare potest loco Examinis, cumprimis si textus eligatur, & personæ nominatæ exponendus exhibeatur, nam de externis donis & aliis consimilibus judicare qvidem potest auditus, de Eruditione autem non satis tutò & cum Pastores eligendi, qvi ad docendum sunt idonei, item qvi irreprehensibiles & sine crimine sunt, *1. Tim.3.v.2. Tit.1.v.7.* de hisce verò & similibus aliis Exactiora judicia non sint, qvam i- 13.
psorum Sacerdotum, qvi in dies & horas singulas adversus Dæmonem castra metantur, horum Examini ante omnia meritò standum, Ergò illô præmissô Examinatus ad publicam concionem δοκιμαστικὴν est admittendus, & Ecclesiæ præsentandus Haveman. *de Jure Episcop. tit.12.* §.2. vid. Carpzov. *Jurispr. Consist. lib.1. Tit.4. def.50. & seqq.*

NOV. LVIII.

Ut in privatis Domibus Sacra mysteria non fiant.

PRÆFATIO.

I. OMnibus Civitatis Constantinopolit. Habitatoribꝰ 1.
interdicit, magis autem totius ditionis in domi-

 bus

bus suis habere qvasdam qvasi Orationum domos, & in
his Sacra celebrare mysteria, & hinc fieri qvædam Ca-
2. tholicæ & Apostolicæ traditioni extranea. Oratoria ve-
rò extructa privatarum precum causa in ædibus privatis
concedit, nisi tamen & ad ea Clericos qvosdam invitare
velint, invidia enim nulla est, si volunt circa hæc habere
habitacula qvædam, & in eis tanqvam in Sacris orare, ali-
is autem omnibus abstinere.

3. II. Si Domuum Domini hæc non observaverint, ipsi
sub Imperiali motu sint, domus autem in qvibus tale qvid
agitur, & publicæ sint, & sub Sacratissimum ærarium de-
deducantur.

4. III. Si contingat, tale qvid aliqvos habere in domi-
bus suis, nisi intra tres menses ex qvo hæc Lex insinuata
fuerit, hæc correxerint, & ad figuram ordinatam dedu-
xerint, sub pœna prædicta sint, hæcqve vult agi cum
veritate, non per aliqvam calumniam, *veracium enim so-
lummodo est Amator.*

5. VI. Archi-Episcopus, ad qvem hæc custodienda da-
ta si non ipse aut Successores ejus cinguli futuri (dignita-
tis) hæc prohibuerint fieri L. librarum auri pœnam ex-
ponent, & exeqvens ejusmodi Officium idem sustinebit
6. damnum, qvia rem Imperatori studiosam, & Ecclesiæ u-
nitatem custodientem, & apertè interdictam agi passus
est latenter, & circa ipsum cingulum periclitabitur, insu-
per ipsa domus in qva tale qvid agitur, debet publica fieri,
& sub sacratissimum venire ærarium.

7. *Addit.* Ratio prohibitionis hujus Novellæ est, *ut inde ani-
mi Auditorum ad majorem devotionem, & DEI laudationem ac bene-
dictionem efferantur, sive excitentur.* Rittershus. *ad Nov. P. 1. cap. 4.
n. 12.* Repetit autem eandem prohibitionem hic factam Impe-
rator, magisqve declarat *Nov. 131. cap. 8.* ubi vocat Ecclesiasticam
λειτȣργίαν, pro qva vetus Interpres reddidit *Ministerium.* In *Nov.
137.* vocat *Sacram Oblationem*; sed ita demum publicari debent
ædes

ædes, ſi earum Dominus ſic deliqverit. Rittershuſ. *d. l. n. 5.* Eſt verò notandum, hanc Novellam per Novellas LEONIS Imperatoris IV. & XV. eſſe abrogatam, hujus Conſtitutiones licet in Imperio Occidentali in uſum non ſint deductæ, non tamen penitus ſunt negligendæ præſertim ſi Jus Juſtinianeum non corrigunt; ſed vel illud ſuppleat *arg. Nov. Leonis 5.* vel explicant, *Nov. Leonis 77.* vel novi qvid inducunt *Nov. Leon. 57. 71. 89. 102. & Novell. 93.* Leonis ſæpe allegatur non tamen propter Leonis ipſius autoritatem, qvam potius ob graves prægnantes & urgentes rationes Jure Divino, civili & æqvitati convenientes. Et qvæ de myſteriis in privatis ædibus non celebrandis hic traduntur rectè Dd. de Sacramentis intelligunt, qvæ omninò ſunt myſteria in qvibus qvomodo hoc vel illud fiat, vel fieri poſſit, ratio humana eſt delira, illi enim myſteria *μωρία 1. Cor. 1. v. 22.* & *παράδοξα* ſunt *Luc. 5. v. 26.* & Deus multò plura præſtare poteſt, qvam nos intelligimus *Ephes. 3. v. 20.* vid. B. Dn. Schertzeri *Colleg. Anti-Socin. pag. 18. & seqq.* in ſpecie *de Incarnat. pag. 374. & seqq.* ubi o- 9.
mnia argumenta Socinianorum ex ratione deprompta ſolvit, ſimulqve oſtendit, ſatis eſſe, iſtud Myſterium in Scripturis clarè legi, & à ratione impugnari non poſſe. Idem dicendum de *Sacramentis Babtismo & Cœna Dominica.* Et eò tendit iſtud Veterum: *Gottes Wort iſt ein Geheimniß, darumb können wir hier nicht alles verſtehen, ſondern müſſen auch einen Theil im Ewigen Leben haben.* i. e. Myſterium eſt Sacrum Dei Verbum, ideoq; in hac vita non omne intelligimus; ſed & ejus partem in futura habere & haurire fas eſt. Licet autem Sacramenta tanqvam nervi publico- 10.
rum Congresſuum publicè ſint adminiſtranda, nullâ habitâ perſonarum differentia in Spiritualibus, ceremoniæ qvoqve Eccleſiaſticæ in templo peragendæ omni novitate præpoſſibili evitatâ, in caſu tamen extremæ neceſſitatis extraordinariè agere licet, unde proverbium, *Lieb und Noth hat kein Geboth*, i. e. Caritas & Neceſſitas non habent Legem. Modo nihil committatur contra 11.
expresſum Dei Verbum atqve Inſtitutionem, qvo modo Baptiſmum in caſu extremæ Neceſſitatis *die Jachtauffe, Nothtauffe*, etiam in ædibus privatis & à Laico fieri poſſe, ſi infans recens natus ita infirmus, ut ſine Baptiſmo moriturus videatur, paſſim

tradunt Ddr. vid. König *Caſ. Conſc. de Baptiſmo Caſ. 7.* Bechmann. *Caſib. Conſc. Tit. 1. Sect. 5. Caſ. 23.* Lyncker. *Disſert. de Baptiſm. cap. 3.*
12. Pariter in caſu Carentiæ & neceſsitatis qvando v. gr qvis per morbum ita lecto affixus eſt, ut neqve pedum officio fungi, neqve aëre ſeſe committere, neq; in publicum tutò forte propter morbi infectionem prodire, adeoq; nec ſolenni congregationi in templo ſeſe asſociare posſit, Communionem Sacramenti Corporis & Sangvinis Dominici in domo privata aut alibi non esſe denegandam unanimiter ſtatuunt Noſtrates. vid. Balduin. *Caſ. Conſc. lib. 2. cap. 12. Caſ. 13.* Bechm. *h. artic. cap. 8. Sect. 8. in pr.* König *h. Artic. Caſ. 24.* Walther. *Poſtill. Harmon. Theolog. Jurid. P. 1. c. 1. §. 23.* vid. Zœſ. *Decret. Tit. 10. de Celebrat. Misſar. n. 8.* & refert Dn. Lynker. *Disſert. de eo qvod circa Sac. Cœnam juſtum eſt Cap. 4. th. 15.* Ge-
13. orgio Mangolto ad Patibulum damnato, qvi editam prius de furto commisſo Confesſionem poſtea etiam coram Miniſtro Eccleſiæ negabat usqve ad Executionem, & id circò S. Euchariſtia indigno judicato, poſtqvam rurſus crimen ſuum confesſus fuisſet, etiam in loco Supplicii ſub Divo S. Cœnam deſideranti dandam eſſe reſcripſisſe Conſiſtorium Cizenſe *Anno 1686. die 24.*
14. *Auguſt.* ad Miniſterium Naumburgenſe. Extra haſce Necesſitatis caſus loca publica ad uſum Sacrorum meritò adhibentur, ad qvem ſemel autoritate publicâ ſunt deſtinata, Oratoria tamen in privatis ædibus nimirum, ut in hoc non alio cubili vel hypocauſto conceptas preces ad Deum mittere velit; cuilibet habere conceditur, qvi tamen locus propterea ſacer non fit, nam qvod autoritate ſuâ Sacrum ſibi qvaſi conſtituit, Sacrum non eſt; ſed profanum. *§. 8. Inſtit. de R. D.* vid. *L. 9. §. 2. ff. eod.* Nec verò
15. qvoqve ſunt prohibitæ, preces privatæ ac domeſticæ, qvas vel ipſe qvis facit ſolus, & ut Salvator Dominus noſter ait in Cubiculo ſuo, vel cum Familia, ſine ullo Sacerdote, nam qvot Familiæ, tot Eccleſiæ domeſticæ, Brunnem. *Jur. Eccleſ. cap. 6. memb. 2. n. 8.* nam & Familia fidelium vocatur Eccleſia, qvod ter in N. Teſt. fieri, ut *Rom. 16. v. 5. & Coloſſ. 4. v. 15.* ad *Philem. v. 2.* obſervavit B. Dn. Qvenſtedt *in Syſtem. Theolog. P. ult. Sect. 1. th. 7. in not. ad fin.* Qvibus regundis Paterfamil. ab ipſo DEO præpoſitus eſt, qvi qvantum in ſe eſt, uxorem, liberos & Familiam omnem pietate & do-

& doctrina Christiana debet præire, aut si ipse simplicitate gau- 16.
deat, & informatione opus, ut tamen cum suis vias Domini ambulare discat, operam dare debet, vel ejus loco Pastores Ecclesiarum, miserabilium personarum Curatores. Ulterius contra 17.
Legem non sunt familiaria & pia Colloqvia familiarium & piorum aliqvot Amicorum, qvæ de rebus Sacris & de concionibus piis Sacerdotum cum diligente relectione dictorum Biblicorum qvæ publicè ipsis explicata sunt, diebus Dominicis aut aliis inter se miscent, modo non ipsi cerebrinam contra Dei Verbum & Interpretationem Orthodoxorum faciant explicationem, & ex Ἐθελοθρησκεία cultus Divinus suscipiatur, & Verbi ductus negligatur, nam cum ita sine præeunte Verbi lucerna intellectus humanus facile erret, fiducia de gratia & Clementia Dei cespipet, amor in Deum moras nectentem & auxilium differentem remittat, affectus & actiones ex humana temeritate luxurientur, & exorbitent, sanè ex his omnibus ipsam idolalatriam pullulascere necessum est, & homines antea benè Christianos instinctu diaboli ad impia & fanatica dogmata trahi, qvod tot passim anteriorum Seculorum, partim nostri temporis exempla eorum miseratione digna abundè docent. vid. Scriptum, qvod an- 18.
te annos non adeo multos in lucem prodiit, cui tit. *Imago Pietismi*, in qvo hæc verba leguntur: Invenias, qvi Templa cum aliis piis hominibus planè non invisunt, Ministerium à Deo publicum institutum accusationibus iniqvis lacerant, ut illorum labor inutilis reddatur &c.

NOV. LIX.

De Debita impensa in Exeqviis defunctorum.

NOvella hæc VII. Capitibus hic proposita pertinet 1.
ad Urbem Constantinopolit. & est qvasi appendicula qvædam *Nov. XLIII.* sanciens funerum sumptus & feretra non ab heredibus defunctorum; sed à majori Ecclesia Constantinopol. debere suppeditari, hujus rei gratiâ Imperatores Christiani 1100. officinas, & ex fundis aliqvi-

aliqvibus certos reditus asſignarant, & Eccleſiæ donaverant. Reditum autem hunc in finem asſignat 70. librarum auri *L. 18. C. de SS. Eccleſ.* Deductio funeris autem fiebat à Decanis, Aſcetriis (qvæ erant Virgines Sanctæ funus præcedentes cantionibus funebribus ex ſacris literis. Steph. *ad h. Nov. n. 3.*) Canonicis & Acoluthis, qvibus ſingulis menſibus certam qvantitatem ab Oeconomo dandam asſignat Imperator *in Cap. 2.* circa finem, qvi ſumtus omnes ex publico præſtabantur, tam pauperibus qvàm divitibus pœnâ asſignatâ Oeconomo, ſi nullam fecisſet ſolutionem. *C. 3.*

2.

3. *Addit.* Hodie jus ſepeliendi competit heredibus Carpzov. *P. 2. Dec. 172. n. 28.* nec enim æqvitati magis qvicqvam convenit, qvam ut vel ii onus impenſarum ferant, ad qvos bona defunctorum pervenerunt, vel ii qvorum intereſt ad famam, defunctum non relinqvant inſepultum. *arg. L. 28. ff. de relig. & ſumt. fun.* qvi tamen ſi in funere & ſepultura negligentes extiterint, ob id hereditate privandi non ſunt, Idem *Deciſ. 162.*
4. Qvod ſi liberi nolint adire defuncti Patris hereditatem ſolent iſtud declarare, qvod vocant *den Schlüſſel auff das Grab legen.* Zaunſchliffer. *in Milite Togato in adjecta diatriba ſecunda aphor. 7.* Eſt qvidem Magiſtratus decernere ſumtus funerum; ſed de bonis defuncti *L. ſi qvis 12. §. fin. ff. de Relig. & ſumt. fun.* qvæ ubi non adſunt, Creditoribus Patris onus illud injungi non magis poteſt, qvam aliqvis cogi, ut pauperem ſuo ſumtu funeret, nam publica tunc ſuccedit pietas. Mev. *P. 2. dec. 222. in fin. l. 13. 14. ff. eod.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exercit. 15. th. 90. C. A. lib. 11. tit. 7. th. 21.*
5. Nec enim Extraneus, qvi hæres non eſt cogi poteſt, ut ſepulturæ causâ aliqvid impendat, *argt. l. 12. §. 4. l. 14. §. 2. ff. de Relig. & ſumt. f.* tanta ſiqvidem humanitatis & cognationis naturalis, qvæ inter homines intercedit, vis non eſt, ut LL. aliqvem ad hoc officium cogant, qvantumvis tamen propterea pauperum ſepultura non intermittenda; ſed vel gratis officia ſua præſtent ii, qvorum operæ ad Exeqvias reqviruntur, præmium à Deo ſperantes, vel ſaltem ſolutionis moræ aliqvantulum indulgeant, rigeroſè nimium nihil exi-

exigentes, vicini verò freqventer comitentur. Carpzov. *Jurispr. Consistor. lib. 2. Tit. 24. Defin 374.* Qvod si in aliqva Civitate certi reditus destinati sint, unde pauperes funerentur, ex iis funerum & cœteris tamen paribus hic impensæ sunt refundendæ Naurath. *de vita & m. hominis Theor. 76.* qvi verò pauperem, qvi nihil sui habet, ex pietate funerat, actionem funeriam non habet. *L. 14. §. 7. 8. 9. & L. 13. ff. de Relig. & sumt. funer.* Qvæ paulò antea de hæredibus dicebantur ipsis onus sepulturæ incumbere non habent locum in successoribus feudalibus, sunt enim hi ab onere qvocunqve hæreditario liberi adqve immunes ex Thiring. Carpzov. *Dec. 172. n. 28.* si tamen hæreditas honestæ Vasalli sepulturæ non sufficiat, ex Feudo debentur impendia, eaq; tunc in subsidium sustinet Feudi Succesfor. Mev. *P. 2. Dec. 124. & in discuss. levam. inop. debit. cap. 8. n. 182.* Struv. *Syntag. Jur. Feud. cap. 14. aphor. 20.* & Filià cui dos ex Feudo constituta fuit defunctâ, anteqvam nuberet, Successores Feudi in subsidium impensas ad funus necessarias solvere teneri tradit Carpzov. *P. 2. Constit. 46. Defin. 23.* Maritus Uxorem sepelire non tenetur, nisi qvatenus dotem lucratur *L. 16. L. 20. §. 1. ff. de Relig.* qvo casu tamen, si bona alia habeat uxor præter dotem, qvæ ad hæredes uxoris transeunt, maritus pro portione tenetur. *L. 22. ff. eod.* Pauperem verò uxorem in subsidium, si possit, funerare tenetur. *L. 28. ff. eod.* nam si jaceret Corpus Uxoris insepultum, in ipsius mariti injuriam redundaret. *d. l. 28.* vid. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 2. Tit. 2. art. 12. n 163.* Surdus *de Alim. Tit. 7. Qv. 19. n. 11.* Brunnem. *ad lib. 16. & 28. ff. de relig. & sumt. fun.* Struv. *Consil. 24. n. 56.* Qvod si dos nulla est, omnem impensam pater præstare debet, aut hæredes ejus mulieris. Ungepaur. *ad Decret. Tit. de Sepultur. n. 16.* Qvod mariti funus attinet, eqvidem in casu inopiæ onus alendi virum imponitur uxori etiam de bonis paraphernalibus. Carpzov. *P. 3. Constit. 25. def. 7.* non tamen ab alimentatione ad impensas funebres in jure statim valet conseqventia *arg. L. 6. ff. de alim. & cibar. legat. L. 8. §. 10. ff. de Transact.* Æqitatem tamen & pietatem reqvirere, ut uxor in honorem transacti matrimonii suis impensis maritum sepeliri faciat, non negat Esbach. *in Addit. ad Carpz. d. l. per L. 28. ff. de Religios.* Ulterius si deficiant ii qvi aliqvid

6. 7. 8. 9. 10.

de bonis noſtris lucrantur, aut aliàs ex actu qvopiam inter vi-
vos, vel ultima qvadam voluntate, ut impenſas funeris præſtent,
obſtricti ſunt, ad eos hoc onus devolvitur, qvi vel propter be-
neficia à nobis accepta, vel qvia magnus hujus cauſæ favor, ex
officio tenentur, v. gr, Eccleſia tenetur ſuum Patronum ob be-
neficium fundationis funerare, *arg. c. 25. in fin. X. de Jur. Patron.*
& Libertus Patrono, cui ſuam libertatem debet, ut funus faciat,
obligatus eſt. *arg. L. 5. §. 18. 19. ff. de agnoſc. lib.* vid. Mart. Naurath.
11. *de vita & morte hom. theor. 76.* Qvin imò publicâ utilitate urgen-
te certo alicui homini ſepulturam demandari poſſe, tradit Es-
bach *Not. & Addit. ad Carpz. P. 2. Conſt. 4. def. 12.* qvo caſu ſumtus pro
modo facultatum defuncti ſunt determinandi. *L. 12. §. 5. L. 14. §. 6.
in fin. ff. de Relig. & ſumt.* hinc ſi qvis modicos ſumtus in funus
locupletis ac indignitate conſtituti fecerit, eos plane repetere
neqvit, qvia injuriam defuncto intuliſſe videtur *d. l. 14. §. 10.* qvod
ſi defunctus juſtum ſepeliendi modum præſcripſit, ejus diſpoſi-
tio meritò ſervanda eſt. *Nov. 22. cap. 2. verſ. diſponat. arg. L. 1. C.
de SS. Eccleſ.* ſi autem exceſſivam aut ineptam impenſam fieri
juſſerit, non erit ejus diſpoſitio attendenda, *L. Servo 113. §. 5. ff.*
12. *de leg. 1.* Qvò pertinet, ſi pecuniam vel ornamenta ſecum de fodi
juſſerit, *d. l. L. fin. §. fin. ff. de Mul. & arg. leg. L. 4. §. 6. ff. ad L.
Jul. pecul.* Finckelth. *de Jure Sepult. Concl. 66.* vid. Beſold. *de vita
& mort. Hom. lib. 3. cap. fin.* nam mos ſepeliendi cum Veſtibus &
ornamentis rationabilis non eſt, ut multis probat Arumæus *L. 1.
Deciſ. n. 18. & ſeqq. Ædificia tegant cineres* inqvit, Caſſiodor. *Lib. 4.
varior. 334. columnæ vel marmora ornent Sepulchra, talenta non tene-
ant, qvi vivendi commercia reliqverunt, imò culpæ genus eſt, inutiliter
adytis mortuorum relinqvere, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium.*
13. *Detrahantur itaq; comis mortuorum Corollæ, viventium ea lambant
tempora, digiti exonerentur annulis, & penes hæredes inſculpta aut Pa-
tris aut familiæ imago maneat, veſtes, palliaq; ſubducantur cadaveri-
bus, & pauperum latera, nudosq; cingant, calcei egentibus ſubſternan-
tur, qvorum copiam poſtqvam matri terræ redditus fueris, vicinia qvæ-*
14. *vis ſuppeditabit.* Caſſiodor. *d. l.* Qvæ omnia ſi dextre obſerven-
tur, terræ matri à qva nudus proceſſit, nudus reſtituatur, ſepul-
chrorum violatoribus ea ſpoliandi facultas auferretur, nam hæc
violare

violare fas non esse, ignotum non est. Nullam enim, inqviunt Imperatores Valentin. & Arcadius in *L. 3. C. de Episc. aud.* accipiat vinculorum reqviem, qvi qviescere sepultos qvadam sceleris immanitate non sinit; sed ea veluti sancta. Deoq; Sacrata 15.
venerari antiqvitas voluit. Unde Solon inter suas LL. & hanc habuit, ne qvis defunctis maledicere audiret, pium namqve dicebat, Sanctos eos putare, qvi è vita discesserunt, & eorum violare sepulchra inexpiabilis Religionis est arbitratus. Alexander potitus Darii victoria, cum in Persas venisset, Polymachum Pellæum Virum Nobilem, qvod Cyri sepulchrum demolitus esset, necari jussit, Arumæus *Dec. d. l. n. 27. & seqq.* vid. Berlich. *P. 5. Conclus. 44. 47.* Sneidewin. ad *§. Religios. n. 9. Instit. de R. Divis.*

Nov. LX.

Ut defuncti seu funera eorum non injurientur à Creditoribus.

CAPUT I.

De Creditoribus qvi mortuis Debitoribus imminent.

CReditor si domum moribundi debitoris introeat, & 1.
molestiam creet vel ipsi moribundo, vel uxori, alisqve qvi de ejus sunt familia, aut si signacula rebus moribundi propriâ autoritate imponat absqve decreto judicis post mortem debitoris amittit actionem suam. 2.
Alterum tantum ejus, qvod ipse à moribundo exegit, heredibus ejus solvere tenetur. 3. Privatur tertia bonorum parte 4. Infamiâ notatur; Hæ qvoqve pœnæ illi, qvi circa funus peccat, exeqvias prohibendo dictatur, & judex si punire neglexerit, pœnam 30. librarum auri incurrit.

Addit. Qvod signacula imposuerit rebus sua potestate præ- 2.
sente nullo in cingulo constituto, aut qvolibet omnino legali &

civili officio observatô. *Præfat. h. Nov. L. 13. ff. qvod met. c. L. 7. C. unde vi. L. 5. C. ad L. Jul. de vi. priv.* & qvi hominis naturam non erubuit, dignus est & pecuniis, & gloriâ, & aliis omnibus condemnari. *C. 1. pr. h. Nov.* juxta LL. XII. Tabb. perfide debitoris cadaver Creditoribus lacerandum dabatur, ut latè explicat Gell.
3. *Noct. Attic. lib. 2. cap. 1.* qvæ consvetudo Crudelitatis plena merito abrogata, cum ignominiosum & ab omni humanitate alienum sit, non minus mortuos sepeliri, qvam vivos conservari, & *L. 27. ff. de condit. Institut.* hæres laudatur, qvod contra ignominiorum Testatoris præceptum cadaver non in mare projecerit;
4. sed in memoriam humanæ conditionis sepulturæ tradiderit. Non obst. qvod debitor ex pacto se ad carceres obligare neqveat, qvia hoc inter vivos procedit; sed talis obligatio carceris morte finitur, qvia mors omnia solvit, & actio personalis ad heredes transit, qvos pro solutione debiti Creditores convenire possunt, & non cum infamia defuncti & heredum ignominia sepulturam impedire. Gail. *de Arrestis Imperii C. 11. n. 28. 29.* vid. Gudelinus *de*
5. *Jure Nov. lib. 6. c. 15.* Recensitæ verò pœnæ in C. 1. h. locum habeant, licet in Instrumento debiti hoc placuerit partibus, ut liceret funus Debitoris impedire, est enim tale pactum turpe & contra
6. honestatem publicam, *L. 5. C. de LL.* qvantumvis Instrumentum gvarentigionatum publicum adsit. Coler. *lib. 2. de Proc. Exec. c. 3. n. 410.* licet tamen Creditores immodicum lucrum impedire possint nec valet conventio aut statutum in contrarium. vid. Brunn. *ad L. 38. ff. de Relig. & sumt. funer. In Nov. verò 115. c. 5. & Auth. ult. C. de Sepulchro viol.* constituit, ut per IX. dies à morte Debitoris numerandos omnis sustineatur exactio adversus heredes, nec ulla iis fiat molestia, & qvicqvid contra factum fuerit, hoc ipsô jure sit nullum; Sed hodiè non Jure Saxonico tantùm; sed etiam Consvetudine passim receptum, qvod heres intra XXX. diem molestia affici non debeat. Treutl. *Vol. 2. Disp. 12. th. 7. lit. c.* nec jure veteri non nisi post apertas Tabb. Testamenti hereditas adiri poterat, vid. Ulpian. *in fragm. Tit. 17.* qvod tamen mutavit Justinianus, ita, ut hodie ante aperturam Test. statim à tempore mortis Testatoris hereditas adiri possit, *L. un. §. 5. C. de Caduc. toll.* Forster. *de Success. testat. lib. 2. c. 11. n. 13.* Brunn. *ad d. l. un. §. 5. C. de Caduc. toll.* conf. *infrà Nov. 115. c. 5. §. 1.*

CAP.

CAP. II.

Ne Consiliarii sive Assessores suscipiant cognitiones absq; Magistratibus.

COnsiliarii judicum ipsi debent causas per se audire, 1.
qvæ apud Administratores aut datis judicis agitari cœptæ sunt, nam multò melius & perfectius coram ipsis Administratoribus, præsentibus illis qvorum interest, causæ moventur, terrore imminente exhibitis Testibus, & causâ propriam honestatem habente, qvàm si apud pedaneos Judices talia decernantur. Qvoniam verò Con- 2.
stituti Administratores occupationibus rerum jussionumqve Imperatoriarum comprehensi ad eam sæpe necessitatem deducuntur, ut per se non possint audire causas hinc

§. 1. Sancit, Litis Contestationes omnibus modis a- 3.
pud ipsos fieri Administratores, sive majores, sive minores sint; & in mediis litibus introduci apud eos semel motum negotium, qvando verò sententia definitiva proferenda, nullô modo debere audire Consiliarios absqve Administratoribus; sed cum competente honestate ipsos Administratores & audire, qvæ examinata sunt omnia, conseqventer & judicare negotia, & si qvis appellaverit, suscipere appellationes, in qvantum hoc Lex fieri permittit, & rursus Appellationis Judices modis omnibus per se audire negotia, nullô præsumente aliter agere, & si qvid tale fiat, ipsi qvidem Administratores XX. librarum auri pœnam formidabunt, Consiliarii autem tale qvid fa- 4.
cere conantes, siqvidem Advocati sunt, ab Eloqventissimorum Advocatorum Collegio sunt expellendi, si verô tales non sunt; sed alii qvidem etiam cingulo, (siqvidem habeant) privandi & X. librarum auri pœna castigandi, & providentiam hujus rei competentem habebit Comes Sa-

crorum privatorum, qvi si tale qvid commissum fuerit, exiget pœnam, & inferat ærario, ê contra de suo fisco complere debet.

5. §. 2. Alii qvi ordlnariam jurisdictionem non habent; sed delegatam, si non audierint causas, reservantes sibi sententiam, majoribus debent affligi pœnis, nisi per totam litem ipsi cum Consiliariis suis audiant causam, nam & dignitatum casum ipsis interminatur, & pœnam XX. librarum auri, Consiliarios 5. eorum ex ipsa Civitate, in qva hoc egerunt, pellit, & proprio ipsos privat honore.

6. *Add.* Consiliarii judicum sunt ipsorum Assessores, & vocantur Consiliarii *in L. 5. ff. de Officio Assess.* & tales posse esse Advocatos satis patet ex *§. 1. h. Nov.* non possunt eo munere fungi in eo judicio cui assident, licet in alio possint *d. l. 5.* qvod ad certum casum restringit Brunnem. si scilicet pars ob ætatem, simplicitatem &c. seu desideria judici exponere non possit, nec verò Assessores, sed Præsides per se subscribant libellis *L. 2. C. de Assessor.* non enim illi habent jurisdictionem; sed adhærent jus dicenti, sicut ulnus viti, & Judex idiota sine Assessore, est sicut
7. Piscis sine aqva. Brunnemann. *d. l. 2. C.* unde etiam est, qvod qvam profitentur scientiam juris & LL. debeant qvoqve præstare, non etiam Magistratus, qvi, qvod juris ex Assessoris Consilio dixit, ipse Assessor dixisse videtur, cujus perinde imperitia culpæ annumeratur; non etiam Magistratus, cui plerumqve præficitur non JCtus; sed vel miles, vel Nobilior aliqvis, Mercator aut etiam sæpè prorsus Idiota, Zœs. *ad ff de Officio Assess. n. 5.* conf.
8. infrà *Nov. 82. Præf.* & hinc etiam est qvod Judex malè & imperite pronunciando litem suam fecisse, & ex qvasi delicto obligatus esse dicatur, *pr. 1. de Obligat. ex qvasi del.* Medicus verò imperitè sirupum faciens, ex vero delicto teneatur, & ex L. Aqvilia conveniatur. Harpr. *ad pr. I. de Obligat. qvæ ex qvasi del.*

9. Notandum ex hoc pr. h. Nov. etiam Testes posse torqveri, qvod intelligo hic in causis pecuniariis & civilibus, qvæ crimen falsi vel stellionatus annexum habent, si nimirum veritatem malitiosè supprimant. Zanger. *Tr. de qvæst. seu Tort. reor. C. 1. n. 9.* Carpzov.

pzov. *Pr. Crim. qv. 119.* aut in Testimonio vacillaverint. Zanger. *n. 11.* Vacillare est alternô motu inconstantem esse. Unde Te- 11.
stes vacillantes dicuntur, qvi sibi non satis constant; sed timidè dubitanterqve dicunt, hæsitant, & modò negant, qvod paulò ante affirmarunt, qvæ omnia partim ex Sermone, partim ex vultu, qvi teste Cicerone *lib. 3. de Oratore*, imago animi est, deprehendi possunt. Idem *n. 14. 16.* Etsi Inventor Thesauri eundem occultaverit, & minorem qvantitatem professus fuerit, hujus verò fraudis qvaliscunq; suspicio præstò sit, eum posse ad juramentum adigi, aliqvando etiam si tam levis fuerit, & de perjurio committendo suspectus torturæ subjici tradit Carpzov. *P. 2. Const. 53. def. 8* Treutl. *Vol. 2. Disp. 20. th. 2. lit. g.* sicqve respondisse Wittebergenses apud Berlich. *P. 2. Concl. 66. n. 34.* refert Ziegler. *de Jurib. Maj. lib. 2. c. 20. th. 17.*

Judices pedanei habebant tantum facti cognitionem, qvæ 12.
plurimum ipsis committebatur *L. 2. & t. t. C. de pedan. Judic.* potestas horum in specie notio dicebatur, *L. 99. ff. de V. S. l. 5. pr. ff. de Re jud.* unde & *Cognitores* dicuntur, & judices dati. Habuerunt igi- 13.
tur Cognitionem tantum, non etiam Jurisdictionem, & maxime cognitionem causarum humilium, dicti sunt *Pedanei*, qvod non ut Magistratus pro Tribunali; sed in subselliis inferioribus sederent, & de plano judicarent. Matth. Steph. *de Jurisdict. lib. 1. cap. 2.* vid. *L. 3. §. 1. ff. Ne qvis eum qvi in Jus voc. L. 11, §. item scribit ff. de postulando.* Differunt à Judicibus Compromissariis, qvi 14.
veri judices non sunt, nisi Lege confirmati, Pedanei, licet & ipsi ex consensu litigantium dati fuerint, dari tamen soliti sunt ab eo, qvi jus dandorum judicum habuit, & per conseqvens ejus officium publicum erat qvale non est arbitri Compromissorii. Ziegler. *Dicast. Concl. 10. §. 4.*

Judices majores ab initio, in medio & fine litibus inter- 15.
esse debere, injungit hic Imperator *§. 1. h. Nov.* inprimis verò in litis Contestatione, qvod à lite contestata demum judicium incipiat, si propriè loqvi velimus. Gail. *lib. 1. Observ. 47.* Donell. *lib. 23. comm. c. 1.* & judicium accipere, suscipere, sit litem contestare, *L. 31.* & ibi Gothofr. *ff. de reb. cred. L. 23. ff. de Judic. L. 29. §. 3. ff. de Legat. 3.* & cum litis C. dicatur litis exordium *cap. 27. pr. X.* 16.
de

de offic. Judic. de leg. ante litem Cont. nemo agere, sed velle agere dicitur *L. 15. ff. rem ratam hab.* Ideoqve ut judex juris, actionisqve certus sit, & fundamentum totius causæ ab initio cognoscat, eum omninò judicio interesse conducit, nec enim ju-
17. dex facile utatur clausula *in qvantum de jure*; sed discussionem causæ præmittat, Lang. *Isagog. ad Process. Jur. civil. & Saxon. cap. 28. n. 154. & 155.* & ipsum Processum examinet, ut si vel propter actionem ineptè intentatam, vel propter ordinem Processus ipsius aut omissum, aut inversum nullitatem deprehendat, sententiam suam ita moderetur, ne etiam ipsa nulla efficiatur. Lang. *d. l. In-*
18. *troitu n. 8.* Inde & jure Saxonico ex mente Imperatoris solum judicem Scabinis absentibus autoritatem judicii conservare statuerem, ad hoc, ut qvicqvid in loco judicii *an Gerichtsstelle* agitur, firmiter gestum habeatur, & dicatur, nam verisimile est, judice pro Tribunali sedente, semper adesse multitudinem hominum fide dignorum, ut eo minus fraus aliqva sit præsumenda. Doctores *ad L. omnium 19. cod. de Testam.* Vultej. *consil. 34 n. 7.* unde loca Tribunalium pro Sanctis habentur, in qvibus qvilibet â fraude & injuria Hominum est securus, Coler. *in Proc. Exec. P. 4. c. 1. n. 113.* modò Actuarius judicii etiam præsens sit. Decis. E-
19. lector Saxon. XLV. Dum judex in medio judicii adesse debet, maximè istud intelliges, si Probationes sint instituendæ, ubi disqvirat & pronunciet, an per Testes, an per instrumenta sit probandum, an opus juramentum deficiente probatione deferre, vel minus, an probaturus ad rumorem seu famam provocet, & qvantum illi tribuendum, an præjudicia in simili casu sint admittenda, an LL. ad factum applicatæ & Testimonia Ddr. satis concludant, ut si causa criminalis & capitalem pœnam mereatur tormenta sint dictanda, vel minus, aut simile qvippiam sit admittendum, qvo Actor causam suam probet, nec Reus à defen-
20. sione justa excludatur. Non debet autem permittere, ut laboretur circa vacuas probationes, qvæ probanti non prosunt. Pa-
21. cianus *Consil. 11.* aut de jure non concludunt, Ergò qvando scriptura privata non valet, & non probat, non cogitur qvis illam recognoscere, an scripta sit suâ manu, nec ne Purpur *Vol. 2. Consil. 426. reb.* Paul. de Castr. *Vol. 1. Consil. 134.* sicut enim non debet qvis

qvis probare id, qvod probatum non prodeſt, ita nec debet etiam qvis reſpondere Interrogatoriis, qvæ interrogantem non relevant. Speculator §. *7. n. 7. verſ. ſi vero certus eſt &c. de Poſit.* Gloſſ. *in L. ad Probat. 22. C. de Probat.* vid. Ruland. *de Commiſſar. P. 3. lib. 1. cap. 4. & 5. n. 5. & 7.* Deniqve & ſi ſententia definitiva 22.
pronuncianda, ea non debet audiri ſola à Conſiliariis absq; Adminiſtratoribus; ſed cum competente honeſtate ipſos Adminiſtratores audire & qvæ examinata ſunt omnia, judicare oportet § *1. h. Nov.* Nec enim debent hic metuere litigatorum vel in 23.
ſe ipſos convicia, cavillationes & maledica ſcripta, qvibus procacius & effrenatius in judices invehuntur, ſi cauſâ, qvam ſibi juſtisſimam perſvaſerint, cadant. Nam ut Carpzov. *lib. 6. Reſp. 97. n. 2.* juxta verba Conſiliarii cujusdam in Aula Elector. Sax. 24.
allegat: *Judex tot Amicos, & rurſus inimicos ſibi acqvirit, qvot ſententias judicando publicari fecerit, qvæ victori ſemper placent, victo nunqvam non diſplicent, ab illo laudantur, ab hoc vituperantur.* Jura e- 25.
nim partium non ſub nube, & qvaſi infollibus, ſed apertô marte ſunt diſcutienda, & ipſe judex æqvô libramine cauſas appendere necesſum habet, qvæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis & ferendis præ oculis ſolum habeat Deum *c. 1. de Sentent. & re judic. in 6to.* qvem ſi attenderit, facile obtinebit, qvod dicitur in *L. obſervandum 19. §. 1. ff. de Offic. Præſid. Jus dicentem incognoſcendo neq; excandeſcere adverſus eos qvos malos putat, neq; precibus calamitoſorum illacrymari oportet; id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit,* vid. Ziegler. *Dicaſt. Concl. 13. §. 28. 29.* Si plures forſan judices dati 26.
omnes ſententiæ ferendæ adesſe debent. *L. 37. 39 ff. de Sentent. & re judic.* omnes enim judicare jusſi ſunt, ita, ut ſi unus abſit, reliqvi ſententiam non rectè dicant. *d. l. 39.* ut facilè appareat, Procesſum & ſententiam à reliqvis vero judice abſente latam, nullam esſe, qvod adeò verum esſe notat Bartolus in *d. l. 39.* ut idem juris ſit, ſi maxime unus primum diſcedat, & dixit, qvid ſibi de cauſa videretur, ſimul tamen cognovisſet, qvid reliqvi in cauſa ſtatuant.

Qvod ſi unus ex judicibus moriatur, cauſâ non decisâ 27.
Bartol. *in d. l. 39. n. 1.* inqvit: Superiorem esſe adeundum, ut ali-

um det judicem, per *L. 4. C. de Pedan. jud.* Cœterum tunc demum reliqvi, unô ſive abſente, ſive mortuo recte pronunciant ſi tenor commisſionis habeat, ut vel omnes conjunctim, vel ſinguli ſeparatim ſententiam ferre qveant *C. 8. & ibi Gloſſ. in verb.*
28. *forma de Offic. de leg. in 6to.* Ut autem præſentes in unam ſententiam conſentiant, necesſum non eſt, ſufficit, ſi qvilibet, qvid ſibi de cauſa videatur, proponat *d. l. 39.* adeò, ut ſi unus juret, ſibi de cauſa non liqvere, reliqvi tamen ſententiam rectè ferant. *L. 36. ff. de re judic.*

29. Appellationis Judices itidem per ſe omnibus modis negotia audire debent, nam per Appellationem ſuſpenditur illa præſumtio, qvæ aliàs pro judice prioris inſtantiæ erat, *c. eum ad ſedem ibi Gloſſ. X. de reſtitut. ſpoliat.* & qvia gravasſe arguitur, & veluti partes adverſarii ſuſcipit, jura partium agit. Mev. *P. 1. Dec. 204. num. 4.* qvæ cum ita ſint, adſtrictus eſt ad acta, nec ſine iis, vel
30. iis non viſis ſine nullitate poteſt decernere. Idem *d. l.* nec ſine iis æqvum licet ſtatuerit, injuſtum tamen erit, qvia non auditâ alterâ parte ſtatuit. Scall. *de Appellat. qv. 20. num. 8.* Evenit itidem inde, ut procesſus perturbetur, atqve ex una lite plures
31. fiant. Mev. *P. 1. Dec. 153.* Debet verò & conſignata & clauſa edi, alias ipſam vitiant editionem. Mev. *P. 1. Dec. 255.* conf. & *P. 2.*
32. *Dec. 62.* Debet igitur Judex Appellationis præſens esſe & ipſe audire cauſam Appellationis, & pro diverſitate illorum qvæ appellans petiit, cauſæ merita exactè ponderare, & properò auxiliô Appellanti aut adverſæ parti ſubvenire, de qvo notabilis extat deciſio apud Mev. *P. 2. Dec. 109.* Inde ſententia ſeqvitur, cui itidem præſens ſit, qva prior pronunciatio vel in totum confirmatur, vel in totum emendatur vel ſaltem ex parte, *primo caſu* ita pronunciatur, *daß wohl geurtheilet, übel appelliret, und die Sachen an vorigen Richter zu remittiren*; i. e. benè judicatum, malè verò fuisſe appellatum, & cauſam ad prioris inſtantiæ judicem remittendam. *In ſecundo, daß übel geurtheilet, wohl appelliret &c.* i. e. malè judicatum, & benè fuisſe appellatum. *In tertio, Sint gravamina, als theils unerheblich, theils überflüſſig nicht &c.* i. e. gravamina partim esſe inelevantia partim ſuperflua. Reformatio Sen-
33. tentiæ fieri debet ſecundum jura, qvæ tempore & loco primæ Inſtan-

Instantiæ in vigore erant. Qvoad Processum autem secundæ instantiæ coram judice Superiore pendentem, judex Appellationis seqvi debet sua statuta, minimè verò Statuta Judicis à qvo Carpzov. *lib. 3. Resp. 121 num. 3.* Add. Textor *ad Rec. Imper. 1654. Diss. 11. th. 132.* vid. Dn. Coch. *Praxi Fori Germ. P. 4. cap. 28.*

Qvod verò ordinariam jurisdictionem habentibus injunctum, idem qvoqve delegatis, ut non procedant, & solam sibi saltem reservent sententiam, qvod puto extendendum vel ad delegatum à S. Principe, vel ad alium jurisdictionem ordinariam habentem, ita ut majoribus pœnis contrarium faciens cum Consiliariis suis subjiciatur. Patet hic ulterius, & delegato judici licuisse Assessores vel Consiliarios eligere, hoc ipso enim, qvod cognoscendi & judicandi facultatem adeptus, id etiam adeptū videtur, ut assumere possit Assessorem, absq; qvo vix est, ut bene & jure conformiter judicare qveat. *arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* Et sanè videtur dicendum, etiam Principem in Provincias misisse Assessores, qvod Ummius *Processf. Disp. 2. th. 2. n. 9.* Intelligit de iis Assessoribus, qvi una cum Provinciali Magistratu ab ipso Principe creato in Provinciam missi sunt, qvod confirmat *L. 4. ff. de Offic. Assessor.* nam Decuriones & reliqvos Magistratus municipales sibi ipsis Assessores elegisse existimat. *d. l.* 34. 35. 36.

NOV. LXI.

Ut ne consentiente qvidem muliere

alienentur vel obligentur prædia donationis propter nuptias.

CAP. I.

Ut immobilia propter nuptias donat. neq; hypothecæ dentur; neq; omninò alienentur.

MAritus Donationem propter nuptias sive ipse, sive Pater, aut Mater, aut Cognati, aut Extranei fortè constituentes, non possunt alienare, neqve hypothecæ concedere. 1.

 Ratio.

2. *Ratio.* Qvod enim ſemel vinculis ſponſalitiæ largitatis eſt obligatum, non poteſt alienari, ut mulier forſan in lucro, qvod ipſi Donatio hæc confert difficultatem patiatur, dum non invenit rem in viri ſubſtantia, aliis ut potentibus forte perſonis alienatam, aut ſuppoſitam, ſitqve inhabilis vindicatio, aut difficilis, & litibus egeat.

3. §. 1. Ampliatur hæc ſententia, ut locum habeat, licet in alienationem conſenſerit uxor, nam percipienti vel hypothecam, vel pemtionem ejusmodi rem, ſi ſemel conſenſus fiat, non proderit; ſed ſicut in Interceſſionibus mulierum ſcriptum, ut ſint ratæ ſi poſt biennium repetatur Conſenſus, ita & in hoc fiat.

4. §. 2. Nam plura mox ex primo auditu delinqvuntur, dum mulier mariti ſeductionibus facilè poteſt decipi, & propria negligere jura, ſed ſi in plurimo tempore pro negotio cogitaverit, forſan cautior fiet.

5. §. 3. Hoc declaratur, ut ex ſecundo conſenſu obligetur, ſi ſint aliæ res in bonis Mariti, ex qvibus ipſi pro re vel rebus immobilibus in donat. propter nuptias conceſſis ſatis fieri poſſit, alioqvin ſi nihil aliud ſuperſit, nec ſic mulier læſionem ſuſtineat, ſed licet vel ſecundo, vel freqventer conſentiat, fruſtra tamen conſenſit, & qvod hic pro muliere ſancitum, etiam in perſona viri locum habet, & utriqve Lex ſit utilis. Imò & hæc in dote valebunt, ſi qvid dotis aut alienetur, aut ſupponatur.

6. §. 4. Maritus tamen illis, qvibus cum contraxit de privatis rebus obligatur ex aliis ſuis bonis occaſione hujus alienationis vel hypothecæ.

7. *Add.* Ad hanc Conſtitutionem perinde ut & illam, qvæ habetur in *L. Aſſiduis C. qvi pot. in pign.* edendum nihil aliud permovit Imperatorem, qvam favor mulierum, qvarum intereſt dotes ſalvas habere, & ratione earum ſecuritatem, ut ſolutô matrimoniô recuperent. Ergò, ut dotalium, ita & rerum propter Nuptias donatarum alienatio vel obligatio qvoad uxorem eſt inva-

invalida, *Nov. h.tc.* & ficut dos folutô matrimoniô ad Mulierem 8.
L. un. §. *illo procul. C. de R. U. A.* ita donatio propter Nupt. ad virum revertitur. Si qvæ pacta vel ftatuta de dote ejus ac lucro facta funt, ea extenduntur ad donationes propter Nuptias, ut fervetur æqvalitas, non tamen ftatim qvicqvid in favorem dotis conftitutum eft, valet etiam in donatione propter nuptias, prout videre eft in privilegio Prælationis, qvod competit qvidem doti; *d. l. Asfiduis*; fed non etiam propter Nuptias Donationi prout nec bonis paraphernalibus. vid. Guelich. *Obferv.* ad Mynf.
C. V. Obf. 4. Etiam diverfa ratio eft qvoad fructus non enim 9.
ut dotis fructus pro oneribus matrimonii Maritus percipit *L. 20. C. de Jure dot. l. 7. pr. ff. eod.* fic uxor ex donatis eosdem capit; fed ad Maritum pertinent *L. 7. §. 1. ff. eod. Auth. æqvalitas C. de Pact. conv.* Itaqve qvod fcriptum eft, Dotem & donationem pro- 10.
pter nuptias fubftantia non differre, & utramqve paribus pasfibus ambulare, *l. ult. C. de Donat. ante Nupt.* Intelligendum eft, non qvidem refpectu fructuum percipiendorum; fed nudæ proprietatis rerum donatarum conftante matrimonio & lucri eô disfolutô. Posfunt qvidem Nuptiæ confiftere absqve donatione pro- 11.
pter Nuptias etiam dote data; fed Maritus folutô matrimoniô feu ceffantibus oneribus ejus dotem non retinebit, five ex pacto, five ob injuftum Conjugis divortium, nifi qvatenus etiam propter Nuptias donavit, & pro rata ejus *Auth. fed qvæ C. de Pact. Conventis.* v. Gudelin. *Jur. Noviss. lib. 1. C. 7.* qvæ moribus noftris aliter conftituta novimus, dum maritus vel uxor ftatuto aut pa- 12.
cto vel integram, vel dimidiam dotis partem lucratur. In eo 13.
tamen etiam differentia eft inter prædium dotale & prædium donat. propter Nupt. â Marito datum, qvod ficut illud poteft alienari fi æftimato datum, qvia non tam rem, qvàm pretium debere intelligitur *L. 16. ff. de Jure dot.* & fic æftimatio venditionem facit, *L. 10. §. 4. ff. eod.* ita tamen non hoc, qvia uxor eft Domina, & donatio propter nuptias nihil ferè aliud eft in effectu, qvàm hypotheca fpecialis *Auth. Sive à me C. ad SCt. Vellej.* inde ratione dominii, qvod habet, etiam ipfi Effectus ejus nimirum Vindicatio â qvocunqve posfesfore competit, *L. 23. ff. de R. V.* vel hypothecaria actione, five qvafi Serviana, ratione nimirum taci-

tæ hypothecæ, qvam Lex ipſi pro conſervatione dotis asſignat. *L. un. §. 1. C. de R. U. A. §. 29. I. de action.* & hæc Conſtitutio locum habet, licet mulier conſentiat, qvia facilitate & blanditiis Conjugis ſæpè ducitur ad conſentiendum in actu ſibi ſummè præjudiciali, & aliàs mulieres contra propria commoda laborare di-
14. cuntur *L. 4. C. de Sponſal.* niſi intra biennium conſenſum repetierit mulier, ne brevi nimis ſpacio irretiatur, & ſibi imputare debet, qvod tanto tempore non cogitaverit de commodo ſuo, qvod & locum habet in SCto Vell. ut biennio præterlapsô illo
15. uti non posſit. *L. Si mulier 22. C. ad SCt. Vellejan.* Cæterum licet ex repetitione Conſensûs firmior inducatur conſenſus, & actus perfectior reddatur, *L. Balliſta 32. ff. ad SCt. Trebell.* nihil tamen illa geminatio actus operatur, cum deficit conſenſus, ut cum adeſt error & ignorantia, ita in muliere præſumitur ignorantia juris, & qvod fecit, per errorem & ignorantiam juris feciſſe. Me-
16. noch. *Conſ. 918. n. 30. 31.* Sic qvoqve hoc caſu lapſa poteſt præſumi ſi biennio effluxô denuò conſenſit, & damnum datum ex aliis mariti facultatibus reſarciri non posſit, qvod etiam vel ipſa hujus Nov. Inſcriptio ſatis arguit; *Ut immobilia antenuptialis donationis neq; hypothecæ dentur, neq; omninò alienentur à Viro, neqve*
17. *conſentiente uxore, niſi poſtea ſatis fieri posſit uxori.* Licet igitur qvoad uxorem hæc alienatio nulla, non tamen reſpectu Creditorum, qvi actionem adverſus maritum ſalvam habent, eundemqve ad evictionem obligatum, qvod exemplis rei alienæ hypothecatæ & venditæ firmat Rittershuſ. *P. 5. C. 9.* Patet qvoqve ex textu cum difficultate alienationem in Potentiorem factam eſſe conjunctã nam ſi alienatio continet omnem actum ex qvo vel libertati vel
18. juri noſtro qvidqvam decedit *L. fin. C. de reb. alien. non alien.* ſane ſi in potentiorem alienatio facta ex hoc vel illa non parum deceſſiſſe dicendum eſt, jamdudum enim Salvianus *Lib. IV. de Provid. DEI* dixit, decernunt Potentes, qvod ſolvant Pauperes, decernit gratia Divitum, qvod pendat turba miſerorum, qvid iniqvius aut indignius eſſe poteſt, qvàm ut ſoli ſint immunes à
19. debito, qvi cunctos faciunt debitores. Et ſanè ſi cesſio in Potentiorem facta, præſumitur animô vexandi facta. Menoch. *lib. 3. Præſ. 129. n. 36.* non aliter dici poteſt de alienatione facta, nam Imperato-

peratore dicente hic *vindicatio fit inhabilis, vel difficilis, & litibus eget.* Potentiores autem non ex qvovis fastigio divitiarum, dignitatis, vel popularis æstimationis definire decet; sed tantùm potestate alios compellendi, qvam in Civitate vel ditione habent. Mev. *P. 2. dec. 175.* Et potest hoc casu Actio contra alienantem in fa- 20.
ctum institui *L. 4. §. 4. ff. de alienat. judic.* Ita tamen, ut electio competat uxori, an Possessorem, an maritum alienantem convenire velit, qvæ tamen cessat, si maritus transferens, & accipiens de indemnitate caveat. Mev. *P. 4. decis. 104.* Alia verò bo- 21.
na mariti liberæ ipsius dispositioni relinqvuntur *L. 21. C. mand* sic, ut hisce alienatis vel distractis mulieri non integrum sit eadem revocare, ex qvo semel hypothecam suam remisit, qvod ipsi licet *l. 11. l. 21. C. ad SCt. Vellej.* Et hæc, qvæ dicta sunt de donat. pro- 22.
pter nuptias in rebus immobilibus consistente per maritum non alienanda, etiam in *Dotibus* obtinent, qvæ consistunt in rebus immobilibus inæstimatis, vel æstimatis qvidem; sed adjectâ hac Lege, ut mulieris esset electio, an pretia earum repetere mallet ex Rittershus. Matth. Steph. *ad h. N. n. 26.*

NOV. LXII.

De Consultationibus.

FUit, ut Inscriptio arguit, hæc Novella Latina lingva 1.
edita, & sensus ejus est, ut totus Senatus causas Appellationum audiat & conveniat, & qvod sibi visum fuerit, Imperatori referatur, ut ex divina sententia ejus Senatus calculus confirmetur.

§. 1. Aget autem Senatus Conventus in Hippo- 2.
dromis.

§. 2. I. præfectus Urbi ante omnes alios sedeat. II. 3.
post Præfectum cœteri Patricii numerentur, & qvidem Consules, & qvi inter eos Consularibus insignibus decorantur. III. Sedeant autem secundum Ordinem Consula 4.
rem & prærogativas Consulatus sui, ut tamen anteponantur Ordinarii Consulares honorariis Consularibus. IV.
Post hos sint Præfecti & Magistri Militum, & Illustrium 5.
Viro-

Virorum Ordo, qvi omnes habeant facultatem in Senatu sententias dicere, qviqve propter dignitatem Magistratus à Senatoribus honoratur, etiam post depositionem cinguli i.e. dignitatis suæ inter Senatores connumeretur. V.
6. Liceat Illustribus Viris Patriciatus codicillos accipere, licet neqve Consulares, neqve Præfecti sint facti.
7. §. 3. Debet in ingressu dignitatis tertia Pars Sportularum dari, qvæqve Sportulæ aliæ in qvavis promotione hactenus datæ, in sua firmitate durare. Qviqve præsentem Constitutionem non observaverint, pœna 50. librarum auri plectantur, qvæ tam ipsis violatoribus, qvàm aliis qvi violari hanc Constitutionem concesserint, imminebit.
8. *Addit.* Ad promovendam justitiam & cursum ejus salutarem stabiliendum & ne læsi iniqva sententiâ judicis opprimantur, eaqve ex Nigro album, & ex albo Nigrum faciat, Appellationem, ut injustæ sententiæ theriacam sicuti vocant, esse introductam, eumqve in finem Principes & Status Imperii in suis territoriis certa Appellationum Tribunalia erigere, jam tum supra
9. suo locô fuit propositum; Vult tamen hoc Imperator ad se referri, qvod à Senatu pronunciatum, qvo divina suâ sententiâ ejus calculus confirmetur, qvo casu, ne negotiorum multitudine obruatur Princeps, nec temerè omnes causas appellabiles faciat Senatus, qvod aliàs *per tit. ff. de Appellat. recipiendis vel non, & per tit. C. Qvorum Appellat. non recipiuntur* est prohibitum. vid. Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. lib. 2. cap. 14.* qvemadmodum & C. Calligulam nimias Appellationes inhibuisse refert Alex. ab Alexandro *lib. 8. Gen. dierum cap. 20.*
10. Hippodromus propriè est locus, ubi eqvi ad cursum incitantur. Hoc locô puto indigitari Forum, præsertim qvod Alex. ab Alexandro *lib. 2. c. 12.* referat habuisse Romanos forum aliqvod, in qvo de Jure controverso respondere solebant, & talem locum ubi causæ appellationum ventilatæ, nam summum justitiæ tribunal, & postremum sententiæ elogium in Republ. constituere Regium & Majestaticum jus meritò & olim, & hodiè reputatum fuit,

fuit, qvod *extrema Provocatio* appellatur *L. 2. §. 18. ff. de Offic. Jud.* vel *Jus Extremæ Cognitionis*, qvod Doctores aliqvi appellant *Jus Retortis* vid. Becker. *in Synopsi Jur. Publ. cap. 4. §. 7.* qvi primus ferè hoc loqvendi modo fuit usus.

§. 2. Optimo Exemplo definit & determinat, qvam qvisqve Magnatum in judicio locum occupare debeat, ne propter proëdriam vel præcessionem simultates & odia capitalia emergant, & expedienda cum dispendio salutis publicæ & damno privatorum indecisa maneant. Hinc qvi vult illos præcedere, qvi altiorem locum tenent, realem injuriam infert. Berlich. *P. 5. Concl. 95. n. 105.* & Honores & dignitates tuendæ causa duella sæpius fuisse suscepta funesta satis Exempla probant, qvod an licitum sit, scil. debitam Sessionem armis vindicare & tueri magna cura inqvisivere Doctores qvos refert Myler. ab Ehrenb. *Addit. ad Rumel. Aur. Bull. P. 3. Dissert. 4.* Nam cunctis etiam inferioris fortunæ hominibus naturâ insita est honoris gloriæ aviditas, *Optimi Mortalium altissima cupiunt*, ait Tacitus *Lib. 4. Annal.* tentanda via est, qva me possim

Tollere humo, Victorq; Virum volitare per ora.

prout Virgilius canit. Innatum siqvidem est Magnatibus circa honoris sui prærogativas scrupulosè versari, nec ullius rei jacturam gravius, qvàm ejusdem imminutionem patiuntur, qvod vel solus Andreas Doria Maris Præfectus suo docuit Exemplo, qvi à Francisco I. Galliarum Rege, qvod verbô parum honorificô ipsum excepisset, ad Carolum V. Imperatorem transiverit. Qvare nec Galliarum Rex cum Carolo V. electo Romanorum Rege in certamen de loco digniore venire erubuit, nam cum Anno 1521. Caleti eorum Legati convenissent, Antonius de Prædo, celebris JCtus, & Regis Galliæ Cancellarius, Mercurio Caroli Cancellario hac de causa præcedentiæ qvæstionem movit, qvod licet Carolus in Regem Romanorum esset electus, qvia tamen nondum à Pontifice unctus erat, Gallo ut uncto Regi eum cedere debere contendebat. Ex literis porrò Principum Electorum Anno 1530. Carolo V. inscriptis manifestum est, qvàm variè inter Bavarum & Saxonem Brandeburgicum & Brunsvigum, Hassum & Pomeranum de Sessione, Processione, & Statione

tione per multos annos fuerit disceptatum, ita, ut nec in id usqve tempus, licet sæpe tentata fuisset, ulla potuerit fieri reconciliatio. Melch. Gold. *Tom. 3. Constit. Imper.* qvalia & similia plura Exempla hic allegare liceret, si instituti ratio ferret. vid. Myler. ab Ehrenb. *in Addit. ad Rumelini A. B. d. l.* Carpzov. *ad L. Reg.*
16. *German. C. 10. Sect. 7. n. 18. seqq.* Hæc igitur ut odiosa, ita statim & ab initio præcavenda, & laborandum ut dignitatum Ordo servetur, qvod Imperator in *C. sub h. tit.* vult, nam perit omnis prærogativa, si absq; respectu vel qvalitate professionis emeritæ custodiendi honoris locus præsumitur potius, qvàm tenetur, aut potioribus eripiatur id, qvod est debitum, aut inferioribus pro-
17. sit, qvod est indebitum; inde est, qvod hæc præcedentiæ jura absq; ambitionis aut arrogantiæ nota jure naturali omnibus tueri liceat, imò de facto & armata manu resistere ei, qvi præcedentiæ vult Ordinem turbare. Tiraqvell. *de Nobilit. cap. 20. n. 58.* Menoch. *Vol. 3. Consil. 257. n. 35.* nam Sacrilegus est, qvi dubitat de idoneitate ejus, qvem Princeps constituit. *L. 5. C. de Crimin.*
18. *Sacrileg.* vid. Menoch. *lib. 2. ff. 21. qv. Cent. 4. casu 421. n. 90.* Qvæ cum ita sint, meritò Imperator jam olim & adhuc solus controversias de Præcedentia & Sessione Principum & Statuum Imperii decidit juxta Reces. Imper. de Anno 1500. *§. wie den Irrungen der Session Rec. Imper.* de Anno 1595. §. 122. Rec. Imper. de Anno 1576. §. 7. Dn. de Rhetz. *Jur. Publ. lib. 1. Tit. 4. §. 63. circa. fin.*
19. Sic cum Episcopatus Halberstad. per Instr. P. in Principatum evectus, & Elector Brandenburg. qva Princeps Halberstad. certum locum inter alios Principes non haberet, per Decretum Imperatorium die 5. Maji Anno 1654. locus hic assignatus, ut Halberstadt ponatur post Braunschweig ante Pommern, & Minden nach Sachsen-Lauenburg vor Holstein. vid. Eitel Fr. von Heerden *in der Grundveste des Heil. Röm. Reichs pag. 105. & seqq.*
20. De modo sopiendi Controversias de Præcedentia hic in Imperio varii & multi Doctores Juris Publici tractant, de alternativa Sessione agit Limn. *Jur. Publ. lib. 4. Cap. 9. n. 99. & lib. 9. cap. 4. n. 33. 142. 184. &* Sprenger. *Prætens. Illust. pag. 250. & seqq.* de alternata sigillatione. Idem Limn. *lib. 9. c. 1. n. 222.* De Eqvitibus Idem *Jure publ. lib. 6. c. 2.* ubi sic: *Zu Reiten, Gehen, Sitzen, in Kirchen,*

Kirchen, in Rathschlägen, Versamlungen, in Nennen, Reden, Schreiben, soll unter den Rittern der den Vorzug haben, so vor dem andern in den Orden gekommen. In equitando, ſedendo, ambulando, in Eccleſiis, Conſultationibus, & Conventibus, nominando, loquendo, ſcribendo, inter Equites ille præferendus, qui præ altero in Ordinem eſt ſuſceptus. vid. hic Obſervationes de Ordine Eqveſtri Johannitico Excellentisſ. Dn. Becmanni, qvas Anno 1693. publici juris fecit, inprimis *cap. 6. Von denen Rittern des Herren Meisterthumbs.* De Officio & Dignitatibus Veterum Magiſtatuum Ro- 21.
manorum de quibus hic agit Imperaror dicere jam non vacat, remitto hi brevitatis ſtudio ad Scriptores Antiquitatum Rom. maximè ad Andreæ Dominici Flocci Florentini Tractatum *de Poteſtatibus Romanorum.* Pomponii Læti *de Magiſtratibus Romanis.* Jani Guilielmi Lubecenſis *Tract. de Magiſtratibus Reip. Romanæ*, & alios, qui inter Reip. Romanæ Scriptores comparent.

Patet quoq; ex §. *3. b. Nov.* in ingreſſu dignitatis Spor- 22.
tulas ad Officium promotos dari ſolitos fuisſe, quas Imperator firmas manere conſtituit, qvibus hic in Marchia Brandenb. abſimile non esſe videtur, qvando primum vel noviter ad Officium promotus primo anno Salario carere tenetur, qvam pecuniam vocant, *die Mariner-Gelder.* vid. ſupra *ad Nov. 35.* De Sportulis judicialibus plura ad dicendum ſe offerent ad *Novell. 82. & Nov. 105.*

NOV. LXIII.

De Novi operis nunciat maritimi aſpectus.

IN Urbe Conſtantinopolitana non poterat ædificium 1.
exſtrui intra 100 pedes, qvo vicino directus maris proſpectus, *ut res omnium gratisſima* dicente Imperatore hic *Præfat.* aufferatur, nec intra 12 pedes in obliqvo, qvi vult in Provincia ædificare, ſicut enim eis, qvi aliena diripi- 2.
unt, directè adverſamur, & pœnis dignos putamus, & ſi parvam aliqvam rem per modum abreptionis aufferre

 præ-

præſumunt, Vi Bonorum raptorum conqvadruplatur pœna, cur non qvi tale qvid agit, & cogit, qvod ab eo factum eſt, aliâ majori pœna debet multari hoc eſt X. librarum auri, ne propter malum Vicinum Legem decidentem impediatur in uſu libero rei ſuæ.

3. *Add.* Ratio h. Conſtitutionis in eo poſita eſſe videtur, qvod nemo ab uſu rei Communis omnium debeat arceri, præſertim ſi circa ſuum conterminum mare habeat mare enim eſt commune §. *1. I. de R. D.* Nam qvatenus vaſtum eſt mare, & interminatum, nullô modô posſideri poteſt, ſed qvia pars aliqva maris terminatè, & certis limitibus posſideri posſit, non eſt ſanè qvod obſtet, non qvod revera maris pars dominii ſit capax, ſed qvod per occupationem posſideri posſit, ita tamen, ut ſi ſine læſione illa Pars maris navigetur, navigatio vel piſcatio impediri neqveat.
4. Dicimus igitur Maris diſtrictum per occupationem posſideri poſſe, non tamen inde ſequi, eam dominio vel jurisdictioni alicujus poſſe ſubjici, non ſecus enim atqve aër omnium communis eſt, & per occupationem ab unoqvoqve particula posſideri poteſt, ita & in mari contingit, & qvamdiu hunc aërem ego teneo, per occupationem nulli cedit, neqve tamen inde ſeqvitur, meum hunc aërem esſe, ſed ubi reliqvero hunc locum occupanti cedit.
5. Idem eſt de mari dicendum, atqve ſic Imperator LEO permittit diviſionẽ Bosphori in Thracia, qvod alio modo interpretari non licet. Alii verò non incongruè & rectè ſtatuunt, nec naturam maris, nec rationem aliqvam Moralem repugnare Proprietati, quod more ſuô eruditè probat Eruditis. Strauch. *Diſſ. Acad. de Imper. Maris c. 2.* qvia Mare occupari poſſe tradit Seld. *lib. 4. de Mari Clauſo c. 1.* Et Exemplo Maris Balthici ad Reges Daniæ & Sveciæ pertinentis confirmat Loccenius *Tr. de Jure marit.*
6. Sic & Portugalliæ Reges ſcribuntur, *Reges Portugalliæ, Algarbiæ & citerioris, atq; ulterioris Lateris Oceani Africani.* Et flagrante bello Anglo-Belgico Anno 1665. in Anglia nummi cum imagine Britanniæ & inſcriptione cudebantur; QVATUOR MARIA VINDICO. Præterea
7. non obſtante maris magnitudine Veneti ſibi Adriatici *Maris Imperium* tribuunt, idqve verius qvidem occupatione, jureqve belli, qvàm Pontificis Alexandri conceſſione, ab ipſo Grotio *de Mari*

Mari libero c. 3. inita facta, faciunt. Notanter autem *Imperium Maris* ut ita & dominium illius pars nomine totius intelligatur; potest enim alicui *dominium*, nec tamen *Maris Imperium* competere. Utrumqve autem hodie penes Venetam Rempubl. idq; ita illius proprium, ut Venetorum injussu aliis eo uti & frui minimè fas sit, ut loqvitur Selden. *lib. 1. c. 16. de mari Clauso* ibidem pluribus causam Venetorum agens. Conf. Conring. *P. 3. Thes. Rerump. tit. 1. th. 9.* Qvicqvid verò horum sit, ut è diverticulo in viam rede- 8.
amus, cum Nunciatio N. O. fiat, aut juris nostri conservandi, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratiâ *L. 1. §. 16. ff de N. N. O.* sive intra vel extra oppidum *Lib. 1. §. 14. ff. d. l.* sive in mari vel littore maris in præjudicium alterius adversus statutum morem ædificet, Nunc. hæc locum habet propterea, qvæ hic allegat Imperator, & ne vicino malo arbitrium sit in injuriam & præjudicium illius qvilibet pro lubitu saltem ut noceat, moliendi, licet enim juxta sapientissimi dictum *Proverb. 27. v. 10.* Melior vicinus propinqvus fratre longinqvo, vel ut 9.
Germani efferunt, *Besser ein Nachbahr an der Wandt, als ein Bruder über Sandt*, vel ut Erasm. Roterodam. *in Adagiis C. 5.* potissimum est habere domi, qvibus egeas, proximum est vicinum habere divitem, à qvo petere liceat, tamen hæc meritò de bono vicino sunt intelligenda, nam si malus & rixosus sit, multum ab eo damnum metuendum juxta illud Plauti *Semper aliqvid mali propter vicinum malum puta incendium l. 9. de incend. ruina.* Sebast. Medic. *de casib. fortuit. P. 2. qv. 7. n. 23.* ruina *t. t. de damn inf. furtum*, qvia vicinus plerumq; fur est, vel novit saltem, unde ver- 10.
sus Hesiodi manasse videtur, *Ne bos qvidem perierit, nisi vicinus malus sit. dammum*, quod in dubio à vicino illatum præsumitur *L. 1. pr. ff. ad SCt. Syllan. l. 55. ff. loc. Calumnia*, qvia vicinus præsumitur scire facta vicini. Decius *ad L. 4. n. 11. ff. de R. J.* ob qvam causam etiam testi vicino magis creditur, quàm remoto Farinac. *de Testib. qv. 55. n. 16.* Hinc Cic. *Orat. pro Rosc. Amer. Necesse est aliqvem* 11.
dixisse vicinum aut municipem, qvia ii plerumq; indicant. Unde pestilens res est malus vicinus, & nostra maximè interest, non molestum; Sed Amicum habere vicinum. Ergò qvæ Imperator 12.
in hac Novella prohibet, jam ante etiam Zeno Imperator vetuit 13.
 in L.

in L. 12. §. 2. C. de ædific. priv. scil. nullam licentiam ex hoc ſpacio debere eſſe conceſſam tollendi vicino directum & omni ex latere domus inviolatum in mare proſpectum, qvem domi ſtans vel ſedens habet, non autem detorqvendi hunc ipſum proſpectum,
14. ita, ut cogatur vicinus ex obliquo mare aſpicere. Puto autem hoc Imperatori placuiſſe ob liberum & amœniorem maris proſpectum, ita, ut contra hunc aliquid machinari alter non audeat, ſi aut de jure ſuo cedat Vicinus, & alii tacendo ædificationem permittat, tantum abeſt ſi 10. inter præſentes & 20. inter abſentes annos tacuerit, qvia ſibi & ædibus ſuis ſervitutem Proſpectus
15. impoſuerit. *L. ult. inf. C. de præſcript. longi temporis.* Occaſione hujus qvæſtio exſurgit, *utrum qvis in proprio pariete feneſtram, ex qva in alienum proſpiciat ſine jure Servitutis ſicqve jure ſuo vicinis invitis & refragrantibus fabricare poſſit?* Et licet hic Negantium ut & affirmantium ſententia adſit, placet tamen potius diſtinctione hanc
16. rem abſolveris Diſtingvendum enim *inter feneſtras* fabricandas, *& parietem, in qvo ſunt fabricandæ*; Illæ duplicis ſunt generis, aliæ enim ſunt *proſpectivæ*, quibus aërem haurimus, inde proſpicimus, & amœnitatis ergò utimur, aliæ ſunt *luciferæ*, qvibus ſo-
17. lem tantum excipimus. Paries, cui feneſtræ ſunt immittendæ, aut eſt ædibus vicini nimium propinqvus, aut ab iisdem legitima diſtantia remotus; In illo nullæ harum feneſtrarum, niſi antea ibi fuerint, poſſunt ſine ſervitutis jure fabricari, in hoc poſ-
18. ſunt, hac tamen iterum adhibita diſtinctione; nam paries ille remotus aut jam primum ædificatur, & ſic *novus eſt*, aut dudum ante ædificatus, & ſic *vetus eſt*; In illo tam proſpectivas, qvàm luciferas qvis facere poteſt feneſtras, ſi à vicinarum ædium pariete 12. pedem ſpacio diſtet, in hoc verò, ut prædictas feneſtras
19. qvis habere poſſit, 10. pedum diſtantia ſufficit. Luciferas autem feneſtares utrique huic parieti quis immittere poteſt, ſi modo VI pedum intervallo à vicinis ædibus ſit remotus, qua de qu. latius conferri poteſt *L. 12. §. 1. 2. 3. & 4. C. de ædific. privatis.* & latius de ea diſſerit Ungepaur. *Exerc. Juſtinian. VI. qv. IIX.* Frantzk. *Exercitat. Jurid. 5. qv. 3.* vid. infra *Nov. 156.*

NOV.

NOV. LXIV.

De Hortulanis Conſtantinopolitanæ Civitatis.

CAP. I.

I. URbs Conſtantinopolitana amplisſimos habebat 1.
hortos, qvos certa mercede hortulanis conſvevit concedere, eosdem excolentibus, & ad frugem reducentibus; Cœterum cum reddituri esſent hi Conductores poſt implementum temporis hortos, faciebant ſubtilisſimam *Oleris* æſtimationem, & vel ſextuplam, & multiplicem offerebant, & ſi 50 aureorum esſet olus, non tamen minus trecentis, interdum etiam & pluris hoc æſtimabant, dicendo, qvod ſtercolinium injeciſſent terræ,
varia fecerint emponemata, & inde extollunt utiq; qvo- 2.
ad æſtimationem, & ulterius pro æſtimatione plantarum forte arborum alias faciunt pretii accesſiones, licet, qvando à Dominis accipiunt, nullam talem expenſam imputatan debere per pactum inter eos ſit conventum, dum ipſimet hortulani confesſi, ſe cuſtodituros implantatas arbores, & alias plantaturos.

II. Æſtimator qvoqve pro ſe ipſo talem infert in- 3.
explebilitatem, ſic, ut ſi miſer dominus ex imperitia ejusmodi damnum ſibi inferri & ſua recipere teneatur, alteri autem hortulano ipſum hortum tradat, & rurſus ſub illo idem patiatur, periclitetur, & ipſo penitus horti dominio excidere.

III. Hæc Imperatori omnia ſuper omnem videntur 4.
esſe malitiam & audaciam qvam reprimi jubet, & vult, ut qvemadmodum Hortulanus accipit hortum à Posſesſore, ita & ipſum reddat, & ſi olus habeat, qvando ipſum accipit æſtimatio qvoqve ejus fiat in reſtitutione, & ſubtilem

ſas ad hortum vel excolendum vel conſerendum adhibitas maximi faciebant, laudabiliter qvid in caſu tali obſervari debeat, 10.
paternè ſancit, & conſtituit, inprimis verò vult, æſtimationem olerum non ſolum ab Hortulanis fieri debere, ſed à Vocatis Summariis horum peritiam habentibus. *Summarii* dicti, qvi faciendæ rationis Summarum qvarumcunqve ſunt periti, ſunt numerati inter officia Comitiana. vid. Cujac. *ad Nov. h.* Debet autem fieri æſtimatio ut hic vult propoſitis Evangeliis, ita tamen, ut præſtent ſaltem juramentum Credulitatis, cum defacto alieno jurent, ac jurant ſaltem de eo qvod audiverunt, & crediderunt. Sneidewin. *ad §. item ſi qvis n. 78. Inſt. de action.* & ſupplet hoc juramentum ſaltem, non verò facit fidem. Carpz. *lib. 3. Reſp. 61.*

CAP. II.

SI qvis autem Dominus terram ſpinoſam & ſqvalidam locaverit, & Hortulanus eam excoluerit, culturæ mercedem accipiat, & veram oleris, qvod adhuc eſt æſtimationem, ſicqve ſine negotio recedat, nullâ avaritiâ, neqve callide excogitatâ arte in ea readmiſſa, eſt enim Imperatori non parva, non magna Reipubl. pars extra ſollicitudinem conſtituta, dum omnia ipſis mentis oculis luſtrat, & nihil in ornatum neqve inordinatum, neqve ambiguum manere vult, & comminabitur Præfectus pœnam 5. librarum auri contra eos, qvi tale qvid fecerint, aut fieri permiſerint.

NOV. LXV.

De Relictis Eccleſiæ Myſiæ.

IPſe fatetur Imperator hanc Conſtitutionem eſſe localem, & promulgatam de Eccleſia Myſiæ, jubereqve, ut 1.
ſi qvis rem immobilem eidem Eccleſiæ dederit, vel certum reditum habentem, addito, ut in continentia pauperum reditus adminiſtretur, tale legatum, vel hereditatem, vel donationem nullô modo debere alienari. Qvod ſi in- 2.
certus reditus ſit, domus autem relicta vel vinea procul

à Civitate fuerit in qva Ecclesia sita est, cui legatum vel
3. donatio facta, licet tales possessiones vendere. Qvod si domus vel agri aut intra Civitatem, aut circa muros ejꝰ fuerint, & Testator voluerit ea venundari, & ex pretio eorum redemtiones vel alimonias fieri, juxta tenorem Verborum Testatoris & in his venditio celebretur, qvalis actus est firmissimus.

4. *Add.* Licet Voluntas ultima Hominis sit ambulatoria, usq; ad extremum vitæ spiritum *L. 4. ff. de adim. vel transf. leg.* Menoch. *Consil. 329.* adeoqve Testam. factum pro lubitu infirmare & tollere possit, *t. t. 1. & ff. qvibus mod. testam. infirm.* si tamen prius factum morte confirmatum illi præcisè statur, & heredes verbis Testatoris obseqvium præstare tenentur, sic enim dicitur volun-
5. tatem Testatoris in Testam. ut Reginam dominari. Quin imò ipse Imperator hunc Testantibus vult exhibere honorem, ut ipsorum servetur voluntas *Proœm. Nov. 1.* nam inordinatum nihil, neqve confusum fieri vult *Nov. 1. cap. 1.* nec infringi defunctorum dispositiones; sed ratas esse per omnia *Nov. 68. c. 1. §. 4.* qvapro-
6. pter etiam in h. N. constituit, ut si donata Ecclesiæ Mysiæ vel relicta debeant alienari, vel vendi verba Testatoris in Instrumento exprimantur, qvomodo ipsi placuerit venditionem fieri, & ex his redemptionem captivorum vel alimonias pauperum
7. celebrari. Sic igitur venditio necessaria procedat, *ne actus piissimi exinde fraudentur, & animæ hominum inde pereant, cum & terrarum possessio, & rerum immobilium non habeat talem curam, nec ita sit necessaria, ut captivorum redemtio, & vita egentium, qvæ & animas*
8. *salvant, & DEO Omnipotenti sunt placabiles.* Adeò igitur procedere vult Imperator venditionem Bonorum Ecclesiasticorum Ecclesiæ alicui in specie relictorum, estqve hæc *Novella 65.* limitativa Superioris *Nov. 7.* & aliàs rationi satis conveniens, ut si Ecclesia rem habet, qvæ ipsi magis obest, qvàm prodest, utpote qvod magnos sumtus reqvirat, longius sit & direptionibus hostium exposita, ut potius alienetur, & pecunia exinde redacta in alimenta & reditus pauperum necessarios impendatur. *L. terrulas 12. qv. 2.* & inter duo mala minimum semper eligendum.
C. duo.

C. duo. 1. C. nervi 2. D. 13. C. qvi Episcopus. 2. D. 23. C. non solum 22. qvæst. 4.

NOV. LXVI.

Ut factæ novæ constitutiones post insinuationem earum post duos menses valeant.

CAPUT I.

1. CONstitutiones pro Testamentis factæ ex qvo in commune factæ sunt manifestæ in Provinciis ex qvo per metropolitas palam sunt factæ, vel postea factæ fuerint, obligationem suam capiunt. 1.

Ratio. Ne homines Testamenta facientes LL. ignorantia Legem videantur prævaricari. 2.

II. Si scripta fuerit Lex, post duos menses dati temporis valet, & in Repub. tractabitur sive in provinciis, qvô tempore elapsô nulli omninò erit declinatio, qvo minus Legem custodiat. Nec verò vult culpare eos, qvi positas ignoraverint Constitutiones, vel si post paululum forte, qvam scripta Lex est, & adhuc ignorata, decesserint Testatores, & propterea in Testamentis aut non scripserint propriâ manu nomina Heredum aut etiam tres solum uncias filio reliqverint, & non IV. in qvo Lex aut non posita est, aut posita qvidem, sed qvod nondum fuerit proposita, ignorata. Qvæ in subseqventibus §§. habentur, eadem sunt cum Superioribus, scilicet, qvas uncias (nimirum tres) Patres filiis in Testamento reliqverunt ante Legis positionem eas percipiant, itidem eas, qvas perceperunt, anteqvam apud judices innotuit Lex ut adeò generalis hujus Novellæ sensus sit, *Constitutiones Novæ post duos menses ab eorum promulgatione demum obligant*, ne qvis ignarus earum circumveniatur. 3. 4.

Add. Lex obligat post duos menses à die ipsius publicationis, 5.

onis, qvod tamen sic declarat Petrus Augustinus Morla *Empor. utriusqve juris P. 1. tit. 1. qv. 5. n. 4.* modo non ante ipsorum lapsum ad aliqvorum aures pervenerit, tunc enim statim ligare dicit, nam frustra exspectatur alicujus rei eventus, cujus effectus nihil operatur.
6. Videtur autem hæc Morlæ sententia dubia, cum Legis natura sit omnes obligare, & si unus qvidem sciat, hic saltem obligatur, non autem cœteri, qvi adhuc ignorant, qvia qvilibet LL. scire tenetur Pacian. *Conf. 5. num. 45.* & posset ante promulgationem factam mentem suam mutare Princeps, nec præcisè necessum est tempus bimestre, nam in provincia non longè remota, potest etiam ante bimestre tempus obligationem suam capere.
7. Idem *n 5. & n. 8. 9.* limitat, ut non procedat in Statutis particularibus, qvæ statim ligant, & nisi in Lege statuatur minus
8. tempus. Lex verò sive Constitutio futura & non præterita negotia respicit, *L. 7. C de LL.* Gudelin. *de Jure Nov. l. 5. c. 2. verbis utilis inspectio* qvia Princeps sue Lege nunqvam præsumitur velle alteri præjudicium inferre, & si Lex nova ad præterita negotia extenderetur, totius Reipub. status perturbaretur, qvia innocentes punirentur, & contractus legitimè facti, nec non Testamenta irritarentur, & qvam plurima alia incommoda seqverentur.
9. Idem Morla *qv. 6.* ubi pluribus, hæc deducit. Ergò ut paulò antea dictum, ut vigorem suum Lex habeat, reqviritur, ut publicata & promulgata sit, & ut innotescere valeat, alioqvin nec scientes ligat, licet typis publicis sit impressa. Zas. *ad. L. 2. n. 38. ff. de R. I.* Qvin nec sufficit Legem esse publicatam; sed & usu eam receptam & observatam esse oportet, sine usu non recipitur, inefficax remanet, nec ad sui observantiam qvemqvam
10. obligat, Gail. *lib. 2 obs. 60. n. 3.* In dubio autem usu recepta præsumitur, ideoqve ei, qvi Legem usu receptam esse negat, onus probandi incumbit, qvod argumentum pluribus tractat Hunnius *in Encyclopæd. Jur. P. 1. Tit. 2. C. 2.* vid. Gudelin. *Jure Noviss. lib. 5. c. 11. vers. sed utrum Lex confestim obliget à publicatione.* In hac Nov. vult Imperator, & *in L. Jubemus 29. C. & Auth. non observato C. de*
11. *Testam. §. 4. I. de Testam.* Testatorem propriâ manu in Testamento scripto hæredis nomen scribere debere, vel si hoc non possit ob ignorantiam Literarum, vel morbum, clarâ voce palàm id

id exprimat, ratio in textu habetur, *qvia si scribere atq; articulatè loqui nesciat mortuo similis habetur, & falsitas facilè committi potest*, qvæ maxime exosa est in Testamentis. Vult autem Imperator Legē 12.
hanc in futuris tantum Testamentis locum habere, & Notariis hoc negligentibus pœnam falsi interminatur. Cæterum 13.
Hæredem nomine exprimi non opus est (1) si præsens est, nam sufficit eum digitô demonstrari, seu dici *hic hæres esto l. 58. pr. ff. de hered. instit.* Duarenus *ad. Tit. ff. de hered. instit.* (1.) Potest institui persona incerta qvando ex futuro aliqvo eventu declarari potest. Dauth. *de Testam. rubr. de hæred. instit. n. 229.* (2.) Qvando pia causa instituitur, ut cum qvis instituit Pauperes CHRISTI, vel cum legat 100. ad redemtionem captivorum in Turcia. *L. 24. l. 28. pr. C. de Episc. & Cleric.* Sneidewin. *ab §. 1. I. de hered. instit.*

NOV. LXVII.

Ut nullus fabricet Oratorii Domos præter Voluntatem Episcopi &c.

CAP. I.

NUlli licentia sit neqve Monasterium, neqve Eccle- 1.
siam, neqve Orationis domum incipere ædificare, anteqvam Episcopus Orationem in loco faciat, & crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens, ne dum orthodoxarum Ecclesiarum ædificatores fieri videantur, speluncarum illicitarum evadant.

Addit. Omnia benè geri & competenter, si ipsum cujusqve 2.
rei principium fiat decens & amabile Deo Imperator noster ut Christianus jam tum *Nov. 6. præfat.* dixit, & in omnibus actionibus, qvas in honorem Dei & Reip. litterariæ emolumentum suscepit, satis deduxit in praxin, & correspondent huic Christiano dicto tot aliorum & Oratorum & Christianorum Poëtarum Testimonia:

Auſpiciis fac cuncta DEI; qvod enim egeris, omne
Invito varium, Numine fiet opus.

Ut & illud:

De prece principium, Chriſto Duce, & Auſpice Chriſto:
De prece ſit medium, de prece finis Amen.

3. Imò qvæ vis & efficacia ardentis Orationis ſit, ſi alias Chriſtianus ignoraret, (qvod tamen impoſſibile eſt) ſatis diſceret à Chryſoſtomo Epiſcopo Conſtantinopolitano cujus verba ex *Homil. 45. libro Homil. 27. Tit. 2.* hic refero: *Oratio Caminum ignis tribus pueris exſtinxit; oratio concluſit ora Leonum, ne Danieli nocerent; Oratio Moyſis ſeditionem campeſcuit: Oratio Paradiſum aperuit; Oratio cæli cardines reſeravit; Oratio ſterilem fœcundavit; Oratio Eccleſiaſtica ſolvit vincula Petri & Pauli, dilatavit prædicationis fiduciam; Oratio Cornelii cœlos penetravit; Oratio publicanum juſtificavit.* Et ſi
4. aliis Exemplis hic adhuc foret opus, qvæ tamen mediante hoc dictô è Sacra Scriptura abundè peti poſſunt, omninò qvadraret illud de Baſilio M. qvi Cæſareenſis Epiſcopus; præ omnibus Græciæ Doctoribus tanqvam ſtella primæ magnitudinis eminet, hic potentiâ precum ſuarum Eccleſiam primariam Nicææ ab Imperatore Valente Chriſtianis ereptam, & Arrianis aſſignatam una cum Homouſianis ſuis (ſic enim rectè credentes tunc temporis appellati) ſeras & clauſtra januarum aperuit, his ſaltem utens verbis? *Attollite Portæ capita veſtra*, teſtes ſunt Greg. Nazianzenus *Orat. 30. Zonaras Tom. 3. de Imper. Valentis.* Naucler.
5. *Generat. 13.* Qvæ cum ita ſint recte hodiè Proteſtantes qvoq; Oratoria & Eccleſias ſuas, & ſi qvid in illis ad honorem & laudem Divini numinis exſtruitur inaugurant, & preces pias remittunt, ne in manus Hæreticorum & hoſtium deveniat, id qvod Sanctiſſimo Nomini JESU ſemel conſecratum eſt & ſanctifica-
6. tum. De ſigno crucis jam tum ſupra *ad Nov. 1.* fuit dictum, nihil autem de Proceſſionibus à Pontificiis fieri ſolitis, ad Nos autem non pertinentibus addimus; Id liceat ſaltem cum Ziegler. *Not. ad Lancellot. lib. 2. tit. 18. §. 9.* addere, ut Ceremonias, qvæ ad decentem Ordinem in Eccleſia faciunt, non rejicimus, ita neq; hanc crucis poſitionem reprehendimus, niſi ſuperſtitionis accedat opinio. Sed qvia Pontificii ſignationem Crucis habent pro

medio

medio ἐνεργητικῷ atqve per illud rei signatæ meritum Christi, & majorem sanctitatem applicare, eamq; à Diaboli insidiis & insultibus tutum præstare intendunt, non possunt hoc signô crucis nisi malè & superstitiosè uti. Ziegler. *d. l.* Dn. Wildvogel *Dissertat. de Signo crucis cap. 2. seqq.* Qv. hic autem, *si ab Imperatore* 7.
hic præscriptæ Ceremoniæ sint neglectæ, aut non observatæ, an in ejusmodi Ecclesia Sacra liceat celebrare? Resp. qvia consecratio Templorum nullum speciale Dei habet mandatum, frustra cultus Divinus ejusmodi Ceremoniis obligabitur; Ipse Pontifex Gregorius IX. respondet de Ecclesia, in qva Divina Mysteria celebrantur, licet adhuc nondum fuerit consecrata, privilegium immunitatis illi tamen non esse denegandum. *C. Ecclesiæ 9. X. de Immunit. Eccles.* Licitum est ergò ex mente Gregorii in Ecclesia 8.
nondum consecrata divina mysteria celebrare, vid. Ziegler. *d. l.* §. *12.* & qvorsum ista, ut consecretur in altari tribus mappis cooperto, ut adsint luminaria cerea, ut nihil omittatur ex Vestibus Sacerdotalibus, ut hæ & mappæ sint ab Episcopo benedictæ, ut adsit calix cum patina conveniens, cujus cuppa debeat esse argentea, aurea, vel stannea, non ærea, vel vitrea &c. Nobis 9.
qvidem in Sacris nostris plurima etiam talia adhibentur; sed ad ornatum tantum, & ita, ut inter adiaphora semper recenseantur non ad superstitionem, nec ex necessitate. Conf. Dissertatio erudita Dn. Thomasii Antecessoris Halensis Celeberr. *de Jure Princ. circa adiaphora.*

CAP. II.

Ut qvi Ecclesias ædificant, prius definiant qvæ ad Curam & Constitutionem ejus, & Conservationem pertinent.

I. SCilicet ad luminaria, & ad Sacrum Mysterium, & ad incorrumpendæ domus custodiam, & observantium alimenta, & si sufficienter habere videtur, faciat prius

prius donationem eorum, qvæ futura sunt deputari, & ita domus ædificetur.

2. II. Qvod si qvis ipse non habeat inpensas, vult tamen ipse Fabricator Ecclesiæ vocari, voluntate Orthodoxi Episcopi res peragenda est, & possunt expensæ desumi à deputatis, qvi ad fabricam alicujus Ecclesiæ jam tum ante eas obtulerunt & expenderunt, & sic poterit Sacræ domus Fabricator vocari.

3. *Addit.* Nunqvam temere Ecclesia ædificari debet; sed cognitione præcedente, qvæ nulli alii qvam Episcopo, ad qvem
4. aliàs omnis piarum causarum cura spectat, competit. Consistit autem illa inqvisitio in seqventibus, ut exploretur prius, an fructus & reditus adsint sufficientes, ut Ecclesia construi, constru-
5. cta conservari & Ecclesiæ Ministri sustentari qveant. Nam alimenta eorum jure divino & naturali debentur, nec privilegiô, nec consvetudine tolli possunt, adeò, ut ne à Pontifice qvidem privilegia immunitatis concessa valeant, nisi qvatenus jure humano circa decimas qvid sit constitutum. Ziegler. *ad Lancellot.*
6. *lib. 2. Tit. 26. §. 13.* Præterea num justa ædificandi adsit causa, & an in præjudicium tertii exstruatur *C. nemo Ecclesiam 9. de Consecrat. D. 1.* Siqvidem in ædificatione templorum hoc præprimis venit observandum, ne vicinis ædibus noceatur. *C. 1. X. de N. O. N.* & qvamvis favor, qvi pro religione facit, summus sit, *L. 34. circa fin. de Relig. & sumpt. fun.* Ecclesia tamen nutrix & Justitiæ cultrix non patitur, ut contra Justitiam aliqvid fiat in detrimentum alterius. Deniqve, ut eorum, qvorum interest, ut Templum novum exstruatur, vel non, adhibeatur consensus. *C. 3. X. de Eccles. ædificat. Clem. 2. de reb. Eccles. non alien C. 51. C. 16. qv. 1.* Qvapropter Consensus & autoritas Episcopi illius diœceseos in qva fundantur in exstructione Templorum qvàm maxime reqviritur v. *Cap. 1. Nov. 67.* aliosve textus Juris Canonici à
7. Finckelth. *de Jure Patron. cap. 4. n. 6.* citatos. Rationes non sunt obscuræ, partim 1. qvod Episcopi Diœcesani sit, locum inspicere & examinare, an ad erectionem templi sit congruus & utilis, ne forte speluncæ illicitæ, & non Orthodoxæ Ecclesiæ ædificentur

centur. *L. Ecclesias 28. c. 16. qv. 7. Nov. h. 67.* item an Ecclesia in conspicuo & editiori loco exstructa, à Commerciis ementium & vendentium remota, & à strepitu & fœtore sordidorum opificum sit immunis. Schönborn. *lib. 1. Polit. c. 14.* Partim 2. qvod 8.
Episcopus ad Cœlum debeat manus extendere, & per Orationem locum Deo consecrare, ut sic locum & decens fundamentum ponatur. *C. Ecclesias 13. de Consecr. Dist. 1. cap. præced.* Partim etiam 3. qvod Episcopo conveniat cognoscere, qvomodo dos congrua & sufficiens sit constituenda, neve contingat ædificium templi inchoari & non consummari *d. C. 9 & infra Nov. 131.* Qvan- 9.
doqvidem verò jura ut *Nov. 5. C. 1. Nov. 67. C. 1. & 2. Nov. 131. C. 7. C. Nemo 9. de Consecr. D. 1.* Episcopi tantum, Capituli verò Consensum nullibi reqvirunt, inde ejus suffragium circa Ecclesiæ exstructionem reqvirendum non est, qvod *limit.* in casu *Sedis vacantis* qvia sede vacante jurisdictio Episcopalis omnimoda ad Capitulum devolvitur, ut omnia, qvæ ad notionem & imperium pertinent, tam qvoad voluntariam, qvam contentiosam jurisdictionem expedire possit, æqve ac Episcopus *C. unic. ne sede vac. in 6to c. 17. X. de majorit. & obed.* Paurmeist. *de Jurisdict. lib. 2. c. 8. n. 115.*
In Provinciis Protestantium ad Templi novi Constructionem 10.
Principis, vel Consistorii vicem Principis repræsentantis, autoritas est necessaria, æqvum enim est, ut cum illorum consensu fiat, qvod aliàs ipsis ratione officii expediendum incumbit *Ordin. Eccles. Elector. Saxon. Art. gen. 32.* Carpzov. *lib. 2. Jurispr. Consist. def. 331.* Finckelth. *de Jur. Patron. c. 4. n. 32.* Si nemo ædificet Ecclesi- 11.
am Consvetudo loci inspicienda, & ex ærario Ecclesiastico sumtus erogari debent *c. 4. X. de Eccles. ædific.* imò in subsidium Parœciani conferri, licet sub alio Magistratu & in alio degant territorio suumqve habeant domicilium nec ne.

Ut de Dote Ecclesiarum paucis adhuc addatur, propriè 12.
qvidem dos refertur ad matrimonium vel nuptias, qvo respectu significat rem à muliere ejus nomine matrimonii causa ad sustinenda ejus onera datam *t. t. ff. de Jure dot.* largè verò loqvendo *Dos* etiam dicitur id, qvod qvis donat Ecclesiæ à se, vel ab alio ædificatæ ad Sacrum Ministerium, ad luminaria, ad domus custodiam, adeoq; pro ejus Rectore, vel Sacerdote, qvi

qvasi maritus onera ejus in ministrandis Sacramentis, & celebrandis sacris est subiturus, talis donatio dicitur Dos, & qvi ita dotavit, seu ditavit Ecclesiam, Patronus ejus dicitur, & de hac
13. dote agitur in *Nov. hac c. 1. & 2.* Illa dos adeò est necessaria, ut Ecclesia nulla sit consecrando, nisi de dote ei prospectum fuerit *C. cum sicut X. de Consecrat. Eccles. & alt.* ex qvo Panormit. ibid. notat, qvod fundans Ecclesiam ad dotem obligetur, non qvamvis sive minimam; sed congruam, & competentem illi dandam, qvæ sufficiat ad necessaria ministrorum, & ad luminaria, prout aliàs Pater obligatur ad dotem competentem filiæ constituen-
14. dam *L. fin. C de dot. promiss.* qvin & dos ita debet dari, ut sit & maneat perpetua illius Ecclesiæ dos, nullô tempore repetenda. Cothm. *Respons. Academ. XXIX. n. 12.* utque Ecclesiis eò rectiùs consulatur, Episcopus loci cautionem exigere debet, qvod si facere omittat, vel sine dote congrua consecret, ipsemet tenetur Ecclesiam dotare. Petr. Gregor. *de benefic. c. 15. n. 3.* Finckelth. *de Jure Patron. c. 4. n. 69.* quænam verò congrua seu sufficiens dos
15. sit, exponit B. Dn. Zieglerus *Tr. de Dote Eccles. c. 7.* Quod si autem quis Sacræ Domus Fabricator lubens vocari velit, ex suis impensis autem non possit ædificare, ædificet autem ex impensis ab alio jam tum datis, nomen *Fabricatoris Ecclesiæ* qvidem sortietur *h. C. 2. Patroni* tamen & jus Patronatus nunqvam, qvia Ecclesia sine dote esse non potest, & sic nec Exercitium Juris Patronatûs locum habebit. Excell. Dn. Stryke *Addit. ad Jus Eccles. Brunnem. lib. 2. c. 8. §. 7.* & juxta istud Veterum; *Patronum facia-*
16. *unt Fundus Constructio, dosq;.* Qvod si autem prior Patronus Ecclesiam propriis sumtibus reficere nolit, aut fortè non possit, alius, qui consentiente Episcopo eandem de novo ex propriis reædificat, fit Patronus, eodemqve loco est, ac si ab initio eam novam construxisset *C. 2. h. Nov.* & probāt P. Peckius *Tr. de Eccles. repar. c. 34. n. 1.* cum magis favorabile sit, collapsa restituere, quam nondum existentia construere. *C. Raynutius X. de Judæis.* quia & ille dicitur ædificare, qvi reparat, æquè ac is, qui de novo ædificat. *Nov. 67. c. 2. h.* Et Ecclesia penitus destructa; sed iterum refecta, eadem cum prima censetur. *argt. L. qvod inde §. non tantum ff. qvib. mod. ususfr. amitt.* An verò Prælatus ex suis potius bonis

bonis qvàm Ecclesiæ eam dotaverit tractat Menoch. *Lib. 3. Præsumpt. 53.*

CAP. III.

De Episcopis non Residentibus in propriis Ecclesiis.

EPiscopus in sua Ecclesia residere debet, & si ultra solitum tempus in aula moretur, nimirum ultra anni spacium, dum evocatus ad Imperatorem negociorum expediendorum gratia, nullam ipsi de provincia Expensam mittat Episcopus, sed illa circa actus pios, & sanctissimam Ecclesiam debet expendi, ipse verò errans eam expensis non debet prægravare. 1.

Add. Qvæ hic dicenda forent, jam tum supra ad Nov. VI. 2.
C. II. sunt proposita.

CAP. IV.

De alienatione rerum Ecclesiasticarum immobilium.

MEtropolitanus Episcopus non potest ob æs alienum 1.
prædia Ecclesiastica vendere, nisi decretò interpositò præsente Clerô & duobus Episcopis ex ea diœcesi cui Metropolitanus præest.

Add. Nam Episcopus non est Dominus Bonorum Eccle- 2.
siasticorum; sed nudus Administrator, cujus in potestate non est bona distrahere & abalienare sine evidenti Ecclesiæ utilitate vel necessitate, *L. 93. ff. de Procurator.* maximè qvod bona hæc dicantur esse pauperum & egentium hominum *C. 2. X. de reb. alienis non alien. c. 68. c. 16. qv. 1.* Et nec rerum mobilium alienatio magis, quàm immobilium est licita, nam in *C. Nulli C. 12. qv. 2.* Bonifacius Pontifex inqvit, Nulli liceat ignorare, omne quod Do- 3.
mino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit. Excipiuntur illæ res, quæ servando servari non possunt,

quæq; magis vendi & distrahi, quam retinere Ecclesiæ expedit, de quo jam tum alibi supra fuit dictum. v. supra *Nov. 7. & 65.*
4. ubi etiam de solennitatibus & reqvisitis necessariis dictum, quò pertinet etiam præcipuè cognitio causæ sive tractatus, ut inqviratur, an justa subsit & legitima alienationis causa, utq ue patescat, utrum hanc rem potius, quam aliam ex præcedente justa causa alienare expediat. *argt. l. 5. §. 9 ff. de rebus eorum, qvæ sunt sub.* Redoanus *Tr. de reb. Eccles. non alien. c. 23. per tot.* Gvido Papæ *decis. Gratianopol. 149.* Joseph. Ludovici *decis. Perusin. 93. n. 22. seqq.* ubi ait, requiri, ut de hoc tractatu constet ê publico Instrumento specialiter desuper confecto, nec ad illum probandum sufficere Instrumentum alienationis.

Nov. LXVIII.

De Constitutione Successionum in Lucra Dotalia.

1. HÆc Novella tractat de Successione in lucra nuptialia ex pacto inita liberis non existentibus, ut ad secundas nuptias Conjux transiens, dominio privetur, superstitibus autem libris usumfructum debeat habere, qvæ fuit olim Leonis Constitutio. Sed Justinianus Imperator.

CAPUT I.

1. HAnc corrigit, volens, ut heredes mortuorum liberorum, vel Nepotum, sive Parentes sive alii qvicunqve sint, habeant inde aliqvod subsidium, & lucrentur etiam jure dominii per mortem liberorum, qvantum aliàs ex pacto si liberi non adfuissent, lucraturi fuissent, cœtera verò pars ad heredes filiorum vel Nepotum demortuorum perveniat.

2. *Addit.* Per *Lucrum nuptiale* secundum Explicationem Rittershusii *ad Nov. P. 5. cap. 14.* intelligitur omne id qvod ex pacto statutove, vel consvetudine, aut ex dote obvenit viro, aut ex donatione propter nuptias cedit uxori pro lucro si matrimonium vel

um vel morte, vel divortio fuerit ſolutum, nec tantum ſi pars dotis vel donationis propter nuptias Parenti obvenerit; ſed etiam ſi tota dos, vel donatio propter nupt. Conf. ſupra *Nov. 2. C. 1.* & infra *Nov. 98. & 127. C. 3.*

Nov. LXIX.

Ut omnes obediant judicibus Provinciarum & in Criminalibus, & in Pecuniariis, & ibi negotia examinentur &c.

PRÆFATIO.

JUſtitia eſt una omnium perfectiſſima virtus, qvæ jura omnibus diſtribuit, qvare nec fortitudo, qvæ non eſt cum juſtitia laudanda, & delictorum potius, qvam bonorum aliqvorum ſit occaſio, virtutis nomen meretur, hinc vult Imperator lege placente Deo juſtitiam corroborare, & ad fortitudinem decentem reducere. Nam a- 1.
lii litteras Sacras Principis, alii privilegia de novo conceſſa, alii pragmaticas formas, alii præcepta judicum, 2.
qvidam alias ex aliis adinvenerunt occaſiones peccandi, & qvidem in provinciis & extra eas litigare nituntur, & qvod eſſe non debet, cogitant. Qvi enim in qvolibet 3.
loco indè patitur, aut bonorum ſuorum qvid amittit, aut de terminis terræ litigat, aut de proprietate, aut de poſſeſſione, aut de hypotheca aut de alia qvacunqve re, qvomodo poterit in alio loco probationes horum qvæ ſuſtinuit malè exhibere? Dum enim hæc agunt, oſtenduntq; ſcilicet potentiam & qvaſi ſi Diis placet fortitudinem ſuam, qvæ faciunt, ſe juſtè machinari credunt, & dum hæc mala faciunt, tanqvam perpetuam ſe virtutem habitu- 4.
ros confidunt, & non reſpiciunt ad millia & decies millia exempla, dum ſerò tandem & in perſonis numerabilibus ex potentibus videmus potentes procedere, & ex

divitibus divites, in omne autem ævum pene ex potentibus processerunt inanes, ex divitibus autem pauperes, dum Patrum injustitiam soboles est secuta, & non cogitant, neqve reputant; qvoniam qvod ipsi qvasi per se machinantur potestatibus utentes hoc forsan contra eos, qvi ex eis procreantur, agunt, non eadem potentia sobolem seqvente, qvæ illos est secuta.

5. *Addit.* Justitiam omnium esse virtutum præstantissimam, nec Hesperum, nec Luciferum tanta admiratione dignum esse Philosophorum Princeps tradidit jam tum suô ævô *Lib. 5. Ethic. ad Nicom. cap. 1.* nam ut alius Ethnicus Cicero *lib. 4. de finib. bonor. & mal.* scriptum reliqvit est Summi RECTORIS & DOMINI NUMEN, aurea ejus facies, aurei ejus oculi, Pindarus referente Athenæo *lib. 12. Dei pro Soph.* Hanc ipse Imperator Ju-
6. stinianus præsenti Lege corroborare, & suum cuiq; tribuere renuentes intrà gyrum rationis redigere studet; dum plurimi inveniuntur, qvi ut Agamemnon Rex olim Ducis Achillis nævos depingebat apud Homerum *Iliad. A.* volunt supra omnes esse alios, omnes esse in potestate sua, omnibus & dominari, omnibus & præcipere, interea simul summa juris nesciunt, ipsa S. Sancta tribunalia constuprant, omniqve improbitati & luxuriæ frena laxant, ut adeò peccata Seminis in Semine puniantur, i. e. in posteritate, idqve factô ipsô eveniat, qvod in Præfat. hic prædixit Imperator. Qvamvis enim sæpè magna Parentum & non-
7. nunqvam per improba facta sit claritas, tantò tamen major filiorum fit obscuritas, amare potuit Pater filium, illustrare non potuit, & infinitum lucis Eclipsin sæpè patitur in filio, eò spectat dictum Claudiani Poëtæ Gentilis:

In prolem dilata ruunt perjuria Patris
Et qvanam meritò filius ore luit.
Et qvas fallacis collegit lingva Parentis
Has eadem nati lingva refundit opes.

& tot insuper Exempla & Testimonia è Sacris litteris petita, imprimis illud apud *Ezech. cap. 18. vers. 2. Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Thren. c. 5. vers. 7. Syr. 24. v. 9. Die Erfahrung giebt es, daß auch bey uns zu allen Zeiten große Ge-*

schlechte

schlechte untergehen, und gantz ausgerottet werden von ihrer Vor-El- 8.
tern Geitz, Wucher, Unzucht, und dergleichen Sünde und Laster; sunt verba Simonis Pauli *Domin. 22. Trinit.* i. e. Experientia testis est, omnibus apud nos temporibus magnas interire familias, & funditus extirpari, ob Parentum sorditiem, usuras, luxuriam aliaqve similia vitia. Nam licet malè acqvisita rarò restituantur, maledictio tamen divina nullo unqvam tempore elui potest, qvia liberi illa possidentes tacite ad paupertatem devolvantur; præfigurarunt id nobis Ethnici in Eqvo Sejano, tali factô præditô, ut qvisqvis eum possideret, cum omni domo, familia, fortunisq; suis ad internecionem periret. Gellius *lib. 3. Noct. Attic. 9.* Erasm. Roterod. *Chiliad. Cent. 10. Proverb. 97.* Qvot qvæso Reges & Prin- 9.
cipes Posteritati factô suô & culpa in jure in spe qvæsito præjudicium intulerunt, & Exspectantiis & juribus succedendi privarunt? Sic Henricus Saxoniæ Dux LEO aliàs appellatus omnem suam Posteritatem Electoratu Saxonico, Bavariæ Ducatu, Palatinatu Superiore, Ducatu Angriæ, & tractu Holsatiæ, Civitate Lubecensi, aliisqve amplissimis locis, qvæ ex provisione & providentia Majorum ad liberos & Successores ejus pervenissent, suâ culpâ & factô privavit, & in ingens damnum conjecit, qvô ipsô Electoratus cum Ducatu Saxoniæ ad Bernhardum Principem Anhaltinum, Bavaria & Superior Palatinatus ad Comitem Palatinum Ottonem dictum de Wittelsbach, à qvo moderni Duces Bavariæ & Palatini Posteritatem trahunt & Ducatus Angriæ ad Episcopatum Coloniensem cæteræq; regiones ad alios Possessores & Dominos pervenerunt, testantibus Cuspin. *in Vita Frid. Barbar.* Phil. Melanchth. *in Chron. lib. 4. in Frid. Barbar.* Besold. *Synops. Histor. universal. in Frider. Barbar.* & huc qvadrat illud Phil. Melanchth. *in locis Manil.* qvod ex eo refert Richter. *Axiomat. Oeconom. 22. circa fin.* Audivi Sapientem & Excellenlentem Virum summô genere naturæ; sed qvi non modestè vivebat, cum periisset ei filius incendio, dicentem: *O me miserum mea peccata punit Deus in semine.*

CAP.

CAP. I.

De Foro Competente.

1. SAncit hic generalem Legem in Provinciis omnibus qvæqve ejus obediunt sceptris valentem in universa ditione, & qvæ ascendentem videt, & qvæ descendentem solem, & qvæ ex utroqve est latere, ut unusqvisqve in qva Provincia deliqvit, aut in qva pecuniarum aut criminum reus fit, sive de terra & de terminis, sive de proprietate, sive de possessione aut hypotheca vel de alia qvalibet occasione, illic etiam juri subjaciat, nec ultra terminos litiget.

2. §. 1. Sive enim magna delicta sint, sive Contractus, oportet super eis esse & conventiones, & Scripturam, si opus fuerit, & examinationem provincialem propter facilem probationem, sive in parvo qvis delinqvat, sive
3. majus adhuc peccatum fiat, qvid enim est durius, qvam læsum circa sublerionem bovis aut eqvi, aut jumentorum, aut pecudum, aut ut exiguum dicamus domesticæ gallinæ, hunc cogi, non in qva provincia auffertur litigare, sed alibi funere, & ibi probationes bonum, qvæ pertulit exigi, & aut plures pati expensas, qvàm rei æstimatio est, aut inopiam ingemiscentem ferre.

4. *Addit.* De foro *delicti* & *Contractus* hic Imperatori potissimum est sermo, etsi enim in criminalibus causis forum qvoqve varium est, principalius tamen in loco delicti, qvod cœtera omnia superat Mev. *P. 2. Decis. 4. & P. 7. Decis. 86.* adeò, ut omni privilegiô ratione domicilii cessante illis res sit expedienda *C. 1. huj. Nov. L. 1. C. ubi Senat. vel Clariss.* Carpzov. *Process. Crimin. P. 3.*
5. *qv. 110.* & hoc Forum, nec miles detrectare potest, *L. 2. pr. ff. de re milit.* nec forensis, si in judicio hoc delinqvat injuriis nam in judicio, cui qvis aliàs non est subjectos, delinqvens prorogat jurisdictionem ejus. Mev. *P. 5. Decis 374.* nec Clarissimi *L. 1. C. ubi Senat.* Qvia omnem honorem reatus extrudit *d. l. 1.* Brunneman.

neman. *Procesf. Inqvisit. cap. 3. n. 3.* Qvod si concurrant judex 6.
domicilii, & is sub qvo delinqvens est repertus præventioni locus est. *arg. L. 30. ff. de Judic.* nec enim judex domicilii aliqvam videtur habere prærogativam vid. *L. 4. ff. de Recept.* Variis autem modis contingit Præventio, qvandoqve per *Citationem*, qvandoq; per *Litis Contestationem*, qvandoqve per *Arrestum*, aut per 7.
Personalem comprehensionem, seu capturam, qvæ vocatur Citatio realis. Damhouder. *Pr. rer. Crimin. cap. 33. n. 5.* vid. Mev. *P. 7. Decis.*
86. Ut verò alibi citatus exceptione præventionis in loco do- 8.
micilii se tueri potest, ut iterum non accusetur, ita vicissim obligatur ad comparendum, ipsô non comparente in contumacem, tandemqve ad bannum proceditur, qvod absentes coercendi medium placuit, & ubiqve servari, testatur Mev. *ad Jus Lubecens. lib.*
4. Tit. 4. A. 15. addit. Traditur qvoqve ad delictum reus ubi re- 9.
peritur, *d. L. 1. & 2. C. ubi de Crimin. Auth. qva in Provincia C. eod.* unde vulgatum illud, *ubi Te invenero, ibi Te judico* non distingvitur unde sint, licet non sint inde, ubi accusantur; sed alibi habeant domicilium; Ergò multò magis subditus & originarius se defendere cogitur coram suo judice, contra accusationem criminum extra territorium judicis commissorum ex Tesaur. *De-*
cis. 91. Sand. *lib. 1. decis. Frisic. Tit. 1. dec. 4.* *Num verò in loco, in qvo* 10.
fuerunt comissæ injuriæ reus injuriarum conveniri possit, licet ibi domicilium non habeat, qværunt Ddr. Qvod N. Carpz. *lib. 2. Resp. 26.* nam qvod vulgò dicitur, delinqventem in loco delicti perpetrati forum sortiri sive ibidem reperiatur sive non, & qvocunqve loco etiam habeat domicilium, id verum est in criminibus publicis, in qvibus obtinet Processus inqvisitionis, qvod tamen neutiqvam extendi debet ad crimina & delicta privata Zanger. *de Exc. P. 2. c. 1.* Cum verò injuriæ inter delicta privata referantur *T. t. I. de injur.*
nec contra injuriantes, nisi persona publica ratione & contem- 11.
platione officii injuriis fuerit lacessita, per modum inqvisitionis procedi possit *L. 10. C. de Episc. & Cler.* utiqve Exceptione Incompetentiæ se tueri poterit reus actione injuriarum in loco delicti conventus, si nec domicilium habeat, nec etiam ibidem deprehendatur, ut ei citatio possit insinuari, prout in tali casu allegat præjudicium Dnn. Scabinorum Lipsiensium Dn. Herold. *in Isag.*

12. *ad Processum Jur. Civ. & Saxon. Langii C. XXXIII. n. 82.* An verò remissiones criminosorum sint hodie necessitatis aliàs abunde à Dd. traditum est ad *L. Solent 7. ff. de Custod. & Exhibit. reor.* vid. Brunn. *Proc. Inqvisit. c. 3. n. 4. & 7.* Mev. *ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 4. art.*
13. *15. addit. ad n. 7.* Qvod attinet Forensem, æqvè sortitur forum, & agnoscere debet judicem loci in qvo deliqvit, ac Civis subditusq; hincq; puniendus ex Lege regionis, dum enim, ut statuit Per-Illustris Dn. L. Baro de Frisen *dissert. Academ. de Jure Princ. extra territorium Vol. 11. Dissp.* Exc. Dn. Strykii *c. 3. n. 138.* certam qvis Provinciam intrat, illicò per qvasi Contractum stipulari videtur cum Repub. se nihil omninò in ea turbaturum, vel admissurum, qvod contra LL. ipsius sit, & si fortean contra fecerit, submissurum se pœnæ eadem ratione, qua Civis alius, cui LL.
14. latæ *L. 3. ff. de Offic. Præs.* & sanè quid durius esset, ut Imperator hic ait, si læsus circa sublationem bovis & eqvi, aut jumentorum, aut pecudum, aut domesticæ gallinæ alibi deberet currere, & ibi plures pati expensas, qvàm rei æstimatio est, & ingemiscentem inopiam ferre, nam respectu Pauperis etiam causa unius Porcelli magna dicitur, qvia Rustico tam cara est sua vacca, quàm Marchioni sua Marchia. Speckhan. *Cent. 2. class. 3. qv. ult.* proinde peccatum mortale est, pauperi illud modicum aufferre; aut difficilem processum per distantias locorum facere, ut tandem modicum illud conseqvatur. Ergò si locus, in quo delictum commissum est, majorem sive minorem dictitet pœnam, ibi executio pœnæ facienda. Carpzov. *P. 4. Const. 19. def. 19. & Pr. Crimin.*
15. *P. 2. qv. 54. n. 50. & seqq.* ex præmissis in fine concludit, reum adulterii in Electoratu Saxoniæ commissi, si alibi deprehensus fuerit, condemnandum esse in pœnam ex Constitut. Electoris Saxoniæ adulteris indictam, idque præjudicio subjuncto firmat, videantur in genere de foro delicti latius Treutler. *Vol. 1. D. 3. th. 8. lit. f.* Brunnem. & Ddr. *ad Tit. C. ubi de crimen.* Hahn. ad Wesenbec. *Tit. ff. de Judic. n. 16.*

16. Forum Competens qvoq; facit Locus *Contractus*, cujus nomine omnes Contractus sive veri, sive qvasi, sive nominati, sive innominati, imò qvæcunqve conventiones efficacem obligationem producentes comprehenduntur *L. 20. ff. de Judic.* sive ad implemen-

plementum Contractus sive ad rei cessionem agatur *L. 27. ff. de Cred. jud. l. 14. §. 4. C. de N. N. P.* quod & dicendum de loco destinatæ solutionis, ut ibidem conveniri queat, qui solvere eo loco promisit. *L. contraxisse 6. ff. de O. & A. l. 2. & 3. §. fin. ff. de reb. autor. jud. possid.* Singulare est, ut etiam ubi pactô executivô certus 17.
locus solutioni destinatus est, in illo solutionis foro quis conveniri posset. vid. Cöler. *Exc. P. 2. c. 1. n. 59. 60. 61.* si placuit Contractum in Scripturam redigi, Scripturæ locus Contractus pariter existit locus. *L. 17. C. de fid. instrum.* nisi ad probationem saltem de scriptura conventum Carpzov. *lib. 2. Resp. 29. n. 8. 9.* Si partes ab- 18.
sentes per epistolam, vel nuncium contraxerunt, non locus scriptæ; sed acceptæ Epistolæ Contractui forum statuit, quia ibi utriusque consensus concurrit. Berlich. *P. 1. dec. 37.* Moribus Germaniæ in loco Contractus nemo conveniri potest, nisi sit præsens. Gail. *lib. 2. obs. 36. n. 14.* Mev. *P. 7. D. 72. & D. 377.* aut si bona possideat Mev. *P. 7. D. 48.* Nam sicut qui pergulam, sic 19.
qui bona sita habet, ibidem convenitur. Mev. *d. l.* & tum etiam Processu executivo adversus bona in loco Contractus reperta agi potest maximè, si forsan malitiosè reus à loco Contractus se absentavit. Coler. *de Proc. Exec. P. 2. c. 1. n. 46. 47.* Si non reperitur in Foro C. ad remissionem non tenetur Judex domicilii. Mev. *P. 1. dec. 239. n. 2.* vid. Dn. Coch. *Pr. Fori German. P. 1. c. 2. §. 12.* Non vero dicitur locus Contractus, ubi Contractus est confirmatus, si in alio loco est factus, in alio verò confirmatus; Confirmatio enim nihil novi addit; sed illud quod antea est corroboratum *argt. l. 8. ff. de Judic.* Gail. *lib. 2. O. 1.* Matth. Steph. *de Jurisdict. lib. 1. c. 29. num. 20.*

De POSSESSIONE sic statuatur, quocunq; Interdicto de 20.
ea agatur, i. e. sive interdicto *unde vi*, de recuperanda Possessione à qua vi sumus dejecti, sive *uti possidetis* de possessione retinenda, in qua turbamur, sive interdicto *quorum bonorum* adipiscendæ rerum hereditariarum possessionis causa, in his omnibus causis ibi de possessione debet agi, ubi res de cujus possessione agitur, sita est. Et quidem *de recuperanda & retinenda* possessione 21.
scripta est *L. unica C. ubi de possess. agi.* De adipiscenda possessione est in *L. un. C. ubi de hered. ag.* quæ omnia optimè & erudite latius

 perſequi-

22. persequitur Hugo Donell. *lib. 17. Commentar. Jur. Civ. c. 17.* Quod si petitorium & Possessorium simul intentatum, consultius est possessorio prius agere, & videre, an interdicto quis nancisci possit possessionem *L. 24. C. de R. V.* quod sic accipiendum putat Mev. *P. 6. Dec. 100.* si de neutro adhuc constat, de possessorio verò res plana, de petitorio autem adhuc res dubia & controversa sit. Quod
23. si de Petitorio res aperta est, sed possessionis causa adhuc dubia, vel etiam liquida, tamen super isto tantum est pronunciandum, frustra enim de possessione contenditur, & jus dicitur, ubi de petitorio liqvida res est, tunc enim petitorium absorbet possessorium, majori enim causæ cedit minor, & hanc ad se trahit *L. 54. ff. de ju-*
24. *dic.* Si verò præpostere prius petitorium sit electum, & an eô nondum factô ad possessorium quis convolare possit? tractat Dn. Coch. *Pr. Fori judic. P. 4. c. 4. §. 5.* & affirmat id licere *in Interd. Recuper. Unde vi* vel *Qvorum Bonorum*, si modò in Petitorio nondum conclusum sit, imò etsi conclusum, licere tamen dicit, quando scil. iniquitas invasoris aperta, & per malitiam Adversarii prærepta Actori facultas probandi dominii. *c. 5. X. de causa possess. & propriet.* hocq; etiam in feudalibus se habere, ibique possessorii & petitorii quæstionem separari, ex Rosenthal *de Feudis c. 12. Concl. 71. in f.* deducit Mev. *P. 5. Dec. 178.*

25. Actio Hypothecaria exercetur in loco Rei sitæ Brunneman. *ad Auth. Qva in Provincia C. ubi de Crimin.* nam cum realis sit, rem ipsam perseqvitur, non personam. Mev. *P. 3. Decis. 188. & P. 7. Decis. 107.* tendit, eum in finem, ut Possessor rem restituat, cum fructibus, & si meliorationes factæ fuerint, non posse rem retinere, qvamvis æstimationem rei præstare velit evincit. Covarruv. *lib. 1. Resolut. cap. 8. tit. 2. n. 3.* sed restituere eum debere possessionem melioratioribus refusis, *L. 29. §. 2. ff. de Pignor.* De effectu Hypothecariæ vid. Mev. *P. 7. Dec. 406.* & qvod non faciat rem litigiosam. Mev. *P. 5. Dec. 376.*

CAP. II.

De Præsentibus Reis.

Ergò

I. ERgò si ambo fuerint in Provincia & Actor & Reus, neqvaqvam causa ad aliam Provinciam debet trahi, neqve ex privilegio cujusqvam, neqve ex jussione; sed illic debet decidi. Si verò unus qvidem adest, alter verò abest, & præsens ex domo absentis injustitiam patiatur, omnibus modis conveniatur, qvi injustitiam egit, sive Curator, sive Conductor, vel qvicunqve sit, & liceat illi secundum Provinciæ spacium, & juxta legem communem antiqvitus positam inducias accipientem litem denunciare illi ad qvem causa refertur, 1. 2.

§. 1. Spacium hoc pro locorum distantia variat, & determinat Imperator, intra qvod si non compareat Dominus nec per se, nec per Procuratorem, Inhabitator domus in qvantum obnoxius apparuerit, si locuples sit in id condemnatur, qvod decretum, si verò tantum non habeat in qvod condemnatus, de absentis Domini rebus victori damnum datum debet compleri. 3.

II. Qvod si nuncianti Dominus credat, litem ipsi potest committere, si verò aliqvid aliud de illo sapit, qvod non sit homo legalis, alium dirigat suscepturum omnibus modis actionem & completurum, qvæ sunt decernenda, nisi Appellatio sit secura, sive in majori (Criminali) sive minori (Civili) causa. 4.

III. Qvod si Procurator qvidem nunciet, Dominus verò cui nunciatum est, non ordinet, & statutum à judice tempus transeat, judex negotii apud Tribunal suum Procuratorem & pro absente persona etiam invitum repræsentet, & præsente eo, qvi conventionem suscepit causam examinet condemnet etiam eum, qvi absentē defendit, in qvo obnoxius apparuerit, & insuper mittat. 5.

Addit. Nominatio est actus, qva actione reali vel in rem scripta conventus judicium intentatum transfert in dominum, seu eum cujus nomine possidet, sui liberandi causa Ummius *Disput. ad Proc. dir. XI.* Nominatus igitur judicium in eo loco susci- 6.

suscipere tenetur, qvo non comparente lis pro contestata habetur, Præscriptio interrumpitur, & citatô reô, ac causâ summariè cognitâ, Actor in rei petitæ possessionem remittitur, salvâ Adversariô Proprietatis qvæstione. *C. fin. §. fin. X. ut lite non Cont.*
7. Bruneman. *ad l. 2. C. ubi in rem actio.* Potest verò Colonus, & qvicunqve alienô nomine possidet non tantum actione in rem conveniri; sed etiam tenetur rei dominum nominare, qvi ipse litem in se transferet, datô ei adveniendum tempore, qvô lapsô, si non compareat, judex tribus edictis propositis eum evocabit, & tunc in eadem voluntate, manente eo, negotium summatim discutiens, in possessionem rei petitæ Actorem mittit, omni allegatione reo licet contumaci super principali i. e. proprietatis qvæstione reservatâ. *L. 2. C. ubi in rem actio.* & juxta *h. Nov. C. 2.* Domino pro distantia loci dabatur spacium 4. vel 5. vel adsummum 9. mensium ad comparendum, qvod olim judicis arbitrio permittebatur, *d. l. 26.* Ratio autem cur Possessor rei alienô no-
8. mine conventus prædictâ actione dominum laudare sive nominare, hæc est juxta Peretz. *ad h. Tit. n. 4.* tum qvia interest Domini ipsum rem suam tueri ac defendere, tum qvia cum Possessor cum alienô nomine contendat rem ad se pertinere, nec tam possideat, qvàm simpliciter detineat, non potest idoneus esse reus in actione in rem, & proinde Dominum nominare debet.

CAP. III.

De Absentibus Reis.

1. QVod si Inhabitator ædium, qvi dominum litis præsentare jussus est aut qvi pro eo legitimè cogitur, ut si Pater filium absentem repræsentare volebat, non comparuerit, debet vocari legitimâ voce præconis vel Nuncii ad domum missi, si vero non obediens & ab-
2. sens condemnatur, ut desertor litis. Si verò ille qvidem forsan advenerit, aut miserit qvempiam, accusator autem rei Actor desit, tunc eum ab instantia judicii absolvat judex, & damna ejus mereri Calumniatorem cogat, & sic

& ſic erunt temperatiores, & ſic peccare cesſabunt homines, nec putabunt, potentiam divitiarum juſtitiæ prævalere.

Addit. Multas Contumaciæ pœnas refert Airer. *Proc. Jur.* 3.
P. 1. cap. 4. O. 3. n. 37. C. ff. lib. 2. Tit. 3. th. 22. plures & qvidem 24. recenſet Maranda *P. 5. de Contum. n. 9. ſeqq.* qvibus addunt, qvod Contumax privilegium fori allegare non posſit. Afflict. *Dec. 133.* qvod tamen non admittit Berlich. *P. 3. Dec. 335.* Propria tamen 4.
Contumaciæ pœna eſt, reſtitutio expenſarum, & qvod Contumax in judicio ulterius non admittatur, priusqvam eas parti adverſæ integrè reſtituerit, qvæ ſententia ſatis fundata in *L. 15. C. de Judic.* & extendunt Doctores ad qvemvis contumacem, etiam Procuratorem, Minorem, Eccleſiam, Collegium & Univerſitatem ſive actoris, ſive Rei partes ſuſtineant, licet expenſæ non ſint petitæ, nec Procesſus per Contumaciam impeditus, tam in cauſis civilibus qvàm criminalibus, ſive coram Ordinario ſive delegato judice agatur Carpzov. *lib. 3. Reſp. 30.* & vult Brunnemann. *add. l. 15. C.* debere prius expenſas taxari à judice, & poſtea par- 5.
tem jurare. *L. 9. C. unde vi.* qvia hoc juramentum eſt veritatis, ſecus in juramento affectionis, ubi poſt jusjurandum judex moderatur, qvia de ipſa affectione tantum præſtatur, nec juramentum hoc in desvetudinem abiit. vid. Brunnem. *cit. loco.*

Nec verò ut hic inqvit Imperator. §. 1. ſufficit ad perfe- 6.
ctisſimam cauſæ medelam cum judicantes Potentioribus magis, qvam juſtiora volentibus & ad Provincias venientibus jura impertiantur *Juſtitia enim non novit Patrem, non novit Matrem, Veritatem novit, perſonam non accipit, DEUM imitatur*, ſunt verba Casſiodori qvare juxta iſtud Baldi dictum *L. 2. C. de Sentent. ex peric. recit.* judex duplicem debet habere Salem, *Scientiæ* ſine qva in- 7.
ſipidus, & *Conſcientiæ*, ſine qva Diabolicus. Sanè pluris æſtimabat in judicio gratiam Tiberii Cæſaris & Populi Judaici applauſum Pilatus, qvam timorem Dei in condemnatione innocentisſimi JESU, contra ſcientiam & Conſcientiam ſuam, ut pluribus Hiſtoria Pasſionis teſtatur, cœterum non ita juſtus, is cognoſcit miſerorum cauſas, impius verò nihil prudentiæ aut cognitionis habet. *Proverb. 29. v. 7.* Conf. Ziegl. *Dicaſt. Concl. 41.*

CAP.

CAP. IV.

De Fori Præscriptione tollenda.

§. 1.

1. Contra superius sancita nulli permittendum est habere qvædam privilegia neqve excipi qvolibet privilegio licet Ecclesiæ sit largitum, aut Xenodochio, aut alii venerabili domui, aut alii ipsius Domus Imperialis aut Sacro patrimonio, aut Sacris privatis, qvæ statim sunt post Imperiales, nec si judicibus aut in potentatu po-
2. sitis, aut immediatè sub Imperatore positis; sed obediant omnes huic Legi, & succumbentes Justitiæ sanctioni, honorent eam & per omnia similem omnes habeant sortem, nec in semetipsos solum respiciant; sed etiam in futuras successiones, *qvia nihil penè in semetipso manet; sed currit natura, semper multas evolvens mutationes*, qvas providere facile non est, neqve prædicere, solo Deo excepto, Imperatore verò seqvente Deum hæc gubernare mediocriter & mansvetè volente.

3. §. 2. Qvod si qvis utatur aliqvibus Sacris formis, sive Pragmaticis, sive aliis ab aliqvo sibi largitis, erunt illæ omninò infirmæ & judices maximam solvent pœnam, si eas susceperint, nam non hoc qvod fit, solummodo meditabuntur; sed qvod etiam faciendum est, & si tale qvid post hæc impetretur ab aliqvibus Subjectorum, aut ab alio qvolibet, qvos inter etiam complectitur Ecclesias & alia loca paulò supra memorata, neqve omninò valebit. Extendat autem ubiqve hæc Lex virtutem suam, de futuris constituat, qvodqve præteriit simul curet.

4. §. 3. Hac ipsa verò Legislatione Imperator Subjectis suis cautelam contulit, ne largiore fatigentur itinere, nec adversus maximos lacrymare, nec adversus Imperatorem qvasi hæc non corrigentem lacrymare necessum habe-

habeant, unnusqvisq; igitur de proximo respiciat pœnam in qvibus forte damnatur & læditur & dum curam Imperatoris pro Subjectis suis videt, magnum & bonum laudet Deum, qvi hæc benè & justè sancire illum illuminavit. Judicibus igitur contrarium huic Legi committentibus aut suscipientibus sit cinguli casus & damnum 10. librarum auri.

Addit. Imperator hanc Legem, quam de Foro Competente 5.
sancivit ab omnibus præcisè vult observatam, & qvoad illam omnes similem habere fortunam, ut nullo in contrarium probato privilegio aut à Foro Contractus vel delicti, aut alio se separare possit. Inde est, qvod ea, qvæ contra Legem facta, gesta- 6.
qve sunt, pro nullis, invalidis adqve infectis habeantur, sic, ut nullo rescissoriô remediô indigeant. Idqve non solum locum habet in iis, qvæ ita LL. prohibentur, ut simul etiam facta & gesta ipsô jure nulla declarentur; sed etiam in illis qvæ Legislator tantum prohibet, nec facta nulla & inutilia esse expressim pronunciat. *L. non dubium 5. C. de LL. L. 12. §. 2. ff. de fer.* adeò, ut 7.
ex tali actu contra Legem gesto, neqve civilis, neqve naturalis nascatur obligatio. Carol. Ruin. *Vol. 2. Cons. 31. n. 6.* Ratio hujus hæc est, qvod unaqvæq; Lex duabus qvasi constet partibus, scripto sive verbis, & sententiâ sive mente *L. 29. & L. 5. C. de LL. L. 6. §. 2. ff. de V. O.* & qvoties verba Legis à mente ejus & sententia discrepant, toties mens & sententia præferri debet verbis. *C. fin. X. de R. I. in 6to. L. 3. C. de lib. præter.*

Ex textu hic satis deduci potest duplex Bonorum species 8.
principis, ut qvæ sunt ex *Sacro Patrimonio*, nimirum domanialia, vel ex *Sacris privatis*, qvalia sunt allodialia, vel privata ejus bona, vulgò *Chatul-Gelder*. *Illa* sunt, qvæ à Republ. ad sustentationem Principis sunt destinata. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 6. §. 1.* B. Dn. Seidel. *de Sacr. Doman. Jure Assert. 3.* qvorum verus Dominus non est Princeps; sed qvasi, unde etiam dicitur, non qvod omnia Principis sint; sed qvod ejus esse intelligantur. *L. benè à Zenone 3. C. de qvadr. præscr.* Imperio scilicet non dominio, vel dominio Jurisdictionis & protectionis, sicut Tutor rerum pupilli, & maritus Dotis, & ideò Princeps tantum est Administra-

 tor

tor Domaniorum, non Dominus. Brunneman *Consil. 1. n. 72. & 74.* qvare etiam alienari non possunt exigente utilitate publica. Id.
9. *num. 340.* *Patrimonialia* sunt, qvæ Principi competunt, non qva Principi; sed qvatenus privato, qvæ itidem ad qvosvis hæredes transmittere potest, & de illis liberrime, ut qvilibet privatus
10. disponere. *L. 21. C. Mand.* Sunt & alia *Fiscalia*, qvæ Principi ad dignitatem tuendam, aliaqve Reipubl. onera sublevanda concessa. Manz. *ad I. §. 4. de usucap. n. 1. & 2.*

11. Ulterius *ex fine §. 1.* colligitur, Dei Vicarium Principem esse, qvi seqvitur Deum in gubernando terrarum orbe suis gubernaculis, qvi regit *L. 14. C. de Judic.* non ut mutationes & fata imperiorum prævideat, ut DEUS; sed gubernat pro potentia ista, qvæ in hominem cadit, & huc referri meretur illud Poetæ Christiani;

Terrarum Dominis CHRISTUS dedit omnia Posse,
Ille est Omnipotens, hic Omnipotentis imago.

12. Et conficitur ex his illud, Principem tantum posse dependenter in Civilibus; & DEI concessu, qvantum Deus independenter valet efficere. Et hac de causa Principes *Deos partiales* vocat Chrysostom. *Homil. 38.* hanc ponens differentiam, qvod Deus universi Gubernator sit, Principes vel Reges jus dicant uni Regno. vid. Joh. Frid. Hornius *de Civitate lib. 2. cap. 1. th. 12.*

13. *Ex §. 2. huj. Nov. cap. 4.* patet si Pragmaticæ Sanctiones vel Rescripta contra utilitatem publicam vel LL. semel expresse latas, emanent, infirma esse, & judices suscipientes pœna plecti, nam mendax impetrator carere debet petitis, si vel verum tacuit vel falsum expressit Klock. *Vol. 2. Consil. 6. n. 45.* nec movere debet Judicem, qvod preces sint confirmatæ Rescripto Principis, cum rescriptum ita demum valeat, si preces veritate nitantur.
14. *L. 7. C. de divers. Rescr.* Peretz. *L. si contra Jus vel utilit. publ.* Pragmaticæ præterea Sanctiones, qvæ super causis publicis procedunt non aliter robur accipiunt, qvàm si Præfectis Prætorio sint insinuatæ, & ab illis habeantur ratæ, ac si appareat, in detrimentum Reipubl. non esse factas. Peretz. *C. de Divers. Rescr. n. 10.* non dicam, privilegium publicæ utilitati contrarium, nullum esse & invalidum. Rauchb. *P. 2. qv. 11. n. 93.* Mynsing. *Cent. 4. Observ. 76.*

Cum

Cum Salus Reipubl. suprema Lex esse debeat, qvod & obtinet, 15.
licet Ecclesiæ & alia pia loca, sibi concessum aliqvod asserant, & præsentent Enenckel *de Privileg. cap. 7. n. 1.* qvippe & pia corpora hoc loco sub Lege comprehensa expressè vult. *huj. §. 2.* Imperator.

NOV. LXX.

De Liberationibus Decurionum.

CUriales adepta Decurionatus dignitate, Curia tamen 1.
non liberantur, nisi simul cum dignitate sit ipsis & administratio commissa.

NOV. LXXI.

De Litibus Illustrium Personarũ.

CAPUT I.

PErsonæ Illustres tantum in Civilibus causis, ut & in a- 1.
ctione injuriarum criminaliter intentata non per se; sed per procuratorem litem inferre debent.

Ratio. Ne cogantur aut sedere cum judicibus cum judi- 2.
cant, aut stare rursus tanquam litigantes. *N. hic.* judicis enim est sedere, litigantium verò & Procuratorum & Advocatorum seu Causidicorum stare. Rittershus. P. *9. c. 9.* In minoribus autem dignitatibus constitutis liberum est, an per se, an per Procuratorem litem exercere velint.

Add. Ad Novellam hanc meretur conferri *L. 25. C. de Procur.* quæ 3.
recenset personas, quib9 tantum per Procuratorem vel inferre jurgium vel referre licet, quarũ enumerantur VI. videlicet 1. Præfectus Prætorio. 2. Præfectus urbi. 3. Magister militum. 4. Comes Consistorii. 5. Pro-Consul. 6. Vicarius; dictitat simul eadem Lex pœnam Actori & Reo, ut si jurgaturi judiciis sese ingesserint, careant ejus litis sorte, cujus non per Procuratorem eventum expectarunt. Judex qvoqve contra qvid faciens, 20. libris auri de- 4.
bet plecti; Rationem satis allegat ipsa hæc Novel. qvam rationem Plinium qvoqve movisse, tradit Rittershus. *ad Nov. d. l. n. 10.* ut in suo Tribunatu à causis agendis abstineret, qvod deforme ar-

bitraretur, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare. Tametsi tamen Cicero, in suo Consulatu non
5. fuerit veritus causas agere, ut constat ex ejus vita. Sed in actione civili injuriarum per Procuratorem intervenire posse certum est, *L. 11. §. 2. L. 17. §. 19. ff. de injur. L. 42. §. 1. I. de Procurat.* Si verò criminaliter agitur, hodie, ut in criminalibus publicis per *L. Crim. A. 12.* ex parte Actoris Procurator admittitur, ita etiam in
6. causis injuriarum. Carpzov. *qv. 95. n. 5. Proc. Crim.* Sed ex parte Rei Procurator intervenire non potest, non saltem in actione injuriarum; sed nec indistinctè in criminalibus admittitur; 1. qvia ipse ad objectum crimen respondere debet, ubi ex ejus vultu, pallore, consternatione, titubatione, aut etiam inconstantia sermonis multa indicia criminis perpetrati resultare, & observari possunt. Brunnem. *Proc. Inqvisit. C. 8. m. 6. n. 5. L. 13. §. 5. ff. de qvæstion.*
7. Carpzov. *P. 3. qv. 505. Proc. Crim.* 2. Procurator aliter respondere neqvit, qvàm prout ipse informatus est à Reo, qvi sanè facilè mendaciis instruere posset, ubi contra Procuratorem non posset inqviri, nec pœna, qvam delinqvens promeruit, erga eum executioni dari, cum ulterius qvàm ad pecuniariam pœnam se obligare non possit Procutator, nisi tamen tale sit crimen, ut ejus pœna sit vel relegatio, vel relegatione minor *L. 1. ff an per al. ap-*
8. *pellat.* Vel 3. si Procurator non merita causæ tractare, sed saltem causas absentiæ allegare velit. *L. 21. ff. de Procurat.* Vel 4. si qvis velit innocentiam suam defendere, tunc enim Defensor admittitur *L. 33. §. fin. ff. de Procurat.* Judex enim pro defensione innocentiæ laborare tenetur. *L. si non defendantur 19. ff. de Pœn.*
9. Præprimis autem personæ Illustres, qviqve super eos sunt majori dignitate præditi ex Constitutione Zenonis Imperatoris causam injuriarum Criminalem exercere possunt per Procuratorem cum agendo tum defendendo, *L. fin. C. de Injur. Nov. huj.* idqve ob privilegium excelsæ dignitatis, nam illustres Personæ non possunt interesse judicio; sed necessario causam per Procuratorem agitare debent. Gail. *Lib. 1. Obs. 3. & lib. 1. de P. P. cap. 10. n. 15. d. l. fin. & l. qvicunq; cum Auth. seqv. C. de Procur. L. 1. ff. an per alium causa appellat. nul.* Harpr. *ad pr. Inst. per qvos agem &c.*

NOV.

NOV. LXXII.

De Tutoribus.

CAP. I.

Qvi Tutores vel Curatores Pupillo vel Adolescenti esse non possunt.

CReditor, sive qvicunqve habet obligatas res defuncti, vel minoris, non potest esse hujus Curator, licet vel à Legibus vocetur, vel sit legitimus. 1.

Ratio. Nec ubi aut cautionem furetur, aut alias probationes, qvæ erant minores, corrumpat, & curatio fiat ei rerum propriarum interitus, qvid enim non agat pro se dominus ejusdem existens & detentator rerum Adversarii nuper effectus? ille enim qvi est Administrator, ipse est juri minoris obnoxius. 2.

Addit. Per hanc Nov, abrogati sunt textus in *L. 7. C. & L. 21. §. 7. Inst. de Excus. Tutor. & L. 8. C. qvi dare Tutores vel Curat.* Eqvidem poterat olim Creditor sui debitoris esse Tutor, qvia sibi ipsi solvere poterat per *d. l. 8. C. qvi dar. Tut.* nisi lis esset cum pupillo de Statu, vel omnibus bonis, vel maxima eorum parte *L. 21. ff. de Excus. Tut.* Sed per *h. Nov. & Auth. Minoris C. qvi dari Tut.* sub pœna jacturæ actionis vel solutionis factæ Creditor debitoris sui, & Debitor Creditoris sui Tutor vel Curator esse prohibetur. Licet autem Imperator hic non distingvat, parvum an magnum sit debitum, vel creditum, si tamen exiguum sive modicum sit, illud Debitorem & Creditorem à Tutela non repellere statuit Paulus Montanus *de Jure Tut. & Curat. c. 9. n. 61.* Excepta & hic est Mater & Avia, qvæ licet liberorum suorum debitrices vel Creditrices sint, ad eorum tamen Tutelam nihilominus admittuntur. *Nov. 94. Cap. 1. Auth. ad hæc C. qvando Mulier Tutel. Offic.* non verò hæc extenduntur ad fratres Debitores vel Creditores, nam qvod de matre & avia dd. text. constitutum ad alias 3. 4. 5.

lias personas conjunctas extendendum non est, maxime non ad fratres, qvorum sæpè gratia rara est. Berlich. *P. 2. Decis. 257.*
9. *num. 4.* Qvando verò Imperator hic per amplificationem Creditorem à Tutela legitima excludit hisce verbis; *Hunc non omninò ad Curationem ejus, vel si à LL. vocetur &c.* eô ipsô satis indigitat, multò minùs cœteris vel à Testatore nominatis, vel à Magistratu datis tutelam & curam permitti debere. Eckh. *Comm.*
7. *ad ff. tit. de Tutelis §. 5.* Licet autem textus hic in *Nov. & Auth. Minoris* indistinctè loqvantur, tamen Tutores illustres Debitores & Creditores arceri non debent, nam cessat in illis ratio illa, qvæ Constitutioni huic causam dedit, qvalis est, *ne Tutor privatus cautionem furetur, aut alias probationes, qvæ erant minores, cor-*
8. *rumpat.* Qvis verò adeò perfrictæ esset frontis, ejusmodi machinationes de Imperii Principibus præsumere; præterea & ipse modus circa Tutelam Principum gerendam malam excludit præsumptionem, dum Tutor illustris de illis, qvæ Pupillum ipsum eusq; bona concernunt, nihil ad manus proprias sumit, sed omnia suô locô relinqvit, & propter notitiam Consiliariorum, qvæ etiam efficit, ut debitum istud non pro clandestino; sed manifesto habeatur, difficulter Chirographum aliaqve instrumenta intervertere, aut corrumpere potest, ita docente Dn. Joh. Leonhardo à Puhel. *Tr. Jur. de Tutelis Elector. Princ. aliorumq; statuum cap. 11. n. 55. & seqq.* ubi se remittit ad [illegible]ichterum *P. 1. Dec. 11.* hanc Controversiam per rationes dubitan[illegible] decidendi latius dedu-
9. centem. Posset qvoq; Tutor esse [illegible]or vel Creditor, si vel ex inqvisitione esset datus, & consta[illegible] de decreto Magistratus, qvod alienationem aliàs invalidam & nullam confirmat. *L. 22. C.*
10. *de Admin. Tut. & L. 12. C. de præd. minor.* vel si qvantitas sit modica, in qva non adeò magna læsio metuenda, qvod modicum pro diversitate Personarum meritò determinatur. vid. paulò sup.
11. Hisce tamen casibus omnibus potest esse Tutor, & consultum qvoq; ipsi est, ut debitum, vel creditum suum manifestet, ubi si fidem ejus Magistratus approbat, & administrationem ejus confirmat, nulla Crediti jactura est metuenda Carpzov. *P. 2. Const. 11. Def. 20.* vid. & *lib. 5. Resp. 89.* nam jussus superioris & præsentia Magistratus excusat à culpa & pœna. Rittershus. *ad Nov. P. 8. c. 4. th. 5.* Conf. infr. *Nov. 94. c. 1. 2.*

CAP.

CAP. II.

Ut Tutori qvi factus est Pupilli Debitor & Creditor, Curator adjungatur.

RAtio ut custodiat ille, ne fiat adversus adolescentem, aut ejus Substantiam ab eo, qvi eum habet obligatum, in medio ulla malignitas. 1.

Addit. Hoc assertum Imperatoris procedit, licet Tutor testamentarius sit, qvod ita declarat Berlich. *P. 2. Decis. 257. n. 18.* si ignoraverit Testator Tutorem esse Debitorem, aliud verò si sciverit, nec vult Cujac. *ad hanc Nov.* adjuratione Curatoris opus esse. si Tutores vel Curatores alii adsint, qvi observant Debitorem Tutorem, contrarium tamen in Cancellaria Wienensi esse pronunciatum, refert Berlich. *d. Dec. n. 25.* Cujus sententia ratione destituta non videtur, qvod Tutor Contutorem in suam sententiam pertrahere possit, cautiones & chirographa pupilli intervertere, aut alio modo, Tabb: pupillaribus præjudicium aliqvod inferre. Cœterum aliud, si durante tutelâ Creditor sit factus, ubi si qvid impendit, per actionem tutelæ Contrariam repetit, nam convenit, ut indemnis ratione administratione servetur. *L. ult. C. de Contr. & utili act. Tut.* adeoqve sunt refundendæ impensæ utiliter factæ; & præstandæ usuræ, qvatenus compensari non possunt. *L. 3. §. 4. ff. & d. L. ult. C. eod.* Conf. Berlich. *cit. Decis.* 2. 3. 4.

CAP. III.

Ut â Tutela vel Cura nullus debiti prætextu excusetur, nisi hoc probaverit.

NOn tamen prætextu Debiti vel Crediti à tutela se qvis excusare potest, sed recusationis tempore probare debet, qva ratione pupillus sibi sit obligatus, qvæ probatio si incerta sit, jurejurando est confirmanda, ex veritate eum se obligatum habere, & sic absolvendus. 1.

Ratio.

Ratio. Ne ex hoc ipso hostis, & non Curator adolescentulo præbeatur.

2. *Addit.* Prout aliàs Contractus non valet, nisi causa debendi adsit, eademqve probari possit. *L. Generaliter. 13. C. de N. N. Pec.* ita & hic Tutor vel Curator prætextu debiti à Tutela vel Cura se excusari petens, est audiendus justa allegatione utens, nam si qvis falsâ eam meruerit, non est liberatus onere, *§. fin. I. de Excusat. Tutor.* Cum verò distincta sit contrahendi ratio,
3. multum inter est scire, qvem Contractum inierunt Contrahentes, ideoqve semper in dubio ad mentem eorum & intentionem est recurrendum. Menoch. *lib. 3. Præsumpt. 122.* qvalis tamen non est in pupillis *L. 19. §. 1. ff. de re cr. §. 2. Inst. qvib. alien. lic.* Minores Curatorem habentes *arg. L. 3. C. de in int. restit.* qvi-
4. bus & similibus personis, si Tutor mutuum dederit, vel alium cum ipsis Contractum inierit, non tenet, nec qvid ab ipsis repetere potest, nam donasse censetur, imputet enim sibi qvod cum inhabilibus qvos non obligari scire potuit, contraxerit sine Tutore ipseqve si Tutori defacto nummos mutuo dederit, eos ab ipso vindicare potest, si extant & si malâ fide consumpti ad exhibendum de his agere *§. 2. Inst. qvib. alien. lict. vel non L. 11.*
5. *§. fin. ff. de Reb. Cred.* Ergò cum ipsorum Parentibus, aut qvi eorum locum repræsentant, aliqvid actum fuisse necessum est, si pupilli debeant esse obligati, ad hoc, ut immunitatem à tu-
6. lela conseqvantur. Positô autem Tutorem Contractum producere, qvo creditum adversus pupillum probat, si tamen simulatus probetur, contra eum probationem contrariam locum habere dubium non habet, ut nec renunciatio obstet. Odofred. *in L. fin. C. de Pact.* Alberic. *L. 1. C. de Pact.* nam ex Contractu simulato oritur etiam renunciatio simulata, imò ejusmodi renunciatio planè pro nulla ac inutilis reputatur, Panormit. *C. significantibus in fin. X. de Offic. leg.* nisi renunciatum ex intervallo. Vasq. *de Successf. Creditor. lib. 1. §. 9. n. 17.* Vel Instrumentum adsit gva-
7. rentigionatum Bartol. *in L. 1. n. 4. p. qvod vi aut clam.* modò contra illud non adsint præsumtiones juris & de jure, Cöler. *de Processf. Execut. P. 4. C. 1. n. 92.* aut simulatio sit notoria, ut in continenti probari possit. Idem *P. 1. C. 10. n. 232.* vid. Dd. *ad l. Contra-*

ctus

ctus 54. ff. de O. & Act. qvod si nullam aliam probationem habeat 8.
Tutor, qva pupillum verè sibi obligatum esse, asserat, etiam juratoria sufficit, & qvidem qvæ fit per juramentum credulitatis se scilicet credere pupillum ex hac vel illa causa se habere debitorem, qvod satis indigitare videtur verbum qvod in textu habetur *Credens*. Ut verò exinde non seqvitur veritas, sed tan- 9.
tum ignorantia & credulitas jurantis, ita etiam probationi contrariæ veritatis nihil obstat, si aliter per testes aut instrumenta assertionem suam probare possit tutor, tale qvippe juramentum in ejusmodi specie non est aliud qvam diffessionis, & species juramenti calumniæ, qvo tantum diffidens obtinet, nihil à se per calumniam fraudemq; fieri. Mev. *P. 7. Decis. 95.*

CAP. IV.

Si Tutor vel Curator se Debitorem vel Creditorem esse ab initio tacuerit.

SI obligationem Tutor ab initio reticuerit, & tute- 1.
lam susceperit, siqvidem Creditor fuerit, actione adversus pupillum cadit; qvod si apertè obligatus existens tacuerit, & ille sustinebit pœnam, qvod non possit redhibitionibus aut aliis debiti solutionibus se miscere curationis tempore ante forsan compositis.

Addit. Imputet enim sibi, qvod in perniciem suam gesta 2.
taciturnitate simulaverit. Brunneman. *ad Tit. C. de his qvi à non Domino manum. sunt*, & dolo proximum est, qvod alterius refert, non nunciare *L. 29. §. 3. ff. Mandati.* Facit, qvod hic obligatus fuerit Tutor ad profitendum debitum, *Auth. Minoris*, cum si de eo ab initio constitisset ad tutelæ functionem admissus non fuisset; jam autem de Creditore talem format regulam Mev. *P. 2. Decis. 205.* qvando qvis obligatus est ad contradicendum, si 3.
actus fieri aut subsistere non debet, ut & qvando qvis potuit contradicere, sed non contradixit, pro consentiente habetur, tacitusqve consensus tunc idem operatur, qvod expressus, prout *C. loco ex L. 1. & 2. C. de Remiss. Pign.* argumentatur, qvod si igitur & hæc regula in Tutore procedit, inprimis cum apertè obliga-

tus existens tacuerit, dum debuisset debitum vel creditum suum allegare, qvid aliud dicendum, qvam Crediti jacturam ejusmodi pati? Nam si unqvam Administratorem aliqvem bona fide

4. versari convenit, aut à perfidia & dolo qvis debet esse immunis, certe Tutor debet esse, qvi in re pupilli domini loco esse dicitur, tum tamen cum tutelam administrat, non cum subdolè agit, aut pupillum spoliare intendit. Gail. *Lib. 2. Obs. 72. n. 8.* Damhouder. *de Patrocin. pupill. cap. 5. n. 57.* nec qvando hæc & similia suscipit, de eo dici potest, se præcipuum Tutoris Officium observasse, qvod sane in defendendo pupillo consistit. *L. 28. pr. C. de jur. & adm. Tut. L. Clarum 4. C. de autor. præst.* vid. Berlich. *p. 2. Dec. 257.* variè hanc materiam amplians ac limitans.

CAPUT V.

Ut Curatores nullô modô cessiones suscipiant adversus minores.

1. AUt per donationem, aut per venditionem, aut aliô qvolibet modô, & hoc nec per se, nec per interpositam personam, undiqve enim invalida hæc talia sint, & si talem cogitationem inciderit Curator; omnia agit & disponit ad interitum animæ suæ.

2. §. 1. Imò nec depositâ cura actiones in minorem qvondam suum acqvirere potest Curator; sed cesſio talis perinde pro non facta habetur, & lucrum fit adolescentis, licet hæc cessio pro veris caussis facta sit.

Et hoc *Ampl.* Imperator in omni Curatore prodigorum forte, aut furiosorum, aut amentium, aut si inopinabile qvid in alio natura adinvenerit.

3. *Addit.* Regulariter qvidem omnis juris & actionis exercitium cedi potest alteri. *L. fin. C. de Act. vel hered. vend.* Harpr. *§. in summa I. de Injuriis.* Surdus *de alim. Tit. 8. pr. 55. n. 1.* Tutores tamen & Curatores actiones contra illos, qvorum tutelam vel curam gerunt vel gesserunt, emere jure novo prohibentur contra *L. 12. ff. de reb. cor.* Juxta qvam id olim licebat, qvia sæpè

fiebat

fiebat, ut Tutores vel Curatores redimerent ab aliis inanes infirmas & inutiles actiones adversus pupillos, vel, ut ex causa donationis eas sibi cedi procurarent, ac deinde supprimerent apochas, qvibus pupilli se poterant defendere, & agentem repellere, qvam rationem ex Cujacio ad *h. Nov.* suam faciunt Rittershus. *P. 8. cap. 5. n. 12.* & Matth. Steph. *ad h. Nov. num. 21.* qvod 5.
Imperator hic adeò extendit, ut ne qvidem depositâ curâ actionem in minorem sibi acqvirere possit, ita, ut is qvi eam fecit Tutelam amittat, ipseqve Tutor eam exercere non possit; sed tota cedat lucro pupilli vel minores; imò & hoc prohibitum est cœteris Furiosorum & Prodigorum Curatoribus, Confer. Sande *de Action. cess. cap. 4. n. 22.* & Lenz. *de nomin. cess. cap. 8. m. 5.*

CAP. VI.

De Administratione Pecuniæ Pupilli vel minorum.

I. CUratoribus nulla ex LL. est necessitas minorum 1.
pecunias fœnerare, sed cautè reponere, & reservare, qvoniam melius est eis in antiqvis tutamen manere, qvam usurarum appetitione etiam antiqva pecunia cadere, & periclitari Curatorem si non mutuaverit, rursus autem si mutuaverit, periculum sustinere, factô forsan in debitis detrimentô.

II. Qvod si ipse sponte mutuare voluerit, forte sub 2.
obligatione pignorum aut sub cautelis aliis indubitatis, habet qvidem per singulos annos duorum mensium inducias, qvod LL. *Tractamentum* vocant, periculum verò ad ipsum Tutorem spectat.

Addit. Pecunia sive alia res mobilis, olim, si sufficiebat
prædiis comparandis, fœnori collocanda non erat; sed deponenda à Tutore *L. 4. C. & L. 5. ff. de Adm. Tut.* quod si pecunia non sufficeret prædiis comparandis, vel prædia non reperirentur, jubebatur Tutor fœnori collocare intra *6.* menses *L. 16. ff. eod.* aliàs ipse usuras debebat. *L. 7. §. 11. ff. eod.* per hanc verò *Novellam &* 3.

Auth. Novissimè C. de Admin. Tut. non tenetur Curator vel Tutor, fœnori dare pecuniam pupillarem; sed si faciat, suô periculô facit. Ratio *d. Auth.* ab ipso Imperatore ponitur; *qvod melius sit servare securitatem pupillis in bonis antiqvis, qvam si usurarum appetitio-
4. ne antiqua pecunia excidant.* Cœterum tradente Finckelth. *Obs. 39. n. 4.* Ddr. Concors est sententia *Nov. h. C. 6.* vel in usum nunquam venisse, vel si maximè aliquando invaluerit, contraria tamen Lege, omniumque locorum consvetudine iterum abolitam, & ad jus commune in *L. 24. C. de per. & adm. Tut.* reditum esse, ut
5. scil. hodiè Tutores necessum habeant, pecuniam pupillarem honesti lucri gratiâ secundum morem cujusque regionis sub licitis usuris mutuam dare, aut in emtionem prædiorum collocare, & si hoc neglexerint, usuras, vel id quod interest pupillis refundere teneri, nec enim est ex usu pupilli, ut pecunia ipsius jaceat sterilis atq; otiosa, & requirit officium Tutoris, ut res pupilli utilitatesq; semper augeat. *N. h. c. 8. ibi utilitatem adolescen-
6. tis auget.* Mev. *P. 5. D. 32. n. 4.* quin ubi pupillus ad sustentationem usuris indiget, incumbere Tutori ex pecunia ejus usuras quærere, eandemque fœnori collocare ex *L. 2. C. de alien. pup. præstand. P. 7. D. 200.* ubi simul addit, in Germania ubique rem rediisse ad jus vetus, & credi necessitatem pecunias fœnerandi, aut in comparationem prædiorum, vel aliorum mediorum, ex quibus reditus percipiuntur, collocandi, & Carpzov. *Jurispr. Cons. lib. 2. def. 319.* idem ad Ecclesiæ Oeconomos extendit, cum & illa juri-
7. bus minorum fruatur. Excusantur verò Tutores, nec pecuniæ Pupillaris otiosæ usuras pendere coguntur, si commodè eam collocare non potuerunt. Carpzov. *P. 2. C. 11. def. 23.* & si dicatur commodam & securam fœnerandi occasionem Tutorem habuisse, pupillo utpote affirmanti incumbit probatio. Carpzov. *lib. 5. Resp. 71.* Excell. Dn. Stryk. *Cautel. Contr. Sect. 3. cap. 5. §. 3.* ubi §. 4.
8. Cautelam addit, ut Tutor adeat Magistratum, eique exponat, paratam pecuniam in bonis pupillaribus adesse, se verò occasionem tutò illam pecuniam fœnori exponendi non habere, hinc se publicè protestari, quod ad usuras pecuniæ pupillaris otiosæ nolit esse obligatus; vel si occasionem pecuniam fœnerandi noverit, â Magistratu petere potest, ut decretum interponatur an huic pecunia

pecunia sit credenda, quô pacto ab omni periculo immunem esse dicit. v. Brunnem. *C. 1. Dec. 81.* Quod si autem pecuniam pu- 9.
pillarem in suos usus converterit Tutor pro debito pupillari, in suis bonis executionem patitur Mev. *P. 1. D. 227.* prout & si vel extra officii limites sponte semet obligaverit, vel fraude quadam sua effecerit, ut ex bonis pupilli nulla aut valdè difficilis sit consecutio, aut promisit, cum sciret, non sufficere bona pupilli. Idem *Decis. 228.* & qvæ in hisce decis. de Tutore tradit, eadem quoque *in dec. 226.* ad Litis Curatorem res pupilli administrantem applicat.

CAPUT VII.

Ejusdem Argumenti.

QVod si pupillus reditus habeat sufficientes, Tutor 1.
eosdem expendat, & si plures sint, qvàm sufficiat, reponat. Si adsint bona mobilia, tantum fœnori Tutor dare debet, unde pupillus sustentari possit, & qvod plus est, cautè recondat; Perscrutari tamen debet, si for- 2.
tè aliqvis invenire potest reditus & minori ex abundantibus pecuniis, qui minus publico sunt obligati, comparare, modô tamen & venditorem habeant idoneum, & reditus sint opulenti, & si ejusmodi emptionem neglexerit, ad ipsum respiciet periculum.

Addit. Sollicitè in omnibus intentus esse debet Tutor, ut 3.
utilitatem pupilli procuret *L. 1. §. 6. L. 3. pr. ff. de Contrar. tut.* ubi notabiliter additur *ne mergantur pupilli.* imprimis bona mobilia ita collocet fœnori, ut pupillus inde sustentari possit, nec hodiè tamen quod superest cautè debet recondere; sed operam semper dare, ut novam comparet sortem, & si possibile est, & ex usuris aliam conficiat sortem; Nec enim universos reditus in alimenta 4.
debet deputari; sed semper ex reditu qvid superesse debet *L. 3. §. 1. ff. ubi pupillus educ.* inprimis in amplis patrimoniis non cumulus patrimonii; sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum 5.
alimentis dabit, *d. l. 3. §. 3. ff. eod.* maximè autem caveat, ne vendat proprietatem; sed potiùs ad mendicandum Tutorem mittere

debere pupillum aut minorem, quàm, ut pro alimentis vendat proprietatem rei frugiferæ tradit cum Alberico Köppen. *P. 1. dec. 63.* Conf. Mev. *P. 7. dec. 189.* nam quamdiu usuræ seu reditus usibus pupilli sufficiunt, ex sorte pupillari Tutor aliquid insumere non potest, quare non auditur ex sorte in rationes impendiorum referens, ubi apud debitores usuræ sunt residuæ, nisi doceat tum inevitabilem impensæ necessitatem, tum diligentiam omnem possibile pro consecutione redituum seu usurarum adhibitam. Mev. *P. 7. dec. 199.* quare certô consiliô certusq; de utilitate pu-
6. pilli circa ejus negocia statuere, nec cum periculo conjuncta suscipere debet. *L. 7. ff. de per. & un. Tut. & L. Lex quæ C. eod.* ut si forte bona magnô pretio comparanda, & publico gravissimè obligata emat, nec pecunias sub usuris debitas quàmprimum solvat, & usuras conservet, & expectet, donec conveniatur, ut per judicem solvat, quin sibimet ipsi ejusmodi pecunias solvere tenetur, quod ni fecerit, periculum ejus est *L. 9. §. sicut ff. de peric.*
7. *& adm. tut.* Res autem quæ sine incommodo vel periculo servari non possunt, quales sunt animalia super vacua, & res quæ tempore fiunt deteriores, ut vinum, oleum, frumentum, fructus &c. confestim distrahere debet, alioquin ipsius erunt periculo *L. 1. §. 7. ff. eod.* nam propter æs alienum & ex necessitate multa licent Tutoribus aliàs interdicta. Mev. *P. 8. dec. 181. n. 8.* qui sanè in omnibus debent culpam levem præstare in abstracto, i. e. eam diligentiam, qvam Paterfamilias rebus suis ex bona fide præstare, ut non sufficiat in concreto, si eandem qvam suis rebus, etiam pupilli adhibeat diligentiam, Mev. *P. 4. Dec. 9.* Angel. Celsus
8. *Dec. Rot. Rom. 405.* Illam culpam levem etiam tenetur Tutor præstare in nominibus contrahendis. Carpzov. *Lib. 5. Respons. 70.* Berlich. *P. 3. Concl. 12. n. 25.* non tamen est actio contra Tutorem ob perperam illa contracta scil. ad alio; sed tantum ob non per debitam diligentiam exacta. *L. si Tutor. ff. de Administ. Tut. L. 2. C. arbitr. Tut.* eô intuitu in *L. 18. C. de Admin. Tut.* periculum no-
9. minum talium ad Tutorem pertinere dicitur, qvod si in contrahendo vel in exigendo qvid neglectum fuerit, tenetur, inprimis si ipse contraxit nomen, & sic de levi culpa tenetur, mediam tamen saltem diligentiam præstare debet, seu talem, qvalem

lem diligens paterfamil. in suis rebus præstat, probante Mev. *P. 7. Decis. 198.* adeoqve Tutor in nominibus à se contractis tam levem, qvam latam culpam præstare tenetur *L. qvicqvid C. arbitr. Tut.* Hartm. Pistor. *qv. 19. n. 10.* qvæ si ex levi ejus culpa inidonea facta, pupillus finitâ Tutelâ ea agnoscere non tenetur. Mev. *P. 4. Decis. 11.* Conf. Finckelthaus. *Obs. 35. n. 7. seqq.*

CAP. VIII.

De Juramento Curatorum & redditione rationum.

QVod si tantum saltem sit minoris aurum, cujus usu- 1.
ræ vix eum, & qvi ejus sunt pascere, aut aliqvam aliam ei vitæ dispensationem præbere sufficiant, Curatores respiciant ad eum, & sic faciant gubernationem bonorum Minores, sicut sua propria, prout vi juramenti antea præstiti promisere; Hoc tamen non excipiet eos à 2.
ratiociniis, neqve à Legis ordine; sed cautiores faciet ad rerum gubernationem, timentes semper circa eas ob jurisjurandi memoriam factam. Hancq; Legem pro cautela omnibus posuit Imperator, qvi Curatoribus indigent, *ut per omnia Pater eorum, qvi sibi auxiliari neqveunt, existat.*

Addit. Tutoris Officium est, omnia rectè, & cum utilita- 3.
te pupilli gerere, neqve prætermittere qvæ utilia, neqve admittere, qvæ non utilia sunt. *L. 27. C. de Episc. audient.* inprimis Dei T. O. M. singularem providentiam, qva tuetur pupillos & miserabiles personas sibi ob oculos positam haberi, qvi benefacta illis majore cum benedictione rependit; injuriam autem & mala illata dirissimis pœnis accumulat & compensat, hinc non ut propria bona saltem etiam pupillaria administret; sed & majore diligentia, ut paulò supra ad Cap. præcedens demonstratum eidem incumbit, juramenti ab initio officii præstiti semper memor, qvod qvomodo antea, & ad qvæ membra id præstari fuit solitum, patet ex Rec. Imp. *de Anno 1577. Tit. 37.* scilicet, *daß er seinen* 4.
Pfleg-

Pfleg-Kindern und ihren Gütern getreulich uud ehrbarlich vorseyn, ihre Person und Güter versehen, und vermehren, die Güter nicht in seinen eigenen Nutzen kehren oder wenden, noch dieselbigen ohne vorwissen, Erkäntniß und Decret der Obrigkeit vereußern, verpfänden oder beschweren, und jährlich nicht allein auff erfordern der Obrigkeit, sondern auch selbst gebürliche Rechenschafft anbieten und thun, ob der Verwaltung Rede und Antwort geben, und alles andere handeln, was einem getreüen Vormund ereignet und zustehet. i. e. Se pupillis, ac ipsorum bonis honestè & fideliter præfuturum, ea non in usus proprios conversurum, nec eadem sine præscitu, cognitione & decreto Magistratûs alienaturum, oppignoraturum, aut oneraturum, & singulis annis non saltem ad Magistratus reqvisitionem; sed & spontè rationes oblaturum & redditurum, omniaqve ea
5. facturum, qvæ fidelem decent Tutorem. Qvam formam præcisè & ad ungvem observari debere, nec per æqvipollens suppleri, multò minus verò omitti posse volunt Dd. alioqvin non solum ipsum juramentum; sed & Tutelæ administrationem nullius esse momenti. vid. Schrader. *Tract. Feud. P. 10. Sect. 20. n. 258. & seqq. & n. 227.* ubi scribit, nec patrem in Testamento hocce juramentum Tutori remittere posse, qvin imò nullâ Consvetudine nulloqve Statutô tolli posse. vid. Harpr. *ad pr. Inst. sub fin.*
6. *de satisdat. Tut.* Cœterum hodiè juramentum plerisqve in locis omittitur commmuniter & stipulatâ manu Tutor fidem promittere solet, ut & à cautione liberatur, si immobilium sit Pos-
7. sessor. *L. 15. ff. qvi Satisd. cog.* Bona tamen Tutorum & Curatorum majoris cautionis & securitatis gratia pupillis sive minoribus tacitæ hypothecæ esse obligata constat ex *L. pen. C. in qvib. causis dignus tacitè.* Borgninus Cavalcanus *de Tut. & Curat. n. 225.* Hering. *de Fidejuss. cap. 5. n. 239. & seqq.* & non obstante an juramentum hodie præstent, an minus ad rationes reddendas sunt obstricti, à qvibus nec mater liberorum suorum Tutrix est immunis, sic, ut donec illas reddiderit, dotem suam exigere
8 neqveat. Montanus *de Jure Tut. & Curat. caP. 38. n. 31.* Idem in fratre Montan. *d. l. n. 36. & seqq.* Igitur si hæ omissæ, præsumuntur esse in dolo, & contra eos in litem juratur. Damhouder. *Patrocin. pupill. tit. de Tutor. & Curator. ration. cap. 3. num. 8. 11. 12.* nisi reddito

redditio rationis Tutori vel Curatori fuerit remissa, qvô tamen 9.
casu non intelligitur remissum id, qvod dolô & fraude ab ipso malè gestum erit. *L. 119. ff. de Legat. 1. L. 27. §. 4. ff. de Pactis.* sed ut Jacob Phil Portius *Consil. 147. & seqq.* ait, levis duntaxat culpa & scrupulosa inqvisitio est remissa, vel ut *d. l. 119.* explicat, ut negligentiæ ratio non habeatur, sed tantum fraudium. Redde- 10.
re verò tenentur non saltem de illis, qvæ administrarunt, sed & qvæ culpâ & negligentiâ suâ non administrarunt, ut de fructibus non perceptis, qvi tamen honestè ac bonâ fide percipi potuerunt. Damhoud. *cit. loc. cap. 1. n. 24. & cap. 3. n. 1.* Montan. *d. l. cap. 38. n. 90.* Qvia verò sine Inventario commode reddi ratio non potest, vel illud à Tutoribus conficiendum recta dictat ratio, qvô omisso Tutores in dolo esse docet *L. Tutor. 7. ff. de Adminiſt. Tut.* de cujus reqvisitis aliàs abundè agunt Ddr. vid. Mynsing. *Cent. 6. Obs. 30.* Bocer. *Class. 1. Disp. 14. th. 108. & seqq.* Gvid. Papæ *Decis. 130.* Peretz. *C. tit. de Administr. Tut.* Brunnem. *ibid.* Carpzov. *Decis. 24.* effectus qvoq; omissi inventarii, & non exhibitæ jura- 11.
tæ specificationis est, qvod ob id læsi ad juramentum in litem admittantur, Hahn. ad Wesenb. *ff. de Tut. & ration. distrab.* Richter *Dec. 58. n. 43.* Mynsing. *C. 6. Obs. 39.* qvod juramentum etiam contra matrem, utpote qvæ nullibi reperitur excepta præstari potest. Phanuc. *de in lit. jurej. P. 2. M. 2. m. 37. seqq.* Ex qvo ve- 12.
rò Tutores semel rationes probè reddiderunt, recteq; fuerunt calculatæ, per qvietationem factam, ita liberantur, ut denuò conveniri, & ad calculum urgeri neqveant. Carpzov. *Part. 2. Const. 11. Defin. 8.* nisi dolus ingens subsit, qvi per qvietationem remissus non censetur, Id. *ibid.* cum in qvietatione generali dolus non comprehendatur. *arg. L. 9. ff. de Negot. gest* Escolir. *de ratiocin. admin. C. 40. n. 6. 7.* Extra dolum igitur nulla reiteratio calculi facienda ad evitandam litium infinitatem, & ne rationes immortales efficiantur. Klock. *Vol. 3. Cons 169.* Francisc. Niger. *Controv. for. 411. n. 30.*; qvod multò magis hoc confirmatur, qvando una cum ipsa calculatione apocha data, & transactio, vel pactum de non contraveniendo intervenit. vid. Mascard. *de Probat. Concl. 356. n. 15.* Carpzov. *lib. 3. Resp. 69.* Montan. *de Tutel. cap. 38. n. 23.*

Nov. LXXIII.

De Instrumentorum Cautela & Fide.

CAP. I.

De Deposito, qvemadmodum cautè dari potest.

1. QVi vult cautè deponere, non soli credat accipientis scripturæ; sed advocet etiam, si possibile est Testes honestos & fide dignos, & non minus tribus, ut non in sola Scriptura & ejus examinatione pendamus; sed sit judicantibus etiam Testium solatium, ergò ejusmodi tribus testibus existentibus fidem non interdicit Imperator, qvi Legem hanc ponendo non vult abbreviare probationes; sed ut cautæ sint, efficere.

2. *Addit.* Qvid sit & qvotuplex Instrumentum, qvid publicum vel privatum, cum jam abunde à Doctoribus traditum sit, amore brevitatis hic me non detineo. Pro deponente hic cautelam suggerit Imperator, ne soli scripturæ Depositarii fidem adhibeat; sed insuper depositum factum esse tribus fide dignis Testibus
3. advocatis probet, maximè conducit, si res pretiosas inclusas cistæ deponere cupit, ut præsentibus Testibus omnes & singulas res ostendat, & in Instrumento designet, tali enim casu neq; de Custodia rerum contentarum, neq; de eorum æstimatione dubium superesse poterit, imò nec excipere depositarius, si scivisset, res tanti pretii in arca reconditas fuisse securiori loco eam collocaturum fuisse Excell. Dn. Stryk. *Cautel. Contr. Sect. 2.*
4. *cap. 3. §. 7.* vid. Carpzov. *lib. 2. Resp. 69.* Hi qvoqve tres Testes adhibiti ad id potissimum conducunt, ut si postmodum instrumentum id à se scriptum neget reus, manus ejus approbetur à tribus Testibus, qvorum non minus, qvam hic requiruntur à Justiniano, qvi se interfuisse dicant, cum instrumentum scriberetur. H. Donell. *ad Tit. de fide Instrum. cap. 2.* Nec sanè inconsul-
5. tum

tum foret, si Testium nomina simul instrumento subscribantur, qvia debitor privatum instrumentum facile cudere potest in fraudem creditoris, & diem præferre. Anton. Gabriel. *Tit. de Probat. Concl. 10. n. 2.* qvod si factum. illud instrumenti publici instar se haberet, & ei æqvipararetur. *L. Scripturas 11. C. qvi pater in pign.* necesse tamen esse, ut constaret de manu & subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem, & ut sint honesti, & fide digni, & *d. l.* decisionem locum habere in mobilibus etiam ex Doctor. probat *ad d. l.* Brunneman. conf. *Auth. si qvis vult cautè C. Qvi pot. in pign.*

CAP. II.

Qvemadmodum sine Tabellione Instrumentum mutui vel depositi cautè fieri potest.

IDem in instrumento mutui obtinet, qvod non valet, 1. nisi inpræsentia trium testium fide dignorum fuerit confectum, idqve propriis subscriptionibus attestentur.

Addit. Illa trium testium præsentia & subscriptio qvantum- 2. vis hodiè necessaria nonsit, abundantis tamen cautelæ ergò retineri posset. *L. qvæ extrinsecus 65. ff. de V. O.* qvin potius ad Essentiam instrumenti vel chirographi pertinet, ut inseratur causa debendi. *L. 13. C. de N. N. Pec. L. 25. §. fin. de Probat. c. 14. X. de fid. Instrum.* Cœterum non omne instrumentum causa debendi 3. carens vitiosum est, modò ea probari possit per conjecturas. Felin. *ad d. L. si cautio.* Ita si in instrumento mentio fieret acceptæ pecuniæ, *des empfangenen Geldes*, fortè sic, *daß er das empfangene Geld danckbarlich wieder entrichten wolle*, i. e. se scilicet acceptam pecuniam gratâ mente restiturum, mutuum præsumitur, Excell. Dn. Stryk. *de Caut. Contr. Sect. 2. cap. 7. §. 5.* nam verbum mutuationis errore scribentis omissum censetur, cujus error contrahentibus obesse non debet. Hartman. Pistor. *Obs. 39.* Carpz. *P. 1. Const. 17. def. 39.* Huc facit, qvod vulgò JCti asserunt, si cui 4. data sit magna pecuniæ qvantitas, nulla expressa causa, in dubio mutuum præsumendum & statuendum esse. Gloss. Bartol. &

 Jason.

Jaſon. in *L. cum qvod ff. ſi cert. pet.* Mozz. *de Contr. tit. de Mutuo.* Et ſi inſtrumentum gvarentigionatum ſit, cauſam præſumi debere putant. Maſcard. *de Probat. Concl. 345.* & Brunneman. *Cent. 2. Dec. 99.* conf. Berlich. *P. 1. Decif. 96.* & Dn. D. Schultze *in Disſertat. de Cauſa debendi cap. 3. §. 5.*

CAP. III.

Si litterarum fides à voce Teſtium diſcrepet.

1. QVod ſi aliud loqvatur inſtrumentum, aliud Teſtes, ea qvæ viva dicuntur voce & cum jurejurando digniora fide ſunt, qvàm ipſa ſcriptura, judicis tamen arbitrio còmmittitur, qvibus teſtibus fides adhiberi debeat, maximè verò, ut exiſtimet oportere probari fidelia documenta.

2. *Addit.* Non ſemper qvibuscunqve teſtibus fidem adhibeat judex nonnunqvam enim ſe offert Teſtimonium domeſticum, ut Parentum, liberorum, fratrum & omnium in eadem domo habitantium, & qvi ejusdem ſunt cognationis, qvorum fides non tantum jure naturali; ſed & civili, ut ſuſpecta improbatur. *L. 3. C. de Teſtib.* nonnunqvam & gratiæ vel inimicitiæ ſuſpicione laborant Teſtes *L. 5. C. eod.* Donell. *ad Tit. ff. de Teſtib. cap. 2. & 3.* & qvi vel ſimiles alii ſunt, qvos vel admittere vel rejicere prudentis meritò judicis arbitrio eſt relictum.
3. Qvod tamen in *L. 9. C. eod.* & alibi paſſim injungitur, Teſtes productos & ab examinatore receptos in præſentia utriusqve partis jurare teneri, idem qvoqve in *hoc Cap.* vult Imperator, qvippe tota Subſtantia depoſitionis teſtium in juramento conſiſtit, nec ſine hoc ea qvicqvam probat. Gail. *lib. 1. Obſerv. 101.* Heig. *P. 2. qv. 4. n. 30.* Gilh. *arbor. judic. Civili cap 6. P. 2. §. 1.* ſic ut juxta Ddr. tradita in juratorum teſtium teſtimonio fidem non poſſe haberi, ſtatuto vel conſvetudine induci non poſſit. Gail. *d. l.* Scaccia *lib. 2. de Judic. cap. 8. n. 584.*
4. Videat autem judex, qvibus potius teſtibus fidat, nam qvia dignitas fidem auget, dignioribus magis credat, *c. in noſtra X. de Teſtib.* & magis maſculis, qvam fœminis, magis

gis duobus affirmantibus, qvàm 1000. negantibus, ut ait Dunoz. *Decis. Rot. Rom. 207. n. 8.* Tabellionibus, qvàm aliis, pro reo testimonium perhibentibus, qvàm pro actore, habentibus pro se aliqvam præsumtionem, qvàm qvibus nulla opitulatur præsumtio, aut pro qvalitate, qvæ naturaliter inest homini aut in meliorem partem testificantibus, e. gr. deponentibus aliqvem esse sanæ 5. mentis, qvàm contra de potentia ad copulam, qvàm de impotentia asserentibus, ita deponentibus, ut excludatur delictum, potius, qvam ut adstruatur, attestantibus de possessione antiqviori, qvàm de recentiori Nicol. *Process. C. 59. n. 46.* magis qvoqve credi solet divitibus qvàm pauperibus juxta illud Juven. *Satyr. 3.*

Qvantum qvisq; sua nummorum possidet arca
Tantum habet & fidei. — — —

religionis, Nobilitatis imperii dignitatis, vid. Drexel. *in Tobia, P. 1. Cap. 2. §. 3.* Licet tamen & pauperes admitti possint, ut ta- 6. men videat judex, qvanta sit ipsis fides tribuenda, & annon spes præmii subsit *L. 3. pr. ff. de Testib.* Struv. *ad ff. th. 38.* Wissenb. 7. *thes. 38.* vid. infra ad *Nov. 90. cap. 3.* *An verò magis Testes, qvàm instrumenta probent, non idem sentiunt Doctores?* Sanè Treutler. *Vol. 2. Disput. 5. th. 6.* vivæ vocis probationem validiorem & digniorem multo censet, qvàm eam qvæ fit per instrumenta, qva in re tamen dissentientem habet Bachov. *d. l.* qvod in instrumentis interveniat autoritas personæ, cujus fides publicè est approbata, tantoqve minus suspicionibus obnoxia, qvod tamen maximè obtinebit in actis & instrumentis publicis, contra qvæ nec probationem in contrarium admittit ipse Treutler. *th. preced. lit. C.* Id certum, in agendis causis parem vim probandi habere Te- 8. stes & Instrumenta; Qvædam tamen non nisi Instrumentis probantur, ut qvæ ad sui essentiam scripturam reqvirunt, *L. 17. C. de fide Instrum.* ut ætas *L. 3. C. si minor. maj. se dix.* qvædam melius testibus, ut delicta; qvædam utroqve genere probantur; sed alia facilius per instrumenta, ut facta antiqva implicita, in qvibus magis creditur instrumentis, qvàm testibus, alia facilius per testes prout antea dixi, ætas, & qvæ in jure consistunt, v. gr. dominium. Modus probandi tamen *per Testes* magis informat

judicem, *per Instrumenta* autem est facilior parti. vid. Brunnem. *ad L. 15. C. de fid. Instrum.*

CAP. IV.

De Instrumentis incautè compositis.

1. SI quis aut deponens, aut mutuans, aut aliter contrahens, contentus sit scriptura solâ ejus cum qvo contrahit, imputet sibi ut Scripturæ soli se commiserit, illiq; sufficiens fides non præstabitur, nisi ut in superioribus dictum tres honesti & fide digni Testes accesserint, coram qvibus Contractus est factus, ultimum tamen refugium est, ut mutuans scribenti juramentum deferre pos-
2. sit, nam falsitates & imitationes metuit Imperator, & testes addi vult, non ut credentes privet fide suâ circa amicos, sed ut qvantum possibile est, perfidiam & negationem multis reconvincat modis.

Add. Hodie Creditores mutuantes non tam cum mutuant,
3. Testes advocare solent, qvàm potius ita debitores in Chirographo adstringere, ut exiguâ data pecunia sua bona sub pacto executivo & Clausula Constituti possessorii obligent, sic, ut heredes si forte mortui fuerint, hoc itidem ligentur vinculo, indeqve est apud Nos hodie Processus Executivus, qui adversus heredes itidem rectè instituitur, modò tamen constet, esse heredes, qvod si verò se tales negent, anteqvam executivè proce-
4. ditur, de ea agendum. Processus verò ipse interea sistendus est, quod sicuti non semper citò explorari potest, ita ad ordinarium Processum est remittendum, nec refert, an suus an extraneus heres sit, modo sint talia argumenta, ex quibus magis colligitur non esse heredem. Mev. *P. 4. Dec. 144. & P. 6. Dec. 15.* & ejusmodi Instrumentum liquidum vel gvarentigionatum habet quoque executionem paratam contra Clericos in foro ipsorum

Bartol.

Bartol. *in L. 8. C. de summa Trinit.* Suaretz. *in L. post rem judicatam ff. de re jud.* & quoqve contra fidejussores, quomodo tradit Köppen. *Dec. 56.* Requiruntur autem IV. potissimum ad para- 5.
tam Instrumentorum executionem. I. ut debitum vel jus cujus executio petitur, incontinenti sit liquidum, Bartol. *in L. Creditores n. 15.* & ibi Angelus de Perus. *4. C. de pignor.* pro debito siquidem illiquido neque captura personæ, neqve rerum, neque alia quæcunque executio permittitur. Bald. *in L. apertissimi 9. C. de jud.* Quænam autem sint, quæ debitum liquidum faciunt, latè tractat Petr. Frider. Mindanus *de Mandat. Judic. lib. 2. c. 29. n. 3.* II. Ut In- 6.
strumentum visum prius & lectum sit per judicem, quod quidem de scriptura originali accipiendum est, non autem de exemplo, quod regulariter non probat *auth. si quis in aliqvo ubi* Jason. *num. 2. C. de edendo facit L. 2. ibi; non & judice vel exemplo ff. de fide Instrum.* Coler. *de Proc. Exerc. P. 3. c. 1. num. 44. & seqq.* Mevius. *Part. 8. Decis. 237. & P. 4. dec. 391.* III. Mora solvendi; ut enim 7.
ante incursam moram sive per lapsum diei ad solvendum appositæ, sive per interpellationem Creditoris opportunô loco & tempore factam, adversus reum ordinarium processum instituere non permittitur, *L. mora ff. de usur. L. 14. C. de Contrah. & comm. stipul.* ita ante commissam super satisfactione moram debitor oppugnari non debet per Processus executivos aut per manus injectionem, sive in bona, sive in personam. Coler. *P. 3. cap. 3. per tot.* IV. Citatio Adversarii, contra qvem intenditur executio, per- 8.
lecto enim instrumentô debiti, & reperto sine vitio visibili, cognitaqve inde mora debitoris, & intentione Creditoris, judex aditus mandat solutionem fieri intra certum tempus, & simul citat debitorem, ut in casu cessationis ipse compareat tali die, pro videndo qvemadmodum parata contra ipsum decernatur executio & ad opponendum exceptiones, si qvas habet, remoratorias, vel impeditivas executionis. Circa qvod & illud obiter 6.
notandum, qvod in tali citatione cum præcepto executivo debeat inseri summarie tenor, & causa proposita per Creditorem qvalisqvalis petitionis, ad hoc, ut reus instructus veniat, cum illud indubitatè in judiciis summariis fieri consveverit, ut videlicet copia libelli reo cum citatione transmittatur. Coler. *P. 1. cap. 7. n. 1. 2. &*

10. *l. 2. & seqq.* Hæc igitur si adsint, nihilominus tamen aliqvi debitores chirographum vel debitum liqvidum disputent, id vel negando, vel ineptis exceptionibus differendo, atqve ita Creditorem vexando, meritò mulctantur, sunt enim tales juxta pronunciatum Mev. *P. 2. Decis. 209.* plurium gravium criminum rei, nempe perfidiæ, ingratitudinis, impietatis, turbati commerciorum Status, perrupti humanæ societatis vinculi, justitiæ conculcatæ, abusus judicii, quæ tam vindicari in exemplum debent Reip. gratiâ, qvàm puniri justitiæ causa.

11. Ultimum præsidium hic Imperator in juramento collocat, qvod deferre licet debitori, si neget forte scripturam, aut pecuniam se accepisse diffiteatur, qvæ jurata diffessio per probationem declinari neqvit Carpzov. *Proc. Tit. 12. A 5. n. 47.* nec potest fieri per Procuratorem, vel aliam intermediam personam,
12. Mev. *P. 6. Dec. 20.* Exceptio est in pupilli Tutore, qvi ad juratam diffessionem non modò admittitur; sed ad eandem adigitur. Carpzov. *Proc. Tit. 14. A. 3. n. 43. seqq.* qvod si ab hærede jurata facienda diffessio, non de veritate jurat; sed saltem de credulitate qvia probabilis est de alieno seu defuncti facto ignorantiâ, nec adigendus jurare de scientia, qvi eam non habet, Coler. *Dec. 116. num.* 7. & super veritate scripturæ, qvam qvis nescit, juramentum imponere, est perjurio occasionem præbere & nimium in periculum adducere; sicqve servari in omnibus, qvæ facti alieni sunt, super qvibus non juratur nisi de credulitate scribit egre-
13. giè Mevius, *P. 6. Decis. 277.* Cum verò in executivis recognitio fit loco & instar litis contestationis. Zanger. *de Except. P. 1. cap. 2. num. 24.* fieri solet, ut post diffessionem, tanqvam litem negativè contestationem ad probationes & reprobationes, adeoqve super his ad Processum Ordinarium deveniatur, prout ex Carpz. Resp. deducit Mev. *P. 6. Dec. 228.*

CAP. V.

Qvomodo Tabelliones cautè debeant Instrumenta componere.

Instru-

INstrumenta à Notario confecta non antea ab ipso subscribenda, nisi eisdem testium nomina fuerint inserta. 1.

Addit. Quæ de Notariorum Instrumentis, eorumqve requisitis hic addi merebantur, jam tum supra ad Nov. XLVII. & XLIV. fuerunt proposita. vid. Rec. Imp. de An. 1512. & Constit. Maximil. I. de Notariis d. A. 2.

CAP. VI.

De Comparatione Notarum.

JUdices non attendant saltem simplicem Notariorum scripturam; sed & ipsorum, vel etiam scribentium sigilla. 1.

Addit. Per *notas* intelliguntur literæ singulares, ex quibus 2.
integræ voces colligi possunt; unde *notis notare* est compendiose, non integris ac omnibus literis qvid scribere, quorum Autor Mecœnas fertur, qui velocitatem scribendi excogitavit. Dion. *lib. 55.* qvamvis multo antiqviores, & jam Ciceronis tempore cognitæ videantur. Unde Polydor. Virgil. *Lib. 2. c. 7.* eandem
Tironi liberto Ciceronis adscribit. Dietherr *in Addit. ad Besoldi Thes.* 3.
Pr. voc. Abbreviaturen tradit, Romanos brevitatis causa Notis usos, quarum quasdam ad Remp. Leges, Magistratusque pertinuisse, qvasdam verò ad privatos. Ad ejusmodi Notas Nota- 4.
riorum judicem benè attendere convenit, ut sint intelligibiles & usitatæ, qvales si non sint, debent potius rejici, & Instrumentum tanquam falsum & supposititium cassari, quin juxta Constitut. Maximil. I. de An. 1512. planis potius literis Instrumenta conscribenda, qvàm Notis, & Sententia debet per integras literas, sive consequentiam literarum scribi non autem paucis literis temerè describi. *L. ult. C. Comminat. Epistol.* Biccius *in Aur. Sec. Tit. 5. th. 155.*
Ulterius qvoqve jubet Imperator judicem attendere ad signa vel 5.
sigilla tam Notariorum, quàm scribentium, ne circa illa falsitas aliqva committatur, horum enim usus ad evitandas falsitates potissimum fuit introductus, qvæ licet qvoqve falsificari possit, non tamen tam facile, ut scriptura possunt, ut ostendit Sveton. *in Nerone C. 17.* v. Caspar. Anton. Tesaur. *L. 2. quæst. forens. X. pr.*

6. quando verò Sigillorum comparatio facienda, aurifabros, sive illos qui sculpere sigilla solent adhiberi deberi, qvi sigilla conferant, asserit Rulandus *de Commiss. P. 2. lib. 5. c. 38. n. 22.* ubi præju-
7. dicium Camerale allegat. Est verò sigillum suspectum, quando id sive cera ejus non est integra, vel, ut fieri solet in antiqvis à muribus sit corrosa enormemque patiatur fracturam, ita, ut ex residuo clare non possit colligi, cujus sit. Scaccia *lib. 1. de Judic. c. 64. n. 17.* Ruland. *de Commissar. l. 5. c. 30. p. & n. 14.* integra enim
8. sigilla majorem fidem ruptis habent, omne verò sigillum, qvod non satis per murium corrosionem ostendit formam impressionis, vel cujus literæ non satis apparentes, legibiles sunt, sigillum dici non meretur, nihilqve probat *C. inter dilectos X. de fide instrum.* Suspectam itaq; atqve dubiam facit Instrumenti fidem, qvando sigillum à muribus corrosum conspicitur, ita, ut qvodnam sit, clarè conspici non possit, quare nec aliam probationem corrosum sigillum facere poterit Crav. *Consil. 56. n. 6.* Socin. Senior *Vol. 2. Consil. 258. col. 3. vers. ex qvibus concluditur.* præsertim si grave, & speciale partis præjudicium subsit, qvo casu probationes necessariò concludentes reqviruntur Bald. *Consil. 319.* nisi (1)
9. sigilla illa corrosa sint recognita, & agnita Fichard. *Tom. 2. Cons. 40. n. 3.* (2) Si contra sigilla hæc rasa non fuerit exceptum, nam tunc illis creditur, Paulus de Castro *Consil. 114.* (1) Si rasura à muribus facta sigilli fuerit subsecuta, & Instrumentum à principio publica manu debitis sit solennitatibus confectum, nam sigilli defectus non infringit Instrumentum, nisi sigillum sit de substantia, item aliter sit conventum, aut de consvetudine, aut Statutis aliter sit introductum. Conf. Dissertatio Struvii *de Murib.*
10. *c. 4. & seqq.* Habent autem Notarii suum Notariatus sigillum cum peculiari Emblemate, quod partim ipsi prolubitu eligunt, partim verò & à Comite Palatino Promotore ipso confertur, non saltem autem hi; sed & alii privati sibi ejusmodi eligunt, non tamen qvod eo ipso probare aliqvid intendant; sed ut tanqvam peculiare aliqvod symbolum habeant, cujus semper meminisse juvet, non dicam jam de Symbolis Impp. & Summorum Principum, de quibus integri conscripti libri extant. De Carolo M.
11. gloriosissimo Imperatore refert B. Theologus D. Finckius *C. 3.*

Canon.

Canon. Theolog. 68. eum gladio ſuo haſce literas inciſas habuiſſe D. P. C. A. D. C. h. e. *Decem Præceptorum Cuſtos A DEO Conſtitutus* quapropter capulo gladii ſigillum inſculptum, ac loco proverbii habuiſſe; *Was der Knopff ſiegelt, ſoll die Spitze vertheidigen.* i. e. quicquid Gladius ſigillat, ejus mucro defendat. Zinckgref. *Apophth. germ. P. 1. p. 10.* vid. pluribus Theodor. Hoeping. *de Sigillorum priſco & novo jure c. 4. n. 120.*

CAP. VII.

De Comparatione Literarum.

ADhibetur hæc ſaltem in ſubſidium, ut ſi Teſtes in in- 1.
ſtrumento publico nominati vel omnes fuerint mortui, vel etiam abſentes, vel ſi Notarius, qvi complevit inſtrumentum, non amplius ſit ſuperſtes, ſic enim demum ad Comparationem literarum devenitur, præſtito tamen prius juramentô Calumniæ à Petente Comparationem: *Qvod ſcil. nihil maligni conſcius ſit in eo, qvod à ſe profertur, nec qvandam artem circa collationem fieri præparet.*

§. 1. In inſtrumentis publicis, ſi tabellio venerit, & 2.
teſtimonium perhibuerit cum jurejurando, aſſerens, ſe illud inſtrumentum compleviſſe, non opus eſt literarum comparatione, qvod & obtinet, ſi per amanuenſem Tabellio conſcripſerit inſtrumentum, ipſe verò compleverit, ubi tamen amanuenſis & annumerator prout hic in textu vocatur, ſi civis, & nulla cauſa prohibet ejus adventum ægritudo fortè valida, aut qvælibet aliarum neceſſitatum, qvæ hominibus accidunt, in recognitione præſens eſſe debet. Si verò nec adnumerator aſſumptus 3.
eſt, & Tabellio ipſe inſtrumentum totum per ſe conſcripſit, & ſupplevit, aut qvi conſcripſit non eſt, aut aliter ipſe venire non valet, ſe tamen ipſum illud compleviſſe jurare debet, ut comparationi non ſit locus, & credibilia ſint documenta, teſtimonium enim & ex voce complen-

 tis

tis factum, & jusjurandum habens adjectum, præbuit qvoddam causæ monumentum.

4. §. 2. Defunctô Tabellione non tantum Comparatio instituenda; sed & illi, qvi conscripsere instrumentum, si fortè adsint, advocandi, qvi si absint, contrahentium qvoqve & subscribentium scripturæ sunt conferendæ, & una qvædam colligatur undiqve & efficiatur fides.

5. §. 4. Qvod si nihil præter Collationem instrumentorum supersit, ea admittitur, si petens juraverit: *Se non aliam habere idoneam fidem, ideoq; ad Collationem se venire, nec qvicqvam circa eam egisse, aut machinatum esse, qvod veritatem possit abscondere.* Hisce tamen omnibus se liberare possunt Contrahentes, si communi consensu instrumenta sua actis insinuarint.

6. *Addit.* Qvæ de Comparatione literarum hic dici merebantur jam tum supra ad *Nov. 49. cap. 2.* sunt proposita, ad qvæ B.L. remitto, id saltem addo, magnam qvidem pro Notario esse præsumtionem, eamqve efficere, ut ejus testimonio, licet singulari fides detur, vicemqve duorum testium habeat, si tamen extra officium, qvid fecerit, ipsius assertioni non nisi juratæ fides adhibetur. Mev. *P. 3. Dec. 171.* qvæ si adsit, Comparatione literarum, ut probatione subsidiaria opus non est, & sic hic casus est, ubi creditur Notarii Scripturæ sine testibus, qvod est contra *Nov. 44. pr. & L. general. C. de Tabular. lib. 10.* In judicialibus tamen creditur absq; testibus, namqve repræsentat duos testes Matth. Ste-
7. phan. *de Jurisd. lib. 2. P. 2. cap. 5.* Nec verò est prohibitum Notario scribam vel amanuensem habere, qvi excipiat inqve chartam conferat tenorem instrumenti, modò tamen ipse postmodum nomen suum subscribat, & apponat Sigillum Notariatus, qvod si forte abfuerit, vice ejusdem annulo signatorio uti posse cum Clausula: *In Mangel meines Notariat-Zeichens, mit meinem gewöhnlichen Pittschier bekräfftiget*, i. e. in defectu signeti Notariatus, alias consveto sigillo confirmavi, statuit Besold. *Thes. Pr.*
8. *voc. Notarius*, qvod concedo, si de Notarii manu constet. Qvod si metus sit post aliqvot annorum spacium instrumenta in dubi-

um

um vocari vel propter absentiam, aut etiam mortem scribentis non malum sanè est Consilium Imperatoris qvod hic *in* §. 4. suggerit, ut in judicio deponantur, inprimis cum multorum intersit ea diligenter custodiri, nec apud unum illorum existere. Mev. *P. 5. Dec. 330.* Olim qvidem in æde Sacra depositiones fieri 9.
solitos fuisse ex *L. 1. §. 36. ff. depositi. & L. 19. C. de Usur.* deducit Mev. *d. l.* At hodiè in usu id desiit esse, ædisq; Sacræ loco mos introduxit, ut fiat in loco judicii; Hoc igitur si factum, pluribus subtilitatibus opus non habent contrahentes.

CAP. VIII.

Imperiti Literarum qvomodo cautè contrahant.

I. QVi literas nesciunt, & testes & Tabularios debent 1.
adhibere, in qvibus locis sunt Tabularii; maximè autem testes Contrahentibus non ignotos, ut qvidam scribant pro illiterato, aut paucas literas sciente, alii verò attestentur se præsentibus hæc gesta esse, & sic talium instrumentorum suscipiatur fides, qvia non minus qvam 5. Testes in ejusmodi sunt adhibendi, inter qvos erit, & qvi pro contrahente scribit, aut totum, aut ea, qvæ post paucas illius literas posita sunt.

II. Qvod si qvis facere Contractum ex non scripto 2.
voluerit, aut per testes, aut per jusjurandum faciat, Actore testes producente, Reo autem jurante, aut jusjurandum referente, prout judex negotium disposuerit. Si verò Contractus ad unam tantum libram auri sit factus, observatione hac opus non est; sed juxta id qvod tunc actum est, causa fiat, ne de rebus exiguis maximas attritiones homines sustineant.

Addit. Per literarum imperitum intelligitur literarum le- 3.
gendarum & scribendarum ignarus sive Ἀναλφάβητος. Excell. Dn. Stryk. *de Jure* Ἀναλφάβ. *cap. 1. n. 11.* Ad cujus Contractum reqvirit hic Imperator: 1. ut sint in scriptis, 2. in Civitate, 3. ut

auri libram summa excedat scil. 72. solidos *L. 5. C. de Susceptor. præpos.* qvod si Summa fuerit minor, duo testes possunt sufficere sive à literato sive ab analphabeto, sive in scriptis sive sine scriptis, in Civitate, aut extra eandem sit contractum; Tot au-
4. tem sine dubio testes hic intervenire voluit Imperator, ne analphabetis, multis aliàs periculis subjectis, factum, qvod non intelligunt, obesse possit, ne facilè negandi ansam arripiant, minimè à se delegata esse, qvæ charta loqvitur. Dn. Stryk. *praalleg. Differt. cap. 3. n. 39.* Si à literarum gnaro fiat Contractus, aut celebretur sine scriptis, testes & juramentum hic intervenisse
5. suffecerit. Id. *num. 33.* Atqve hanc Imperatoris Constitutionem in hunc usqve diem observari debere, negandum non est, licet ob non adeò freqventem casus contingentiam aut seculi pravi-
6. tatem minus rectè negligatur. Concedit tamen Dn. Stryk. *d. l. num. 41.* Si Imperiti literarum contrahere cupiant Notarium, cujus testimonium duorum testium testimonio comparatur, adire posse, qui præter duorum testium subscriptionem, eorum Contractus confirmabit. Conf. Petrus Gilcken. *ad L. comparationes 20. num. 22. C. de fide Instrum.* Gilhausen. *Arbor. Judic. Civ. C. 6. P. 1. §. 97. n. 3.* Brunnem. *ad Auth. sed novo jure C. si certum pet.* tra-
7. dit, qvæ de tribus aut 5. testibus vel in *L. ult. C. si cert. pet.* vel hic hactenus proposita, ab usu recessisse, & inauditum esse, in Contractibus aut apochis 5. testes reqviri teste Gudelino *de Jure novis lib. 4. cap. 2. n. 46.* Et sanè nunqvam vidi, has Constitutiones in foro observari addit Brunnem. *cit. loc. in fin.*

CAP. IX.

De Contractibus sine scripto compositis.

1. SI sine scripto imperiti contrahere velint, adhibitis testibus vel delatô jurejurando fidem facere possunt; qvod si infra libram auri contractus sit celebratus, valet id qvod actum, ut & si à rusticis contractum, qvia in agris multa simplicitas est, & neqve scribentium aut testium multorum copia. vid. *Auth. At si Contractus C. de fide instr.*

de Instrum. & Auth. Sed novo jure C. si cert. pet. & qvod Imperator hic de Contractibus eorum ordinat id in eorum qvoqve Testamentis qvibus maximè studet, sancit. 1.

Addit. De Testamentis Rusticanorum constitutum est in 2. *L. Et ab antiqvis fin. C. de Testam.* ubi Justinianus Imperator dicit, Rusticum nuncupativè, & in scriptis testari posse, ita, ut si 7. testes ruri haberi possint, illi adhibendi sint, & siqvidem omnes literati, rusticus in scriptis testari possit, & minimè opus sit, ut Testator voluntatem suam testibus aperiat, & coram eis nuncupet heredem; Si autem non 7. literati; sed unus aut duo 3. pluresve tantum inveniantur literati, non tamen 7. eatenus inscriptis testari possit, ut voluntatem suam testibus exponat, & literati pro illiteratis præsentibus subscribant, & post Testatoris mortem juratò deponant. Si verò nemo literatus inveniri 4. possit eo in loco, liceat Rustico tantum nuncupativè non in scriptis testari. Qvod si 7. Testes neqve literati neqve illiterati ibidem inveniantur, licet rustico testari coram qvinqve testibus; sed sub eadem distinctione, si omnes 5. sint literati, rusticus inscriptis possit testari, & nisi velit, non teneatur testibus volun- 5. tatem suam aperire, si verò omnes qvinqve sint illiterati, tantum nuncupativè possit testari. Si autem unus tantum, aut duo pluresve, (non tamen omnes 5.) sint literati, rustico in scriptis hactenus testari liceat, si voluntatem suam testibus exponat, & literati pro illiteratis præsentibus subscribant, & post testatoris mortem juratò deponant, qvod argumentum pluribus tractant Manlius *Tract. de ultim. Volunt. tit. 10.* Hahn. ad Wesenb. *Tit. ff. qvi Testam. fac. Nov. 10. verb. Rustici.* Mev. *ad J. Lubec. P. 2. tit. 1. A. 2. n. 53.* Peretz. *ad Tit. C. de Testam. n. 29.* C. A. *lib. 28. tit. 1. th. 28.* Dn. Stryk. *de Testam. Rusticor. Vol. 2.* Renat. Choppin. *Tr. de Privileg. Rustic. P. 2. lib. 1. cap. 2.*

NOV. LXXIV.

Qvibus modis Naturales Filii efficiantur legitimi & sui.

CAP.

CAP. I.

De Legitimatione per Matrimonium, seu de Contracto cum Matre Naturalium liberorum matrimonio ab ipso Patre naturali.

1. SI qvis naturales filios legitimare velit; sed mater 1. vel jam mortua sit, vel 2. in corpus suum peccavit, vel 3. occultata à filiis, aut monasterium ingressa, vel 4. talis, cum qva per LL. matrimonium inire non licet, tunc si filios legitimos non habeat, precibus Principi oblatis, ac per Rescriptum legitimationem illis impetrare potest.

2. *Addit.* Cap. hoc inscribitur de *Legitimatione per matrimonium*, cum tamen hic agatur de *Legitimatione per Rescriptum Principis*, de qva infra plenius *Nov. 89. cap. 9.* Est autem illa fortior

3. hac ipsa, nam ut ex Baldo notat Gail. *lib. 2. Obs. 140. n. 19.* est similis Alchymiæ, qvæ facit apparere illud, qvod non est, transmutare tamen unam speciem in aliam non potest, & sic dicit, legitimatum gerere figuram legitimi, non tamen habere eandem in Substantia.

4. Habent tamen interea Jus Suitatis & agnationis, ut idcircò non tantum Patri succedant; sed & aliis *huj. Nov. cap. 1. & 2.* ac verè legitimi dicantur, non per fictionem, nec non liberorum legitimorum nomine comprehendantur, Hartman. Pistor. *lib. 2. qv. 41. n. 30.* qvia & domus ac familiæ arma gestare & usurpare possunt, si Princeps in Rescripto id concesserit. Matth. Steph. *de Jurisdict. P. 1. lib. 2. c. 6. n. 70.* ut mirum non sit, ad jura

5. Civitatis, Civiumqve consortium eos admitti. Licet autem in Statutis legitimorum appellatione regulariter non veniant, limitat id tamen Gail. *d. l.* nisi ad statuta à Principe sint legitimati, Parentibus verò tunc demum succedunt, qvando ex justis nuptiis procreati non sunt. *Auth. Preterea C. de Natural. liber.* nisi forte Rescripto Principis seu Comitis Palatini literis ad Patris petitionem adjecta sit clausula *Non obstante qvod extant liberi*, nam sic in

in præjudicium legitimè natorum valet legitimatio, & cum his succedendi jus præbet Gail. *lib. 2. O. 142.* poterunt enim effectus 6.
legitimationis volente Patre, & consentiente Principe separari, in tantum, ut filius quidem legitimus fiat sive spuriorum numero eximatur, non tamen conseqvatur jus succedendi; vel etiam potest utrumq; conjungi. Conf. Illust. Dn. de Rhetz *Instit. J. publ. lib. 2. Tit. 9.* §. *9.* & Anton. de Rosell. *Tr. de Legitimat. Princ. num. 5. 8.* Forster. *de Success. l. 6. c. 34. n. 30.* Nicol. de Ubald. *Tr. de Success. ab int. P. 1. n. 82.* Quod si à Patre in libello supplice mentio libero- 7.
rum facta non fuisset inter agnatos Cognatosq; Patris jura mutuæ Succesfionis liberis sic legitimatis non constituuntur, nisi illis citatis & legitimationi consentientibus. Etsi enim citatio & consensus hic non reqviratur ad legitimationem, & sine eo quoad Patrem nihilominus subsistat, imò licet nec agnatorum in libello facta fuerit mentio in eorum tamen præjudicium, ut legitimati illis succedant, non valet. vid. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 2, art. 9, tit. 2. n. 67. & seqq.*

CAP. II.

De Legitimatione ex Testamento.

QVod si Pater naturales filios suos vult restituere na- 1.
turæ, & antiquæ ingenuitati, & legitimorum juri, ut sub potestate ejus consistant, nihil â legitimis filiis differentes, propter fortuitas qvasdam circumstantias autem id non agat, moriturus potest Testamento scribere *velle, sibi filios suos legitimos esse Successores* sic tamen, ut filii post mortem Patris supplicent, & hoc dicant, & ostendant Patris Testamentum, & heredes existant, in qvantum Pater eos scripserit; deinde verò ab 2.
Imperio percipiant, nunc eodemqve hoc qvod agitur, esse donum Patris & Principis, i. e. dicere, naturæ simul & Legis; qvod si sui liberi existant, deinde naturales procreentur, aut primitus nati, neqvaqvam his legitimorum jus adjicitur, nisi per dotalia Instrumenta legitimati.
Addit. Jungenda cum hac *Nov. Auth. item sine C. de Natur. lib.* 3.

quæ ex h. Nov. desumta recte dicitur si alii liberi volunt legitimi fieri, alii non, volentes fiant, cœteri in jure naturali remaneant, sicut igitur invito non datur beneficium *L. 69. ff. de R. J.* ita si qvis liberorum non acqviescat voluntate Patris in Testamento de se, dum legitimitatem ipsi parat acqvirere, neutiquam cogitur ad eam acceptandam; sed ut Imperator loquitur *in jure naturali remanent.*

4. Et cum hactenus tribus modis tantum legitimatio facta fuerit nimirum per oblationem Curiæ & subseqvens matrimonium, *§. fin. I. de nupt.* ut & per Rescriptum Principis *Nov. 74. c. 1. & 89. c. 9.* hunc per Testamentum qvartum & novum esse legitimandi modum puto non rectè dici; sed esse potius aliam speciei speciem si ita dicere liceat, & comprehendi sub legitimat. per Rescriptum Principis, quod hic in textu Imperator

5. videtur innuere, si enim Patris Testamentum qvoad legitimationem approbare nolit Princeps, â nemine sane potest cogi, & liberis nequaquam, jus legitimorum adjicitur; sed in jure naturali remanent. Diss. Gudelin. *de Jure noviss. lib. 1. c. 16.* Id largior, si in Instrumento tribus testibus muncte vel Testam. aut apud acta liberi nostri naturales nominati, & mater legitima vocata id legitimarum nuptiarum argumentum esse, quod Pater eorum liberorum matrem pro uxore habuerit, non tamen legitimatio-

6. nis modum adesse. Simili ratione servus, quem dominus actis intervenientibus filium suum nominaverat, eô ipso libertate donatus censebatur, licet hoc ad jus filii accipiendum ei non sufficeret, utpote qui ne natura quidem filius esset *§. ult. I. de adoption.* Gudelin. *de Jure Nov. lib. 1. c. 16.*

CAP. III.

De Legitimat. per adoptionem.

1. OLim etiam per adoptionem filius naturalis legitimabatur; sed quoniam Justinus Pater Justiniani eum modum abrogavit, illum & in suis terminis manere vult, nam *incompetens est, qvæ benè exclusa sunt, rursus ad rempublicam revocare.*

2. *Add.* Est igitur hic legitimandi modus *Adoptio*, seu *Arrogatio* abro-

abrogatus, qvod fuerit visum utilius legitimis nuptiis legitimam qværi potestatem, quàm tot legitimandorum liberorum adminiculis libidines Parentum sublevari *L. 7. C. de Natur. lib.* Imò non 3.
saltem hic modus; sed & prior ille *per Testamentum* si talis fuit, & *ille per oblationem Curiæ* in desvetudinem abiit, ut tantum duo *per subseqvens matrimonium*, & *Rescriptum Principis* apud Nos freqvententur. Conf. infra *Nov. 89.*

CAPUT IV.

Qvæ Personæ sine Dotalibus Instrumentis nuptias contrahere non possunt.

JAm tunc antiqvis promulgatum est Legibus, & ab ipso 1.
Imperatore constitutum, ut etiam Nuptiæ extra dotalia Instrumenta ex solo affectu valeant & rata sint, existimavit tamen, hæc oportere secundum LL. naturales definiri. Etsi enim Castitatis est Amator, *nihil tamen a-* 2.
moris furore vehementius esse ait, qvem retinere est Philosophia perfecta. Animorum qvoqve affectus in tantum scierunt 3.
anteriores Legislatores, ut & donationes constante matrimoniô prohiberent, ne concupiscentiæ magnitudine victi latenter paulatim Conjuges sua semetipsos privarent Substantia.

§. 1. 2. Igitur Personæ Illustres, & in majoribus di- 4.
gnitatibus constituti, non aliter nisi dotalibus Instrumentis Confectis nuptias contrahere debent, & possunt Defensorem Ecclesiæ adire, ut in præsentia trium Clericorum de nuptiis contractis attestationem conficiat, eamque in Ecclesiæ archivo recondat, ut postmodum matrimonium inde probari possit, qvibus ita gestis, & nuptiæ & ex iis soboles & legitima.

§ 3. Qvisqvis verò in abjecta degit vita, parvæ sub- 5.
stantiæ dominus consistens, habeat etiam in his licentiam. Sed nec agricolas aut milites armatos, & qvos Lex cali-

gatos appellat (h. e. viliores & obscuriores) perscrutamur qvibus civilium causarum ignorantia est, & solius circa terram operationis & circa bella concupiscentiæ causa est studiosa & justè laudabilis, sic, ut in vilibus personis, & in militibus armatis obscuris & agricolis licentia sit eis & ex non scripto convenire, & matrimonia inter se celebrare, & legitimi filii sint, qvi Patrum mediocritatem, & rusticas occupatoneis & ignorantias adjuvent.

6. *Addit.* Hactenus dicta apud Nos exiguum videntur habere usum introductâ ἱερολογία qvippe qva nihil aliud intenditur, qvam ut publica desponsatorum conjunctio patescat, & constet, qvinam, qvibus cum coierint. Arnisæus *de Jure Connub. P. 3. Sect.*
7. *12. n. 7.* Licet enim sponsalia ad matrimonii substantiam necessaria non sint, & Sponsa statim in domum deduci possit *Nov. h. cap. seqq. 5. L. 9. ff. de Sponsal. ibi si verò Sponsalia non præcesserint*, ob honestatem tamen & reverentiam matrimonii, ne instar pecudum proruere in amplexus honestæ personæ videantur, utq; omnia ex plena deliberatione procedant, & ut animi Contrahentium præparentur & inducantur, nec affectus præcipitentur,
8. præcedere solent Sponsalia; adeoqve Benedictio Sacerdotalis in Ecclesiis Protestantium tanqvam Ceremonia Christiana consummat & notificat Matrimonium pluribus deducente Dn. Müllero *Dissert. de Benedict. Sacerdot. Sect. 5. th. 1.* Ziegler. ad Lancell.
9. *lib. 2. Tit. 9. §. 3.* Qvamvis negandum non sit, ad substantiam matrimonii in se considerati non pertinere, cum consensus ad hoc sufficiat, nec Jure Divino hæc benedictio uspiam sit reqvisita, ubi tamen LL. Ecclesiasticis est recepta, eandem necessariò esse adhibendam, ita, ut contra conscientiam peccet, qvi eam negligit, cum LL. Principum Ecclesiasticæ obligent in Conscientia, qvatenus nihil juri Divino adversum disponunt; ut tradit Excell. Dn. Stryk. *Addit. ad Jus Eccles. Brunnemann. lib. 2. cap. 16. ad §. 6.*

CAP.

CAP. V.

Si Divinis tactis Evangeliis juraverit qvis in domo privata aliqvam uxorem fore.

SI Maritus privatim jurejurando confessus fuerit, se ha- 1.
biturum hanc legitimam Uxorem, hocq; ipsum ea legitimè probavit, qvod secundum hanc figuram vir se acceperit domi, ut uxorem legitimam haberet, & filiorum legitimorum matrem, deinde verò dum se satiaverit, ejus desiderio aut sine filiis, aut cum eis projecerit de domo, & post mortuus fuerit, uxor si indotata sit, qvartam ex bonis mariti percipiat.

§. 1. Sit autem & soboles legitima invitô etiam Patre, 2.
qvi enim ad hoc nuptias fecit, & filios procreavit, ut mulier legitimorum ei filiorum fieret mater, non potest ex tali natos germine, rursus ut naturales abjicere neqve alias postea nuptias post mortem uxoris, aut ejus repudium contrahens, eos, qvi ex illis nascuntur nuptiis solos habere legitimos, nisi etiam priores fuerint copulati, qvorum similiter pater est, Deo priorem nuptiarum teste existente, secundarum verò lege.

Addit. Satis magna semper fuit levitas eorum, qvi amore 3.
impulsi nuptias jurati promitterent, & juramentum pro nihilo ducerent, forte ex stulta opinione, amatoria juramenta DEUM non curare ἀφροδίσιον ὅρκον, Græci appellant, qvo spectat illud veteris Poëtæ:

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.

Et illud Ovdii *lib. 1. Amorum:*

Nec jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi, vetuit Pater ipse valore
Jurasset cupide, qvicqvid ineptus amor.

Magis piè & Christianè statuit Alexander Pontifex *C. 10. X. de* 4.
Sponsal.

Sponsal. periculosum esse contra juramentum venire, & per Ecclesiasticam censuram compellendum esse jurantem, ut in uxorem ipsam recipiat, aut ut se habent verba *c. 2. de Sponsal.* omnibus modis inducendum, ut fidem præstitam observet; inde qvi juratò promisit Conjugium, si id recusaverit consummare à judice seculari cogendus, & si in sententia perstiterit, veluti perjurus puniendus, ut qvi DEUM contumelia afficiat, & hominem ludibrio habeat.
5. Qvæ cum ita sint, nemo non videt, æqvum esse, ut is qvi juratus promisit conjugium, id consummare debeat, cum juramentum implere oporteat in forma specifica *c. Sacerdos cap. 24. qv. 3.* Illud tamen non est extendendum
6. ad liberos sine consensu parentum matrimonium Puellæ juratè promittentes, iniqvum enim esset liberos hoc modo Parentes contra qvartum præceptum contestari, & si ejusmodi juramentum contra autoritatem & consensum Parentum aleret, illud seqveretur inconveniens, liberos hac ratione posse eludere consensum parentum, qvilibet enim posset hac cautela juramenti uti pro enervanda autoritate & consensu Parentum, quod satis absurdum & inhumanum. vid. Joachim à Beust. *Tract. de Spon-*
7. *sal. & Matrim. cap. 48. part. poster.* Positô qvoqve, Sponsalia de futuris nuptiis celebrandis juramentô collata, posse tamen partium dissensu iterum dissolvi dubium non est, qvod juramentum Promissorium in gratiam partis principaliter factum, ab eo remitti possit, *c. 1. de jurejur.* Bartol. *in L. Labio 41. ff. n. 4. de*
8. *jurejur.* Jam Sponsalia juramentô firmata principaliter fiunt in favorem Partium, ergò ab illis remitti poterunt, nam cum materia juramenti in quam cadit, sit promissio facta homini, alterô remittente promissionem cessat obligatio juramenti, quæ in illa fundabatur *c. debitores de Jurejur.* quod nec à jure Romano absonum. *L. 1. C. de Sponsal. l. 2. C. de repud.* nam induit Juramentū
9. naturam actus, cui accedit. Sed hæc quoad Sponsalia de futuro obtinent, nam aliàs à Sponsalibus publicis mutuo consensu recedere integrum non est Beust. *de Sponsal. P. 1. c. 58.* Heig. *P. 2. qv. 16. n. 4. & seqq.* Carpz. *Jurispr. Consistor. lib. 2. def. 173.* Buchner. *decis. jur. matrim. P. 1. c. 1* quia DEO jam quæsita est obligatio, & quoad indissolubilitatem nulla est inter sponsalia & matrimonium

nium differentia Carpzov. *Lib. 5. Resp. 108.* Cum in Ecclesiis nostris hodie Benedictio Sacerdotalis ut priori C. dictum consummet matrimonium, sive juramentum præcesserit, sive minus uxorem ductam semel domum retinere qvis obligatus est, & liberos ex ea susceptos pro legitimis agnoscere, ut plura hic addere necessum non sit. 10.

CAP. VI.

Qvid si non probatum sit matrimoninm.

SI de hoc non constiterit liberi suscepti erunt naturales, & qvæ ab Imperatoribus largita sunt naturalibus, sive ex testamento, sive ab intestato potientur; Nam qvi semel ex odibilibus, & propterea prohibitis nuptiis procedunt, neqve naturales vocandi, neqve ulla participanda eis est clementia; sed hoc etiam debet patrum esse supplicium, ut agnoscant, neqve qvicqvam peccatricis concupiscentiæ ipsorum habituros filios. 1.

Addit. Imperator se Castitatis amatorem in *Cap. 4. h. Nov.* 2.
profitetur, & passim in Novellis hisce Constitut. & alibi tàm parentes qvàm liberos ad eam ducit, inde ut Patenres à nefariis & odibilibus Conjunctionibus arceat, liberos ob effusam Parentum concupiscentiam plectit contra *L. 22. C. de pœnis.* Qvare si 3.
Pater naturalis nullos liberos habeat justos vel legitimos; sed tantum naturales, in sextantem, i. e. in duas uncias ejus hereditatis succedunt; sed si Mater naturalis, adhuc vivat, ea cum liberis naturalibus ad Successionem admittitur in capita, h. e. ut sextantem illum sive duas uncias æqvaliter cum ipsis dividat, pro numero personarum, in reliqvas 10. uncias succedunt proximiores agnati & cognati defuncti *Auth. licet C. de Natural. liber.* Rittershus. *P. 7. Nov. cap. 5. n. 12.* Alia pœna. Naturalium libe- 4.
rorum est, ut neq; cum spuriis insignibus parentum uti possint, qvod tamen alicubi locorum permissum, hac tamen differentiæ notâ, ut baculus interjectus, qvem vocant barram in clypeo

peo seu insigni incipiat à sinistris, & desinat in imum latus dextrum, cum sint qvasi filii sinistræ; sed in legitimis filiis baculus
5. ille seu barra à dextris ad sinistram porrigitur, ut ex Dd. probat Excell. Dn. Stryk. *Tract. de Success. ab intest. Dissert. 1. cap. 2. th. 53.*
6. Et sic moris esse in Gallia dicit Myler. ab Ehrenb. *in Gamolog. c. 26. n. 5.* ut filii Regum ultragenitorum in insigniis suis habeant lineam transversam à dextro deductam, *einen Strich durch die Linien von der Rechten zur Lincken*, prout in Borboniorum insignibus perspicitur, qvæ & ipsa transversam ostentant lineam, ac Princeps Condæus Lilia Gallicana tali repagulo sive barra coërcita gerit, cum tamen ipsorum origo ab illustri regioq; sangvine prodiisse dicatur, qvapropter cum in convivio Henrico Principi Condeo acclamaretur *Barrà bas*, i. e. *weg mit dem Balcken*, Ostez la barre, id ipsi crimini læsæ Maj. versum fuisse, qvasi regnum affectaret testis est Besoldus *in Opere Polit. de Ordine Civium cap. 10. n. 10* Et Illustres qvod attinet, de generali ferè omnium gentium consvetudine receptum esse, testatur Andr. Tiraqvell. *de Nobilit. cap. 15. n. 25.* ut filii naturales Illustrium Virorum Nobilium privilegiis gaudeant, ac pro Nobilibus repu-
7. tentur, per rationem, qvod consvetudo possit aliqvem facere Nobilem, qvi de jure communi Nobilis non est, ac patriæ mos in Nobilitate gerenda pro Lege sit observandus. *L. 1. §. 1. ff. de Muner. & bonor.* Bartol. *in L. 1. C. de Dignitat. num. 83. l. 12.* Gvido Papæ *Decis. 580. lit. B.* qvod exmplo Ducatus Sabaudiæ, Provinciæ, Delphinatus, & circum vicinarum regionum firmat, Myler.
8. ab Ehrenb. *Gamolog. c. 26. th. 23.* inqviens, Bastardos, seu filios naturales nobilitatem generis retinere, nomen & arma familiæ suæ gerere, pro Nobilibus ab omnibus reputati, ad subsidia regia tamen non contribuere, hac tamen additâ *declaratione*, modò à Patre pro suis filiis agnoscantur, ac nobiliter, id est absqve mercaturæ, aut alterius vilis artis usu vivant. Myler. *d. l.*

NOV. LXXV.

De Appellationibus in Sicilia porrectis.

Appel-

APpellationes in Sicilia adversus sententias Prætoris, 1.
vel Ducis, vel alterius judicis in Sicilia in regia urbe Constantinopolit. à Qvæstore vult recipi, qvi discutiat causas Provocationis, & sententiam dicat, & Imperio referat, ut autoritate Imperiali sententia ejus roboretur; Quod & obtinet, si aliud civile emergat, ut Defensoris Confirmatio, vel Decretum Patris Civitatis Siciliæ.

Add. Constat ex his & Siciliam paruisse Romanis, nam hi 2.
postquam Carthaginenses paulatim Imperium suum dilatare viderent, Siciliæ inhiare cœperunt, totamque pulsis Carthaginensibus sui juris fecerunt. Cum verò deficeret in Occidente Romanum Imperium, Sicilia occupata fuit à Gothis, qvi Italiam qvoq; sub dominio subjecerant. Verum iterum Justinianus Imperator, au- 3.
spiciis Ducis Bellisarii recuperavit eam pulsis Gothis. Cluverus *Histor. totius mundi sub Justin.* & sic Sicilia & Regnum Neapolitanum aliqvamdiu mansit in Imperio Constantinopolitanorum. Magis autem deficiente potentia Impp. cessit Mahumedanis sub Michaële Balbo, qui 400. annos ea sunt potiti, qvas post hæc tempora revolutiones & mutationes habuerit, item quô modô ad hunc, modô ad alium pervenerit, & quid in eam Papa prætendat, passim ab Historicis traditum est. vid. Conring. *Thes. Rerumpubl. P. 1. p. 102. & seqq.* & Hubertus Goltzius *Tomo 4. Antiqvit* qvem allegat Dn. D. Beckman. *Historia Orbis terrarum c. 5. th. 12. num. 4.*

NOV. LXXVI.

De iis qui ingrediuntur Monasterium, & de substantiis eorum.

SUpra in *Nov. 5. c. 5.* dictum, post ingressum Monasterii 1.
aliquem de bonis suis testari non posse, vel aliô modo inter vivos disponere. Cœterum hæc Novella extendit id tantum ad eos, qvi post *Nov. 5.* non qvi ante eam Monasterium sunt ingressi, ut adeò de bonis suis ante ingressum

gressum quis testari possit, non autem post ingressum, ex quo Constitutio lata est.

2. *Add.* Neqvaqvam igitur ad illos, qui ante utpote qui potuere adhuc de bonis, quocunque modô vellent disponere etiam erga extraneos, nedum erga suos *Nov. h.* extenditur. Amplius Jure C. ita demum Monasterio bona ingressi acquirebantur, aut penes id manebant, si ille nec Testamento, aliove modô disposuisset, nec Conjunctos ullos uxoremve haberet, qvi in bona ab intestato succedere possint, ac salvô jure Curiæ, Patroni, vel Domini, si Curialis esset, libertus, vel adscriptitius, qui ad Monasterium transiverat, quod jus mutatum est, cum dictum sit, monasterio quasi tacita dedicatione res ingredientis acquiri, quoties prius aliter de iis non disposuit *Nov. 5. §. illud quoq; Auth. ingressi C. de SS. Eccles. & Auth. Nunc autem C. de SS. Eccles.* v. Gudelin.
3. *Jur. Nov. lib. 6. c. 10.* Est enim professio vitæ religiosæ mors qvædam Civilis, atqve adeò Capitis diminutio. Non obst. qvod Monachi jus capiendi ex Testamento, nec non legitimarum habeant hereditatum, & acquiratur per eos Monasterio *L. DEO nobis. §. hoc etiam C. de Episc. & Cleric.* qvin & testamenti factionem olim retinuerint, *L. general. C. de SS. Eccles.* nam quantum ad hoc attinet, Monachos pro mortuis & capite minutis jus non habet, Gudel. *de Jure Noviss. d. l.*

NOV. LXXVII.

Ut non luxurientur homines contra naturam, nec jurent per capillos Dei &c. neq; blasphementur in Deum.

CAP. I.

1. CUm qvidam hactenus diabolicâ institutione comprehensi, gravissimis luxuriis semetipsos inseruerint, & ipsi naturæ contraria egerint, iis injungit Imperator, in sensibus accipere Dei timorem, & futurum judicium, abstinere ab hujusmodi diabolicis, & illicitis luxuriis, ne propter hujusmodi impios actus ab ira Dei justa inveniantur,

niantur, & civitates cum habitatoribus earum pereant. docemur enim à Divinis Scripturis, ex hujusmodi impiis actibus, & Civitates cum hominibus pariter periisse.

§. 1. Cum hactenus qvidam & blasphema verba, & 2.
Sacramenta de Deo jurarint Deum ad iracundiam provocantes, illis ab hujusmodi & aliis blasphemis verbis abstinere injungit, nec jurare *per Capillos & caput*, *& his proxima verba*. Si enim contra homines factæ blasphemiæ 3.
impunitæ non relinqvuntur, multò magis, qvi ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere, propter talia enim delicta, & fames, & terræ motus, & pestilentiæ fiunt, hinc ab hujusmodi abstinendum, ne animæ perdantur. Qvod si post admonitionem hujusmodi factam inveniantur in talibus permanere delectis, hi qvidem primum se indignos Dei misericordia faciunt, posthæc autem & LL. constitutis tormentis subjiciuntur.

§. 2. Præfecto Prætorio injungit, ut si invenerit 4.
qvosdam tale aliqvid delinqventes, nec vindictam secundum LL. intulerit, primum qvidem eum obligatum esse Dei judicio post hæc verò & indignationem Imperatoriam sustinere.

Addit. Duo hic severè interdicit & prohibet sub gravissima 5.
pœna Christianus Imperator, unum nimirum *Peccatum Sodomiticum*, ut contra naturam, de qvo infra ad *Nov. 141.* dicendi locus sese offerret, alterum, ne Sanctissimo Nomini Domini maledicas, vel blasphemiæ in id fiant, nec temerariæ & impiæ suscipiantur jurationes, qvæ & satis in L. Divina prohibitæ *Exod. 20. v. 7. Levit. 5. v. 4. cap. 19. v. 12. & c. 24. v. 11. Zach. 8. v. 17. Matth. 5. vers. 31.* qvalia juramenta hoc potissimum C. prohibita æqvè 6.
sunt vetita, qvàm qvæ expressô DEI nomine fiunt, & ut Ulpianus *L. 33. ff. de Jurejur.* dixit, qvi per salutem suam jurat, Deum jurare videtur, respectu enim Divini Numinis jurat. Sic CHRI- 7.
STUS ostendit, Eum qvi per templum jurat, DEUM jurare, qvi templo præsidet, & qvi cœlum, DEUM, qvi cœlo velut insidet.

8. *Matth. 23. v. 21.* Similiter qvoqve juramentum per falsum Deum præstitum est obligatorium, qvia licet is, per qvem juratum est, re ipsâ verus Deus non sit, nec in tanta dignitate constitutus, ut per eum præstari possit juramentum, tamen ex opinione jurantis habetur pro Deo, aut pro eo, qvi tantæ Excellentiæ & dignitatis est, ut per eum licite juramentum præstari possit. Hinc
9. Jacob ratum habuit, juramentum Labanis, utut non per Deum Abrahami tanqvam verum Deum; sed etiam per Deum Nachor, qvem Chaldæi celebrant, præstitum esse, cum Jacob tantum per timorem Isaaci jurasset, hoc est per verum Deum, qvem solum tenebat, & colebat Isaac. vid. *Genes. c. 20. & 21. v. 53.* Dn. Bechman. *Tr. de Casib. Consc. Tit. 5. cas. 6.* Osiandr. ad Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 13. ad th. 12.* Ulterius & hic meritò
10. prohibet *Blasphemiam*, crimen omnium horribilissimum, nefandissimum, & fœdissimum. Carpzov. *Pr. Crim. P. 1. qv. 45.* Matth. Steph. *ad C. Crim. cas. 5. A. 106. n. 11.* Menoch. *L. 2. A. 1. qu. l. 2. cas. 375. n. 23.* ob qvod Civitates pariter cum hominibus perierunt *hac Nov.* & Angelus Domini in una nocte totum Exerci-
11. tum Sennacherib percussit, *2. Reg. 19. v. 35.* Committitur hæc vel *immediatè*, vel *mediatè*, illô casu si Deo tribuatur id, qvod proprietatibus ejus non convenit, ut si Deo tribuatur injustitia, mortalitas, crudelitas &c. Berlich. *P. 4. Concl. 1.* aut si qvis asserat Deum semel corruptam virginem restituere non posse, aut factum non posse efficere infectum. Menoch. *de A. I. qv. lib. 2.*
12. *cas. 375. hoc modô* vel mediate, si qvis juret, vel alteri maledicit per sangvinem, vulnera, & Sacramenta Christi. Berlich. *Part. 4. Concl. 2.* atqve hujus pœna est Relegatio, vel Fustigatio, vel Carceratio. Carpzov. *P. 4. Constitut. 1. Defin. 6.* modo tamen delinqvens prius admonitus ab illicitis & nefariis exsecrationibus abstinere noluerit. Rec. Imp. *de An. 1530. & An. 1548. Tit. von Gottes Schweren und Fluchen.* vid. Carpzov. *Procesf. Crim. qv. 30. Immediatè*
13. si in Deum Dominum commissa pœna est ex jure divino. *Lapidatio Levit. 14.* de Jure Canonico *Pœnitentia publica. C. 2. X. de Malef.* ex *C. Crim. A. 106. Pœna Gladii*, qvæ pœna nec mitiganda est ei, qvi prima solum vice deliqvit Carpzov. *Proc. Crim P. 1.*
14. *qv. 45. & P. 4. c. 1. def. 8.* Non solum verò in Deum ipsum crimen blasphe-

blasphemiæ committitur; sed & si quis contumelias in Sanctam Mariam, vel alios Sanctos proferat, per quod eorum memoria obscuretur, autoritas labefactetur, & scandalum oriatur, Exempla horreo allegare, vid. apud Berlich. *P. 4. Concl. 1. num. 37.*
cum enim Deus Sanctos suos coronaverit & quodammodo eos 15.
gloriæ suæ participes fecerit ipse quoque in iis lædi intelligitur, & quidem magis quàm Princeps in Consiliariis suis, in qvos etiam Crimen læsæ Maj. committi constat ex *L. qvisqvis 5. C. ad L. Jul. Maj.* Hahn. ad Wesenbec. *Tit. de L. Jul. Maj. N. 4. v. 6. ideò in hunc solum* non tamen sic commissum eodem etiam vigore; sed extraordinaria solum pœna erit puniendum, Berlich. *P. 4. Concl. 1.* Cœterum cum hæc materia passim à Criminalium Dd. latè tractatur hic actum non ago vid. Berlich. *d. l.* Carpz. *Pr. Crim. P. 45. & P. 4. c. 1.* Menoch. *de A. I. qv. lib. 2. cas. 315.* Ddr. *ad Cr. A. 106.* Tiraqvell. *de Pœn. tempor. Caus. 1.*

Nov. LXXVIII.

Ut Liberti de cœtero Aureo non indigeant Annulo &c.

CAP. I.

De Jure Aureorum Annulorum omnibus libertis concesso.

Manumittens servum aut ancillam suam Cives Ro- 1.
manos denunciare debet, qvia cum libertatem acceperint, habebunt subseqvens mox, & aureorum annulorum, & regenerationis jus, ita, ut natalibus jam sint restituti, nec id amplius à Principe postulare necessum habeant aut ulla egere scrupulositate, hac Lege ex præsenti die inchoante.

Add. L. 2. C. de Jure aur. annul. & *§. 3. Inst. de libert.* h. Nov. 2.
corriguntur, siqvidem indistinctè libertis jus aureorum annulorum, ex qvo sunt manumissi conceditur, nam Latini libertini plenam libertatem olim demum per jus aureorum annulo-

rum conseqvebantur, & vivebant ut liberi, moriebantur ut servi, qvia Testamenti factionem non habebant §. 4. *Inst. de Succes. libert.* sed hodiè aliter *h. & per Auth. sed hodie C. de Jur. aur.*
3. *annulor.* Ergò libertus ut ingenuus censebatur vivens, ita, ut haut secus, qvam qvivis liber Magistratus honores gerere, & reliqva ingenuorum munia obire posset, morte autem obitu hereditatis & bonorum partem, ut qvilibet libertus & servitute exemptus patrono dare cogebatur, H. Donell *lib. 2. Comment. Jur. Civil. cap. 10.* eratq; constitutum, ut qvi libertus annulô donaretur, exploso veteri nomine Eqvestre assumeret. Alex ab Alex.
4. *lib. 2. Genial. dier. cap. 19.* ubi simul refert, apud Persas annulo donari ab Rege, amicitiæ signum, eoqve argumentô ipsos in internam sodalitatem & maximi fœderis vinculum admissos, significatum fuisse. Atheniensibus autem, etiam servis neqvissimis ferreo annulo signare permittebatur, testis est Idem *loco cit.* ubi
5. plura de aliis gentibus & ritu circa annulos observat. Ergò de jure Romano hoc jus aureorum annulorum Libertis salvum manet; qvod & alias qvivis ferè privatorum habuit exceptis Clericis, qvibus non nisi in dignitate constitutis, annulos gestare non licuit ex Decreto Concilii Lateranensis, sub Innoc. II. unde vulgò dici solet; *Cler. annulatus aut est fatuus, aut Prælatus.* Steph. *ad h. Nov.* vid. Dissertat. Dn. Schwendend. *de Annul.* & Lauterb.
6. *de Arrha lib. 1.* Hæc saltem tria nova sunt constituta, ut notat Donell. *d. l. C. X. in fin.* 1. Qvod olim tantum eorum esset beneficium, qvi impetrassent, nunc omnium manumissorum commune. 2. Qvod beneficium olim prius impetrari necessum esset, nunc postulare à Principe non sit necessum, qvia jure ipsô omnibus conceditur. 3. Qvod nunc jus patroni per omnia salvum maneat, unde patet etiam retineri operas, qvas omnes adhuc debet libertus maximè si promissæ sint jurejurando, vel stipulando. *L. 7. ff. de oper. libert.* & præstandæ toties, qvoties sunt indictæ, licet citra impositionem præstitæ non condicantur *L. 12. ff. de Condict. Indeb.* qvia naturâ debentur, & debentur eæ tantum, qvæ non sunt turpes, & sine vitæ periculo præstari possunt, licet ante præstitæ sint. *L. 16. & L. 38. ff. de oper. libert.* Imò interdum deminuitur, interdum prorsus tollitur, ut si v. gr. liberta ad
eam

eam perveniat dignitatem, ut inconveniens sit præstare operas. Brunneman. *ad L. 34. ff. de oper. libertor.* vid. Donell *loc. cit. c. 18.* Moribus nostris cum nulli servi sint, certum est omnes Nativi- 7.
tate ingenuos esse, præterqvam ubi sunt Adscriptitii, prout in Pomerania, Westphalia, & aliis passim locis, quibus si contigerit, eos manumitti potest jus hujus Novellæ applicari. Gudelin. *de Jure noviss. lib. 1. cap. 6. in fin.*

CAP. II.

De Reverentia & obseqvio Patronis à Libertis præstandis.

Licet autem ingenuitatem & cœtera jura manumissi 1.
conseqvantur; nullô tamen modô Jus Patronatus lædi debet, nisi tamen & libertum ab eo liberavit Patronus, aut per donationem, aut per fideicommissum; Interim tamen servent Patronis omnem honorem, o- 2.
mnem reverentiam, & hoc qvod vocatur obseqvium, qvia & abstineant aut manibus aut insidiis, aut aliis, ex qvibus servitutem aut iterum sustinere, & priori conditioni restitui fas esset. Nam si donationes infirmæ pronun- 3.
ciantur, si donatarius ingratus erga donatorem exstiterit, licet bene natus sit, qvomodo potest manumissos, qvi æqvales Patri circa libertatem factus est, adeo aliqvid pati malignum, aut injurias forsitan asperas & indecentes, seu plagas, aut maxime intolerabilia sustinere dispendia? Ergò si manumissus horum qvid fecisse legitimis probationibus sit convictus, in priorem restituendus est habitum.

§. 1. Debitum igitur honorem manumissoribus red- 4.
dant; ut non demuo & libertate & bene natione cadant, nec ad priorem relabantur fortunam, tanqvam indevoti, ingratiqve convicti, & à lege damnati.

Additi.

5. *Addit.* Qvæ libertis hic injungit Imperator eadem & *in L. Liberto 9. ff. de obseqv. Par. & Patr.* injuncta deprehendimus, ut scil. Sancta & honesta Patroni persona libertis sit, inprimis & pro Patronis habentur liberi Patroni Patronæqve, qvibus æqvè obseqvium atq; honos debetur *L. 5. ff. eod.* nec interest, an in potestate fuerint, an emancipati *L. 7. §. ult. ff. de Oper. libert.* ideoqve & his ingrati actio competit *L. pen. C. de lib. & eor. lib.* Do-
6. nell. *lib. 2. Comment. Jur. Civ. cap. 19.* Consistit autem in eo reverentia, ne ulla actio famosa, aut qvæ famam sugillet adversus Patronum instituatur, aut exceptio doli aliave turpis opponatur *L. 5. in fin. L. 6. & 3. ff. de obseqv.* licet per Procuratorem judicium
7. accipiat *L. 2. & 5. ff. eod.* porro, ut nec sine venia in jus vocetur *L. 13. ff. de in jus voc.* si autem cum venia indulta cum eo litiget in judicio, prout alias cum Senatore litigans eum cum titulo honoris nominare debet, Mev. *P. 5. Dec 259.* ita & libertus cum Patrono litigans sic nominare debet, nec Patrono Jurament. Calumniæ deferri *L. 34. §. 4. ff. de jurejur. L. 8. §. 5. ff. qvi satisd. cog.*
8. *L. 7. §. 3. ff. de obseqv. Par.* Eodem modô nec contra Patronum ferre Testimonium ipsis fas est *L. 12. C. de Testib.* & si faciant, puniuntur *d. l. 12. C.* pœna scilicet ingrati, ut in servitutem revocentur *cap. 2. h. Nov.* perinde sicuti ingrato donatario existente revocatur donatio. *L. fin. C. de revoc. donat.* vid. Ungep. *in Decretal. lib. 2. Tit. 20. de Testib.* Mascard. *de Probation. Vol. 3.*
9. *Concl. 1385.* Rosbach. *Proc. Civ. Tit. 56. n. 9.* Ulterius & agentem Patronum libertus alere tenetur, *L. si qvis 5. §. solent ff. de agnosc. & al.* qvod & item in libris Patroni juris esse dicitur *d. L. 5. utrum autem.*

CAPUT III.

Si libertam suam Patronus uxorem habere maluerit.

1. SI Patronus hoc voluerit, cujuslibet etiam dignitatis existens, nuptialia conficiat documenta, & sint etiam præcedentes filii, sicut & qvi post dotalia nati sunt, liberi & ingenui, & sui, & Patris Successores, & â Postulatione

latione annulorum aureorum & priſtinorum natalium liberati.

Ratio. Libertas enim matris, & inſuper documentum Nuptiale Sobolem liberam & ingenuam, & Patri ſuccedentem demonſtrant. 2.

Add. Si Patronus libertam uxorem duxiſſet, ex ea liberi antea nati per ſubſeqvens matrimonium legitimabantur, modò tamen illa conſentiebat, nec enim in vitam libertam uxorem ducere Patronus poterat *L. 28. ff. de R. N.* Nam utriusq; Perſonæ, quæ matrimonio invicem jungi volunt, liberum conſenſum adeſſe oportet *L. 14. C. de Ruſt. C. gemma 29. X. de Sponſal.* Eodem modô nec Præſes Provinciæ, aut qvacunq; præditus poteſtate ſive ej9 Officialis, nec non liberi, Propinqui, Domeſtici & ſimiles ex Provincia, in qva Præſidii aut hyemandi gratia vivebant, uxores ducere poterant ob metum Concusſionis; licet enim Sponſalia contrahere potuerint, finitâ tamen adminiſtratione Sponſæ liberum erat, retentis arrhis â Sponſalibus recendere. *L. 38. pr. L. 65. pr. & §. 1. ff. de R. N. l. 6. C. de Nupt. l. in C. ſi Rector Provinc. l. un. C. ſi qvacunq; praditus pot.* 3. 4.

CAP. IV. & V.

Si quis ex Ancilla ſua liberos habuerit.

IDem obtinet, ſi cui etiam ex ſerviente muliere procreentur filii, eamqve poſtea voluerit manumittere, & dotalia conficere documenta, nam mox cum ipſa dotis inſcriptione & filiis competit libertatis ſimul & ſuorum jus, nec opus eſt, ut ſpecialiter de libertate liberis concedenda reqviratur Imperator, quippe conſcriptione ſola nuptialium documentorum mox ipſis libertas donata. 1.

Ratio. Qvod enim majus utiqve oſtenſurus eſt pater libertatis filiorum indicium, qvam Uxorem oſtendere, liberamqve ſimul & legitimam nuptialium documentorum conſcriptione? Et ſimiles relinqvens legatum ali- 2.

cui servorum lucrum ipsa donatione legati & libertatem dare videtur, qvomodo non multò magis Pater si documentum nuptiale conscripserit habebit proprios filios ex
3. hoc solo & liberos & legitimos successores? Et in hoc se nihil novum facere dicit; sed egregios ante se Imperatores seqvi; sicut enim Antonius Pius omnes in Imperio viventes Civitate Romana decoravit, & Theodosius Junior Jus filiorum prius petitum subjectis in commune dedit sic à se dicit, Regenerationis & aureorum annulorum jus unicuiqve petentium datum, & omnibus similiter subjectis ex h. L. dat, restituit enim naturæ ingenuitate dignos, non per singulos de cœtero; sed omnes deinceps, qvi libertatem à Dominis meruerint.

4. *Addit.* Constat hic insignis matrimonii Effectus, ut scilicet illud omnia vitia antecedentia purget *c. Tanta X. qvi filii sint legitimi*, & conveniunt hæc duo Cap. cum *Cap. fin. Nov. 18.* supra qvam vide.

Nov. LXXIX.

Apud qvos oporteat causas dicere Monachos & Ascetrias.

CAPUT I.

Si qvis in Jus vocare Monachum vel Sanctimonialem conatus sit.

1. CUi lis est cum Monachis aut aliqvibus venerabilibus Sanctimonalibus, interpellare debet Episcopum; ut cum omni veneratione Sacerdotali causam examinet & judicet, nam Civiles eis penitus non sint judices, neqve confundant eorum honestatem, cum idonei sint Episcopi, qvi ea, qvæ delite sunt, & de cautela judiciorum disponere, & judicare honestè ac sacerdotaliter, & secundum LL. & Sacratissimas regulas possunt.

Addit.

Addit. Per *h. Nov. ut & Auth. Causam L. de Episc. & Cleric. Nov. 83. & Nov. 123. cap. 21.* prohibentur Monachi conveniri, nisi coram Episcopo in causis civilibus; Eqvidem Clerici non jure 2.
Divino, sed humano civili jurisdictioni sunt exemti, qvod latè 3.
& eleganter probat Arnis. *Tr. de Subject. & Exemt. Cleric. cap. 2.* & sanè magna hic subest æqvitas, qvia dignitas officii & personarum qvandam à vulgo reqvirebat separationem, præsertim cum non tantum honori personarum; sed & Majestati Dei, cujus Sacris Sacerdotes vacare oportet, id indulgentur, ut inqvit JCtus in *L. 32. §. 4. ff. de Recept.* determinat enim *L. Generaliter ff. de in Jus voc.* in jus sine venia non posse vocari eos, qvibus reverentia debetur, inter illos autem qvibus reverentia debetur, primum locum tenent parentes *L. 2. & 3. §. 3. ff. eod.* Ecclesiastici verò sunt animarum Parentes, Regum, Principum, omniumqve fidelium *Patres ac Magistri C. qvis dubitet D. 96.* Lumina mundi, *C. Sacerdotes D. 93.* Qvo argumentô usus, vel potius abusus est 4.
Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis, qvoties juberetur à Rege Legibus Regni obedire: *Qvia ego,* inqvit, *sum Pater vester Spiritualis, & Pater non debet respondere in judicio filii.* Ideoqve argumentum urgetur idem penè verbis *C. qvis Sacerdotes D. 96. C. cum inferior qvi de major. & obed. &c.* Erant verò Episcopali cognitio- 5.
ni subjecti à Martiano Imperatore in *L. 25. C. de Episc. & Cler. & in L. 13. C. de Episc. aud.* postea à Leone & Anthonio in *L. 33. C. de Episc. & Cler.* qvod privilegium auctum est à Justiniano in *hac Nov. & 83.* ubi tamen excipitur casus, si ab Archi-Episcopo decidi neqveat. Si causa criminalis constituitur in *d. Nov. 83.* seu de- 6.
lictum commissum sit Ecclesiasticum, ut Hæresis, Simonia &c. ut cognitio & executio sit Episcopi, in communi verò delicto, homicidio, furto, &c. sit cognitio Præsidis, aut Pro-Cons. Non
tamen planè à jurisdictione sua eximerunt Clericos Imperatores; 7.
sed qvasi delegarunt Prælatis Ecclesiasticis Imperium suum in Personas Sacras. Ziegler. ad Lancell. *lib. 3. Tit. 1. §. 4.* qvod passim à Doctoribus latius deductum. vid. Carpzov. *lib. 3. Jurispr. Consistor.* Brunnem. *ad Auth. Causa C. de Episc. & Cler. Jur. Eccles. lib. 3. cap. 1. th. 12. & Consil. 142.* vid. Mev. *P. 8. Dec. 274.* Reinking. *de Regim. Sec. & Eccles. lib. 3. Class. 1. c. 20.* Cothm. *Vol. 2. Cons. 64.*

8. *num. 61.* Privilegium tamen fori, qvod habent Clerici, ſtrictisſimè accipiendum, Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 3. Defin. 3. n. 7.* nec ad alios, qvàm actu Clericos eſt extendendum, hinc qvi ab Eccleſia ſua exul circumvagatur, aut ſine ulla Eccleſiaſtica functione in loco qvodam degit, à Jurisdictione Politica ſe eximere, neqvit, niſi cauſa, ob qvam convenitur ſit Eccleſiaſtica, hæc e-
9. nim ipſum eximit non perſona. Mev. *P. 2. Dec. 137.* Qvando itidem de famoſo libello Clericus ad pœnam ſecularem convenitur, fruſtra revocat ad forum Eccleſiaſticum, cujus non eſſe de tali crimine corporis pœnam merente cognitionem deciſum eſſe
10. refert Idem *Deciſ. ſeqv. 138.* Et venditor, cui lis denunciatur, ſeqvitur forum emtoris, ubi hunc defendere tenetur. *L. Venditor ff. de Judic.* Mev. *P. 7. Dec. 67.* qvia etiam ex Perſona Defenſoris venientes ad judicium deterior Adverſarii conditio fieri non debet, Modeſtin. Piſtor *Vol. 2. Conſ. 17. n. 30. 31.* Qvod ita verè ſe habet, ut nec Clericus in cauſa evictionis comparens, ad defenſionem Rei poſſit allegare privilegium fori. Covarruv. *Pr.*
11. *Qv. C. 8. n2.* Qvoniam igitur, ut dictum regulariter coram judice Seculari Clerici non poſſunt conveniri, videtur dicendum, coram eo nec regulariter arreſtari debere, etſi vel pacto ea arreſti poteſtas ipſis ſit conceſſa, cum ipſis non ſit permiſſum, jurisdictionem Secularem prorogare, nihilominus tamen arreſtari poſſunt à Seculari judice, ubi defuga ſuſpecti, quando judicis Eccleſiæſtici copia haberi non poteſt, & periculum eſt in mora,
12. & hodie à Conſiſtoriis Eccleſiaſticis arreſtantur. Planè bona Clericorum Arreſtis ſunt obnoxia ob Contractus in alieno foro initos, ut deducit Mev. *de Arreſt. P. 1. C. 8. num. 39.* & ratione rei Clericum coram judice Seculari conveniri poſſe ex Gail. *Lib. 1. Obſ. 17.* & Mynſing. *C. 1. Obſ. 22.* probat Brunneman. *ad L. ult. C.*
13. *ubi in rem actio.* cumqve reconventionis præcipius ſit effectus, qvod prorogat jurisdictionem judicis alioqvin incompetentis. *L. Cum Papinianus 14. C. de Sentent. & interlocut. omn.* itidem Clericos coram Seculari judice reconveniri poſſe, modo cauſa ſit Spiritualis, ambigendum non eſt. Hillig. ad Donell. *P. 2. lib. 17. C. 15. lit. M.* vid. Brunnem. *J. Eccl. lib. 3. c. 3. th. 7. 8. & ſeqq.*

CAP.

CAP. II.

Cura & Custodia Constitut. & ut Lites Monachorum citius dirimantur.

COmmunis hæc Lex sit, & ubiqve terrarum Imperatoris valeat, & nulla ejus fiat omninò Corruptio; sed integra ad honorem reverendissimorum custodiatur. Vult & ulterius accelerari lites Monachis illatas; *ut non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem; Sed velociter liberati Sacris operibus obsecundent.* 1.

Addit. LL. de Clericis, eorumqve Privilegiis latæ non sunt 2. violandæ; sed constanter servandæ, ipsiqvæ Magistratus, ut custodiantur benè sedulam operam dare debent, prout hic in textu Præfecto Prætorio injungit Imperator, ut ad Civitatum Metropolitanos, qvorum ipse præfectus suscepit ordinationem propriis literis hanc Sacram Legem proponat. In specie autem vult 3. Clericos vel Monachos non longo sufflamine litis detineri; sed levato qvod dicitur velô cum iis procedi, ut lites qvantocyùs sopiantur, qvod qvidem in causis Laicorum etiam optandum foret, ne diuturnis fatigarentur processibus, qvem in finem certus qvoqve terminus litium finiendorum præfixus est in *L. properandum 13. C. de Judic.* Cœterum non cum levi Litigantium dispen- 4. dio hoc Instantiarum fatale hodiè non observatur, nec in Camera Imperiali ob negotiorum ibi tractandorum multitudinem observari potest Illustr. Dn. de Rhetz. *Jur. publ. lib. 4. Tit. 1. §. 25.* nec in ullo amplius observari foro testantur Bachov. ad Treutl. *Vol. 1. Dissert. 11. th. 3. lit. A.* & Mynsing. *C. 1. Obs. 51. & C. 2. Obs. 84.* nec enim hodie properamus in judiciis. Qvod si autem diutur- 5. niorem exitum lis videatur habere, eaqve cum magno Populi vel Provinciæ scandalo sit conjuncta, ad transactionem interdum compelli posse Sacerdotes, tradit Brunneman. *ad L. 6. §. 3. num. 2. ff. de his qvi not. infam. & in Jur. Eccles. lib. 3. cap. 3. & cap. 1.* Licet enim ad transactionem nemo compelli possit, dictô ta- 6. men casu coactio locum haberet, ubi tamen limites munerum Ecclesiasticorum exactè inter personas Ecclesiasticas esse ser-

8. *Matth. 23. v. 21.* Similiter qvoqve juramentum per falsum Deum præstitum est obligatorium, qvia licet is, per qvem juratum est, re ipsâ verus Deus non sit, nec intanta dignitate constitutus, ut per eum præstari possit juramentum, tamen ex opinione jurantis habetur pro Deo, aut pro eo, qvi tantæ Excellentiæ & dignitatis est, ut per eum licite juramentum præstari possit. Hinc
9. Jacob ratum habuit, juramentum Labanis, utut non per Deum Abrahami tanqvam verum Deum; sed etiam per Deum Nachor, qvem Chaldæi celebrant, præstitum esse, cum Jacob tantum per timorem Isaaci jurasset, hoc est per verum Deum, qvem solum tenebat, & colebat Isaac. vid. *Genes. c. 20. & 21. v. 53.* Dn. Bechman. *Tr. de Casib. Consc. Tit. 5. cas. 6.* Osiandr. ad Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 13. ad th. 12.* Ulterius & hic meritò
10. prohibet *Blasphemiam*, crimen omnium horribilissimum, nefandissimum, & fœdissimum. Carpzov. *Pr. Crim. P. 1. qv. 45.* Matth. Steph. *ad C. Crim. cas. 5. A. 106. n. 11.* Menoch. *L. 2. A. 1. qv. l. 2. cas. 375. n. 23.* ob qvod Civitates pariter cum hominibus perierunt *hac Nov.* & Angelus Domini in una nocte totum Exerci-
11. tum Sennacherib percussit, *2. Reg. 19. v. 35.* Committitur hæc vel *immediatè*, vel *mediatè*, illô casu si Deo tribuatur id, qvod proprietatibus ejus non convenit, ut si Deo tribuatur injustitia, mortalitas, crudelitas &c. Berlich. *P. 4. Concl. 1.* aut si qvis asserat Deum semel corruptam virginem restituere non posse, aut factum non posse efficere infectum. Menoch. *de A. I. qv. lib. 2.*
12. *cas. 375. hoc modô* vel mediate, si qvis juret, vel alteri maledicit per sangvinem, vulnera, & Sacramenta Christi. Berlich. *Part. 4. Concl. 2.* atqve hujus pœna est Relegatio, vel Fustigatio, vel Carceratio. Carpzov. *P. 4. Constitut. 1. Defin. 6.* modo tamen delinqvens prius admonitus ab illicitis & nefariis exsecrationibus abstinere noluerit. Rec. Imp. *de An. 1530. & An. 1548. Tit. von Gottes Schweren und Fluchen.* vid. Carpzov. *Procesf. Crim. qv. 30. Immediatè*
13. si in Deum Dominum commissa pœna est ex jure divino. *Lapidatio Levit. 14.* de Jure Canonico *Pœnitentia publica. C. 2. X. de Malef.* ex *C. Crim. A. 106. Pœna Gladii*, qvæ pœna nec mitiganda est ei, qvi prima solum vice deliqvit Carpzov. *Proc. Crim P. 1.*
14. *qv. 45. & P. 4. c. 1. def. 8.* Non solum verò in Deum ipsum crimen blasphe-

blasphemiæ committitur; sed & si quis contumelias in Sanctam Mariam, vel alios Sanctos proferat, per quod eorum memoria obscuretur, autoritas labefactetur, & scandalum oriatur, Exempla horreo allegare, vid. apud Berlich. *P. 4. Concl. 1. num. 37.*
cum enim Deus Sanctos suos coronaverit & quodammodo eos 15.
gloriæ suæ participes fecerit ipse quoque in iis lædi intelligitur, & quidem magis quàm Princeps in Consiliariis suis, in qvos etiam Crimen læsæ Maj. committi constat ex *L. qvisqvis 5. C. ad L. Jul. Maj.* Hahn. ad Wesenbec. *Tit. de L. Jul. Maj. N. 4. v. 6. ideò in hunc solum* non tamen sic commissum eodem etiam vigore; sed extraordinaria solum pœna erit puniendum, Berlich. *P. 4. Concl. 1.* Cœterum cum hæc materia passim à Criminalium Dd. latè tractatur hic actum non ago vid. Berlich. *d. l.* Carpz. *Pr. Crim. P. 45. & P. 4. c. 1.* Menoch. *de A. I. qv. lib. 2. cas. 315.* Ddr. *ad Cr. A. 106.* Tiraqvell. *de Pœn. tempor. Caus. 1.*

Nov. LXXVIII.

Ut Liberti de cœtero Aureo non indigeant Annulo &c.

CAP. I.

De Jure Aureorum Annulorum omnibus libertis concesso.

MAnumittens servum aut ancillam suam Cives Ro- 1.
manos denunciare debet, qvia cum libertatem acceperint, habebunt subseqvens mox, & aureorum annulorum, & regenerationis jus, ita, ut natalibus jam sint restituti, nec id amplius à Principe postulare necessum habeant aut ulla egere scrupulositate, hac Lege ex præsenti die inchoante.

Add. L. 2. C. de Jure aur. annul. & *§. 3. Inst. de libert.* h. Nov. 2.
corriguntur, siqvidem indistinctè libertis jus aureorum annulorum, ex qvo sunt manumissi conceditur, nam Latini libertini plenam libertatem olim demum per jus aureorum annulo-

rum conseqvebantur, & vivebant ut liberi, moriebantur ut servi, qvia Testamenti factionem non habebant §. 4. *Inst. de Succes. libert.* sed hodiè aliter *h. & per Auth. sed hodie C. de Jur. aur.*
3. *annulor.* Ergò libertus ut ingenuus censebatur vivens, ita, ut haut secus, qvam qvivis liber Magistratus honores gerere, & reliqva ingenuorum munia obire posset, morte autem obitu hereditatis & bonorum partem, ut qvilibet libertus & servitute exemptus patrono dare cogebatur, H. Donell *lib. 2. Comment. Jur. Civil. cap. 10.* eratq; constitutum, ut qvi libertus annulô donaretur, exploso veteri nomine Eqvestre assumeret. Alex ab Alex.
4. *lib. 2. Genial. dier. cap. 19.* ubi simul refert, apud Persas annulo donari ab Rege, amicitiæ signum, eoqve argumentô ipsos in internam sodalitatem & maximi fœderis vinculum admissos, significatum fuisse. Atheniensibus autem, etiam servis neqvissimis ferreo annulo signare permittebatur, testis est Idem *loco cit.* ubi
5. plura de aliis gentibus & ritu circa annulos observat. Ergò de jure Romano hoc jus aureorum annulorum Libertis salvum manet; qvod & alias qvivis ferè privatorum habuit exceptis Clericis, qvibus non nisi in dignitate constitutis, annulos gestare non licuit ex Decreto Concilii Lateranensis, sub Innoc. II. unde vulgò dici solet; *Cler. annulatus aut est fatuus, aut Prælatus.* Steph. *ad h. Nov.* vid. Dissertat. Dn. Schwendend. *de Annul.* & Lauterb.
6. *de Arrha lib. 1.* Hæc saltem tria nova sunt constituta, ut notat Donell. *d. l. C. X. in fin.* 1. Qvod olim tantum eorum esset beneficium, qvi impetrassent, nunc omnium manumissorum commune. 2. Qvod beneficium olim prius impetrari necessum esset, nunc postulare à Principe non sit necessum, qvia jure ipsô omnibus conceditur. 3. Qvod nunc jus patroni per omnia salvum maneat, unde patet etiam retineri operas, qvas omnes adhuc debet libertus maximè si promissæ sint jurejurando, vel stipulando. *L. 7. ff. de oper. libert.* & præstandæ toties, qvoties sunt indictæ, licet citra impositionem præstitæ non condicantur *L. 12. ff. de Condict. Indeb.* qvia naturâ debentur, & debentur eæ tantum, qvæ non sunt turpes, & sine vitæ periculo præstari possunt, licet ante præstitæ sint. *L. 16. & L. 38. ff. de oper. libert.* Imò interdum deminuitur, interdum prorsus tollitur, ut si v. gr. liberta ad eam

eam perveniat dignitatem, ut inconveniens sit præstare operas. Brunneman. *ad L. 34. ff. de oper. libertor.* vid. Donell *loc. cit. c. 18.* Moribus nostris cum nulli servi sint, certum est omnes Nativi- 7. tate ingenuos esse, præterqvam ubi sunt Adscriptitii, prout in Pomerania, Westphalia, & aliis passim locis, quibus si contigerit, eos manumitti potest jus hujus Novellæ applicari. Gudelin. *de Jure noviss. lib. 1. cap. 6. in fin.*

CAP. II.

De Reverentia & obseqvio Patronis à Libertis præstandis.

Licet autem ingenuitatem & cœtera jura manumissi 1. conseqvantur, nullô tamen modô Jus Patronatus lædi debet, nisi tamen & libertum ab eo liberavit Patronus, aut per donationem, aut per fideicommissum; Interim tamen servent Patronis omnem honorem, o- 2. mnem reverentiam, & hoc qvod vocatur obseqvium, qvia & abstineant aut manibus aut insidiis, aut aliis, ex qvibus servitutem aut iterum sustinere, & priori conditioni restitui fas esset. Nam si donationes infirmæ pronun- 3. ciantur, si donatarius ingratus erga donatorem exstiterit, licet bene natus sit, qvomodo potest manumissos, qvi æqvales Patri circa libertatem factus est, adeo aliqvid pati malignum, aut injurias forsitan asperas & indecentes, seu plagas, aut maxime intolerabilia sustinere dispendia? Ergò si manumissus horum qvid fecisse legitimis probationibus sit convictus, in priorem restituendus est habitum.

§. 1. Debitum igitur honorem manumissoribus red- 4. dant; ut non denuo & libertate & bene natione cadant, nec ad priorem relabantur fortunam, tanqvam indevoti, ingratiqve convicti, & à lege damnati.

Additi.

5. *Addit.* Qvæ libertis hic injungit Imperator eadem & *in L. Liberto 9. ff. de obseqv. Par. & Patr.* injuncta deprehendimus, ut scil. Sancta & honesta Patroni persona libertis sit, inprimis & pro Patronis habentur liberi Patroni Patronæqve, qvibus æqvè obseqvium atq; honos debetur *L. 5. ff. eod.* nec interest, an in potestate fuerint, an emancipati *L. 7. §. ult. ff. de Oper. libert.* ideoqve & his ingrati actio competit *L. pen. C. de lib. & eor. lib.* Do-
6. nell. *lib. 2. Comment. Jur. Civ. cap. 19.* Consistit autem in eo reverentia, ne ulla actio famosa, aut qvæ famam sugillet adversus Patronum instituatur, aut exceptio doli aliave turpis opponatur *L. 5. in fin. L. 6. & 3. ff. de obseqv.* licet per Procuratorem judicium
7. accipiat *L. 2. & 5. ff. eod.* porro, ut nec sine venia in jus vocetur *L. 13. ff. de in jus voc.* si autem cum venia indulta cum eo litiget in judicio, prout alias cum Senatore litigans eum cum titulo honoris nominare debet, Mev. *P. 5. Dec 259.* ita & libertus cum Patrono litigans sic nominare debet, nec Patrono Jurament. Calumniæ deferri *L. 34. §. 4. ff. de jurejur. L. 8. §. 5. ff. qvi satisd. cog.*
8. *L. 7. §. 3. ff. de obseqv. Par.* Eodem modò nec contra Patronum ferre Testimonium ipsis fas est *L. 12. C. de Testib.* & si faciant, puniuntur *d. l. 12. C.* pœna scilicet ingrati, ut in servitutem revocentur *cap. 2. h. Nov.* perinde sicuti ingrato donatario existente revocatur donatio. *L. fin. C. de revoc. donat.* vid. Ungep. *in Decretal. lib. 2. Tit. 20. de Testib.* Mascard. *de Probation. Vol. 3.*
9. *Concl. 1385.* Rosbach. *Proc. Civ. Tit. 56. n. 9.* Ulterius & agentem Patronum libertus alere tenetur, *L. si qis 5. §. solent ff. de agnosc. & al.* qvod & item in libris Patroni juris esse dicitur *d. L. 5. utrum autem.*

CAPUT III.

Si libertam suam Patronus uxorem habere maluerit.

1. SI Patronus hoc voluerit, cujuslibet etiam dignitatis existens, nuptialia conficiat documenta, & sint etiam præcedentes filii, sicut & qvi post dotalia nati sunt, liberi & ingenui, & sui, & Patris Succesſores, & à Postulatione

latione annulorum aureorum & pristinorum natalium liberati.

Ratio. Libertas enim matris, & insuper documentum Nuptiale Sobolem liberam & ingenuam, & Patri succedentem demonstrant. 2.

Add. Si Patronus libertam uxorem duxisset, ex ea liberi antea nati per subseqvens matrimonium legitimabantur, modò tamen illa consentiebat, nec enim in vitam libertam uxorem ducere Patronus poterat *L. 28. ff. de R. N.* Nam utriusq; Personæ, quæ matrimonio invicem jungi volunt, liberum consensum adesse oportet *L. 14. C. de Rust. C. gemma 29. X. de Sponsal.* Eodem modò nec Præses Provinciæ, aut qvacunq; præditus potestate sive ej9 Officialis, nec non liberi, Propinqui, Domestici & similes ex Provincia, in qva Præsidii aut hyemandi gratia vivebant, uxores ducere poterant ob metum Concussionis; licet enim Sponsalia contrahere potuerint, finitâ tamen administratione Sponsæ liberum erat, retentis arrhis à Sponsalibus recendere. *L. 38. pr. L. 65. pr. & §. 1. ff. de R. N. l. 6. C. de Nupt. l. in C. si Rector Provinc. l. un. C. si qvacunq; præditus pot.* 3. 4.

CAP. IV. & V.

Si quis ex Ancilla sua liberos habuerit.

IDem obtinet, si cui etiam ex serviente muliere procreentur filii, eamqve postea voluerit manumittere, & dotalia conficere documenta, nam mox cum ipsa dotis inscriptione & filiis competit libertatis simul & suorum jus, nec opus est, ut specialiter de libertate liberis concedenda reqviratur Imperator, quippe conscriptione sola nuptialium documentorum mox ipsis libertas donata. 1.

Ratio. Qvod enim majus utiqve ostensurus est pater libertatis filiorum indicium, qvam Uxorem ostendere, liberamqve simul & legitimam nuptialium documentorum conscriptione? Et similes relinqvens legatum ali- 2.

cui servorum lucrum ipsa donatione legati & libertatem dare videtur, qvomodo non multò magis Pater si documentum nuptiale conscripserit habebit proprios filios ex
3. hoc solo & liberos & legitimos succesores? Et in hoc se nihil novum facere dicit; sed egregios ante se Imperatores seqvi; sicut enim Antonius Pius omnes in Imperio viventes Civitate Romana decoravit, & Theodosius Junior Jus filiorum prius petitum subjectis in commune dedit sic à se dicit, Regenerationis & aureorum annulorum jus unicuiqve petentium datum, & omnibus similiter subjectis ex h. L. dat, restituit enim naturæ ingenuitate dignos, non per singulos de cœtero; sed omnes deinceps, qvi libertatem à Dominis meruerint.

4. *Addit*. Constat hic insignis matrimonii Effectus, ut scilicet illud omnia vitia antecedentia purget *c. Tanta X. qvi filii sint legitimi*, & conveniunt hæc duo Cap. cum *Cap. fin. Nov. 18.* supra qvam vide.

Nov. LXXIX.

Apud qvos oporteat causas dicere Monachos & Ascetrias.

CAPUT I.

Si qvis in Jus vocare Monachum vel Sanctimonialem conatus sit.

1. CUi lis est cum Monachis aut aliqvibus venerabilibus Sanctimonalibus, interpellare debet Episcopum; ut cum omni veneratione Sacerdotali causam examinet & judicet, nam Civiles eis penitus non sint judices, neqve confundant eorum honestatem, cum idonei sint Episcopi, qvi ea, qvæ delite sunt, & de cautela judiciorum disponere, & judicare honestè ac sacerdotaliter, & secundum LL. & Sacratissimas regulas possunt.

Addit.

Addit. Per *h. Nov. ut & Auth. Causam L. de Episc. & Cleric. Nov. 83. & Nov. 123. cap. 21.* prohibentur Monachi conveniri, nisi coram Episcopo in causis civilibus; Eqvidem Clerici non jure 2.
Divino, sed humano civili jurisdictioni sunt exemti, qvod latè 3.
& eleganter probat Arnis. *Tr. de Subject. & Exemt. Cleric. cap. 2.* & sanè magna hic subest æqvitas, qvia dignitas officii & personarum qvandam à vulgo reqvirebat separationem, præsertim cum non tantum honori personarum; sed & Majestati Dei, cujus Sacris Sacerdotes vacare oportet, id indulgentur, ut inqvit JCtus in *L. 32. §. 4. ff. de Recept.* determinat enim *L. Generaliter ff. de in Jus voc.* in jus sine venia non posse vocari eos, qvibus reverentia debetur, inter illos autem qvibus reverentia debetur, primum locum tenent parentes *L. 2. & 3. §. 3. ff. eod.* Ecclesiastici verò sunt animarum Parentes, Regum, Principum, omniumqve fidelium *Patres ac Magistri C. qvis dubitet D. 96.* Lumina mundi, *C. Sacerdotes D. 93.* Qvo argumentô usus, vel potius abusus est 4.
Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis, qvoties juberetur à Rege Legibus Regni obedire: *Qvia ego,* inqvit, *sum Pater vester Spiritualis, & Pater non debet respondere in judicio filii.* Ideoqve argumentum urgetur idem penè verbis *C. qvis Sacerdotes D. 96. C. cum inferior qvi de major. & obed. &c.* Erant verò Episcopali cognitio- 5.
ni subjecti à Martiano Imperatore in *L. 25. C. de Episc. & Cler. & in L. 13. C. de Episc. aud.* postea à Leone & Anthonio in *L. 33. C. de Episc. & Cler.* qvod privilegium auctum est à Justiniano in *hac Nov. & 83.* ubi tamen excipitur casus, si ab Archi-Episcopo decidi neqveat. Si causa criminalis constituitur in *d. Nov. 83.* seu de- 6.
lictum commissum sit Ecclesiasticum, ut Hæresis, Simonia &c. ut cognitio & executio sit Episcopi, in communi verò delicto, homicidio, furto, &c. sit cognitio Præsidis, aut Pro-Cons. Non 7.
tamen planè à jurisdictione sua eximerunt Clericos Imperatores; sed qvasi delegarunt Prælatis Ecclesiasticis Imperium suum in Personas Sacras. Ziegler. ad Lancell. *lib. 3. Tit. 1. §. 4.* qvod passim à Doctoribus latius deductum. vid. Carpzov. *lib. 3. Jurispr. Consistor.* Brunnem. *ad Auth. Causa C. de Episc. & Cler. Jur. Eccles. lib. 3. cap. 1. th. 12. & Consil. 142.* vid. Mev. *P. 8. Dec. 274.* Reinking. *de Regim. Sec. & Eccles. lib. 3. Class. 1. c. 20.* Cothm. *Vol. 2. Cons. 64.*

CAP. II.

Cura & Custodia Constitut. & ut Lites Monachorum citius dirimantur.

COmmunis hæc Lex sit, & ubiqve terrarum Imperatoris valeat, & nulla ejus fiat omninò Corruptio; sed integra ad honorem reverendissimorum custodiatur. Vult & ulterius accelerari lites Monachis illatas, *ut non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem; Sed velociter liberati Sacris operibus obsecundent.* 1.

Addit. LL. de Clericis, eorumqve Privilegiis latæ non sunt 2. violandæ; sed constanter servandæ, ipsiqvæ Magistratus, ut custodiantur benè sedulam operam dare debent, prout hic in textu Præfecto Prætorio injungit Imperator, ut ad Civitatum Metropolitanos, qvorum ipse præfectus suscepit ordinationem propriis literis hanc Sacram Legem proponat. In specie autem vult 3. Clericos vel Monachos non longo sufflamine litis detineri; sed levato qvod dicitur velô cum iis procedi, ut lites qvantocyùs sopiantur, qvod qvidem in causis Laicorum etiam optandum foret, ne diuturnis fatigarentur processibus, qvem in finem certus qvoqve terminus litium finiendorum præfixus est in *L. properandum 13. C. de Judic.* Cœterum non cum levi Litigantium dispen- 4. dio hoc Instantiarum fatale hodiè non observatur, nec in Camera Imperiali ob negotiorum ibi tractandorum multitudinem observari potest Illustr. Dn. de Rhetz. *Jur. publ. lib. 4. Tit. 1. §. 25.* nec in ullo amplius observari foro testantur Bachov. ad Treutl. *Vol. 1. Disert. 11. th. 3. lit. A.* & Mynsing. *C. 1. Obs. 51. & C. 2. Obs. 84.* nec enim hodie properamus in judiciis. Qvod si autem diutur- 5. niorem exitum lis videatur habere, eaqve cum magno Populi vel Provinciæ scandalo sit conjuncta, ad transactionem interdum compelli posse Sacerdotes, tradit Brunneman. *ad L. 6. §. 3. num. 2. ff. de his qvi not. infam. & in Jur. Eccles. lib. 3. cap. 3. & cap. 1.* Licet enim ad transactionem nemo compelli possit, dictô ta- 6. men casu coactio locum haberet, ubi tamen limites munerum Ecclesiasticorum exactè inter personas Ecclesiasticas esse servandos

vandos monet Brunnem. in qvem finem integra verba ex Mev. *P. 3. Dec. 280.* allegat *in Jure. Eccles. lib. 3. cap. 1. §. 13.*

CAP. III.

De Temeratoribus hujus Constitutionis.

1. SI contra Sancita qvis qvid egerit, siqvidem sit judex, qvi talem sententiam proferre præsumserit, ab administratione repelletur tanqvam dignitati contumeliam faciens, & pæna 10. Librarum auri una cum officio suo multabitur ærario Sacratissimo danda, Executores autem ab Episcopis prohibeantur & in locis qvæ de caneta nuncupantur pœnas competentes passuri retrudantur, & de cœtero nullam exactionem faciant.

2. *Addit.* Laicus adversus Clericum in civilibus procedere neqvit, ut *Cap. 1.* dictum, imò ne qvidem ad citationem ejus comparere tenetur, qvippe ubi notoria est incompetentia, citatus impunè emanet *arg. L. fin. ff. de Jurisdict. L. 53. §. fin. ff. de re jud.* Borcholt. *Vol. 2. Consil. 1.* Gail. *lib. 1. Obs. 48. n. 9. 10.* Mynsing. *C. 6.*
3. *Obs. 7. n. 6.* Qvia si judicaretur à Laico, jurisdictio confunderetur, qvod fit, ubi jurisdictio sua cuiqve non relinqvitur *c. pervenit. 30. C. 2. qv. 1.* Comfunderentur autem jurisdictiones si judicarent Seculares judices de clericis, qvi habent judicem Ec-
4. clesiasticum. Ex qvibus infertur, Clericum non posse suo foro renunciare, & constituere sibi judicem Laicum, etiamsi proprium juramentum, & adversarii Consensus accedat, *C. 12. X. de Foro compet.* ubi hæc affertur ratio, qvod juri publico Pacto privatorum derogari non possit, *L. 38. ff. de pactis.* nec potest jusjurandum tale sine periculô animæ servari, qvia Clericus debet servare Jus Canonicum, qvod foro Ecclesiastico Clerum renunciare prohibet. Cum igitur contra facit Clericus, & foro suo renunciat, peccat, *C. 2. X. de Majorit. & obed.* sicque nec renunciatio nec jusjurandum valet *L. 5. C. de LL.* Nec qvicquam facit pro
5. Clerico renuncianre, qvod adversarii voluntas accesserit, qvia & ille suô consensu jure publico derogare non potuit *L. 38. ff. de Pact.*

Pact. Ex qvo etiam seqvitur, non valere renunciationem, ut fidejussores dotium dentur, ut res minorum sine decreto alienentur, ut valeat donatio inter Conjuges &c. vid. Excell. Dn. Stryk. *Cautel. Contr. Sect. 1. lib. 5. §. 15.* Nihil etiam facit, qvod juri pro se introducto qvis possit renunciare *L. pen. C. de Pact.* qvia hoc 6.
beneficium personale non est, cui renunciari valeat; sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè indultum, cui privatorum pacto, derogari non potest. *C. d. 12. X. de foro comp.* Adeoq; id cer- 7.
tum manet, singularis personæ renunciationem de aliqvo corpore autCollegio improbari, si ex ea derogetur decori aut privilegio totius Corporis & Collegii, nam honor, vel dedecus singularium personarum ex aliqvo Corpore vel Collegio, ad cæteros etiam pertinet, cum singuli sint pars ipsius Collegii *L. 22. circa fin. C. de agric. & cens.* 8.
Sanè si privilegium concessum est Collegio, ut Collegio, per 9.
singulos ei renunciari haud potest; sed ubi est concessum universis & singulis, potest ei renunciari per singulos. ab Enenckel *de Privileg. lib. 3 c. 16. n. 12.* ubi *n. 30.* admittit, renunciari posse privilegiis exemptionum si sine Superioris præjudicio fieri possit. vid. Ziegl. *ad Lancellott. lib. 3. tit. 1. §. 4.* Per vocabulum 10.
decaneti cujus hic fit mentio Carcer Ecclesiasticus indigitari videtur, *ein Priesterlicher Gehorsam,* quæ pœna ob Excessus leviores Clericorum minoris Ordinis dictatur â Judice Ecclesiastico, *C. 35. X. de Sentent. Excommun.* Carpzov. *Jurispr. Consist. l. 3. def. 113.*
Mulcta decernitur inprimis adversus Clericos majoris dignitatis, 11.
aut si totum Collegium deliquit. Schilter. *Institut. Jur. Canon. lib. 1. tit. 18. §. 3. 4.* vid. *infra Nov. 83.*

NOV. LXXX.

De Quæstore.

CAP. I.

De his qui Constantinopolim veniunt.

Est hæc Novella localis, & ad urbem Constantinopolim directa hâc occasione; Cum enim deprehenderet 1.

ret Imperator paulatim provincias suis Habitatoribus spoliari, magnam verò Civitatem Constantinopolim turbis diversorum hominum populosam fieri & maximè agricolarum suas Civitates & culturas relinqventium
2. *Præfat. h. N.* Quæstorem certum priscis temporibus Ereunadam vel Inqvisitorem constituit, cujus officium erat Inqvirere in omnes ad Civitatem venientes, ex quacunqve sint provincia, sive mulieres, aut Clericos, seu Monachos, vel Monachas, sive externarum Civitatum advocatos, aut alterius cujuscunqve fortunæ vel dignitatis existant, & perscrutari qvi sint, aut unde venerint, & qua occasione, & siqvidem sint agricolæ, intendere, qvibus judicibus, eorum competant lites, & his imminere, velociterque eos eripere difficultatibus, propter qvas huc venerunt, & festinanter, unde venerunt, eos remittere, competentia fruentes.

3. *Addit.* Peregregium hoc & summis laudibus extollendum Imperatoris institutum, qvo non promiscuè omnes ad Civitatem venientes admitti dignatur; sed accuratè inqviri jubet, cujus sint fortunæ, vel dignitatis, vel unde venerint, &c. qvod meritò Germani in magnis Civitatibus, & munitissimis propugnaculis imi-
4. tantur, nam qvoties sentina malorum prodit, qvi vultu blandiuntur, animô hostes sunt, & ingeniosa improbitate perfidiam tegunt? ejusmodi, publico exitio reperti, quique si Capitaneos, Duces & Nobiles, passim viatores profitentur, mox proditores, incendiarii, & exploratores hostium deprehenduntur, digni, qvi nullibi in Imperio locum inveniant, & in quos vis & injuria sine fraude & pœna sit, qui à Civitatibus & Rebuspubl. non saltem justè arcentur; sed digni, ut ad extremas Garamantas rele-
5. gentur. Hæc licet ita sese praxi comprobante habeant, non tamen ipsa Civitas & Resp. qvosvis exules & adventantes excludere statim debet, qvippe refert Pomponius JCtus *L. 2. §. 4. ff. de O. I.* Hermodorum qvendam exulantem in Italia Ephesium fuisse AutoremDecem viris Romæ LL. XII. Tabb. qvæ reformarunt univer-

niversam Rempublicam. Et scriptum legimus apud Plutarchum 6.
& Dionysium Halicarnassensem, Romulum Civitatem suam conflasse, non ex uno hominum genere; sed ex Albanis, peregrinis & auxisse, ita postea Successores admissis etiam hostibus in numerum Civium fœderibus transactis bellis, ut nunqvam fuerit intermissa à majoribus largitio & Communicatio Civitatis; quâ arte sibi Romani Imperium dilatarunt, & tutius confirma- 7.
runt, ut contra nihil aliud Lacedæmoniis & Atheniensibus fuisse videtur exitio, licet armis multum valerent, nisi quod victos bellô, exosos nulloque commercii jure dignos haberent. Cæterum hæc aliô respectu ad Rempub. ejusq; utilitatem 8.
à Politicis traduntur, de quo Imperatori hic sermo non est; sed saltem de illis, qui nullâ necessitate adacti, eorum animô malevolô & proditoriô ad civitatem commeant, otium ibi quærentes, & ex illo mala quævis perpetrantes, juxta istud tritum Germanorum; *Müßiggang ist des Teuffels Ruhe-Banck, aller Laster Anfang*, i.e. Otium est diaboli dormitorium, & initium omniũ vitiorũ. Agri- 9.
colis verò litis causa, quam forte habent, in Civitatem venientibus idem concedit Imperator privilegium quod paulò supra *N. 79. C. 2.* Clericis indulsit, ut scil. velociter difficultatibus Processus eripiantur, hic enim faciunt verba Mevii *Tr. von Abfolgung der Bauers-Leute*, studendum, ut agris sua constet cultura, neq; 10.
rustici hinc ad Civitates diffluant, qvia Professio hæc reliqvarum est fundamentum, & si cesset justa proportio, cum reliqvis tandem & illæ contabescent: Ecquis enim oppidanus frumentum ad forum deferet, si Pagani omnes commigrant in Civitates, fiant Opifices, aut Mercatores? Qvod ibi potissimum ca- 11.
vendum, ubi vel minus populosa est Provincia, agri naturâ infœcundi, aut solum minus tractabile, plus laboris requirit, vel ubi homines glebæ sunt adscripti, ut Dominus oneræ culturæ ampliorisq; familiæ sublevetur, qvod in eum redundaret utiqve, si prolubitu discedant rustici. Unde admodum vigiles suorum 12.
jurium Custodes, & transfugarum sagacissimi indagatores, acerrimi denique adversus receptores vindices, ut non raræ inter Nobiles, & circumjacentes Civitates ostendunt Controversiæ teste Mevio *d. Tr.* & eò pertinent *L. 1. C. de Collat. fund. patrim. l. 25.*

§. Conductores ff. Locati. & *L. 1. & 2. C. Ne Rusticani ad ullum obseqvium devocentur.* unde deducit Brunnem. Servitia rusticorum potius esse restringenda, qvàm extendenda, & ita exigenda, ut rus colere, & se alere possint.

CAP. II.

De Agricolis ad agrum citò remittendi.

1. SI aliqui Agricolæ sub Dominis constituti egentes in Civitatem veniant, à Dominis suis subsidium petituri, procuret Quæstor, ut Domini citius eos expediant; si verò agricolis cum Dominis suis lis sit, & multitudo sit, plures qvidem continuô ad Provincias remittat, duobus aut tribus relictis, qvi secundum Collitigantium Schema litem exerceant, & procurent citius incidi negotia, ut non longitudo fiat temporis agricolis & agriculturæ vacatio damnum & ipsis & Possessoribus faciat.

2. *Addit.* Cum justitiæ proprium sit, suum cuiqve tribuere, & multitudini rusticorum cum Domino suo lis sit, forte qvod operis nimiis eos auget, insolitos exigat, & contra pacta conventa agat, & aliàs potestate sua abutatur, judex etiam ex officio providere debet, ne indebitè & plus æqvo vexentur. Gail. *lib. 1. obs.*
3. *17. n. 7.* Boër. *Decis. 394. n. 5.* Mynsing. *Cent. 5. Obs. 8.* Qvodnam enim circa operas moderamen à judice observandum, & unde id sumendum egregiè docet Mev. *P. 4. Dec. 133.* non tamen necessum est, omnes rusticos ibi in Civitate relinqvi donec ad finem lis perducta; sed duo vel tres ibi sufficiunt, ne omnes ex æqvo ab operis rusticis abstrahantur, nam experientia docet, successivè has expediendas, & suo qvasqve tempore *L. 25. §. 3.*
4. *loc. L. 1. C. de Agric. & Censit. & colon. lib. 2.* Nisi enim opportunô tempore his necessitatibus satisfiat, plerumqve in vanum cadunt, & plus nocent, qvàm prosunt, qvia in tempore magnum est rerum gerendarum momentum. *L. Si Ecclesia 23. qv. 4.* non minus in agricultura, qvàm in navigatione, de qva Virgil. *lib. 1. Georg.*

Præterea

Præterea tum sunt Arcturi sidera nobis.
Hoedorumq; dies servandi & lucidus anguis.

Et Lib. 2. *Redit agricolis labor actus in orbem.*

Inde rustici victualia Civitatibus importandis, licet emtores statim non inveniant, attamen ultra dimidium diem se in Civitate non detineant; sed deponant apud quendam urbanum cum mandato, ut interim vendat, & ad ruralia illicò revertantur. *L. 2. ff. de Nund.* præsertim cum temp9 seminũ, messium, vindemiarũ, arandi, fricandi, blados seminandi fossas faciendi adsit. *L. 1. C. de agric. & censit.* unde Petr. de Crescent *lib. 12.* labores qvi singulis annis peragendi sunt recenset, qvem seqvitur Cöler. *in suo Calendario*, ob hanc causam feriæ sunt rusticis remissæ *L. 3. C. de fer.* qvia scil. periculum est in mora, neqve valent statuta, ne qvis nisi certô tempore aret, aut vindemiet, siqvidem damnosa sunt. Capella *lib. 2. de Servitut. Rusticor. 20. n. 2.* Impeditur enim bona occasio ut sicuti in bello semel tantum peccatur, ita etiam in agricultura peccatum illius anni corrigi non possit, qvando regulariter non sunt duæ messes. Tholosan. *lib. 1. partit. Jur. Canon. 25. n. 2.* nisi fortè extraordinarie in certis qvibusdam regionibus *L. 7. §. 6. ff. solut. matrimon.* ubi Gothofr. ad *l. d. 3. C. de fer.* verbis; qvia freqventer evenit, ut non aptius aliô die frumenta fulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, *ne occasione momenti pereat commoditas, cœlesti provisione concessa*; ex qvibus satis patet, non expedire privato, & publico bono obesse si ob diuturnas litium ambages rustici vel agricolæ in Civitatibus desinentur; sed fas esse qvamprimũ ad glebam & allium ac cœpe suum iterum ablegare.

5.

6.

7.

CAP. III.

Ut Litigaturi Peregrini mox à contentionibus absolvantur.

1. SI verò alii litigaturi adsint, nec Qvæstor debet qviescere; sed cum omni Instantia judices urgere cum festinatione eos contentionibus absolvere, & litibus liberatos remittere, in suas civitates & provincias habitare. Qvod si verò judices differant, & non citius eos à li- 2.

 tis

tis observatione liberaverint, ipse Qværitor ad se deducat litigantes, & citius disponat, ut ad suas remittantur patrias aut ad loca, ex qvibus venerunt, omnibus perempto ad hoc privilegio & fori præscriptione.

3. *Add. ad c. 3.* Peregrinis sanè jus dicendum est citò, qvem in finem introductum illud qvod aliàs dicitur *das Gast-Recht, oder Gast-Gericht*, quod est judicium summarium extraordinariè ad preces Actoris institutum, & vocatur aliàs *Kauff-Gericht*, propterea qvod ematur, & non nisi solutis sportulis concedatur. *Da an vielen Orthen auff anruffender Partheien der Frembden gegen frembde, oder auch ingesessene Unterthanen, in Fällen, da die Sachen keinen Verzug oder ordentlichen Proceß leiden; sonderlich in Gewerbs oder andern Ehehafften Handlungen, Gast-Recht oder Kauff-Gericht zu halten, gestattet und zugelassen werden.* i. e. ideoque multis in locis ad implorationem Partium alterius jurisdictionis erga similes, aut cives vel indigenas, in casibus moram aut Processum ordinarium non ferentibus, aut aliis caussis Jus Hospitaturæ indulgetur. Wehner. *Obs. pr. voc. Gast-Recht.* Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. Tit. 1. artic. 3.* Hahn. ad Wesenb. *Tit. de Judic.* Brunnem. *Dissert.*
4. *de Jure Peregrin.* Ziegler. *Dicast. Concl. 13. §. 30. 31. & Concl. 15.* atq; hoc in judicatis inprimis observandum, nam qvi pro Tribunali cognoscit, non semper tempus judicati servat; sed nonnunqvam arctat, nonnunqvam prorogat, pro causæ qvalitate & qvantitate, vel personarum obseqvio & contumacia. *L. 2. ff. de Sentent.*
5. *& re jud.* Sic Creditori è longinqvis regionibus venienti brevius spacium largiendum. Cöler *de Proc. Exec. P. 3. cap. 6. n. 11. & seqq.* ne Debitor extraneus magnô suô dispendiô per qvadrimestre vel simile tempus, qvod aliàs Debitoribus indulgetur, in loco aditi judicis commorari, & sua negligere cogatur; inprimis
6. cum arresta plerumq; contingant forenses, provideri solet, ne nimis diu judiciô inductô litigare cogantur, & Statuto vel Consvetudine alicubi sancitum reperitur, de causa arresti de triduo in triduum, vel similibus certis terminis & extraordinem procedi debere, ut videndus est hac de re Dn. Coch. *Prax. For. German. P. 4. cap. 3. §. 8.*

CAP.

CAP. IV.

De Rusticis fugitivis restituendis.

SI verò lites non habeant; sed victus qværendi ergò 1.
in Civitate commorentur, corporum eorum statum, qvalis qvis est, debet inspicere Qvæstor, & siqvidem valent eis corpora, potentes autem sufficere ad laborem sunt, si sint servilia, cognoscat qvorum sunt, & sic etiam invitos Possessoribus transmittat, si verò liberi fortuna, & ex aliqvibus Civitatibus aut provinciis orti, transmittat ad provincias, ex qvibus orti sunt.

Addit. Cum rustici sint portio fundi Mev. *P. 1. Dec. 69. & 2.*
P. 8. Decis. 224. non diu ab eo sunt separandi, ne diuturna vacatio & ipsis & Possessoribus damnum faciat *C. 2. h.* qvin & si de illis vindicandis lis sit, celeri Processu procedendum esse, ex *L. 14. C. de Agric. & Censit.* refert Mev. *P. 3. Dec. 9.* aut si invitis Dominis abierint, ut sui qvasi fures acriter sunt plectendi. *L. 2. C. de Serv. fugit* Gail *de Arrest. cap. 8. n. 18.* nec enim in præjudicium 3.
Domini sui locum mutare possunt, aut domicilium constituere, & qvam diu extra glebam in alieno loco sunt, à nullo possidentur & si nolint ad pristinum locum redire, propriâ autoritate capi, non secus ac fugitivus debitor possunt. *L. ait Prætor 10. ff. quæ in fr. Credit.* Quod si ultrò se offerant ad aliud quodpiam 4.
humillimum vitæ vel artificii genus in Civitate pertractandum nec sic admittendi, nec si se ad militiam capescendam offerant ob publicum agriculturæ favorem, *L. 3. C. qvi. milit. poss.* Hinc 5.
edictum est in *L. 4. C. de Mancip. & Colon.* ut Coloni qui ad militiam convolarunt, ad avitam seu priorem conditionem revocentur; exinde liqvet, quanti abusus in modernis conscriptionibus militum invaluerint, utar hic verbis Borgeri olim Sac. Cæs. Maj. in militia Commissarii & Auditoris; quibus utitur *cent. 1. Obs. Polit. Juris Milit. Obs. 39. Indem man den einfältigen Acker- und Bauers-* 6.
mann durch allerhand Räncke zu Krieges diensten zu verstricken suchet, wobey denn ohnzehlbare andere Practiqven mehr unterlauffen, indem einem einfältigen Bauersmann vielmahls seiner unwissend einige

 Thaler

Thaler oder Ducaten heimlich beygebracht werden, welches nachgehens für eine unwiederſprechliche Verbündligkeit angezogen, und alſo einer offtmahls zu Verlaſſung Hauß und Hoff, Weib und Kind, oder zu koſtbarlicher Redimirung und Erlegung nahmhaffter Geld-Summen auf
7. *ſolche weiſe gedrungen wird. Dieſe und andere dergleichen maniren ſind gantz wiederrechtlich, und keines weges zu dulden, iſt auch dem Feld-Herren mit dergleichen gezwungenen Leuten nicht gedienet, weil ſie bey beqvemer ſich hiezu ereugneter Gelegenheit gemeiniglich davon zu gehen pflegen, und alſo ein Feld-Herr nicht allein an den Werbgeldern verkürtzet wird, ſondern auch in ſeinen vorhabenden Impreſen vielmahls*
8. *periclitiren thut. Dieſen zu remediren &c. &c.* Porro: *Ich wil alhie nicht ſagen von der unverantwortlichen, und keinen Schein einiger Befugniß habenden weiße zu werben, da man ſonder den geringſten dazu habenden Anſpruch mit Gewalt den Ackersman vom Pflug hinweg nimt, und zu Annehmung Kriegsdienſte nöthiget, welches jedesmahl von der Generalität unrechmäſſig geachtet, und dawieder abſonderliche ſcharffe Edicta in Druck verfertiget worden.* i. e. Dum ſimplicem ruſticum
9. per fraudes & varias machinationes militiæ implicare cogunt, & ignoranti doloſè ſæpe & aſtutè aut Thalerum aut Ducatum obtrudunt, clàm, unde firmam poſtmodum ad militiam obligationem extrahunt, & miſerum ſæpe numero cogunt, ut relictâ familia omni cum ipſis ædibus Martis caſtra ſeqvatur, aut ingenti ſumma perſolutâ ipſas ædes, uxorem & liberos redimat. Hi & ſimiles conqvirendi milites, ut injuſtisſimi, ita nullo modo ferendi, Imperatori qvoqve bellico ejusmodi coacti milites nulli uſui ſunt, nam apprehendunt occaſionem, & militiam deſerunt, inde ſtipendiis militaribus, quæ aliis ſolvere poterat Dux, privatur, & dum juſto tempore & loco militi præliari incumbebat, deſertum invenit exercitum. Non dicam jam de illicito modo colligendi milites cum ruſtici glebæ alias adſcripti vi adhibitâ aratro ſubtrahuntur, & ad ſervitia militaria coguntur, qvem modum & injuſtisſimum *Generalitas* ſæpe declaravit, ita hunc in finem pœnalia Edicta publicis typis expresſa, extant. Verba hæc propterea allegare volui, ut indigitarem modum hunc conqvirendi militem jam ante L. & qvod excurrit annos non ſaltem fuisſe practicatum, ſed & partim apud Nos adhuc in praxin deduci,

duci, olim Generalitas eum pro illegitimo ut ex verbis finalibus patet, habuit, an & Nostra qvoqve habeat, me latet.

CAP. V.

De Mendicantibus validis.

SI hujus terræ homines aliqui advenerint, & Corporibus quidem validis utantur, vitæ autem eis decens non est occasio, non permittendi, ut frustra sint terræ onus, sed citius tradi debent operum publicorum artificib9, ad Ministerium & Præpositis pannificantium stationum, & hortos operantibus aliisque diversis artibus, aut operibus, in quibus simul quidem laborare possunt, simul verò & ali, & ita segnem ad meliorem vitam mutare. 1.

§. 1. Si noluerint observire operibus quibus traditi sunt, expellendi è civitate, corpore verò læsi aut Canitie graves, sine molestia possunt in Civitate commorari, aut piè agere volentibus adscribi, & alios interrogare, quâ venerint gratiâ & quæ sunt digna Inquisitis agere, ne pigri hic sedeant, sed competentia agant, aut ad proprias revertantur provincias. 2.

Addit. Optimè hic Imperator validos mendicantes ad opera publica, v. gr. pannificia, cultum hortorum, & similia transfert, hi siqvidem nebulones Cives honestos, qvi suum labore pepererunt patrimonium exsugunt & exhauriunt, hinc meritò ex urbibus & societatibus sunt pellendi, & si revertantur, fustigandi, & contumaces adhuc ad triennos, vel aliud opus remittendi, & colligandi. Tholosan. *de Republ. lib. 23. cap. 7. in fin.* qvippe ne iis impleatur civitas publicè interest. Carpzov. *P. 2. Decis. 157.* De illis ejiciendis jam tum extat Constitutio Caroli Magni primi Germanorum Imperatoris Laudatissimi, apud Camerar. *Cent. 2. Medit. Histor. 47.* ut & Philippi I. & Caroli V. Regum Hispan. apud Damhouder. *Pr. Crim. cap. 40. circa fin.* nec non Ordinatio Politica *de Anno 1577. Tit. Von Müssiggängern und Bettlern* atq; ab hujusmodi otiosis & neqvam hominibus descendere vocem 3. 4. 5.

Behrnheu-

Behrnheuter, tradit Besold. *Thes. Pract. sub h. voc.* & ne mendicus reperiatur in Populo Israëlitico ipse DEUS T. O. M. præcepit, & aliquot Constitutionibus prospexit Saxoniæ Elector Serenis. vid. Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 2. Tit. 21. Def. 324.* & convenit
6. cum hac *Nov. cap. 5. L. un. C. de Mendic. Valid.* Non igitur ejusmodi concedendum, ut absq; licentiam Magistratus stipem colligant. Carpzov. *d. l. Def. 325.* nam si aut falsarii, *als Brandbettler, die auff falsche Brieffe betteln*, aut sine literis ac sigillis vulnera, morbos, & defectum naturæ falso simulant, fustigatione puniuntur non attenta pecuniæ collectæ quantitate Carpzov. *Proc. Crimin. P. 2. qv. 93. n. 72. 75.* & quæ ejusmodi impostorum & stellionum pœna, qui sub prætextu falso stipem colligunt & corradunt, hominibus imponunt, otio, desidiæque sunt dediti, tradit Heig. *lib. 2. qv. 27. per tot.* Plura de illis Arnold de Beyger. *Thes. Juris P. 2. pag. 250. 259.* Lectu quoq; jucunda de illis habet Scuppius *in Discursu de arte ditescendi.* Et an mendicantes facilè sint recipiendi, tractat Brunnem. *Dissert. de Jure peregrin. Membr. 1. §. 9.* vid. Mev. *in Tr. suo von Zustand und Absolg der Bauren. pag. 45.*

CAP. VI.

De Sportulis.

1. QVæstoris qvoqve officium est inqvirere, an in datione sportularum quis læsus sit, & pœnas circa LL. exigere, nullô competentium judicum defendere nolente, & tam illæsos servare eos, qvi injustitiam sunt passi, qvàm pœnas Constitutionibus Sacris definitas super exigere, ac de illis referre.

2. *Addit.* De Sportulis textus est *in t. C. de Sportulis §. tripl. I. de act. N. 82. c. 9. & N. 86. c. ult.* unde autem Sportulæ dicantur, & quid
3. sint tractat Alciat. *lib. 3. Disp. 7.* Hic tantum de iis sportulis sermo est, quas litigatores judicibus adjutoribus dare necessum habent, circa qvæ & dationem eorum sollicitus erit Quæstor, ne forte peregrini litigantes credantur; sed solvantur juxta ordinationem judiciariam semel præscriptam; Qvippe Sportularum taxa

taxa legislatoriæ potestatis est. *Part. VI. Decis. 91.* vid. infra *Nov. 82. cap. 9.*

CAP. VII.

De Falso.

SI quis ob falsam scripturam deferatur, eum itidem comprehendere, & post inscriptiones & probationes Qvæstor punire debet, & si Accusator non justam impetraverit providentiam, ut cogatur ad Imperium denunciare, ipse de suo reddat ei id qvod neglexit male, & qvod oportuerat eum à delinqvente accipere, insuper & majorem indignationem experiatur juste, qvod Imperatoriam jussionem transcendere præsumserit. 1.

Add. Qvò majus delictum Scripturam falsificantis, ita, ut 2. Notarius falsum committens relegatione, omniumq; bonorum confiscatione, vel officii amissione puniri possit. Bartol. *L. 12. C. de suscept. Præpos. & L. 21. ff. de his qvi not. infam.* nonnunqvam etiam igne cremari, si falsum immunitatis scripsit *L. 1. C. de immunit. nemini conced.* & si simulatæ venditionis Instrumentum fecerit, manu amputandus *c. 1. §. scriba de feudi probib. alienat.* eò qvoqve majorem id inqvisitionem meretur, qvam identidem & pœnam hic injunxit Quæstori Imperator, modo ut ex textu patet se in- 3. scripserit accusator, nisi fuisset denunciator *L. 7. pr. ff. de Accusat.* qvæ tamen Inscriptio hodie cessat; & sufficit præstatio cautionis super expensis & Injuriis. *C. Cr. art. 12.* Zœs. *ad Tit. de Accusat. in f.* Carpz. *Pr. Crim. qv. 106.* Judicem qvoqve vel Qvæstorem de falso judicantem, negligentem verò in officio justa punit pœna, *cujuslibet enim Judicis est*, sunt Cedrô digna verba Ciceronis Orat. pro A. Cluentio, *putare, se non esse solum, neq; sibi qvodcunq; concu-* 4. *pierit, licere, sed habere in Consilio Legem, Religionem, æqvitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatesq; omnes amovere, maximeq; æstimare Conscientiam mentis suæ, qvam ab Diis immortalibus accepimus, qvæ à nobis divelli non potest, qvæ si optimorum Consiliorum atq; factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu & humana cum honestate vivimus.*

CAP. VIII.

De Salario Quæstoris & ejus Officialium.

1. MAximè omnium autem Qvæstor hanc administrationem habens perpetuè hoc ponet studium puris manibus omnia agere, & administratores habere non sordidos neque turpi acceptioni paratos, sed purè & liberè administrare, & si tale aliqvid super ministris peccatum invenerit, hoc etiam punire, & ex ipsis prius o-
2. stendere suam simul firmitatem & castitatem. Propterea decernit ipsi Imperator loco Salarii 10. libras auri, & ejus Consiliario solidos 100. Ministrantibus solidos 330. ut de fisci largitate contenti, alienis abstineant, sintque DEI, & Imperatoris subtiles Curatores, & è cœlô hanc fruentes providentiam & administrationem causis facilius & legalius utantur.

3. *Addit*. Qvod Imperator hic Qværstori prohibet jam tum supra severè Præsidibus Provinciarum prohibuit *Nov. 8. cap. 7. 8. ubi notatur*. In jure divino non invectivæ tantum inveniuntur in δωροφάγυς qvamplures, sed etiam severissimè adduntur sæpè comminationes, qvæ qvàm adversa sint Legi divinæ munera judicibus data ad oculum exponunt, prout ordine hæc allegat &
4. explicat Ziegler. *Dicast. Conclus. 20. §. 5. & seqq.* Qvo verò alienis abstineant Qv. & ejus Officialibus Salarium publicum hic constituit, qvippe ne ad corruptelas compellantur animi judicum, nulla tam præsens cautela est, qvàm ut stipendia constituantur,
5. qvæ ad vitæ cultum dignitati convenientem sufficiant. Memoratu dignum est, qvod Alexander Severus, qvos jurisdictioni admovebat, eos referente Lampridio *in ejus vita* omnibus instruxerit rebus ad vitæ cultum pertinentibus, rheda qvoqve & mulis, reddendis in qvadruplum, si fraudulenter jus administrassent, retinendis autem, si laudabiliter Spartam suam exornassent, qvod exemplum

exemplum qvoqve citat Ziegler. *d. l. §. 3.* Eandem qvoqve suggerit Cautelam Myler. ab Ehrenb. *in Hyparchol. c. 13. §. 3.* Corruptiones Principem impedire, si honestô & competenti Salario persona condignô Ministris & Officialibus prospiciat, hinc de Duce Friderico Electore Saxonico cognomine SAPIENTE scriptum legitur, qvi cum monitus fuisset, ut ampliora Qvæstoribus stipendia constitueret, qvoniam si egerent, facilè fieri posset, ut aliqvid ex publico surriperent, respondit; *Ego libenter vellem eis & certa & fixa constituere stipendia, si certum esset, eos non amplius velle furari qvod* ex Lathero *de Censu lib. 1. c. 15. n. 15.* idem allegat Myler. *loco cit. §. 4. n. 8.* Et fideliter monet Oldekop *Observ. Crimin. tit. 1. obs. 111.* Ne Præfectis aut Fiscalibus sive Fisci Procuratoribus aliqva pars pœnarum pecuniariarum deferatur; *sed certum detur Salarium* ex qvo commodè vivere & lucrari possint, & abstinere â Subditorum loculis, ne jurgia Partium sint præda judicum *L. 3. C. ad L. Jul. repet.* Oldekop *d. l. observ. 2. in fin.* Ut verò hoc in transcursu notem differunt *Honorarium, Palmarium, Salarium,* nam Honorarii vocabulum olim honoris gratia Consulibus in Provinciis viventibus, non tamen tanqvam debitum dabatur, hinc postmodum illud vocabulum ad Advocatos, eorumq; labores est translatum, quo tamen minus recte hodiè Advocatos nostros uti arbitratur Budæus in *L. solent ff. de Offic. Proc.* dicitur aliàs *palmarium,* Honorarium vero propriè dicitur cum labor circa ea, qvæ honorifica & nobilia sunt, impenditur, Menoch. *Cons. 729. num. 10.* Et sic Salarium dicitur, qvod Nobili viro circa Exercitium non ignobile versanti datur, Menoch. *d. l. n. 12.* vid. Naurath. *de Rationariis N. 99.* 6. 7.

CAP. IX.

De Magistratibus & Præsidibus.

Vel

Si semel transmissi reversi.

SI denuò Qværstor in Civitate inveniat qvosdam frustra nidificantes, qvi liberati & ad provinciam pro- 1.

priam sunt transmissi, his castigationem imponat decentem, & vehementius iterum transmittat, & sic foris Civitates habitabuntur, & magna Civitas confusione liberabitur.

2. *Addit.* Quæ hic habentur conveniunt cum *L. Relegati 4. ff. de Pœnis* quæ Relegatos ad tempus reversos in perpetuum exilium relegat, hos in Insulam, hos deniq; pœnâ capitis plectit, cum contumacia cumulet pœnam. *d. l.* hocq; moribus obtinere
3. videtur in delinqventibus, nam qui in initio ad certum tempus in exilium actus, & deinde prævià fustigatione, & præstitô denuô Urphedâ perpetuò relegatus revertitur, ei demum duo digiti sunt abscindendi. Qvod si verò postea, & quidem quartâ vice redeat tandem pœnâ gladii est afficiendus, quippe quod talis è consvetudine videatur delinqvere dolô, & quidem in ejusmodi rebus, ob qvas jam tum antea fuit punitus, & in quibus tale dolosum peccatum non potest tolerari, non tantum ob scan-
4. dalum publicum; sed etiam ob violationem juramenti toties repetiti, quo Dei nomen in testimonium sæpius temerè adhibitum gravissimè violatur, nisi prægnantes sint causæ, qvibus motus judex pœnam mitiorem in illo casu decernere velit. Ddr. ad *Art. 108. C. Crimin.* latius.

CAP. X.

De Fine hujus Constitutionis.

1. NE Subjecti suas provincias deserentes alibi atterantur, & moriantur forsan propriis privati, nec paternis fruantur sepulturis. Nec Antecesforibus nostris, qvi Rempubl. constituerunt hæc transitoriô studiô fuerunt; sed & pigros & peregrinos omnes sunt perscrutati, ut neqve novum neqve leve hic studium; sed bonum & antiqvum, in medio aliqvo modo neglectum, donec utilissimum inventum & id prodesse in Rempubl. iterum introductum. De cœtero qvoqve Qvæstoris Officium incorruptum, & ab omnibus oneribus immune pronunciat.

Addit.

Addit. Scilicet Patriæ amor naturaliter insitus est omnibus, 2.
& pleriq; ultimi ibi esse malunt, quàm alibi primi modo illi inservire qveant, expetunt & sœpe numero ibi generose mortem generosam in juvenilibus annis appetere, & in perpetuum per gloriam vivere, qvam alibi quam plurimis annis graves sepulchro 3.
inferri sine gloria, nec enim ut Cicer. *ad Herennium* inquit, ullum est periculum, quod Sapiens pro salute Patriæ vitandum arbitretur, hic enim secum loquitur, non mihi soli; sed etiam aliis atq; adeò multò potius natus sum patriæ, vita quæ fato debetur, saluti patriæ potissimum solvatur; Quo etiam tendere videtur Aristot. *6. Polit. 1. c. 1.* propterea quoq; in patria potius sepulchrum expetit quàm alibi, quæ causa erat, ob quam Regi suo fidelissi- 4.
mus Barsillai diutius in aula Regis Davidis commorari tergiversabatur, *obsecro*, dicebat, *ut revertar Servus tuus, & moriar in Civitate mea, & sepeliar juxta sepulchrum Patris mei, & Matris meæ, 2. Sam. 19. v. 37.* hæc & similia alia jura ne originarii ob multitudinem exterorum amittant hac Constitutione Prudentiss. Imperator prospexit, taceo alias difficultates ob promiscuam exterorum & Peregrinorum admissionem obventuras.

NOV. LXXXI.

De Emancipatione.

PRÆFATIO.

COrrigit hic Imperator Legem antea scriptam de Pa- 1.
triciis, vi cujus eorum liberi sub patria potestate erant constituti; Non enim decens putavit, ut qvos in officium Patrum suorum provehit, sub aliena sint potastate. Nam si Emancipationis actio dudum qvidem, 2.
& per eas qvæ nuncupantur Legis actiones, facta cum injuriis & alapis eos vinculo potestatis patriæ liberabat, cur non etiam codicillis datis (i. e. *nach geschehener Kayserl. Bestallung*) patria potestate Patricii debeant esse liberati? Et omnis dignitas qvæ liberat à Curia, liberat qvoqve à Patria potestate. Et si sancitum, ut si qvis servus sciente 3.
Domino mereatur militiam, aut qvamlibet dignitatem

adipiſcatur, repente ab Imperio liberetur, & in ipſam rapiatur ingenuitatem, qvomodo non esſet juſtum Imperiales promerentem codicillos non etiam paternâ poteſtate liberum fieri?

4. *Addit.* Voluit à Condita Urbe Roma Romulus penes Patricios auſpicia esſe, juſtum Imperium domi militiæque habere. Idem Romulus ſolis Patriciis Senatum, Sacerdotia, Magiſtratus, Judicia, ac totam denique Rempubl. tradidit, plebejis culturam agrorum, & rem pecuariam, & quæſtuarias artes, tradidit Tho-
5. loſan. *de Republ. lib. 4. cap. 2. §. 2.* de quibus hic Imperatori ſermo non eſt, nam Patricii hoc loco dicuntur Conſiliarii Imperatorum, quod quaſi Patres ſint ipſorum *L. ult. C. Loc.* Ulpianum Parentum ſuum nominat, & idem eundem *L. 4. C. de contrab. & committ. ſtipul.* Amicum ſuum, in *L. 5. C. ad L. Jul. Reg.* Pars
6. corporis Imperatoris dicuntur, nec minus adverſus ipſos crimen læſæ Majeſtatis committi, atque idem hodiè de Conſiliariis cujusvis Principis, Ducis, Comitis, Civitatis Imperialis, cum eandem in ſuo territorio vim & poteſtatem haberent rectè dici tra-
7. dit Harpr. *ad §. 4. Inſt. qvib. mod. patr. poteſt.* Inde omninò indecens judicavit Imperator eum, quem ipſe Princeps tanquam Patrem ratione doctrinæ & prudentiæ veneratur ſub Sacris paternis debere eſſe conſtitutum, quare potiùs in publicis cauſis non attenditur patria poteſtas, & in illis filius habetur pro patrefamilias. *L. 9. ff. de his qvi ſui vel al. jur.* Conf. hic Diſſert. Excell. Dn. Becmanni *de Felicibus Injuriis cap. 2. th. 6.* Imò hodie omnis dignitas, qvæ à Curia liberat, qualis aliquot ſpecies recenſentur *in L. fin. C. de Decurial.* etiam à Patria poteſtate liberat. *Præf. h.*

CAP. I.

Qvibus modis Patria Poteſtas ſolvitur.

1. IGitur (1) Ordinarii Conſules ſi ſub poteſtate conſiſtant, una cum ipſo verbo, quo hoc ipſis officium donatur, ſuæ fiunt poteſtatis, (2) iis qvi honorantur ab Imperio per Con-

Consulares Codicillos, si sub Patris manu sunt, fiunt ipsorum Codicilli suæ potestatis occasio. (3) Si per omnes Imperatorias dioeceses Præfectus Prætorio ab Imperatore qvis sit institutus, aut Præfectus Civitatis, aut in qvolibet Magisterio militari.

Ratio. Eum enim, qvi tantorum est Judex, & tantis 2.
jubet sub potestate alterius maneri, & non inter eos, qui suæ sunt potestatis scribi, indignum LL. simul & temporibus suis indicavit Imperator.

§. 1. Generaliter sancit, ut omnis dignitas & omne 3.
cingulum â Curia liberare valens, hoc qvoqve suæ potestatis præmium honoratis præstet, & Nobiliores adhuc Patres ostendat, & multo major patribus laus erit, & lætitiæ occasionem præbebit magnæ, si ejusmodi ornati sint filiis.

Addit. Quæ hactenus hic dixit de liberanda ob dignitatem 4.
â Patria Potestate liberos, confirmat per Inductionem *in Præfat.* si enim ob quamcunque militiam servus sit liber, aut si Dominus eum intervenientibus actis filium nominavit *§. fin. Inst. de adopt.* cur non Imperiales codicilli ex Filio Paterfamil. quippe ex quo illos habet jam tum est Patricius, & privilegia, quæ ob hunc habet, statim adeptis iis incipiunt, ut ad *§. 4. Inst. qvib. mod. Patr. Pot.* communiter probant Ddr. vid. Dn. Hopp. *Comm. ad Inst. d. l.* Nec obstat Principem â Potestate Patria non posse 5.
eximere filium, cum nemini mortalium jus suum detrahere oporteat, *§. fin. de his qvi sunt sui,* & rescripta nunquam soleant in cujusquam injuriam tribui. *L. Nec unus 4. C. de emancipat. liber. L. 3. C. unde vi.* nam Princeps ob publicam utilitatem hoc utiq; potest *arg. §. fin. Inst. de his qvi sunt. L. 5. §. ult. ff. de injur. Nov. 39. cap. 1.* Quia si damnum adesset, satis dignitati filii compensa- 6.
retur, quasi pro affectu quo liberis suis optime consultum vult, cum non sit affectus, qui vincat paternum. *L. 7. C. de Curat. furiosi,* & potest jus suum remittere, ut filii augeat. Imò in filio 7.
Pater relucet, & renovatur imago cadentis Patris in filio per dignitatem assurgente, veluti per subrogationem & idcirco ut

dicebat

dicebat JCtus Callistratus *in L. 220. §. 3. in fin. de V. S. Filios & filias concipimus atq; edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis*
8. *memoriam in ævum relinqvamus.* Ex hisce sequitur, ut si Filiusfamil. publicum administret officium, huic tamen etiam ipse Pater non obstante potestate patria debitum honorem præbere obligetur, cessante omni Lege naturæ *L. 13. §. fin. cum L. seqv. ff. ad SCt. Trebel.* nam Jus publicum non sequitur jus potestatis *L. 14. ff. eod.* & publica instituta pietate paterna sunt potiora, dum non tantum Parentibus; sed etiam Patriæ nascimur. *L. 1. §. 15. ibi: Virum etiam Reipubl. nascitur. ff. de ventre in bonor posses. mit.*

CAPUT II.

Ut Liberati per dignitatem Patria Potestate, legitima jura intacta habeant.

1. NEc enim vult Imperator, eum, qvi suæ potestatis fit, perdere aliqvod legitimorum jus; sed sint & generi ad eos, & ipsis ad genus intacta legitima, & ex natura servata jura, & filii eorum post mortem avorum sub eorum recidant potestatem, ac si contigisset, eorum Parentes morte suorum Patrum, & non ex præsente Lege suæ fieri potestatis, ut nihil horum, qvæ ab Imperio conferuntur, eis videatur deesse, *qvoniam omne bonum sive à DEO acqviritur hominibus, sive ab Imperio seqvente Deum, decet esse mansurum, & omnes malitiæ ac diminutionis extraneum.*

2. *Addit.* Liberi per dignitatem à Patria Potestate liberati non modò peculium; verum etiam emolumenta cuncta pristinæ familiæ retinent, ne quod favore eorum introductum, in damnum eorum vertatur *L. 6. C. de LL.* quia & emancipati hodie Jure Civili ad hereditatem venire possunt, nec Prætoris auxilio habent opus, sed cum suo æqualiter succedunt, quæ sententia apertè fundata in *Nov. 118. cap. 1. in fin.* ubi omnis differentia inter liberos suæ potestatis & sub potestate tollitur, qvod postmodum

modum repetitur in *d. Nov. c. 4.* idem obtinet in Feudis, cum ju- 3.
re Feudali contrarium dispositum non sit. *2. F. 1. pr. inf.* vid. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab Int. Disert. 1. c. 3. th. 24.* Interea tamen per hanc liberationem è Patr. pot. reverentia utriqve Parentum par debita in privatis non est sublata, qvam liberi Parentibus non obstante dignitate nihilominus debent, hinc quamvis 4.
filius emancipatus de Jure Civili sine consensu Parentis uxorem ducere possit *L. 25. ff. de R. N.* Berlich. *P. 2. Concl. 11. num. 57. & seqq.* Carpz. *P. 2. c. 10. def. 5.* honestius tamen facit, si eum requirat, nam primus gradus pietatis est, ut qvos autores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, nec enim vultu lædenda pietas Parentū egregium est Ambrosii dictum. *lib. 3. in c. 18. Luc. C. 4.*

CAP. III.

Ut per Episcopatum filius liberetur Patria Potestate.

QVia enim omnium sunt spirituales Patres, qvomodo 1.
sub aliorum potestate consistant?

Add. Inferiores qvidem Clerici, qvales sunt Acolythus, 2.
Exorcista, Lector, Psalmista, Ostiarius & alii à potestate patria soluti non sunt, sicut nec Monachismus ab ea liberat, Berlich. *P. 2. Concl. 11. n. 54.* Rittershus. *ad Nov. P. 1. c. 6. n. 46.* licet hic multi disputent, qvos allegat Goehausen *P. 2. pericul. Academic. 28.* Et de usu Belgii simplex Sacerdotium patriæ potestatis nexum rescindere testatur Gudelinus *de Jure Noviss. lib. 1. c. 13. circa f.* Superio- 3.
res tamen Clerici, ut Episcopi, Abbates, Prælati &c. ob rationem hic allegatam ab Imperatore sunt liberati; Soluta verò per dignitatem filii potestate Patria nihilominus retinere usumfructum peculii adventitii ex *L. fin. §. 5. C. de bon. quæ lib.* deducunt Ddr. qvippe hæc Lex indistinctè Patri horum bonorum usumfruct adscribit, sive in Sacris paternis filius permanserit, sive non, imò si filio mortuo retinet Pater usumfructum ad dies vitæ, cur non retinere debet potestate per dignitatem solutâ? vid. Anton. Fab. *in C. lib. 6. tit. 31. def. 14.* sicuti enim à potestate filius liberatus 4.
Conditionem suam non facit deteriorem ut *L. 2. praeced.* dictum

ita nec Pater suam debet conditionem deteriorem reddere, cum correlatorum eadem sit ratio, & qvod de uno dicitur, idem & de alio sit dicendum. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 7. n. 94.* hocqve maxime in Parentibus & liberis, qvorum eadem est ratio affectionis & pietatis, Parentum erga liberos, & horum erga illos.
5. Et licet juxta Carpzov. *P. 2. C. 10. def. 6.* dissolutionis Patriæ pot. effectus sit restitutio bonorum adventitiorum, tamen hoc videtur saltem intelligi de bonis maternis non verò de cœteris adventitiis, in qvibus salva manet dispositio Juris Civilis, qvò & tendere videtur Berlich. *P. 2. Concl. 11. n. 65.*

NOV. LXXXII.

De Judicibus.

PRÆFATIO.

1. IMperator Justinianus perpendens Confusum Judicum Schema existimavit præsenti L. oportere determinare, quæ decentem ordinem imponat causæ; Nec enim existimavit oportere habere judicum qvorundam nomina, maximè LL. ineruditorum, deinde neqve causarum ha-
2. bentium experimentum; Suis enim Administratoribus inqvit, modis omnibus etiam adesse Assessores, qui ea qvæ LL. sunt explicant, & occupationes adimplent, qvoniam multi detenti curis, qvas apud Imper. habent, complent partem per suorum Assessorum præsentiam. Qui
3. verò neqvè cingulum (i. e. dignitatem) habent, nec Imperatoriæ Maj. ministrant, nec possunt per se nosse qvod justum est, nisi aliunde emendicent judicandi honestatem, & alios qværent, â quibus liceat discere, qvæ in judicando eloqvi decet, illis tradere lites, maximum Reipub. vitium erit.
4. *Add.* Optimè hic Imperator confusum judiciorum Ordinem reformat nec promiscuè omnes ad judicandi munus arduum, inprimis qui in LL. maximè sunt inerudit, nec causarum habent experimentum, admittendos esse statuit, qua de re dudum quoque

qvoqve post ipsum qvestus est Tholosanus *de Repub. l. 4. c. 8. n. 10.* scilicet, malum hoc freqvens esse in plerisq; locis, ut judi- 5.
ces illiterati & indocti, rustici ex arbitrio judicantes, compotationibus litigantium patrimonia devorantes, confusè omnia sine Lege, sine consvetudine, sine Ordine & Stylo, aut ulla scriptura transigentes, mutantes, alterantes, sordidantes ad judicandum admittantur. Cœterum, si accuratè rem consideremus, potissi- 6.
mum in jure dicendo judicem ante omnia jus statutarium, & si hoc non adsit, jus Provinciale attendere debere, si horum peritiam habeat, non dubitarem, admitti posse illiteratum, cum aliàs Imperator in judice maximè peritiam rerum, & causarum experimentum desideret, unde Angelus Aretinus *ad §. 8. I. de Excusat. Tutor.* notat; Nobiles & alios rerum ac negotiorum peritos, licet literarum sint ignari, terrarum tamen Rectores esse, & officiorum administrationem habere posse, & præsuppositò ita se 7.
juxta Zieglerum habere *Discurs. Prælimin. Dicast. th. 17.* in duobus potissimum judicis officium consistere, ut *veritatem negotii* examinet, deinde & *justitiam*, qvorum illud ad factum hoc ad jus refertur, qvibus ita se habentibus, si pius fuerit, nec infreqvens DEI cultor, talem, ait, proferet sententiam, qvalem nec ex Rhadamanthæo judicio quis reportaverit. Cœterum ob hasce & si- 8.
miles alias rationes indoctum & illiteratum judicem in Civilibus causis admittimus qvidem, non verò in Criminalibus ibi enim agitur de vita & sanguine hominis, magni præjudicii causa, & ejus quod homo habet omnium pretiosissimum, ubi non alium nisi in jure doctum & peritissimum admitti vult ipse Imperator Carolus V. *C. Cr. ff. 1.* nam Civilis judicii iniqvitas, qvæ tamen 9.
esse non debet, solam pecuniæ & bonorum amissionem respicit qvàm maximè, adeoq; corrigi, & reparari tandem potest; sed de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet, laturum sententiam, diu multumq; cunctari oportet, nec præcipiti studiò ubi factum est irrevocabile agitari, egregium dictum est Marcellini *lib. 29.* Ergò si hic illiteratus 10.
admitteretur, sæpe inveniret locum id quod Augustinus *de Civ. DEI l. 19. c. 6.* sapienter expresit, *judicis ignorantia plerumq; est Innocentis calamitas*, proinde intolerabilis vocatur ignorantia in iis,

 qui

qui præsunt. *C. si in laicis D. 38.* Sed qvam benè hic *Art, 1.* observetur, experientia proh dolor! testatur, dum in oppidis sæpe per homines literarum atque negotiorum criminalium planè non expertos, in pagis per rusticos, aut aliàs indoctos criminalia expediuntur, quæ fuit qverela B. Dn. Brunnem. JCti Religiosiss.
11. *Processf. Inqvisit. C. 3. circa f.* Prudentius sanè Romani, qvi nonnisi Summo Magistratui, qui è flore Civium Nobilium in optimo Reipub. Statu eligebatur, merum Imperium concesserunt, atqve ita selectissimis potestatem de vita Civium Romanorum judicandi fecerunt; sed in Germania Nobiles in opprobrium sibi cedere existimarunt, si ipsi judicia criminalia tractare deberent,
12. qvapropter & aliis vilioribus eadem commiserunt. Ut igitur Imperator illam opinionem Nobilium mentibus eriperet, & ad subeundum hoc munus invitaret, duas rationes protulit in medium 1. Negationem præjudicii, qvod scil. judiciorum criminalium tractatio nullam ipsis dignitatis imminutionem afferre possit. 2. Incrementum honoris & dignitatis, qvæ exinde ipsis as-
13. surgat. v. Ddr. ad *A. 1. C. Cr.* Clasen. *ad l. d.* Assessores tamen hic qvoqve Imperator judicibus illiteratis concedit, qui ea, quæ LL. sunt explicent, & occupationes adimpleant, quorum officium in Cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis & epistolis constare tradit Paulus *L. 1. ff. de Officio Assessor.* quæ singula, qvomodò ipsis competant, ordine explicat Ummius *Di-*
14. *sput. ad Processf. 11. th. 2. n. 10.* Et qvod cognitionem causæ attinet, eam quidem olim non soli habuerunt; sed una cum ipso Magistratu & judice, nam docet Imperator supra *Nov. 60. c. 2.* Zenonem constituisse, ne Consiliarii Judicum causas per se audirent; sed una cum ipsis Administratoribus seu judicibus causæ audiendæ vacarent. Sed hodie soli Assessores causas audire & cognoscere possunt, modò litis contestatio apud ipsos fiat Administratores & ipsi post susceptam in Conclusione Causæ Cognitionem, sententiam ferant. *d. N. 60. c. 2. N. 82. c. 2.* vid. Ummius *c. l. n. 11.*

CAP. I.

De Judicibus à Justiniano electis.

Impera-

IMperator nominatim judices qvosdam Pedaneos con- 1.
ſtituit in Oriente, maximè ex Advocatis, qvi ſunt præſtantes, LL. ſcientes, qvos miratur circa juſtitiæ obſervationem, qviqvè habent teſtimonium optimum tam apud alius, qvàm à ſe ipſo.

Add. Egregium & jure imitandum Imperatoris inſtitutum, 2.
quando ex numero Advocatorum doctorum & peritorum judices asſumit, qvi ſuum cuiqve attribuant; Et ſanè qvi eſt imperitus non debebat permittere ſe judicem fieri juxta illud *Sapient. 7. Noli appetere fieri judex, ſi non poter virtute [i.e. juſtitia] disrumpere iniqvitatem*, alias enim culpam contrahit, & pœnâ fit dignus, prius igitur artem diſcat, qvam exercere cupit, ne hoc ſuo intelligere & exercere faciat, ut nihil tandem intelligat, & temeritatis ſuæ pœnam rependere Lege cogatur. Calvin: *Lexic. verbo imperitia.* Ergò qvi ſuô Conſiliô non confidit, nec alios 3.
fallere debet, aut Domino vel Publico ſuâ imperitiâ functione nocere; ſed potius peritiores adire, aut munus non ſuſcipere. *L. 7. ff. de poſit.* Celſus Burgal. *de dolo lib. 5. cap. 4. n. 17.* qvod locum habet in omnibus iis, qvi artem aliquam profitentur, ac munera publica ſuſcipiunt, veluti in judicibus, Asſesſoribus, Advocatis, aliisve perſonis publicis ad bubulcum usq; & agaſonem, minimæ artis Profesſores *L. 8. §. 1. & L. 52. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* Harpr. *ad §. 8. Inſtit. eod.* Hinc præſtat, eos potius ad judicis 4.
munus vocare, de qvorum peritia, eruditione, prudentia, & praxi in vita anteacta jam tum conſtat, qvam illos qui nullis meritis tales, nec fama teſte probantur; hinc cum Advocatura non 5.
habeat juſtiorem campum, in quo exerceatur, nec qvicqvam ei magis conveniat, qvàm Partes litigantes tàm in civilibus, qvàm criminalibus vel in agendo, accuſando, vel in defendendo, autoritate Conſilio, aut operâ tam verbis quam ſcriptis adjuvare in judicio, Volckman. *in arte Notar. P. 1. Tit. 15. cap. 57. num. 32.* Gail. *lib. 1. Obſ. 34. n. 4.* Rosbach. *Prax. Civ. Tit. 18.* non ſanè lo- 6.
cus eſt, ubi juſtitiam implorantibus magis ſuccurrere poteſt, qvam pro Tribunali judicis munere fungens; Advocatum enim oportet eſſe virum gravi autoritate & exiſtimatione præditum, qui propter excellentem juris Cognitionem, Prudentiam, Elo-

quentiam ac rerum multarum usum in negotiis gravibus & arduis præsertim in forensibus agendis & defendendis sufficit. Rosbach. *d. l. Tit. 18. n. 1.* ex ejusmodi igitur si judex fiat, quisimul
7. & veritatem examinet, & Justitiâ sit ornatus, ut pauld supra in *Præfat. h. Nov.* ex Ziegler. notatum, qvi meliorem judicem eligere licet? Conf. Mev. *P. 4. Dec. 189.* modo tamen ut liberius Decianus *in Apologia adversus Alciatum cap. 19.* inquit, non habuerit lingvam venalem, sic enim dicit, non facile futurum esse bonum judicem.

CAP. II.

Ut Judicibus tantum hac Lege datis Causas delegare liceat.

1. SI qvis majorum judicum delegare voluerit causas iis, qvos definivit C. V. pedaneis judicibus tradat, & alteri omninò nulli, nisi Consiliariis suis particulares commiserit examinationes, ipse verò pro omni negotio judicium portet.

2. *Addit.* Superior Magistratus, qvi jurisdictionem suô jure habet, eam mandare potest *L. 5. ff. de Jurisdict.* non igitur delegatus, nisi sit Principis *L. 5. C. de jurisdict.* vel alius judex dele-
3. gatus, cui hoc specialiter concessum, Zœs. *de jurisdict. n. 49.* Qvod verò Principis delegatum attinet, ab eo merum Imperium subdelegari nequit, quia Princeps committendo alicui causam criminalem personæ industriam elegisse videtur, qvia est causa maximi momenti. Menoch. *lib. 1. art. 1. qv. cas. 54.* Pedaneis au-
4. tem judicibus hic delegari vult Imperator, qui tamen cognitionem tantum non jurisdictionem habebant, maximè causarum humiliorum. *L. ult. C. de pedan. judic.* dicti qvasi agipedes, aut
5. plenipedes, quod non pro tribunali judicarent, sed de plano stantes aut sedentes imo collatitio, aut fortuito scamno, fortuitô
6. cespite Cujac. *ar. C. de Pedaneis judic.* Assessoribus verò vel consiliariis judicum particulares causarum examinationes poterant committi, modo ipsi judices majores ab initio, medio & fine litibus interessent, inprimis litis contestationi, & sic pro omni nego-

negotio judicium portarent, ut hic vult Imperator, & supra notatum *ad Nov. 60. cap. 1.* verb. *Judices majores.*

CAP. III.

De Ordine & Tempore quo Judices sedere debent.

SEdebunt Pedanei judices continue matutino mox, & 1.
meredie, & vespere audientes causas non solum movendas; sed & alias, qvæcunqve jam apud alios secundum antiqvum schema sunt motæ, nunc autem mutari sunt præceptæ.

Add. Judicem ad Jus Litigantibus dicendum semper 2.
præsto esse oportet, absentia sua ipsis Processum non reddere difficilem, nec nisi cum causæ Cognitione dare dilationes *L. 4. C. de dilat.* ubi verò illa necessaria est, non potest dici, qvod tum dilatio ad protrahendam litem concessa intelligatur, cum utiq; concessa non fuisset, nisi de ejus necessitate constitisset. Ut
verò Justitiæ cursus integer relinqvatur, nec partes de 3.
protracta vel denegata rursus justitiâ queri necessum habeant, qvacunqve diei parte jus dici jubet, sic tamen, ne nocturnô tempore sedere opus habeant, & licet aliàs dicatur, tantum valet factum de nocte, quantum de die. *L. 20. C. de Transact.* Illud ta- 4.
men verum videtur tantum de actibus voluntariis, ut Contractibus, & ultimis voluntatibus, qui vel quæ uti valent de die, ita de nocte. Bartol. *ad d. l. 20. C. de Transact. L. 22. §. 6. ff. qvi Testam. fac.* Idem in Transactione, quæ nullum tempus in sanæ mentis homine, & majorenni excludit. Bartol. *ad d. l. 20. C.* A-
liud verò si sint actus necessarii, ut actus judiciales, ita Citatio 5.
de nocte fieri non potest, Lange in *Isagoge ad Proc. Jur. Civ. & Saxon. cap. 36. n. 125.* nec Sententia nocturno tempore dici. Idem
C. 62. n. 7. Brunnem. *ad L. 20. C. de Transact.* torturam tamen no- 6
ctu quoque institui posse & debere statuunt, ne corpus ex cibo in tortura turbetur, tradunt aliqui, licet commodissimum tempus matutinum rectè judicet Carpzov. *Proc. Crimin. qu. 124.* cujus sententiam approbat Brunnem. *Processi. Inqvisit. cap. 8. M. 5.*

nimi

7. *num. 48.* Sic nec investituræ renovationem de nocte esse petendam, tradit Gothofred. Anton. *Disp. Feud. 8. th. 8. lit. A.* Et an Noctu Notarii possint Instrumenta conficere, docet Brinckm.
8. *de Notar. Posit. 30. qv. 44.* Positô autem, actum de nocte volente judice & partibus valere, extrajudicialem tamen esse oportet, ac luminaria simul adesse, *L. 7. §. tria luminaria ff. de ventr. inspic.* quia testes debent cognoscere Partes, quod non fit benè in obscuro. *L. fin. §. sin autem C. de Jure delib.* Bartol. *ad L. 20. C. de Transact.* De probatione eorum, quæ de nocte fiunt, vid. Nicol. Everhard. *in Top. Legalii loco à Natur. n. 2.*

CAP. IV.

De Provocationibus.

1. AB hisce judicibus, si causa à Principe ipsis delegata, ad Judicem Ordinarium appellatur, si verò ab alio judice delegata, appellandum ad Delegantem.

2. *Addit.* Appellare permissum est à quolibet judice tam Superiore, quam Inferiore, tam Ordinario, quam Delegato, sive delegatus sit ad totam causam, sive ad certam partem, tam majore, quam minore, tam Ecclesiastico, quam Laico. *C. omnes 3. C. ad Romanam 6. L. 20. L. 29. L. 31. 32. C. de Appellat.* Gilh. *Arbit. judic. civ. cap. 8. p. 3.* Peretz. *C. Tit. de appellat. n. 6. 7.* Ulterius &
3. à Commissario seu delegato ad committentem seu delegantem, sive sit hic Princeps, sive alius judex Ordinarius, non obstat utrum delegatio ab hoc sponte seu per jus officii sit facta, an jus-
4. su Superioris. Mev. *P. 2. Dec. 11.* inprimis quando Princeps ordinavit judicium qvoddam appellationum velut Ordinarium, vel quod appellari etiam ab ipsiusmet delegatis atqve Commissariis tradit Scaccia *in Tr. de Appellat. qv. 8. art. 11. n. 49.* Ita in Francia à Regiis delegatis appellari ad Curias supremas seu Parlamenta refert Rebuff. *Tr. de Appellat. in pr. n. 33. tom. 3.* & in Regno Neapolitano à regio delegato ad Magnam Curiam Vicariæ. Freccia *de subfeud. lib. 2. act. 33. n. 8.* licet enim Princeps judicis delegati personam approbaverit, non tamen ejus sententiam approbavit, Brunnem *ad L. 2. C. de Appellat.* Cœterum aliud si delegatio facta sit cum Clausl. *Remotâ Appellatione* sic enim posse delegari

delegari habetur in *l.1. §. pen. ff. qvib. appell. licet*, & concernit ea clausula tantum judicem à qvo, eiqve tria hæc tribuit, (1) ut non teneatur Appellationi deferre, sed statim teneatur exeqvi. (2) Ut Appellationi non deferens, non puniatur. (3.) Ut factum post Appellationem non tanqvam attentatum revocetur. Mev. *P.2. dec. 194.* Mynſ. *C.1. Obſ.3.* & Fabric. *ad eam.* Nec facit, qvod Ap- 6.
pellatio ſit defenſio, & ſic ut juris Naturalis à Principe tolli non poſſit, non enim ejusmodi clauſula appoſitâ tolli videtur defenſio, cum ſuperſint alia juris remedia, ut Reviſio, Supplicatio, Reſtitutio in integrum, ſuſpecti qvæſtio; aut etiam Reconventio, notorium qvippe gravamen, & nullitas non cenſetur remota. Scaccia *Tr. de Appellat. qv. 16. n. 20.* Perez. *C. de Appell. n. 9.*

CAPUT V.

De Jurisdictione Judicum pedaneorum.

DEbent hi Judices per ſe cauſas audire juxta formam 1.
Commiſſionis (in textu dicitur juxta ſchema annotationis) ſic enim velocius lites judicabuntur, & circulis cognitionalibus & temporis contritione omnes litigantes liberabuntur. Intra certum tamen terminum ſen- 2.
tentiam promulgare debent, appellatione nulli denegata, niſi forte tertio appellare voluerit, aut contumax fuerit, talibus enim appellationum perimitur ratio.

Add. Hodie Commiſſarii ad perſonam ſuam legitimandam 3.
Reſcriptum Commiſſariale producunt, juxta qvod ſuam qvoqve poteſtatem in modo procedendi metiuntur, Copiam qvoqve ejus inſerunt citationi ad partem, qvo citatæ inde conſtet de Autoritate Citantis, adeò, ut Citatio aliàs ſit vitioſa. Ruland. *de Commiſſar. P.1. lib.5. c.3. n.7.* cui addere ſolent promiſſionem de originali in termino producendo.

Per Circulos Cognitionales litigantes liberari dici poſſe puto, 4.
qvando à pedaneorum judicum conventu & cœtu cognitione cauſæ factâ liberantur, nam *Cognitor* olim erat, qvi præſentis al-

terius causam ut suam tuebatur. Brisson. ex Festo *lib. 3.* & vocem *Circuli* apud Classicos Autores sumi pro cœtu hominum in orbem collecto notat Cicero *lib. 2. Epist. ad Atticum.*

5. Appellationem pedanei judices nemini denegare possunt, nisi forte tertiò appellare voluerit, nam ex pertinacia qvadam ad plurimas appellationes prolabi, & malam sustinere causam videtur appellans Peretz. *C. Ne liceat in una eademq.* nec jura præsumunt, aliqvem toties in una eademqve causa gravari. *C. A.*
6. *tit. de Appellat. th. 12. n. 13.* Cœterum pro ampliando Imperii jurisdictione, & ne Autoritas Summi Principis, cum in ejus præjudicium inferior Magistratus tres instantias facere possit, eluderetur, exceptio trium conformium sententiarum contra jus Com-
7. mune in Camera non attenditur; sed tertias, qvartas, & ulteriores recipit Appellationes, inferiores judices variis suis instantiis Imperatori præjudicare non possunt; idem est de jure Saxonico, ubi ob beneficium Leuterationis, & plures instantias dispositio *L. unica Ne liceat in una* abrogata. Carpzov. *lib. 3. Resp. 10. tit. 10. Resp.*
8. *101.* v. Mev. *P. 1. Dec. 63.* De jure Würtenb. bis tantum appellare licet, ut ex Bonero *Class. 6. D. 34. n. 1.* refert Eberhard. Fabric. *Gail. Enucl. lib. 1. ad Obs. 72.* ubi refert *Mindan. lib. 2. cap. 27.* optantem, ut vigori pristino restitueretur Constitutio in *L. un. C. Ne liceat in una eademq.* v. ejus Frater Dn. Weipert. Ludovic. Fabric. *ad Observat.*
9. *Mynf. c. 1. obs. 15.* Non etiam conceditur appellatio Contumaci *L. 73. §. ult. ff. de judic. L. 13 § 4. in f. ibid.* & ubi notoria est contumacia, nec potest peti restitutio in integrum Mev. *P. 4. decis. 329.* qvæ vera dicit esse Brunnem. *ad L. 1. C. Qvor. Appellat. non recip.* in eo, qvi contumax est in non veniendo, secus autem si contumax in non exhibendo, vel in non jurando de calumnia. Brunnem. *ibid.*

CAP. VI.

De Appellationibus, ut cursum duorum mensium habeant nullaqve amplius conceditur reparatio.

Appel-

APpellationum fatalia post lapsum duorum mensium 1.
â die interpositionis currere incipiunt, & postea qvæ
LL. vocatur *reparatio* i.e. Restitutio in integrum locum non habet.

Add. De fatalibus *interponendæ* & *introducendæ* Appellationis 2.
dictum fuit supra *ad Nov. 23. c. 1. in Addit & de justificanda ad Nov. 49. c. 1.* ubi B. Lectorem remitto.

CAP. VII.

Ut sportularum modus Lege Justiniani introductus servetur.

PRohibet Imperator, ne Sportularum modus determi- 1.
natus excedatur.

§. 1. Mandat, ut qvilibet Judex duobus utatur exce- 2.
ptoribus, & duobus causas præperantibus & complentibus, qvi debent esse locupletes & probati, ne qvid ab eis peccetur, neqve prodatur, neqve maligne agatur, vel si qvid ab eis peccatur, ad illos qui eos deputant, exinde periculum referatur, qvi omne damnum eorum causa
factum iis, qvi ab eis læsi sunt, restituant. Ergò si judex 3.
aliqvam senserit malignitatem â qvodam ministrantium fieri, expellat auditorio suo eos, alios autem instituat sententia & electione eorum qvibus hoc periculi est.

Add. Modus Sportularum definitur & sancitur *C. de proxi- 4.
mis Sacrorum Scrin,* ut in judicio Provinciali dimidium tantum Sportularum, qvæ in urbe exiguntur, solvant, utqve in judicio Præfecti urbis eadem sit sportularum ratio, qvæ in judicio Magistri, si verò judicium ab his sit aliis delegatum, non majores, quàm coram Arbitris solent, solvantur sportulæ, & si ex scripto
non conveniantur, sine ullis sportulis judicium procedat, qvod 5.
privilegium sportularum communicatur etiam eorum adversariis,
qvia inter litigantes debet esse æqualitas *l. 2. C. d. t.* Patet tamen 6.
ex *h. N. C.* judices non posse Sportularum qvantitatem pro lubitu augere, qvod tamen sæpe faciunt, ob id acriter puniendi.

Brunnem. *ad d. t. n. 17.* Militantes verò aut memoriales in provinciis litem moventes, aut si ipsis moveatur, sportularum nomine nihil præstant, sed tantum unum solidum Executoribus agentium in rebus & cum judicium ingrediuntur, duos solidos, pro editione gestorum dimidium solidum, Peretz C. *d. t. n. 18. & n. 19.* putat, non fuisse datas sportulas judicibus sine scripto cognoscentibus, uti nec hodie si causa sit exiguæ qvantitatis aut pauperum, aut vilium personarum. v. supra *Nov. 17. C 3.*

7. *Ad §. 1.* Exceptores duos per qvos hic Secretarios *Schreiber* intelligi puto, permittit Imperator judicibus homines tamen probatos, qvi nihil peccent, & nihil prodant, nam taciturnitas præcipua Secretarii virtus est, & à Secreto qvod secum condere

8. debet, nomen habet, nam sicut urbs patens, & absq; murorum ambitu, ita vir qvi non potest cohibere in loqvendo Spiritum suum. *Proverb. XXV. 29.* unde prudenter Prometheum monebat Octavius apud Æschylum *in Tragædia Prometh. ligati.*

Tu autem tace, neq; nimis liberè loqvaris
Annon accurate scis, cum sis valde sapiens,
Lingua temeraria accidere damnum?

9. Panchus Monachus qvidem celeberrimus, qvod refert Socrates *lib. 8. histor.* cum sine literis esset, accessit ad Psalmum qvendam, & cum audisset primum versum *Ps. 38. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinqvam in lingua mea,* secundum versum non est passus audire dicens, si potuero opere hoc implere, hic versus tantummodo mihi sufficit, cumque Doctor, qvi ei tradiderat versum, eum culparet, cur per 6. menses ad se minimè venisset, respondit, qvia versum adhuc minimè opere impleverat, & dum postea per multos supervixisset annos, rogatus, annon didicisset

10. versum? respondit 49. annis vix eum implere valui. Homerus studiosè videtur sapientissimos ferè semper finxisse silentes, aut certè pauciloquos, Thercitem verò Morionem, vituperatione dignum arguit, qvia garrulus, loqvax, importunus, & ideò seditiosus, adeò juxta illud Ovid. *lib. 2. de art. am.*

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa, tacenda loqvi.

11. v. Drexelius egregio libello *de vitiis linguæ C. 23. de Garrula lingua.*

Et

Et sane constat, eos qvi perfectiorem doctrinam apud Antiqvos profitebantur, silentia qvandoqve fovisse, qvod teste Luciano in Gallo ἐχεμυθίαν dicebant, qvam Gell. *Noct. Att. lib. 1. c. 9.* qvos 5. annorum silentium exercuisse refert. Svidas meminit tres studii gradus fuisse; Auditorum silentium, Mathematicorũ, & Physicorum, qvo pertinet tota illa Philosophia Harpocratis, qvi silere tantum docebat, unde & silentii Deus habitus & simulacrum ejus in Sacris Isidis & Serapidis fuit genitum, digito comprimens labia, ut silentii omnes admoneret. v. Salmuth. *ad res memorab. Pancirolli. P. 2. tit. 10.*

CAP. IIX.

Ut in locum remoti Judicis alius à Principe surrogetur.

Ergò non aliter in ejus succedat auditorium, nisi Imperator id ipse decreverit, aliiqve tradiderit pro eo causarum examinationem. 1.

Addit. Sicuti Princeps Supremus Judices & alios Ministros 2.
vigore Superioritatis territorialis constituit, ita qvoqve eodem jure deficientibus, morte vel renunciatione, vel propter absentiam in demortuorum vel absentiũ locum alios surrogat, nam juxta Angelum *rubr. ff. de Jurisdict.* Princeps est fons, à qvo tan- 3.
qvam rivuli manant ipsi Magistratus, atqve omnis eorum jurisdictio & juxta Baldum *ad L. 5. C. de precib. Imper. offer.* sicuti omnia flumina per montes terræ fluunt à mari, & ad mare revertuntur, eodem qvoq; modo omnia officia & munera publica aut morte, aut renunciatione, vel remotione resoluta & aperta ad Principem concedentem redeunt. Ideò Princeps ad exemplum 4.
hortulani in locum arborum demortuarum aut transplantatarum judicibus è vivis sublatis alios surrogat; non tamen aliter renunciatio valet, qvàm in manus Domini. *L. 20. ff. de Offic. Præs.* sicuti enim nec vitæ nec membrorum suorum qvis est Dominus *L. liber homo 13. ff. ad L. Aqvil.* ita nec suæ dignitatis. Idem qvoq; 5.
dicendum de remotione ab officio concredito, cujus remotio ad ipsum Principem spectat, cum ea qvæ sunt jurisdictionis sint

de jure Civili; At vetante eo, qui jurisdictionem concessit ea
6. revocatur. *L. 58. ff. de judic.* Ideò qvoq; Princeps ad lubitum suæ voluntatis jurisdictionis administrationem tollere potest, est enim naturæ æqvum, tamdiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem, inqvit JCtus Ulpian. *in L. 2. §. 2. ff. de precario.* nec justè de eo conqveri potest judex remotus, aut sibi injuriam ea revocatione fieri, contendere, cum juris executio injuriam non habeat, *L. 13. §. 15. qvi ff. de injur.* quia verò magni præjudicii est à munere depositio, fortunas & famam contingens, ideoqve non temerè leviterq; eam tractat Princeps. Mev. *P. 7. Dec. 27.* sed bene antea rem pependit, & pendente cognitione licet officium retineat, administrationem tamen auffert, aut ab ea suspendit, quando scilicet delictum tale est, ut idcirco ab officio removeri possit. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 7. art. 5.* Conf. *P. 6. Dec. 44.* Bene
7. verò dicit Brunnem. *ad Tit. C. de Prox. Sacr. Scrin. n. 27.* in surrogationibus Officiorum locum esse Edicto Successorio, ut si v. gr. Camerarius Senior non affectet dignitatem Consularem proximus post eum admittatur, nisi constet de fraudibus & mala administratione, qvod in præjudicium civitatis multa qveat invertere & publico præjudicium facere, quo casu vel prorsus removeri dignus esset. Et optimè facit Princeps, ut in conferendis
8. dignitatibus graduum habeat rationem, nec juniorem Ducem præferat majori in surrogatione, qva ratione tristes sæpe casus & funesta bella suboriuntur, nam inter pares dignitates tempore prior potior qvoqve jure sit, Peretz. *C. ut dignitatum Ordo s. u vel n. 4.* & ascendendo non descendendo debent honores conferri. Bald. *ad L. 2. C. qvemadm. civil. L. ut gradatim 2. pr. ff. de muner. & honor.* vide Canonistæ *ad Tit. Decret. de Clerico per saltum promoto.*

CAP. IX.

Ut duos in exordio, & duos in fine litis aureos accipiant pedanei judice.

Ultra

ULtra hoc, nihil accipere debere ſancit; ſed hiſce con- 1.
tentos ſolis, ſed hæc intelligenda de litibus tranſcendentibus qvantitatem aureorum 100; nam ſi usqve ad hoc menſura litium fuerit, nihil audientiæ cauſa vult exigi, nam qvi ſic parvæ qvantitatis facit exactionem, pro maxima parte pauperem victoria fraudat. Ulteri- 2.
us & de proprio ipſis pedaneis largitur Imperator; Vult enim unumqvemqve pedaneorum annis ſingulis á menſa Præfecti prætorio percipere duas libras auri, & his eſſe contentum ſolis, & neqve redimi, & aurum omninò deſpicere; ut adeò unusqvisqve contentus largitate Imperatoria & qvaternis aureis puras DEO, & Imperatori & Legi cuſtodiat manus, cogitans, qvæ â prioribus Legislatoribus de his ſunt definita.

Add. Hodie judicibus Ordinariis & Officialibus Salarium à 3.
Principe vel Rep. habentibus Sportulæ nullæ debentur, qvod *Ordinat. Judiciali Bremenſi de Anno 1453. P. 2. ſent. 2. Ordinat. p. 1. tit. 12. §. 2. Brunſv. L. O. A. 1629. Art. wiewol 48. Holſtein. Regier. Vergl. de 1564.* & aliis paſſim probat Giſebertus *peric. ſtatut. Artic. 16.* non attento, qvod in aliis judiciis & in Inſtantia Superiori po- 4.
tuerit prævalere conſvetudo, ut inſuper annuente Principe à privatis exigi poſſint ob annonæ caritatem, æris veteris immutationem, & anguſtias ærarii, & propter has cauſas, aliasve pleræq; cæteræ Curiæ noſtrorum populorum recentiores & antiqviores juſtum duxerunt à partibus exigi & exſolvi, ejusve qvantitatem, vel arbitrio reliqverunt, vel variæ determinarunt, ut variis judiciorum ordinationibus & locorum ſtatutis allegatis more ſuô probat d. Giſeb. *art. 16. n. 149.* Vult autem Imperator, ut in Rubri- 5.
cа videre eſt, duos in Exordio litis, alios duos in fine ejus exigi, ſed d. Giſebertus *Juſtin. Harmon. Tit. de Act. §. 24. n. 921.* nullas ſolvendas ante Litem Conteſt. qvod tamen tunc locum habere dicit, qvando Reviſionis beneficio uſurus ab initio ſtatim, & priusqvam eò admittatur pecuniam cautionis loco deponere opus habet, qvod ibi etiam variis judiciorum ordinationibus allegatis probat. Interea tamen, qvod pro munere judicandi judici 6.
ipſi

ipsi sportularum nomine solvendum est, ab initio litis statim multis locis exponi probat *Justin. Harmon. d. l. num. 935. Br. Wulffb. Hoffg. Ord. de 1559. von den Sport. 26. pr.* Sax. Elect. *L. U. H.G.O. Lips. de An. 1548. von den Sporteln 18.* Sax. Jen. *Hoffg. O. de 1566. von den Sport. 16. & de 1635. c. 21. pr.* Würtenb. Land-R. *de 1567. & 1610. P. 1. von den*
7. *Sport.* Imperatoris verò determinationem Sportularum h. C. dicit sequi Br. Wulff. L. A. *de An. 1597. circa Concl. & Calenb.* L. A. *de 1601. Art. 2. §. ult.* & in Wulffenb. *de 1619. Art. ob auch 7.* & à data sententia demum exigi volunt, quia tunc demum constare potest, qvod plus debito non exigatur. v. Giseb. *d. l. n. 936. 937.*

CAP. X.

Ut Judex rationem Expensarum examinet.

1. SI semel Victori à judice jusjurandum super Expensis delatum, prævià tamen moderatione, qvam taxationem vocant LL. qvæ visa est judici recte se habere, non poterit postmodum judex minoris, qvàm juratum est condemnare, nec videri clementior Lege, qvæ hæc disponit. Qvod si nemo forsan ob causæ varietatem in expensas condemnandus, ipse judex in sententia id exprimat.

2. *Addit.* Debent autem prius taxari expensæ à judice *h. C. & Auth. post jusjurandum C. de judic.* postea pars jurat *L. 9. C. unde vi.* quia hoc juramentum est veritatis, secus in juramento affectionis, ubi post jusjuraudum judex moderatur, qvia de ipsa affectione tantum præstatur, nec juramentum hoc in desvetudinem
3. abiit. Demum seqvitur Adjudicatio, qvæ tamen non in minus fieri debet, qvàm est taxatum & juratum, altera tamen pars appellare potest *C. 1. & 3. X. de Appell. in 6to.* & deducit Brunnem. *ex L. 15. C. & d. Auth. post jusjurandum.* In moderationibus expensarum ad solitum & honestum morem esse respiciendum. Cæte-
4. rum qvod attinet porrò expensas, licet verum sit, reguraliter victum victori in expensas condemnandum, adeò, ut si judex in sententia sua expensarum eas vel compensando, vel Victori adju-

adjudicando mentionem non faciat, litem suam facere dicatur, easque Victori de suo refundere teneatur. *L. 13. §. 6. L. 15. C. de judic.* idqve locum habet tam in Extrajudicialibus, ut sunt viatica, & salaria Advocatorum, qvàm judicialibus, qvalia sunt mer- 5.
cedes judicantium, qvæq; Notariis & Scribis pro Citationibus, pro examine testium, aut scribendis actis debentur, &c. verum tamen est, si Expensæ nominatim sint petitæ, si enim non sint 6.
petitæ, judex eas silentiô impunè præterire potest, qvia causa expensarum separata est à causa principali, nec debentur expensæ jure actionis; sed judicis Officio, qvi illud nisi imploratus, impertitur. vid. Mev. *P. 1. Dec. 157.* Caveant igitur Advocati, 7.
ne intermittant expensarum adjudicationem petere, si hoc enim neglexerint, & sententiam in qva sunt expensæ præteritæ vires rei judicatæ accipere passi fuerint, postea eos petere non possunt, vid. Mev. *P. 3. Dec. 293.* nisi in stipulatum specialiter sint deductæ, ubi & post latam sententiam jure peculiaris actionis ex conventione locum habet, qvæ verò non ex speciali conventione; sed judicis Officio debentur, post litem finitam amplius peti non 8.
possunt, cum sic officio judicis ulterior locus non sit. *L. 55. ff. de re judic. l. 4. C. depos. l. 3. C. de fructib. & lit. Exp.* Carpz. *P. 1. C. 31. def. 21. 22.* licet negandum non sit posse judicem victum in expensas condemnare, ex officio, Parte etiam non petente *L. 25. §. 8. ff. de Æ. E. l. 31. ff. de reb. Cred.* Celeri tamen Processu expen- 9.
sarum causa facienda omnisqve in eo circuitus est faciendus, ideoque postqvam designatio editur, statim ejus copia juxtimq; brevis terminus victo ad proferendum, si quid ad veritatem vel taxationem faciens, proferre habeat decernitur. Mev. *P. 2. dec. 359.* Non tamen, ut Processum expensarum finiat statim, si Patre defuncto filium hæredem in expensas condemnabit, maximè in retardati Processus *L. per hanc 4. C. de tempor. Appell. C. Exceptionem X. de Except.* qvia ex delicto contumaciæ irrogantur, ad qvod hæres non tenetur, cum actione ex delicto non obligetur *§. 9. I. ad L. Aqvil.* nec condemnatur, cum probabilis est ejus facti de qvo contenditur ignorantia. *P. 8. dec. 335.* Nisi in bona defuncti suc- 10.
cedat, sic enim cum sentiat commodum, nec incommodum sentire recusabit. *L. 10. ff. de R. I.* inprimis cum majori alterius partis

incommodo atq; graviore improbitate malitiosè litem protrahere repertus est, nec hoc agere, ut jus deducat, & conseqvatur; sed omissis legitimis allegationibus protelaverit disputationes, & adversarium sumtibus in omnibus vexaverit per omne tempus ex qvo calumniosè litigavit, qvod ad judicis arbitrium meritò spectat expendere, in qvo alterius partis excedit temeritas dicente Mevio *P. 7. dec. 241.*

CAP. XI.

Ut arbitri per compromissum, non per Sacramentum assumantur.

1 IMperator vult nullum fieri omnino judicem arbitralem, & cum jurisjurandi cautione judicare, ne ex hoc in perjurium invitum incidant homines propter judicum ignorantiam pejerare compulsi; sed omninò qvi judicem, aut judices eligunt, cum pœna eligant eos, qvatenus partes ad invicem coëant, & necessitatem habeant, aut contentæ esse judicio, aut si alter retractare voluerit, det multam, & sic licentiam habeat reus discedere ab iis qvæ judicata sunt, & ad aliud venire auditorium, Imperatoris judicibus si aditi fuerint, multam exigentibus, iisq;
2 qvi jussi sunt eam accipere, restitui præparantibus. Ergò qvi judices eligunt, nec pœnam stipulantur, sed cautionem ex jurejurando sibi sufficere existimant, judices verò sive lecti postea noceant eis ex studio, à Domino DEO pœnas perjurii disponebunt, si autem ex ignorantia, nec permittit Imperator litigantes damnum sustinere ob judicantium ignorantiam, scilicet non firmius, qvàm si aliàs sine juramento obligatæ fuissent.

3 *Add.* Per *h. Novell. c. 9.* antiqvata est *L. 4. C. de Rescript.* nam vult expressè hic Imper. ne Arbiter cum jurisjurandi cautione judicet ob rationem subjunctam; sed communi partium promissione, & constipulatione sub pœna assumatur; Et pertinet, ut docet Lang. in Isagog. *ad Process. Juris Civ. & Saxon. cap. 6. n. 16. & seqq.*

ad

ad formam hujusmodi compromissi respectu partium reciproca eorum promissio sub mutua pecuniæ mentione *L. 3. §. 2. ff. de recept.* reqviritur, qvam promissionem tradit, moribus præsertim hodiernis & de jure Naturali Hahn. ad Wesenb. *d. l. n. 2.* nudô qvartô perfici. Sicuti autem Arbitria non nisi ex voluntate 4.
suscipiuntur, ita Superioribus in causis ad se non pertinentibus eadem obtrudere fas non est, nisi qvando arbitrium magis qværetur per modum relationis, qvàm compromissi, ut si inferior judex consensu partium ex lite coram se agitata ad Superius refert, cujus definitionem vel solius illius esse putat, vel etiam sic reperit difficilem, ut superioris non modò consiliô; sed præ- 5.
scriptô qvodam egeat. Mev. *P. 7. Dec. 96.* unde tamen non seqvitur, nullô casu ab arbitrium laudo posse appellari, qvippe reductio hodiè indistincte peti potest. Sande *lib. 1. tit. 11. def. Fris. 1.* & qvidem apud eum, qvi aliàs judex ordinarius erat futurus. Gail. *lib. 1. Obs. 149.* Et licet intra 30. annos ad arbitrium boni 6.
viri reduci posse vulgò autument Doctores, id tamen Bachov. ad Wesenb. commentitium recte vocat, cum *L. 5. C. de recept.* sit generalis teste Brunnem. & utiq; litium finis esse debeat. Valet igitur Appellatio ab arbitri sententia, si enormissimam conti- 7.
neat læsionem, Gail. *lib. 1. Obs. 150. C. A. thes. 61.* aut si turpe qvid contineat, vel alia ex causa nulla sit, *L. 27. §. 7. & 8. ff. L. 1. C. de arbitr.* aut ex gratia, vel amicitia, & per sordes lata sit, sic enim exceptio doli competit, *L. 32. §. 14. ff. & L. C. de arbitr.* aut partes iniqvitatis qverelam sibi reservarint. vid. Mynsing. *C. 4. Obs. 48.* vid. Brunnem. *ad L. 2. ff. de Arbitr.* Actionem verò aut Exceptio- 8.
nem rei judicatæ arbitri sententia licet non pareat, Mev. *P. 8. Decis. 12.* Partes tamen ejus sententiæ parere coguntur, vel per *directum* actione in factum, & exceptione pacti, non qvidem coram arbitro; sed coram judice ordinario. Lauterb. *ad ff. de recept.* aut per *indirectum* actione ad pœnam, vel si hæc non fuerit 9.
stipulata ad interesse *L. 27. §. fin. eod.* qvô præstitô à judicatis receditur, & causa agitur de novo coram judice ordinario. *Auth. Decernit C. de Rec.* Fransc. *de Recept. tit. ff. n. 28.* nisi expresse fuerit conventum, qvod pœna salvô laudo præstari debeat, Gail. *L. 1. Observ. 150. n. 3. seqq.* plures limitationes habet Brunnem. *ad d. auth. decernit.* vid. Dn. Fabric. *ad Mynsing. cap. 3. Observ. 14.*

CAP. XII.

De Appellationibus & ne cui eas recipere liceat.

1. INjungit judicibus, ut omnibus modis suscipiant Appellationes, nec Appellantes repellant, nisi à Præfecti Prætorio sententia appelletur, qvæ non suscipitur.

2. *Addit.* Appellatio utpote defensionem continens, nemini facilè deneganda, est enim, ut Nonnemo vocat eam thereaca contra injustæ sententiæ venenum, & suspendit priorem sententiam, *L. 6. §. 1. ff. de his qvi not. infam.* & jurisdictionem judicis à qvo, ita, ut si pergat, ante omnia hæc attentata sint rescindenda scil. ratione status præsentis. *t. t. ff. Nihil novari Appellat. interposit.* vid. Lancellott. *de Attentatis.* non verò suscipienda, si manifestò sit
3. frivola, *L. ult. ff. de appellat. recip.* vel si sit à Præfecto Prætorio, qvæ tamen si gravamen contineat, *retractationis* remedium concedit Imperator, id est judicium Revisorium, de qvo vid. Illust. Dn. de Rhetz. *Jur. pub. l. 4.* Fibig. *in Proc. P. ult.* aut si sit à Senatu Summo. *L. 1. §. 1. ff. à qvib. appell. licet.* aut hodie ab Electoribus, qvi indistinctè privilegio de non appellando gaudent, non solùm per *A. B. C. 11.* de quo jure remiserant aliqui eorum; sed novissimè per specialia privilegia renovata & confirmata, & sic
4. *Elector Moguntinus* hoc privilegium recepit die 20. April. A. 1654. exceptis casibus denegatæ justitiæ, & qvidem juxta tenorem privilegii Ferdinandi III. Ratisb. 30. Aprill. 1654. confirmatum in Camera Spirensi die 9. Martii Anno 1655. *Sollen Ihre Churfürstliche Gnaden dero Unter- Ober- und Hof-Gericht nothdürfftiglich be-*
5. *stellen, und ein* Judicium revisorium *anordnen. Elector Trevir.* autem illud privilegium renovari non curavit, Blum. *Proc. Camer. tit. 46. n. 32.* sed concessit appellationi à Sententiis in petitorio latis, ubi Summa 1000. fl. Rhenens. in auro excedit. *Elector. Colon.* recepit d. 13. Septemb, anno 1653. *Elector Bavariæ* accepit una cum Electoratu A. 1638. d. 28. Aug. qvod in Camera A. 1644. d. 21. April. confirmatum, cum extensione *auff die Ober-Phaltz.*
6. *Elector Saxoniæ & Brandenburg.* semper hoc privilegium de Non appel-

appellando à tempore A. B. salvum retinuerunt, & qvidem Elector. Saxoniæ ad omnes Saxoniæ provincias est extensum, Brandenburgens. verò ad Principes cœteros Brandenburg. non extenditur. Blum. *Processʃ. Camer. Tit. 47. n. Chur-Saschen, Chur-Brandenburg.* Limn. *lib. 3. Jur. Publ. C. 10. n. 37.* Gilh. *Arbor. Judic. Civ. P. 3. C. 31.* Berlich *P. 1. Concl. 50.* Carpzov. *Proc. tit. 18. Art. 1. n. 9.* Elector Palatinus hodie gaudet etiam Privilegio de Non appellando illimitato *auff dero Chur- und Fürstenthum der Unter-Pfaltz und zugehörigen Lande* vigore Privilegii Ferdinandi III. de dato Prag. d. 17. Julii A. 1652. Præter Electores alii Principes & sta- 7.
tus talia privilegia habent, qvos inter est Rex Sveciæ tanqvam Princeps Imperii ratione Ducatus Bremensis & Verdensis ex privilegio Ferdinandi III. Imperatoris vigore *Instrum. Pac. art. 10. §. deinde concedit.* & alii qvos recenset Scharschmidt *ad Exercit. J. Publ. Justi Synold Schützen 7. ad th. 26.* vid. Schweder. *Jur. Publ. Part. Spec. Sect. 1, cap. 11. §. 2.* Myler. ab Ehrenb. *Addit. ad Rumel. A. Bull. P. 2. Disert. 2. th. 4.*

CAP. XIII.

De Diversis Rescriptis ad Judices directis.

I. OMnis Judex sive dignitatem habeat, sive aliter ju- 1.
dicet, custodiat LL. & secundum eas proferat sententias, imò si vel jussio Imperatoria in medium, vel si sacra forma, vel si pragmatica procedat Sanctio, aliter agi dicens, Legem sequatur tamen, vult enim obtinere Imperator, qvod suæ volunt LL.

II. Qvod si sub Appellatione lis fiat, auxilium circa 2.
Appellationes omnibus adjaceat, per qvod licet læso & qveri, & mereri correctionem, vel ab iis, qvi de appellatione judicant, vel ab Imperatore ipso, si ad ipsum sententia referatur.

Addit. Qvod hic Imperator sancit, idem jam tum *in L. nemo* 3.
13. C. de sentent. & interloc. ann. jud. pr. Inst. de Off. jud. & Nov. 18. c. 5. sancivit, scilicet; Omnes Judices veritatem & LL. & justitiæ ve-

 stigia

ıligia seqvi debere; Nec enim ipsis permissum est, qvô velint modô judicare; sed cavere qvàm maximè debent, ne aliter judicent, qvàm LL. aut moribus est proditum *d. l. & Auth. jubemus*
4. *C. de judic.* Est enim judex minister L. non arbiter, & sic cum Leges institutæ, non est liberum judicare de ipsis; sed oportebit judicare secundum ipsas. Gratianus *C. 3. dist. 4.* cum in eum finem sit Lex promulgata, ut normam præscribat, & regulam. Frustra sanè LL. scriberentur, si judicibus ab illis recedere, & jus suô arbitriô fingere liceret. vid. Ziegler. *Dicast. Concl. 36 §. 3. & 5.*
5. *& ad Lancellott. lib. 3. tit. 15. §. 10.* & ampl. Imperator sententiam suam, ut non à LL. scitis recedat, qvamvis proferatur Pragmatica Imperatoria Sanctio, vel similis causæ præjudicium ostendatur, potest enim illa esse surrepta Principi, & potest hic in simili, vel etiam in eadem causa instructior esse alio in agendo, probando, & defendendo, & licet omnia paria sint, nancisci tamen potest æqviorem & magis religiosum judicem, qvi majorem LL. habet intellectum & melius secundum eas judicat,
6. qvàm alius. Nec sanè ex præjudiciis debet sententia ferri, dum non attendendum, qvid Romæ fiat; sed qvid fieri debeat, taceo, minimam Circumstantiam variare juris applicationem, & vix 100. casum alteri per omnia similem esse, & plerumqve ejus rationes decidendi ignorari, ut vel ex hac unica ratione præjudiciorum autoritas non parum labascat, qvando enim vel in minimo differt allegatum præjudicium, nihil relevat. Blum. *Process. Cam. Tit. 2. n. 25.* Unde valde periculosum esse, non inspectis actis præjudiciis seqvi docet, Klock. *Relation. Cameral. 5ta n. 435.*
7. Conf. Mev. *P. 5. dec. 282. & infra Nov. 113. Cap. 1.* Appellatio ut juris Naturalis nemini deneganda v. Treutl. *D. 33. th. 2. lit. A.* hinc in Proverbii consvetudinem venit, *Appelliren, und mendiciren sey niemand verbothen,* i. e. appellare & mendicare nulli prohibitum, qvod allegat Nicolai *Proc. P. 2. c. 1. n. 3.* qvia verò ut *C. præced.* dictum, priorem suspendit sententiam, auxilium in secunda instantia, ut Imp. hic loqvitur omnibus adjacebit sic, ut qvæ in prima instantia post L. Cont. proponi potuissent, etiam in Appellat. instantia admittantur, & ita appellans adjuvetur. vid. Brunn.
8. *Proc. Civ. C. 28. n. 86. & seqq.* si forte primæ instantiæ judex eadem admit-

admittere noluit item juvetur, si ordinem processus perverterit judex, saltem ut appellanti noceret, licet aliàs causa appellabilis non sit. Mev. *P. 1. Dec. 77.* vel si contra jus constitutionis v. gr. 9.
pronunciavit numerum liberorum justum non excusare à Tutela *argt. §. 1. I. de Excus. Tut.* aut etiam contra jus litigatoris *l. 1. §. 2. ff. qvæ sentent. sine Appellat. l. 2. C. eod.* & qvæ sunt centum alia passim à Dd. aliundè proposita. Hisce casibus vel Consiliarii ad judi- 10.
cium Appellationum ordinati causam examinant, vel etiam ipse Princeps S. pro tribunali suo, imprimis si viduas, pupillos, vel miserabiles personas concernat, *L. unic. C. Qvando Imper. inter pupill.* vel possunt litigantes, si potentiam vel Majestatem Principis S. perhorrescant, indicare, se malle ad judicem à qvo redire, ibiq; 11.
deductis nullitatibus causæqve meritis mediante transmissione Actorum ad Collegium JCtorum sententiam exspectare, & minoribus impendiis causam producere, qvod S. Principem posse, & partibus petentibus nonnunqvam velle, dubitare non licet, Mev. *P. 1. Dec. 80.*

CAP. XIV.

De Relationibus.

SI judicibus dubium aliqvod obvenerit, possunt de eo 1.
nunciare, & consulere Imperatorem, ut discant, qvæ necessaria sunt, & ita qvod agendum est, explicent, & faciant justa simul, & rationabilia judicia.

Add. Licet LL. manifesta debeat adesse decisio sine obscu- 2.
ritate mentis non involuta, aut dubia *c. erit autem Lex D. 4.* ne captionem aliqvam continere possit, qvia debent esse omnibus pro norma vivendi, tam ignavis, qvam mulieribus & pueris, *Nov. 77. Leon. Imper. L. 9. C. de LL.* & jus certum & definitum est, vid. *L. 2. & L. 9. ff. de jur. & f. ignor.* Nonnunqvam tamen LL. vel 3.
Rescripta Principum dubitabilem judicibus vel assessoribus sensum faciunt, qvem nec ex usuali, vel doctrinali asseqvi possunt interpretatione; sed authenticam ipsius S. Principis petere necessum habent. Cum verò Principis Rescriptum jure Communi sese confirmare teneatur, verba etiam ejus in dubio ex jure Communi interpretationem sument. Marta *de Jurisdict. P. 2. C. 40. n. 25.*

4. *n. 25.* Gail. *lib. 1. Observ. 33. n. 6.* Nec enim credibile est, Principem voluisse quippiam contra jura disponere, nisi ex rescripto expresse appareat. Gratianus *Disceptat. forens. Tom. 3. C. 421. n. 41.* vel etiam verba sunt intelligenda secundum intentionem, mentem, ac voluntatem Rescribentis, qvippe ex hac & intellectu rescribentes vim omnem recipit, & nunqvam ad id trahitur Rescriptum, qvod verisimiliter Princeps non fuisset concessurus. vid. Octavian. Cacheranus *Decis. 90. n. 18.* Petr. Philip. Corneus
5. *Consil. 235. n. 10.* Cœterum si casibus hisce omnibus non constet de tenore LL. & Rescripti Principis, cum jus suppleat Princeps, de cujus intellectu dubitat judex, non factum, Relatio ab hoc ad illum est facienda, ut intelligat, qvid sit pronunciandum. *L. 1. C. de Relat. L. 22. 26. ff. de Appellat.* Est verò juxta Brunnem. *ad L.*
6. *Si qvis 1. C. de Relation.* qvintuplex judicum Relatio 1. ex natura causæ Principi reservatæ. 2. Delegati judicis ad delegantem ex rescripto. 3. Ad Consilium Sapientum perqvirendum. 4. Post Appellationem qvando transmittuntur Acta. 5. Qvæ ob difficultatem fit in puncto juris, qvæ ultima hujus loci est, & hæc omnes omninò causas, & facti circumstantias comprehendat, una cum transmissione Actorum, ut si dubium occurrat ad Acta recurri, & ex his Relatio explicari possit. *L. ult. C. de Relat.*
7. Omnia verò tunc integrè debent edi, qvæcunqve ad litem pertinent, & semel pars Actorum reddita fuerunt, Mev. *P. 2. Dec. 62.* & in dubio completè edita præsumuntur. Idem *P. 5. Decis. 137.* Ejusmodi verò Relatione ad Principem factâ inferioris jurisdictio est suspensa, & sicut pendente Appellatione nihil innovandum est, ita nec factâ relatione, donec responderit Princeps.
8. Mev. *P. 1. Decis. 245. & P. 2. Dec. 197. & P. 6. Dec. 418.* Atque ejusmodi Relationes ab inferioribus ad superiores Judices fieri freqventer adhuc hodie satis constat Mev. *P. 7. Decis. 96. n. 8. 9.* & dicente Gudelino *de Jure Noviss. lib. 6. cap. 12. vers. Tametsi.* cernimus pagis vel oppidis minoribus eam legem datam, ut Magistratus eorum locorum ad Magistratum urbis majoris, vel metropolis referat, à qvo formam judicandi accipiat, qvin etiam nonnullis locis minimè arbitrio judicum relictum, sed ita præceptum est, ut sententia, qvam aliter tulerint, minimè valeat, qvod meritò debet locum habere in Criminalibus; Nam si Asses-

sores

sores dixerint, se inqvisiti confessionem audivisse antea, non statim judex eum condemnabit; sed prius acta transmittat ad JCtos, eorumqve requirat Consilium, qvid tali casu faciendum sit, vid. Oldekop. *Tract. 2. contra Carpzov. Decad. 2. qvæst. 5.* In multis locis usu obtinuit, ut si reus confessionem suam in banco Juris in ultimo alias executioni destinato die negaverit, prius ad carcerem remittatur, ut interea temporis judices & Assessores se plenius informare, & tandem qvid pronunciandum sit, Jurisperitorum Consilia exqvirere possint, quod sanè & tutius est, qvam si statim reus, facta revocatione ad supplicium trahatur. vid. Ddr. *ad Art. 91. Const. Crim. Caroli V.* Conf. cum hac Nov. *infr. N. 86.* 9. 10.

NOV. LXXXIII.

Ut Clerici apud proprios Episcopos primum conveniantur, & post hoc apud civiles judices.

PRÆFATIO.

SI qvis habeat adversus Monachos qvandam pecuniariam causam, prius ad Archi-Episcopum tendat, sub qvo constituti sunt, eundemqve interpellet, & ex non scripto judicium mereatur, qvod si fiat, non inqvietet ulterius Clericos, nec ad auditoria civilia trahat, neque à Sacro evocare faciat Ministerio; sed negotium ex non scripto examinetur sine damno, accipere tamen qvoqve potest formam scriptam, si id partes voluerint, & poposcerint, & alterutrô certamine liberentur. 1.

§. 1. Si verò causa altioris sit indaginis nec possibile Episcopo decidere, licentia sit ad Civiles judices pergere, & privilegiis omnibus custoditis, qvæ Clericis Sacræ Constitutiones dant, ibi litigare, & terminum liti imponere velociter, ut non ob hujusmodi causas sacris amoveantur obseqviis, & cum oporteat Deum placari, & decentia Sacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis, atqve inhærente tumultu litigantium animabus. 2.

3. §. 2. Si de criminibus civilibus conveniantur competentes judices seculares in civitate habebunt, in Provinciis Præsides sive judices, ut tamen finiatur lis duorum mensium spaciò, ex qvo litis contestatio facta, & sic brevis imponatur causæ terminus. Qvod si Clericus justè reus putatur, & pœna dignus, prius spoliari debet ab Episcopo pro Sacerdotali dignitate, & ita sub legum manibus esse.

4. *Addit.* Est hæc Nov. ampliativa prioris *Nov. 79.* qva Imperator non vult, Clericos Secularibus judicibus subjici in causis pecuniariis; sed eas tractari coram Episcopo & qvidem sine scripto, nisi contrarium desiderent, vid. supra *ad d. Nov. 79. addit.*
5. Qvæ verò sunt altioris indaginis causæ, vel supra captum Episcopi, ut si de re immobili vel in petitorio, vel Possessorio lis sit, vel feudalis sit controversia, aut alia ex jure Civili magis qvam Ecclesiastico decidenda, Civilis judex eandem potius terminet, sic tamen, ut liti terminum velociter imponat, de criminibus
6. qvoqve supra *ad Nov. 79.* dictum; interea si civile sit delictum ex qvo Respublica maximè læditur, ut furtum, rapina, homicidium ejus cognitio & pœna, magis ad judicem Secularem pertinet, ita tamen, ut degradatio, qvæ perpetua est Clericalis muneris privatio, prius per sententiam fiat, qvæ omnia jura Clericalia tollit Carpzov. *lib. 3. Jurispr. Consist. def. 117. n. 4.* qvamque in gravioribus delictis seqvi solet traditio in manus judicis Laici. *c. 2. X. de pœnis in 6to.* qvi pro gravitate delicti eum plectit, qvippe qvi in officio deliqvit, privandus est dignitate prius & officio, & de hinc vita, cum nemo in dignitate mori debeat, qvod merito & ad Seculares dignitate fulgentes extenditur. vid. Fari-
7. nac. *Qv. 19. n. 43.* In pluribus aliis verò Episcopos hodie jurisdictionem & potestatem exercere hodierna praxis satis probat, qvæ tamen qvibus cancellis includatur, & qvousqve progrediatur, erudite docet Arnisæus *Tract. de Subject. & Exemt. Cleric. Cap. 3. §. 14.*

CAP.

CAP. I.

De Crimine Ecclesiastico à Clerico commisso

Si tale egeat castigatione Ecclesiastica & mulctâ, id Deo amabilis Episcopus discernat, nihil Provinciæ judicibus communicans, nec enim vult Imperator talia negotia scire civiles judices, cum oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinqventium per Ecclesiasticam mulctam secundum Sacras & divinas regulas, qvas imperatoriæ non dedignantur seqvi Leges. Si verò jam lis contestata, hæc manent in ipso schemate, velocem accipiens finem. 1.

Addit. Judex Ecclesiasticus vel Consistorium in terris Protestantium cognoscit de omnibus excessibus, de qvibus Episcopus cognoscit, & de hæresi, & de parum reverenter administratis Sacris, de detentione Bonorum Ecclesiasticorum contra Laicos, item de scandalosis rixis, de turbatione Sacrorum, de adulteriis ac stupris, si civiliter agatur, item de omnibus delictis etiam communibus, qvatenus ad suspensionem, degradationem, depositionem Clericorum agitur &c. Brunnem. *Jur. Ecclesiast. L. 2. cap. 17. §. 4.* Pertinet huc etiam Simonia, Schisma, qvod est discessio ab unitate Ecclesiæ facta ob odium personæ *cap. 28. c. 24. qv. 3.* & Apostasia, vel defectio seu discessio à Professione fidei, vel Religione, vel Ordine Sacro, qvalis de jure Canonico amittit beneficium. *c. si qvis suadente c. 17. qv. 4.* Christiani veteres ita plectebant, ut è congregationibus suis expulsos hostium numero haberent, qvorum in numero erant non tantum, qvi ob id, qvod metu suppliciorum idolis sacrificassent, sacrificati, vel quod thus incendissent, thurificati dicebantur, sed etiam, qvi per libellos idololatriæ subscribebat, quos *libellaticos* vocabant, qvibus non nisi exoratâ pace redire licebat, ut pluribus demonstrat Ziegler. *ad Lancellott. lib. 4. tit. 4. §. 14. verb. tam int. infames* vid. & *ibid* §. 2. ubi de Schismaticis, & eorum pœna agit; solet tamen statuente Brunnem. *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 1. §. 8.* eorum causa Prin- 2. 3. 4. 5.

cipi

cipi reservari, qvando forte super una vel altera quæstione, phrasi, aut adiaphoro quæstio est, & contentionis terra etiam in homiliis & scriptis reciprocatur, sub distinctione tamen, qvam
6. ibi subjungit. Crimen falsi qvod attinet, licet pœna ejus ad seculare forum pertinere videatur, cum falsus testis sortiatur forum, ubi deliqverit, *L. Nullum C. de Testib.* Menoch. *lib. 1. art. 1. qv. casu 91.* Clerici tamen in Scriptura facientes falsum ab Episcopo puniendi, & si sigillum Principis falsificent, deponendi, charactere notandi, & in exilium mittendi. *c. 3. X. de falso.* vid. infra *ad Nov. 123. cap. 21.*

NOV. LXXXIV.

CAP. I.

De Consangvineis & uterinis Fratribus.

1. AGitur hac Novellâ de Concursu fratrum Germanorum, Consangvineorum, & uterinorum, uter eorum in Successione Patre defunctô sit potior. Et decidit Imperator, qvod Fratres Germani reliqvos unilaterales â Successione excludant, cum duplici sint vinculo conjuncti.

2. *Add.* Lubet hic ex eleganti *Dissertat.* Excellent. Dn. Strykii *de Potioribus Fratrum juribus* de diversitate Fratrum *c. 1. n. 6. & seqq.* præmittere; In genere Fratres dici, qvi vel utrumqve, vel alterutrum Parentum habent communem, adeoqve ut liberi alii per *naturam*, alii per *Legem* tales sunt, ita & fratres alii *naturales*, alii
3. *legitimi seu adoptivi* dicendi sunt. Illos qvod attinet, in multiplici sunt differentia, aut enim *ex justo LLq; probato matrimonio geniti*, & naturales ac legitimi dici solent, perpetuoque solo nomine naturalium, cum adoptivis opponuntur indigitantur, *pr. & §. 7. I.*
4. *de adopt. l. 2. §. 6. ff. ad SCt. Tertull. l. 31. ff. de adopt.* Aut *ex Concubinatu*, tam Jure Civili, quàm Canonico, *c. 4. dec. 34. c. 12. qv. 2. c. 32.* Forster. *de Success. lib. 6. c. 4. & 5.* Carpz. *P. 4. c. 28. def. 5. n. 4. & 5.* permissa, ast per R. I. & ordinat. Polit. prohibito, nati, & natura-
5. les tantum vocantur, *§. ult. I. de nupt. t. t. C. de natur. lib.* aut ex *fornicatione*

nicatione ſuſcepti, ut Spurii, aut ex *damnata Conjunctione* procreati qvales ſunt *inceſtuoſi, adulteri* & ſimiles, aut deniq; ex contubernio ſervilium perſonarum proveniunt. Ex his optimæ 6.
conditionis ſunt *naturales* & *legitimi*, qvi tamen & inter ſe differunt, nam qvi utrumqve Parentem communem habent, *Germani, Nov. h. C. 1. pr.* qvi eundem tantum patrem *Conſangvinei* qvi e- 7.
andem matrem ſolum, *uterini* vocantur, qvæ diverſitas de jure non mutat qvidem gradum cognationis, diverſa tamen jura præſertim circa ſucceſsionem, ut jam patebit. Conf. & doctiſſ. Diſſert. B. Dn. Lauterbach *de Singulari Fratrum jure th. 14. 16. & paſſim.* Igitur, qvando Filiusfamil. bonis adventitiis & maternis re- 8.
lictis moritur, primus locus eſt liberis, ſecundus fratribus germanis, tertius conſangvineis vel uterinis, ut his materna illis paterna deferantur bona, qvæ diſtinctio Bonorum jure Novell. non eſt abrogata, vid. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succeſſ. ab int. Diſſert. 3. c. 1. th. 24.* qvartus Parenti qvi tamen & prioribus caſibus, qvando liberi adſunt vel Fratres, uſumfructum bonorum habet, & ſic ex *L. ult. C. Communia de Succeſſ.* probatur filiumfamil. poſſe habere heredem ab inteſtato non tantum in bonis Caſtrenſibus; ſed etiam adventitiis. Sed jure novo Pater cum fratribus 9
Germanis ſuccedit excluſis unilateralibus. *Auth. defuncto C. ad SCt. Tertull. Nov. 118. c. 2.* qvod Jure Saxonico aliter, ibi enim Collaterales omnes, tam à Patre qvàm à Matre excluduntur inqve eo unanimiter conſentire Ddres Saxonicos tradit Excell. Dn. Stryke *Tr. de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ. 2. c. 3. th. 3.* hocqve procedere, 10.
etiamſi filius defunctus nunqvam ſeparata bona habuerit, ſed omnia cum reliqvorum liberorum bonis maternis in communione fuerint, qvod th. 4. reſponſo Facultatis probat. Sed mortuô 11.
Patre, filius ſi etiam decedat, in ſolos fratres Germanos hereditatem transmittit, ſi adſint, non verò unilaterales, niſi illis deficientibus, ſic tamen ut hodie cum Avunculis & Patruis ſuis Fratrum liberi in ſtirpes admittantur *Nov. 118. c. 3.* & Conſtitutio CAROLI V. in Comitiis Norinb. *de An. 1521. die 28. Novembr. de Succeſſione Nepotum.* Demum Fratribus Germanis, vel eorum libe- 12.
ris non exiſtentibus, unilaterales admittuntur, Imperatori enim hos Germanis poſtponere placuit, ob duplex vinculum, quod

fortius stringit, *argt.* §. 2. *I. de adopt.* magis enim sibi juncti sunt, qvi utrumqve Parentem ex æqvo agnoscunt, qvam qvi vel diverso utero editi, vel diversô sangvine sati. Carpzov. *P. 3. cap. 18. def. 8.* & duo vincula fortius ligant, qvam unum, qvod axioma Ddr. probant, *per Auth. itaq. C. Communia de Success. &* §. *sed hodie Inst. de adopt.*

13. Cœterum licet hæc duplicitas vinculi in Successione allodialium attendatur, & fratres consangvinei per Germanos excludantur. *d. N. 118. c. 3.* in Successione tamen feudi, cum sufficiat, qvem ex sangvine primi acqvirentis descendisse, secus obtinet, nec illa duplicitas attenditur, Borch. *de Feud. c. 7. P. 2. n. 80.* Berlich. *P. 3. Concl. 24. n. 50.* Rittershus. *partit. Feudal. lib. 1. c. 16. qv. 5.* Finckelth. *Disput. Feudal. VI. th. 35.* Zas. *de Feud. P. 8. n. 82.* Gail. *lib. 2. obs. 151. n. 1.* ubi Dominos Camerales hanc sententiam

14. approbasse testatur, nam jure Feudali sola agnatio spectatur, & an quis à primo acqvirente sangvinem trahat, qvod æquè obtinet in consangvineo, ac germano; & licet verbotenus hæc qvæstio in Jure feudali non sit decisa, non tamen statim ad Juris Civilis dispositionem recurrendum; sed ratio deferendæ Successionis feudalis ante omnia inspicienda Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab intest. Diss. 3. c. 11. th. 7.* non obstante duplicitate vinculi, qvæ nihil operatur, qvoties unum vinculum est impertinens.

15. Idem *Examine Jur. Feud. c. 16. qv. 11.* ut adeò Jure Feudali Agnationis & Cognationis differentia adhuc salva sit. vid. Angel. Cels. *decis. Rot. Romanæ 141. n. 10. 11.* Et licet Frater Fratrisve liberi in Successione de jure feudali concurrant, hi tamen planè excluduntur, si remotiori Agnato succedere velint, cum ultra Successionem Patrui repræsentatio nulla in collateralibus obtineat. Idem d. loco, *qv. 13.* Curt. Jun. *de Feud. P. 2. præcip. 2. n. 54.* Sonsbec. *de Feud. p. 6. n. 18.* Nec in rebus expeditoriis duplicitatem vinculi attendi; sed & in illis de Jure Saxonico Consangvineum cum germanis succedere tradit Carpzov. *P. 3. c. 18. def. 8.*

CAP. II.

1. **SI Consangvinei & Uterini inter se concurrunt, succedunt secundum LL. anteriores jam de ipsorum successione ordinatas scil. juxta *L. 15. §. 2. C. de legit. heredib.***

Addit.

Addit. Ut nimirum Uterini in maternis, Consangvinei in pa- 2.
ternis, in reliqvis indistinctè succedant. Rejiciunt autē illam distin-
ctionem, & fratres hos indistincte in omnia defuncti fratris bona
ex æqvo succedere docent, & rationibus non contemnendis ad-
struunt, Fachin. *lib. 6. Controvers. cap. 5.* Bachov. ab Treutler. *Vol.*
2. Differt. 16. th. 5. lit. C. Sutholt. *Diss. 2. aphor. 73.* qvæ sententia fun-
datur cum in *Nov. 118. cap. 3.* ubi indistinctè vocantur Consangvi- 3.
nei cum uterinis nulla distinctionis bonorum mentione factâ,
tum in ratione, quod bona undecunque quæsita unum & sim-
plex patrimonium efficiant ejus, cui sunt acquisita, & quali-
tatem maternitatis & paternitatis deponant. *L. 10. §. 2. ibi: juncta*
enim hereditas cœpit esse ff. de V. & Pupill. Subst. Bachov. *d. l.* ubi ad
obstantia accuratè respondet.

NOV. LXXXV.

De Armis.

CAP. I.

Ne qui Arma fabricent, aut privato vendant.

NEmo privatorum armifacturæ opus debet operari; 1.
sed illi soli debent arma facere, qvi in publicis de-
putati sunt armificatoriis, aut qvi dicuntur fabri-
censes, ii autem qvi operantur arma, nulla vendant pri-
vato. Imò nec armifactores in numero constituti, de- 2.
putati appellati, qvi de fisco annonas accipiunt, debent
operari, aut alicui vendere arma; sed solum diligentiam
habere armorum militum in numero constitutorum, in
qvibus militant. Qvod si novum aliqvid faciant, auferri 3.
debet ab iis, & in sacro inferri armamentario ibi publicis
armis repositis adjiciendum.

Addit. Imperator privatis armifacturam prohibet, cum ut 4.
ejusmodi mortibus homines liberaret, tum qvod in publicis fa-
bricis seu officinis arma bellica fabricarentur, aut militibus ar-
ma

ma procurarentur (qvorum varia genera recenset Peretz. *C. Tit.*
5. *de Fabricens. n.1.*) qvi Fabricenses sunt dicti, horum tantus erat numerus, ut certum ex illis constitueretur corpus, sive Collegium, quod etiam *Schola* appellatur, à qva Fabricenses ejusmodi sunt dicti *Scholares*, de qvibus *L.3.C. de Fabricens.* legitur, quod debeant stigmata, sive puncta vel notas publicas in brachiis exemplo tyronum impressas habere, ut internosci, & latitantes agnosci possint, tyronum qvoqve nomine denotabantur, qui nondum in numeros relati, lecti tamen erant, ut militarent publicis expensis, iter faciebant, & sub campi ductore exerce-
6. bantur. *L. 42. ff. de Testam. milit.* Ut autem eo magis ab his fabricensibus abusus fabricandorum armorum vitaretur, præprimis, ne alia qvam puri ferri species adhiberetur, adoratio iis interdicta fuit, & ferrum etiam, non pecuniam proferro præstare tenebantur, ne ferrum comparando, fraudem fabricando committerent. *L. 1. C. de Fabricens.* ideoque jubebantur materia venæ nobilis, & qvæ igni facilè deduceretur, ad arma uti *L. 1. d. C. de fa-*
7. *bricens.* Cautio etiam singulariter adhibebatur, ne alii, qvam idonei Fabricenses crearentur. vid. hic pluribus Sixtinus *de Re-*
8. *gal. lib. 2. cap. 1.* & Dn. Tabor. *de Jure armor. cap. 2.* Adeò verò Imperatores hoc jus suum fecerunt, ut ne privatis qvidem arma vendere fuerit licitum, & hodie meritò prohibitum manet, ut non exportentur arma, & qvodcunqve ferrum factum, aut infectum ad hostes, ne hostes diversorum armorum genere instructi validiores, fortioresque reddantur. *L. 2. C. quæ res export. non debent*, & ait *d. tit. num. 4.* Peretz. *C.* dignam esse, hanc Justiniani
9. Constitutionem, ut in usum revocaretur; Prout autem Imperatores arma hostibus subvehi prohibuerunt, ita & cotes, qvod per eas etiam validior reddi hostis possit, dum arma sua exacuit. *L. Cot. 2. ff. de Public. & vectig.* fuisse verò haud exiguum circa Cotes commercium ex *L. 15. ff. eod.* patet, ubi ex Cotoriis Creticis integræ naves Cotibus onustæ memorantur. Imò Creticas olim Cotes, non alias fuisse notas testatur Plinius *lib. 18. cap. 28.*
10. *& lib. 36. cap. 22.* Igitur ad securitatem fecit Lex, qvæ arma possidere, & multò magis utendi gratia gestare vetat, qvalis est illa Lex ex LL. XII. Tabb. repetita ab Imperatoribus Valentiniano & Valente *L. un. C. ut armor. usus insciò Principe sit interdict. Nulli*

prorsus

prorsus nobis insciis qvorumlibet armorum movendorum copia tribuitur, tenetur enim pœna illius sententiæ: Qvi gladium accipit, gladio 11.
peribit, qvi nulla superiori aut legitimâ potestate, vel jubente vel concedente in sangvinem alicujus armatur, ut explicat Augustinus *C. ille gladium 23. qv. 4.* Imperator Fridericus §. *si qvis ru-* 12.
sticus functo §. seqv. de pace tenenda, eorundem armorum, lancearum & gladiorum usu interdicit rusticos & mercatores, ubi gl. per rusticum intelligit non colonum, aut hominem rus colentem; sed unumqvemqve qui ruri habitat, ita, ut frustra hinc nitatur argumento à contrario sensu evincere Raymund. *de Nobilit. qv. 7. princ. in 3. effect. Nobilit.* Nobilibus licitum esse arma portare, qvod refutant Farinac. *Proc. Crim. qu. 108.* Tiraqvell. *de Nobilit. c. 20. n. 69.* nam promiscuè omnibus privatis interdictum est usu ar- 13.
morum, atque adeò illustribus Viris, Præpositis sacri cubiculi, *L. ult. C. de Præpos. Sac. cubic.* dum iis illic conceditur facultas utendi cingulo tunc demum, *qvando ad aspiciendos agros, vel aliam causam proficisci voluerint.* Qvin & cum militantibus arma conceduntur, *Nov. 17. §. ult.* id ita intelligendum est, ut dum in 14.
expeditione sunt, locum habeat privilegium, extra eam minus, qvia & arma in publicum armamentum referri, & inde bello ingruente vicissim deponi solita *C. 1. h. Nov.* Liv. *lib. 3.* ait: Tusculanis in suppetias Romanorum venientibus *placet ferri auxilium, juventus conscribitur, arma dantur.* & explicat Cicer. *in Orat. pro Rabirio in med.* nec non Tacitus *lib. 1. Histor.* qvando de Ottone dicit: *Aperire deinde, scil. post peractam cohortationem armamentarium jussit, rapta statim arma, sine more, & ordine militiæ.*

CAP. II. & III.

De Officio Ballistariorum.

DE his sancit, eos sola publica arma in armamentis 1.
publicis uniuscujusqve civitatis recondita corrigere, atque renovare debere; si qvi verò unum qvid armorum instruxerint, hoc similiter & inter publica arma præstent, & nulli alteri penitus vendant.

I. Hosce Ballistarios in *C. III.* vult esse sub Patribus 2.

Civitatum, iisqve publicorum armamentorum diligentiam atque custodiam constituit, ita, ut si viderint aut deputatos aut fabricenses vendentes arma, per loca provideant, judices eos suppliciis subdere, insuper & arma ab iis qui ea comparant, sine pretio aufferre, & publico vindicare.

3. II. Prohibeant Privatos, aut etiam alios qvosdam citra eos, qui deputati sunt inter fabricenses, armifacturæ causam agere, & in quibuscunque compererint locis aliqvos privatos hoc audentes, hæc aufferre, & fisci applicare armamento.

4. III. Si inter operarios privatos artifices opportunos invenire potuerunt, hos si voluerint, debent in militiis statuere, & in descriptione nomina eorum facere, & destinare Imperatori descriptionem artificum, ut per Rescriptum in illis statuantur locis, in qvibus sunt publicæ fabricæ, ut qvatenus operantur arma, de fisco annonas accipiant, qvô factô & subtiliter observatô, nulli dabitur licentia, nec privatis civitates inhabitantibus, nec rusticis villas incolentibus, uti adversus alterutros armis, necesqve præsumere, & ex hoc plurimos occidi homines, publicas verò perire functiones, dum terræ cultores vitam amittere metuentes, fuga propter timorem utuntur.

5. IV. §. 1. Qvæ per præsentem sancita sunt Legem, debent custodiri, nisi Violatores pœnam & in pecuniis, & in ipsum caput formidare velint, qvem & dictavit Alexandriæ judici sancita negligenti 20. auri librarum, cinguli amissionem, & capitale supplicium.

6. *Addit.* Ballista erat genus tormenti bellici, de qvo refert Gothofr. *ad L. 7. ff. de jure immunit.* inde ballistarum artifices dicti Ballistarii, qvorum munus in Capitibus hisce duobus pluribus

7. describit Imperator. Singulare autem est qvod nec ipsi Fabricenses ulli privatorum vendere potuerint arma; sed si qvæ nova fabricassent, cogebantur statim deponere in armamentario publico,

blico, ex qvo belli tempore arma ſumebantur, non à qvovis; ſed eorum fiebat diſtributio per Duces & Conſules, qvi certam pecuniæ vim pro qvantitate ac qvalitate armorum deſideratorum in ærarium publicum deferre tenebantur. Peretz. *C. de Fabricenſ. n.5.* Poſtmodum armamentarii cura & inſpectio fuit penes Patres civitatum, qvi & aliorum operum publicorum curam habebant ſub Juſtiniano, ut *ex Nov. h.* patet. 8.
Atqvi hæc ex prudentisſimo renovato Imperatoris inſtituto, qvippe in Republ. illa pars potentisſima eſt, in qva robur belli conſiſtit, & qvi ſunt in poſſesſione armorum, qva in re Romani & ante Juſtinianum religioſisſimi fuerunt, & in ſeditione ſervorum ne qvidem armare plebem voluerint, propter dubium animum plebis. *Dant tamen arma*, inqvit Liv. *lib.3. non vulgo*, & qui privatâ autoritate arma ſumebant, hoſtes Reipubl. judicabantur. vid. Clapmar. *de Arcan. Rerumpubl. Lib.3. c. 20.* 9.

Artificum & mechanicorum laudabilem curam hic ulterius habet Imperator, qvorum induſtria & ſolerti inventione ſæpenumero in ingens decus & incrementum exſurgit civitas, teſtis eſt celeberrima & peregregia civitas Imperialis Norinbergenſis, qvæ meritò ut olim Roma κοινόν τι τῆς γῆς ἐργαστήριον *communis qvadam orbis officina* dicta legitur, qvale encomium ut dicit Limn. *Jur. publ. Tom. 2. lib. 7. cap. 35. n. 7.* ſi Noribergæ tribuam, ne latum ungvem à veritate receſſerim. 10.
Nec enim tantum qvicqvid orbis parat, in urbe hac tanqvam in compendio viſitur, verum & ipſa non Europæis modo; ſed plerisqve ſublunaribus exqviſitas ſubmittit merces, ut proverbium inde natum ſit, *Nürnberger Hand, geht durch alle Land*, qvo ipſo exprimitur, ô Noriberga, *Ingenium tuum eſt indigitis*, ut inqvit Dn. Diether. *in Orat. de comparatione Reipubl. Noricæ cum Veneta, Altdorphii recitata*, ad qvam provocat *in Supplem. Speidel. voc. Hand.* Tantam ſane gloriam per artifices meruit celebris urbs. 11.
Commendantur tamen, ut & hoc addam, illi potisſimum artifices, qvi uni artificii generi operam potisſimum addixere, nam periculoſum videtur, in multis, & in hac & in illa excellentem eſſe artibus velle, communiter enim ejusmodi nimis periti artifices illud audire tenentur; *De omnibus aliqvid, de toto nihil.* 12.
Et in magnis urbibus, qvia multi ſingulis 13

egent

egent, satis est una cuiqve ars ad alendum, & sæpe ne tota qvidem una; sed hic facit calceos virorum ille mulierum, & necessario qvi in brevissimo versatur opere, etiam optimè cogitur id facere; & sic non saltem in illiberalibus; sed & liberalibus se ar-
14. tibus habet. Itaqve in eum finem Itali plerumqve sua studia ita instituunt, ut non in omni, sed in una tantum juris materia vel facultate excellunt, Lather. *lib. 1. de censu cap. 2. n. 12.* & Ægyptii singulis morbis singulos adhibebant medicos. Et Qv. Scævola Consultores ad JCtos illos rejiciebat, qui huic scientiæ diditi erant, ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qvi quotidiano ejus usu callebant. Valer. Max. *lib. 8. c. 12.* Xenophon. *lib. 2. Cyropæd.* Conf. Peretz. *C. de Fabric. n. 8.*

CAP. IV.

De Armorum generibus privatis prohibitis.

1. PRohibet privatos operari & emere arcus, & sagittas, & spathas, & enses, qvos vocare consveverunt semispatia & qvæ vocantur Zabæ, sive loricæ & contos, & qvolibet modô vel figura factas lanceas, & qvæ apud Isauros nominantur monocopia, & appellatos sitinnos, seu missilia insuper & aspidas, sive scuta & galeas, seu cassides, hisce enim non alios vult instrui, prætereos qvi deputati sunt in Sacris fabricensibus, solos autem vult fieri & vendi à privatis, & privatis vendi cultellos minores, qvibus nullus in præliis utitur.

2. *Addit.* Varias armorum species operari prohibet Imperator ut 1. *Arcum* à qvo sagittæ emittuntur, qvas tamen & ipsas fieri prohibet, & confectas ad Barbaros exportari. *L. 2. C. qvæ res exportari*, ulterius 2. *Spathas* i. e. gladios majores, & *semispathas* qvæ vocantur Zabæ i. e. minores gladios. 3. Loricas & *contos* i. e. porticas, sive acutum ferrum præfixum habentes. 4. *Sitinnos.* Zibynnos, qvos missilia vocant ζιβύνη est venabulum. Gothofr. *ad h. cap. 5. aspidas* scuta, qvæ ab extendere & producere nomen acce-
3. pere, à qvorum ictu nemo facile evasit. Calvin. *Lexic. Jur.* Solos cultel-

cultellos minores permittit vendi privatis, sub quibus videtur etiam comprehendere Wehner. *in Observ. Pract. voc. Messer.* pugiones & sicas, licet sub armorum appellatione non comprehendantur, cultello tamen vel sicâ instructus armatus meretur dici, qvia illi non solum armati dicendi, qvi tibiali, thorace, lorica induti, qvi scutô & gladiô muniti; sed ii etiam qvi tela habent, ad 4.
nocendum apta, vel aliud qvippiam qvod nocere potest. *L. 9. ff. ad L. Jul. de vi publica*, licet nocendi gratiâ non sit factum. Satis enim est, quod eô animô arripuerit, gesserit, habuerit, ut 5.
noceret, modò ad nocendum sit aptum, quò spectat illud Ovidii *lib. 12. Metam.*

— — - Et primâ pocula pugnâ.
Missa volant, fragilesqve cadi, curviqve bebetes;
Res epulis qvondam, nunc bellô & cadibus apta.

Porrò hoc qvoq; fine & usu, dentes, ungves, cornua, & si qvæ 6.
sunt ejus generis alia arma vocantur, maximè brutorum, cum vel ipsô usu vel naturâ ita instigante, hæc & ad nocendum, & ad defendendum adhibeant, autore Lactantio *de Opificio Dei c. 2.* Qvanqvam & lingvam hominis impropriè & planè Theologicô 7.
tropô armorum appellatione comprehendi absurdum non sit, nam juxta istud Sapientissimi *Proverb. 18. v. 21. Mors & vita in manibus lingva.* Nam uti mors omnia perrepit, atq; permeat, ita etiam lingvæ manus in omnem locum penetrant & lingvæ brachia sunt verba; quibus plurimi sic contunduntur, ut cor, omniaq; illorum ossa conterantur, imò non rarò exile conviciorum cruentas excitavit tragœdias, non ignotum est priscorum monitum trochaicum:

A conviciis ad cadem transitus valdè est brevis.

Acie gladii qvidem multi occubuere, non tamen prout, qvi per 8.
lingvam interierunt, *Syrac. 28. vers. 22. 23.* beatum prædicat, *qvi tutus fuit ab ea, nec in furorem ejus incurrit, qvi jugum ipsius non subiit, nec vinculis ejus fuit constrictus, nam jugum ipsius est jugum ferreum, & vincula ejus area vincula.* vid. Tholosan, *in Syntagm. Jur. univ. lib. 38. c. 5. n. 2.* ubi quam plurima lingvæ bona & mala affert, & *L. 31. c. 18.* ob lingvæ proterviam & petulantiam Hecubam à Græcis lapidibus obrutam tradit. Appellatione *armorum* autem, quæ 9.
alias veniant tradit Gryphiand. *Oeconom. leg. lib. 1. c. 15. n. 88. & seq.*

 vid.

vid. Gœdd. ad *L. 41. ff. de V. S.* ubi fermè circa finem examinat an cultelli quibus panes, & id genus alia conſcindimus ſint inſtrumenta ad lethaliter lædendum apta, & an ex uſu ejus animus occidendi præſumatur.

CAP. V.

Repetit pœnam dictatam Cap. 3. iis qvi negligunt qvæ præſente *Nov. 85. C. 3.* ſunt ſancita &c.

Nov. LXXXVI.

Ut differentes Judices audire interpellantium allegationes ab Epiſcopis hoc agere cogantur.

CAP. I.

De Officio Epiſcopi ſi judex Provinciæ non adminiſtret Juſtitiam.

1. SI qvis adverſus alium contentionem habuerit, ſive de pecuniaria cauſa, ſive de ſublatione rerum mobilium & immobilium, ſeſeq; moventium, ſive de criminibus, prius Provinciæ judicem interpellabit, ut ipſe qvæ proponuntur, ſecundum LL. examinet, & unicuiqve ſer-
2. vet juſtitiam. Si verò non qvis juſtitiam meruerit, debet adire Epiſcopum ſuum, eundemqve ad Judicem Provinciæ mittere, aut per ſe venire ad eum, eumqve præparare, ut omnibus modis audiat interpellantem, & cum omni juſtitia eum liberet ſecundum LL. ne cogatur pere-
3. gre de Patria ſua proficiſci. Quod ſi verò & ſic diſcernere negotium differat, ad Imperatorem referat Epiſcopus, ut ille cognoſcens ſupplicia inferat judici provinciæ.
Addit. Judex Sacramenti religionem Sanctam ſemper ha-
4. beat, memor Deo magis, qvam hominibus judicia celebrari. Dn. Coch. *Praxi For. Judic. P. 4. C. 33. n. fin.* Habeat in Conſilio Legem, religionem, æqvitatem, fidem, maximeq; æſtimet conſcientiam

tiam mentis suæ. Cicero *Orat. pro Cluent.* Inprimis faciat, omnibus patere judiciorum fores, nec ulli justitiam denegari; publicum namq; est officium, qvod gerit judex, & tale, qvod sine distinctione promiscuè omnibus impertiri debet, non attentô, qvalis qvantusq; sit, qui id imploret. 5.
Nulli etiam rerum denegabit defensionem; sed de Advocato idoneo, si quem non habeat provideat *L. providendum 7. C. de postul.* juxta illud in *L. 1. §. 4. ff. de postul. Si non habebunt Advocatum, ego dabo*, quod argumentum eruditè & solidè tractat Dn. Ziegler. *Dicast. Conclus. 23.* 6.
Et non saltem in majoribus causis administrari vult justitiam Imperator; sed & in levioribus & brevioribus æquè promptum esse cupit, cum hoc modo & discrimine, ut in minoribus sine scripto procedatur, & faciunt hic verba *Nov. 18. c. 3.* usq; ad fin. *Sit Tibi qvoqve tertium studium, lites cum omni æqvitate audire &c. &c.* vid. Mev. *P. 1. Decis. 94.* 7.
Episcopum verò hic, ut in aliis etiam negotiis intervenire vult Imperator, ut ab eo qvi religioni profitendæ & tuendæ præfectus est, admonitus judex, Numinis divini præsentiam in memoriam revocet, & ejus metu ad munus suum obeundum facilius excitetur. 8.
Hanc in rem egregia sunt verba B. Dn. Brunnem. *Jur. Eccles. lib. 1. C. 6. M. 1. th. 15. in f. Felix ea Ecclesia, in qva omnes Ordines eo laborant, inter alia mutuis adhortationibus, ut DEI Nomen sanctificetur, CHRISTI Regnum promoveatur, & voluntas DEI fiat, qvales mutuæ commonefactiones pessimè nomine Polypragmosynes notantur à vulgò vel aliis, qvi se ex superbia admoneri non sustinent.* 9.
Cautè tamen in admonendo Magistratum segerat Episcopus, ne penes plebem ejus vilescat autoritas, inde cum Samuel R. Sauli denunciaret, Dominum eum reprobasse, ne sit Rex super Jerusalem, respondit hic; Peccavi; sed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Israel *1. Sam. 15. v. 29. 30.* & Propheta Nathan, Davidem R. non publice reprehendit; & in facie populi; sed privatim iram Domini annunciavit, *2. Sam. 12.* qvippe pœna & autoritas nihilominus pari gradu consistere possunt, juxta illud Germanorum proverbium; *Wann der Hirt nicht mehr Freyheit hätte als das Schaaff, so müste er auch Graß essen.* i. e. nisi Pastori plus competeret libertatis, qvàm ovi etiam gramen comedendum foret. v. Reinking. *in der Biblischen Policey Axiom. 36.* 10. 11.

CAP.

CAP. II.

De Judice suspecto.

1. SI suspectus sit Judex adiri Episcopus cum judice debet, ut ambo per amicabilem conventum dissolvant, quæ dubia sunt, aut per annotationem scriptis factam, aut cognitionaliter inter litigantes judicetur, & forma detur justitiæ LLbusq; conveniens, ne cogantur subjecti propter hujusmodi causas recedere â propria patria.

2. *Add.* Ut judex tanqvam suspectus recusari qveat, justam suspicionis causam subesse necessum est, quæ demonstrari & doceri debet, quarum plures ab Interpretibus referuntur, & quidem alii referunt IX. alii XXIIX. alii XII. alii XL. alii deniq; XC.
3. qvas passim recenset Lang. *Pocess. Jur. C.33. n. 299.* Cœterum, qvaliscunq; etiam judex sit, qvi suspectus perhibetur, non facilè tamen hodie rejicitur; sed duplici modo qverelæ partium occurri solet, vel enim Magistratus seu judex superior desuper imploratus per Commissarios causam tractari & decidi jubet, ejusqve expeditionem delegato sic judici committendo suspectum
4. judicem tacitè removet, idq; imprimis in magni præjudicii causis Thesaur. *Dec. 255.* cautius enim agendum ubi majus versatur præjudicium. *L. 1. §. sed si quis ff. de Carbon. Edicto.* Gail *lib. 1. Obs. 102. n. 6.* v. gr. in causa defensionis, qvod exemplis demonstrat
5. Carpzov. *Proc. Crim. P. 3. qv. 113. num. 74.* & ubi Commissarius adjunctus non statim debet rejici, si aliqvô modô videatur suspectus, nec tamen etiam statim debet decernere; sed alteram par-
6. tem præfixò brevi tempore audire, Mev, *P. 8. Dec. 114.* Quæ verò justa Commissarium recusandi causa sit, Idem tradit *P. 9. Dec. 18.* Vel saltem suspecto judici alium adjungit, qui freno ipsum cohibeat & in terminis juris ac justitiæ retineat, de qvo præsente *Cap. 2.* agit Imperator, & Episcopum adjungit, quidvis enim potius Imperator tentari vult, qvàm ut è propria recedere patria
7. cogantur subjecti, & alibi litigare. Licet enim peregrinis omne humanitatis genus liberumq; hospitium abiis deberi, ad qvos se conferunt, non solum Divinum Numen *Levit. 22. v. 21.* & alibi

alibi injungat; ſed & Jus Civile in Conſtitut. laudabili Friderici II. §. *omnis C. Commun. de Succeſſ.* præcipiat, qvæ peregrinis libe- 8.
ram, & ab omni moleſtia alienam hoſpitandi largitur facultatem contrarium tamen ſœpe experiri habent neceſſum, dum vel in ſolvendis judicii ſportulis durior ipſorum ſit conditio, vel aliàs juſtitiæ adminiſtratio ipſi multis modis redditur difficilior, de qvibus praxis abunde loqvitur, & injuſtiſſimi judices aliqvando Deo juſtiſſimo omnium judici reddituri ſunt rationes.

CAP. III.

Si litigans ſine literis Epiſcopi Imperatorem adeat.

SI litigans nec Provinciæ judicem interpellaverit, nec 1.
Civitatis Epiſcopum adierit, & absqve literis veniat, tales ſuſtinebit pœnas qvales judex, ſi interpellatus ab eo non ſtuduiſſet ſervare juſtitiam. Hæcqve ſancit 2.
Imperator propter utilitatem eorum, qvi habitant per Civitates & vicos, ne privati propriis provinciis, & ipſi in peregrinis affligantur, & res eorum lædantur. Propterea enim judices gratis fiunt, & jusjurandum ſubeunt, ut unicuiqve interpellante juſtitiam ſervent ſecundum leges.

Addit. Prout Imperator plerasqve ſuas LL. & Conſtituti- 3.
ones ob ſubditorum utilitatem edit, ita & hanc, vult tamen, ut & ſancitas ſanctè cuſtodiant, nec temerè qvid contra eas moliantur; Cuſtodiunt verò illas ſi & judices ad eas impertiendas 4
conſtituto debitò proſeqvuntur honore, nec inſtantiam coram ipſis prætereant, nam Respublica, in qvà nec LL. nec Magiſtratibus honor habetur, diu ſalva eſſe non poteſt. Richter. *Axiom. Polit. 19.* Et judicibus & ſimilibus perſonis honorem eſſe deferendum probant Imperatoris Reſcripta *L. omnem honorem C. qvando provoc. non eſt neceſſ. L. 4. C. de Princip. agend. in reb.* Inde 5.
ab omnibus eſt honorandus, qvem princeps honorat, habetur enim Respublica ut Corpus, hujus Caput Princeps eſt, Magi-

ſtratus & Officiales ſunt membra Nobiliora, cœteri verò omnes veluti ſunt membra craſſiora, qvi aliis debent inſervire eaqve
6. honorare Turam. *de Legib. Part. 2. cap. 3.* Qvanquam verò partibus conſentientibus mutari poſſit prior judex, & ad ſuperiorem facultas abeundi conceſſa ſit Mev. *P. 3. Deciſ. 139. & P. 2. Dec. 379.* vult tamen Imperator literas ab Epiſcopo Civitatis oſtendi prius, ut conſtet, an prior judex de mandatô munere ſit functus, vel minus, ne per ipſius incuriam & negligentiam ſubjectos in peregrinis affligi neceſſum ſit.

CAP. IV.

Si judex litigantem læſerit.

1. SI qvis Subjectorum à Provinciæ judice læſus, poteſt adire civitatis Epiſcopum, qvi ſi legitimè & juſte judicet, interpellanti omnibus modis ſatisfacere debet, qvod ſi judex refutaverit & ad Imperatorem lis perveniat, & conſtet, juſtè & ſecundum LL. Epiſcopum fuiſſe interpellatum, nec ea qvæ condemnatus feciſſe, noviſſimis ſuppliciis i. e. capitalibus debet ſubdi,

Qvoniam qvi debet vindicare oppreſſum, ipſum opprimere reperitur.

2. *Addit.* Ex ore judicis rectiſſima debet exire ſententia, qvæ contra juſtitiam nulli pateat; ſed reddat unicuiq; quod ſuum eſt *c. 17. X. pr. de Privileg.* quod Pontificis dictum ſi verum, uti eſt omninò veriſſimum, nil committat judex unde vel dolis vel culpæ alicujus argui poſſit & ex illo dolo vel culpa damnum
3. obveniat Parti, nam in foro externo non aliter punitur judex, ex dolo vel culpa, niſi litiganti inde aliqvod obortum fuerit damnum; Aſt in foro æterno non attenditur, utrum læſio contigerit, an minus; ſed hoc ſolum, utrum officio ſuo debitô modo quis fuerit defunctus, nec enim excuſabitur judex, ſi ſententiam juſtam dixerit; niſi quoque id egerit, quod ſibi incubuit, h. e. diligentiam eam in cauſæ cognitione præſtiterit, quam oportuit, qvod argumentum latius examinat Ziegler. *Dicaſt. Concl. 25.*
4. Ante omnia verò caveat, ne quem ab injuriis aliorum vindicare debet

re debet

re debet, oppressum, ipse opprimat, qvippe dignitas auget crimen, quando crimen cum dignitate, & professione maximè pugnat, sicut Clericum nihil magis dehonestat, quam mendacium, Nobilem, quam perjurium, aut proditio, aut stuprum violentum, aut incestus, judicem, oppressio innocentum in judicio, & justitiæ protractio, vel denegatio, quia contrarias virtutes, scilicet fidem, constantiam, sexus imbecillioris defensionem, & justitiæ administrationem profitentur ex Tiraqvello *de Nobilit. Cap. 20. num. 1180.* Brunneman. *ad L. Presbyteri 8. C. de Episc. & Cleric.* Et 5.
ex hac ratione nec Spurii matri Illustri penitus succedunt, cum in Illustribus (quibus castitatis observatio præcipuum debitum est) nominari spurios satis injuriosum, satisque acerbum & suis temporibus indignum judicet Imperator in *L. Si qva Illustris. C. ad SCt. Orfic.* etenim majori pænâ digni sunt, qui in conspicuo & eminentiori loco collocati, & qui aliis exemplo esse debent, delinqvunt. *d. l. 8. C. de Episc. Cler.* Unde iniqvos & injustos ju- 6.
dices omni tempore severissime fuisse punitos constat, sic Cambyses, quod exemplum omnibus fere notum, præsidem Sisamnem, qui pecunia corruptus injustam sententiam tulerat, interfecit, corpori toti cutem detraxit, eamque tribunali instravit, postea filium Otamen in eandem sedem collocavit, & jussit intuentem Patris exuvias justè judicare, ne simili efficeretur supplicio. Sic Hispanicus præses in oppido quodam agri Mediola- 7.
nensis promisit mulieri, cujus maritus erat captivus, si secum concumberet, redditurum maritum, quem & postea deceptæ mulieri interfectum reddidit; Cœterum Gonzaga Summus Ducatus Mediolanensis Gubernator de hoc cruento Sophista justissimum sumsit supplicium, testis est duo hæc exempla referens Richter. *Axiomat. Polit. 351.* Quæ licet ita sese habeant, & si ex- 8.
presse de injustitia constet, capitaliter possit plecti, exoriente tamen casu dubio circa officium pro se & in sui favorem habet præsumptionem, quod bona fide & legaliter officio suo functus *L. 2. C. de Offic. Civil. judic. L. 13. C. de Probat. C. 11. in fin. X. de Præs.* nec præsumitur, malè judicasse, aut fraudulenter aliqvid egisse, licet ejus sententia, aut notio retractetur. *C. 2. X. de Privileg. C. cum Johannes X. de fide Instrum.* Alciat. *de præsumpt. lib. 3. cap. 9. num. 3.*

num.3. adeò quidem, ut si quid malè factum reperiatur, id culpâ Partis, non vero judicis contigisse dicendum sit, *L. 1. C. de*
9. *Susceptor.* Menoch. *lib. 2. præsumpt. 85.* Unde ulterius sequitur, nec errorem in negotiis judicialibus præsumi, quia nec alias nequidem juris error præsumitur, *L. si hæres §. fin. ff. ad SCt. Trebellian.* adeò, ut in dubio dicamus, quod Cancellaria in exaratis & emissis Decretis benè extenderit Protocolla, ac qvod rectè
10. fungatur officio suo Gvido Papæ *Decisf. 129. n. 5.* siquidem Cancellaria dicitur Organum Imperatoris, Regis, aut cujuslibet alterius Principis juxta Cassiodor. *Decisf. 2. n. 7. super Reg. de union.* & quod per publicum Officium præsumtio bonæ fidei oriatur,
11. textus est *in L. 18. ibi: Probare te oportet C. de probat.* Sicuti de Notario dicimus, quod rogatus, Clausulas solitas contractui aut alii instrumento adscripserit. Alexand. *lib. 3. Consil. 89. num. 12.* Gœdd. *Vol. 4. Consil. Marpurg. 37. n. 124.* quæ & similia hac nituntur ratione, quod de unoquovis particulari & privato præsumat Lex quod sit bonus, solers & strenuus *L. merito 51. ff. pro Soc.* quantò magis idem de judice & Prætore &c. præsumendum erit,
12. qui à Publica Potestate ad Officium ejusmodi publicum est electus, ut Legis minister & executor existat, & ob id Lex ipsa eum à dolo, culpa, negligentia, & alia re indebita & injusta alienum præsumit. *L. 2. C. de Offic. Civil. judic.* ut adeò, qui contrarium asserere mavult, probationes efficaciores proferre teneatur, quæ præsumptionem elidant. vid. Alexand. Raudens. *Consil. 49. num. 28.*

CAP. V.

Judicium sit Absolutorium.

1. ET ulterius nihil accipiant judices præter illa qvæ LL. sunt constituta, qvæ si non custodiant, subdantur suppliciis.

2. *Addit.* Hic faciunt verba Brunnem. *ad L. Arrianus 47. ff. de O. & A.* scil. Debere judicem circumstantias prius cognoscere, & in indagenda veritate diligentiam adhibere, & postea si paria sint utrinqve fundamenta, in dubio ad absolvendum esse pronio-

proniorem. In antiqvis LL. ad imitationem Jurisprudentiæ 3.
Justinianeæ mulcta XII. aut XX. solidorum imponitur judici, qvi intra certum dierum spacium judicium non absolverit, qua de re elegantem præ cœteris Legem Wisigothorum integram adscribit & refert Ziegler. *Dicast. Concl. 24.* §. *7.* vid. supra *Nov. 80. cap. 6. & Nov. 82. cap. 9.* ubi modum Sportularum determinat 4.
nam si ea qvæ LL. sunt constituta non custodiant judices, illos suppliciis subdi vult, & sine dubio istis temporibus strictius in judicum acta & processum inqvisitum fuit, qvam nostris.

CAP. VI.

De Episcopo injustè judicante.

SI Episcopus pro gratia cujuspiam prodat justitiam, regularem castigationem inferri jubet. 1.

Ratio. Ut studeant cum timore Dei justè judicare 2.
ne non impetrantes justitiam cogantur relinqvere proprias civitates atqve provincias, & in loca qvælibet alia iniqva concurrere.

Addit. Cum Episcopum deceat esse sine crimine, & cunctum 3
Populum, cui præest, conversatione & innocentiâ præcellere. *C. unum Contrarium vers. oportet Episcopum D. 25.* vid. *L. 31. C. de Episc. & Cler. & supra Nov. 5. cap. 1.* itidem tali scientia instructum ut utrumqve munus & docendi & judicandi expedire possit. P. Gregor. *de Benefic. cap. 37. n. 14.* sanè is qvi contra hæc studiosè 4.
facit, meritò castigationem regularem incurrit, nam qvod non prævalet sacerdos efficere per Doctrinæ sermonem, Potestas hoc impleat per disciplinæ tenorem *arg. L. 8. C. de Episc. aud. & Auth. si qvis C. ibid.* Præcipuè hodiè in tanta hominum perversitate a- 5.
liquâ violentia & compulsione Politica opus est, nec enim omnes Sacerdotes hodie sunt piscatores animarum, multi sunt piscatores pecuniarum, dicentè Brunnem. alicubi *in Jure Eccles. lib. 1.*

CAP VII.

De Defensore civitatis.

1. IN Civitatibus in qvibus non sunt judices, causas habentibus liceat Defensorem Civitatis adire, ut is discernat. Si verò litem habentes simul Defensorem & Episcopum malint adire, id ipsis concessum est.

2. *Addit.* Pro suo in Clerum amore Episcopis concurrentem cum civilibus judicibus in subjectos concedit jurisdictionem, hic & *Cap. 2. h. Nov.* cum tamen Clericis Clericum judicem dederit non admissô judice Laico. *Nov. 82.* supra.

CAP. VIII.

Ne ad Imperatorem veniat ex Clericis sine literis Patriarchæ sui.

Addit. Vid. *supra ad Nov. VI. Cap. III.*

CAP. IX.

De Prohibita Exactione majorum Sportularum.

1. SI qvis Magisterianus aut Præfectianus, vel cujuscunqve fortunæ existens amplius Sportularum, qvam constitutionibus definitum est, acceperit, omnibus modis judex Provinciæ periculô proprio secundum Legem id vindicet; si ille id non vindicet, uniuscujusq; Civitatis Episcopus, qvæ de eis aguntur, nunciare debet, maxime qvalem habeat militiam aut dignitatem, qvi ejusmodi præsumpserit, ad id, ut judici prætermittenti & despicienti Imperatoriam jussionem periculum inferatur, ipseqve jubeatur puniri talia præsumens.

2. *Addit. Magisteriani* sunt agentes in rebus, sic dicti, qvod ex eorum Schola executores litis Magistro officiorum attribuerentur, ut ex Mariano Scoto testatur Calvin. *Lexic. Jur. hoc verb.*

3. *Præfectiani* postremis temporibus dicebantur, qvi erant apparitores præfecti prætorio, non poterant Susceptores fieri, nec horreo-

horreorum fiscalium curam subire. *L. 2. & 3. C. de apparit. Præfect. Prætor.* nec poterant esse *Curiosi*, qvi Curiosi per singulas provincias erant missi evectionum & cursuum publicorum tantum curam habentes, de cœteris negotiis civilibus nulla erat eorum cognitio, imò nec ipsi carceri aliqvem mancipare poterant, aut cognoscere, nec naves propriâ autoritate prætextu cursus publici detinere prout eos describit Brunnemann. *Tit. C. de Curiosis num. 14.*

Notandum qvoque hic Imperatorem jubere, ut nuncietur qvalem militiam habeat judex, qvi malè & contra Constitutiones judicat, nam qvia delicta ob autores & circumstantias variant, de qvibus Leges in singularibus nihil disponere possunt, inde judicis arbitrio permittitur judicare, num pœna LL. statuta in rigore possit vel debeat applicari, an verò mitigari in delinqvente, qvo certè casu pœnæ persecutio adhuc Legis autoritati servatur. 4.
Et perspiciendum omninò judici utrum dolô an culpâ qvid sit admissum, qvæ enim dolô admittuntur, propriè crimina appellantur, qvæ culpâ non æqvè, prout egregiè examinat pluribus Anton. Matth. *de Crimin. ad L. 48. Tit. 18. de Pœn. n. 8. seqq.* 5.

Nov. LXXXVII.

De Mortis causa donatione Curialium.

PRÆFATIO.

EX qvo interdixit Imperator Curialibus donationum modum, non concessit ipsis res immobiles donare, nec in Testamento relinqvere ultra tres uncias; sed dodrantem omnimodô Curiæ servare, (*supr. Nov. 38.*) illi Legem calumniantes, excogitarunt aliqvas fraudes contra ipsam Legem. 1.
Cum igitur dubitarent de mortis C. donatione, utrum donatio, an Legatum sit, Curiales verò donationi connumerarent, alii verò legatis, decidit Imperator, legatum esse, nec confectione monumentorum, vel insinua- 2.

insinuatione egere, sed posse donatorem inserere certos fines, qvos donator voluerit, qvod si fecerit, licentiam habere renunciare facultati donandi, & super donationi-
3. bus ipsis pœnitere easdemqve revocare. Hoc igitur cum sciverint Curiales, putaverunt, se qvasdam mortis causa donationes posse facere, & secundum Legem inserere pacta, qvibus sibi ipsis pœnitentibus, possint eandem revocare, aliud verò insuper addere donationibus ut liberi sint â revocatione, sicq; minuere bona sua.
4. *Addi.* Qvamvis legata cum donationibus mortis causa in multis conveniant, ita, ut qvodcunque in legatis juris, id regulariter etiam in donatione mortis causa obtineat, *L. 15. 17. L. 37. ff. de mort. caus. donat.* qvod undecim modis exemplificat Brunnemann. *ad L. 15. ff. de mort. caus. donat.* esse tamen adhuc qvandam inter hæc duo differentiam ipse indicat Imperator in *§. 1. In-*
5. *stit. de mort. caus. donat.* 1. Qvod ad mortis causa donationem, & donatarii, & donatoris Consensus sit necessarius. *argt. L. 2. L. 34. 35. §. fin. ff. de mort. caus. donat.* Ad legata autem sufficiat sola voluntas Testatoris *L. 17. ff. de aliment. leg.* 2. Legari etiam potest ignoranti & absenti. *L. 77. §. 3. ff. de leg. 2.* sed donatio mortis causa in absentem & ignorantem conferri neqvit, Hahn ad We-
6. senb. *Tit. ff. de Leg. 1.* 3. Legatum dependet ex additione hæreditatis *L. 9. ff. de Testam. Tut.* sed mortis causa donatio est jus separatum ab hereditate, & subsistit, etiamsi hereditas non sit adita, Gometz. *lib. 2. Variar. Resolut. 4. n. 19. vers. 3. infero.* v. Esbach. *in Notis & Addit. ad Carpz. P. 3. Constit. 1. ad definit. 6.*

CAPUT. I.

De Compescenda fraude Curialium.

NEmini Curiali neqve per mortis causa donationem licet qvid donare, nisi per modum ante nuptialis donationis, pro se, aut propriis liberis factæ, aut per dotis occasionem filiabus nubentibus, nec aliter possunt donare

donare res immobiles; ſed manebunt ſemper apud ipſos Curialibus functionibus obnoxiæ, ſolâ ſaltem ipſis venditione conceſsâ. Cœteris tamen hominibus in qvascunq; 2. voluerint perſonas licet donationes mortis cauſa facere, & conditiones, qvas lubet inſerere, imò & renunciare, & pœnitere & revocare eas ſi lubuerit, exceptis Curialibus, qvod qvidem olim paſſim jam conſtitutum *§. 1. Inſtit. de donat.* & aliis textibus juris, nunc autem per ſuam interpretatur & corroborat vocem, in omnibus aliis perſonis, præter ſolos, ut dictum eſt, Curiales.

Addit. Cum Decuriones per fraudes & calumniam dona- 3. tionem mortis cauſa extenderent, additâ Lege contrariâ naturæ legati, ne ſcilicet eam donationem pœnitentiâ revocarent, qvô modô facta à decurione donatio cauſa mortis qvodammodo effectum donationis inter vivos habebat, viſum Imperatori eſt interdicere decurionibus donatione mortis cauſæ perinde ac donatione inter vivos, etiam cum decreto, prout ex Jacobo Cujac. & Joachimo Steph. deducit frater Matth. Steph. *ad h. Nov.* Hactenus igitur Imperatori S. competit poteſtas certo modo 4. ſubjectis intercludere arbitrium diſponendi de bonis ſuis, ſi nimirum hoc ſuô arbitriô LL. ultimarum voluntatum confundere, aut qvæ tuendi boni publici cauſa Legislator ſeparata eſſe voluit, doloſe inter ſe miſcere contra intentionem ejus non erubeſcunt. Imò ſi alteri per alterum conditio iniqva inferri non po- 5. teſt, *L. 74. ff. de R. J.* multo minus privatus publico juri ſuo facto præjudicium inferre debet, qvod non veriti ſunt facere Curiales.

NOV. LXXXIIX.

De Depoſito & Denunciatoribus &c.

CAPUT I.

De Neceſſitate reſtituendi Depoſitum.

1. SI qvis ab altero capeat aurum, aut alias res depositi causâ cum conditione, & deponens post repetat, necessitatem habeat omne restituere, aut res, conditionibus impletis, sic, ut nulla omninò sit licentia interdictione aliqva uti, qvo minùs depositarius depositi restitu-
2. tionem tergiversetur. Qvod si verò nihilominus qvis interdixerit, ne depositum restituatur, ad qvodlibet damnum, imò ad casum fortuitum in re deposita commissum tenetur denuncians, & insuper rei depositæ usuras trientes i. e. 4. pro 100. à die interdictionis solvere.

3. *Addit.* Singulare qvod hic notandum, est qvod licet aliàs Creditor debitori denunciare possit, ne is alteri itidem creditori solvat, qva de re casus est notabilis in *L. Si delegatio 3. C. de Novat.* qva Cessionarius mox poterit denunciare debitori cesso, ne hic Cedenti amplius solvat; sed si id fecerit, adhuc semel solvere teneatur, hic tamen datur exceptio in depositi restitutione,
4. ubi denunciatio non attenditur, ut si creditor meus nunciet depositario, ne rem, apud se depositam restituat, anteqvam sibi sit satisfactum non tamen is curare debeat inhibitionem, & denunciator hoc casû in usuras condemnetur. *Auth. sed jam cautum C. Depositi.* & si res interea perierit, vel alio qvocunq; casû sublata, tenetur. Pantschman. *de Locat. Conduct. qv. 6. n. 6.*

5. *Ratio* consistit in favore Depositi, ne qvis ex actione ejus defraudetur, *§. 30. Inst. de Action.* eique nulla compensatio, vel deductio, vel doli exceptio opponi potest, vel debet. *L. 11. C. de posit.* Depositarius enim nullum jus in re habet nihilqve contra restitutionem depositi prætendere potest, adeoqve absq; libello & solenni sententia statim ab executione restitutio judicis officio injungenda. Neguzan. *de Pignor. P. 5. m. 3. P. 2. n. 29.* Balduin. *1. Consil. 256.* Klock. *Vol. 2. Consil. 72. n. 3.* Freudenb. *de Rescr. morat.*
6. *Tit. 7. Concl. 39. n. 8.* Eqvidem Mev. statuit *P. 2. Dec. 37.* etiam in causa depositi ordinario opus esse processu, si altiorem indaginem reqvirat, cœterum hoc non ita procedere simpliciter statuunt alii ut Nicolai *Process. C. 1. n. 4. & cap. 9. n. 15.* Zanger. *de*
7. *Except. P. 1. cap. 2. n. 14.* Hillig. ad Donell. *lib. 23. cap. 4.* qvia in omni-

omnibus causis summariis, qualis depositi suâ naturâ absq; dubio est, solô judices nobili, non mercenariô officio absq; forma judicii, vel actionis proceditur, sine solenni libello, litis contestatione, & probatione. Singulare plane est, qvod denunciatio 8.
depositario facta attendatur, si qvis inferre bellum patriæ vult, huic enim depositum non est reddendum, Cic. *lib. 3. Offic.* redditurus enim faceret contra Rempubl. qvæ debet esse Charissima. Id. *ibid. L. 35. ff. de religios. & sumt.* Sic nec latroni spolium depo- 9.
nenti; sed Domino depositum restituendum esse favor justitiæ depositionis svadet: Et ubi prædo cum Domino concurrit, huic magis favendum. *L. bona fides 31. ff. depositi.*

CAP. II.

De his qvi denunciant, ne civiles annonæ vel pensiones solvantur.

DIcta prohititio extenditur etiam ad annonas & Pen- 1.
siones ædium, scil. ut nemini liceat interdicere præfectis, ne præbeant panes Civiles, aut tesseras, vel denunciare Inqvilinis, ne Locatoribus pensiones ædium locatarum persolvant, iisdem pœnis Cap. 1. expressis, subjectis.

Addit. Ratio exceptionis est, qvia in pensionibus & anno- 2.
nis versantur alimenta, qvæ ex illis fortè comparantur, præsertim ab iis qvi tenuioris sunt fortunæ, qvibus hominibus & Imperatores LL. impensè favent, & consultum volunt, & notissimus est in jure alimentorum favor. Brunneman, *ad Auth. sed jam cautum C. deposit.* Peretz. *C. d. t. n. 16.* posset & contingere, ut illi- 3.
qvi hoc subsidio nutriuntur, defrauderentur administratione per qvam omnes ei tribuitur vitæ occasio. Linck. *de Panibus Civilibus membr. 2. n. 43.* Idem qvoqve de stipendiis militum, & Pro- 4.
fessorum salariis dicendum, ut denunciatione facta non exsolventur, Brunneman *ad L. 5. C. qvæ res pign.* qvippe ab his pendet Salus civitatis & bonum publicum, qvod privatis actionibus præferendum. Brunnem. *Cent. 2. Dec. 22.* Idem in Advocatorum 5.
salariis, in qvibus ut in Professorum non valet pignus, aut ar-

restum, nisi in subsidium, aliis enim bonis existentibus, in salariis arrestum decerni neqvit. Georg. de Cabedo *P. 1. Dec. Lusit. 8. num. 32.* Nicolai *Proc. P. 3. C. 18. n. 9.* Berlich. *P. 1. Concl. 74. n. 36.* Mev. *P. 7. Dec. 243.* Salaria tamen restantia non æqvali gaudent privilegiô de qvibus intelligenda est *L. 40. ff. de re judic.* qva ipsâ motus contrarium statuit Carpz. *P. 1. Const. 29. Def. 32.*

6. Ulterius hic in textu habetur verbum *imbanchiti* de qvo mirum, unde irrepserit dicit Linck. *alleg. loco num. 44.* nisi dicamus stupidum interpretem vocem Græcam in hoc vocabulum nullius sensus commutasse juxta Dionys. Gothofr. *in not. ad hoc C. 2.*

7. Atqve h. L. ut circa fin. inqvit, vult ad securitatem subjectorum custodiri à modo & de cœtero omni tempore, ut immortale sit, hujus nostræ sanctionis juvamen Reipubl. qvæ judicantibus qvidem nobis in mentem venit.

NOV. LXXXIX.

Qvibus modis naturales efficiuntur sui.

PRÆFATIO.

1. Naturalium nomen olim apud Romanus tanqvam alienigenum qvid & omnino à Republ. alienum putabatur, à Constantini Imper. temporibus verò id demum fuit cognitum; Deinde in clementem sententiam Imperatoris aliqui transeuntes, LL. posuerunt, & ipsis relinqvi aliqvid à Patribus concesserunt, aliqvi etiam modum invenerunt, per qvem naturales fierent legitimi, & paternorum bonorum Successores, & ejusmodi Legislatores paulatim qvoq; ad Nepotes processerunt, & ad tempora Justiniani devenerunt, cui duplex fuit studium, multos scil. ex priore servitute in libertatem perducere, &
2. ex naturalibus ad legitimos elevare, & sic undiq; invenire, qvod melius est; Cum igitur jam tum in *C. Tit. de naturalib. liberis*, & passim in Instit. aliqva de illis scripserit, & hinc inde alias Constitutiones ediderit, ne sint illæ di-

spersæ-

sperſæ, inunam Conſtitutionem omnes redigere, qvæ de naturalibus ſunt ipſi placuit.

CAP. I.

De Liberis Naturalibus.

NAtura ab initio, cum de filiorum procreatione ſanciret, anteqvam Civitates conderentur LL. nondum poſitis vel ſcriptis omnes qvidem ſimiliter liberos, ſimiliter qvoqve produxit ingenuos, nam primis Parentibus liberi ex qvo nati ſtatim legitimi à Creatura fiebant; ſed bella & lites, & libidines & concupiſcentiæ cauſam depoſuerunt ad alium ordinem, qvo gentes utuntur de ſervis. Servitutem namqve invenit bellum, naturales autem defectus caſtitatis; ſed lex hujusmodi delicta curans, libertatem ſervis molita eſt, modos introducens dena millia, qvibus ad hanc pervenirent, Imperatoriæ itidem Conſtitutiones aperuerunt minus rectè facta, nec ipſe Juſtinianus Imperator tranſitoriè vel negligenter ad jus legitimam viam paravit. 1. 2.

§. 1. Igitur legitimi Succesſores procedunt hominibus ex nuptiis, qvas contrahunt aut cum dotalibus inſtrumentis, aut etiam absq; eis, ſi maſculi conveniant ad fœminas, ita, ut ab initio ad eas legitimarum nuptiarum habeant affectum. Nuptiis igitur procedentibus ſuccesſiones ſtatim ſint certæ, & inter legitimos connumerentur; Igitur, qvod non eſt legitimum, ſed liberum qvidem, non tamen ex nuptiis legitimis procedens, aut in ſervitute natum, licet qvidem libertatem meruerit, manſerit autem naturale, variis modis ad legitimitatem pervenit, prout ſubſeqventibus recenſebit. 3. 4.

Add. Nativitate omnes ſumus æqvales, & nemo naſcitur ſervus; ſolum ſaltem medium eſt nativitas, per qvod illa, qvæ LL. Civilibus, aut ſpeciali privilegiô ſunt concesſa in naſcentem devolvuntur, non obſt. qvod ſervitus ſit qvo quis dominio alie- 5.

 no con-

6. no contra naturam ſubjicitur §. 2. *Inſt. de jure perſon.* dicitur enim ſervitus contra ſtatum naturalem, in qvo natura omnes homines produxit, non verò contra jus naturale & qvia natura permiſit brutis & hominibus libertatem, qvare adimeret hominibus, qvi-
7. bus tamen bruta ſubjecta ſunt, *Geneſ. 1.* Ex qvo autem bella de jure gentium invaluerunt, etiam ſervitutes ſunt introductæ, & ſervi appellati, qvod cum jure belli potuerint occidi, à Victoribus ſint conſervati. Meritò itaqve Interpretes pleriq; qvos lon-
8. gô numerô recenſet Harpr. *ad Inſt. de jure perſon. §. 3.* Servos à ſervando, non verò à ſerviendo denominarunt. Qvemadmodum verò bella inter liberos & ſervos differentiam introduxerunt, ſic Veneris rabies malè ſana inter legitimos & naturales, ſimul & naturales tantum, non vulgare diſcrimen, ſic ut illi *naturales* dicantur, qvi à naturâ, non jure, i. e. naturali tantum coitione, non verò Legis approbatione naſcuntur. Mynſing. *ad Inſt. de hæred. qvi ab. int. §. qvibus in fin.* vel qvia naturali carnis unitione, ac veluti conniventibus Legumlatoribus naſcuntur, qvales & ſimiles liberi & ſpurii vel ex damnato coitu nati in LL. abominabiles habentur. *Nov. 74. cap. 6.* & ob deteſtantem pa-
9. rentum concupiſcentiam ab Imperatore plectuntur *d. Nov.* nec alios legitimos parentum Succesſores pronunciat, qvam ex legitimis progenitos nuptiis, per qvos naturales prorſus excluduntur, qvorum nomine generatim omnes veniunt, qvi extra
10. matrimonium editi; Sunt verò hi triplicis potisſimum generis, alii ex Concubina nati, qvi in ſpecie *Naturales* appellantur, alii vulgo qvæſiti, ſeu *Spurii*, alii demum ex *damnato coitu* geniti, qvi omnes qvomodo naſcantur pasſim explicant Ddr. vid. Excell. Dn. Stryk. *Tract. de Succesſ. ab int. Diſſ. 1. c. 2. §. 46. & ſeqq.* Conf. *Diſſ. 7. cap. 2. th. 31. & ſeqq.*

CAP. II.

De primo (hoc eſt per oblationem Curiæ) modo legitimat.

1. HUnc Theodoſius Imperator piæ memoriæ introduxit, Sancivit namqve ut pater posſit naturales filios, aut

aut omnes, aut aliqvos offerre Curiis, aut filias Curialibus copulare, & qvia modus hic non simplicem habuit Legislationem; sed variè & de oblationibus curiæ dicit, & de Succesſionibus, qvô modô ipſi, & qvorum exiſtunt heredes, & qvi rurſus ad jus eorum hereditatem accedunt, juſtum hoc primum Legislationis Capitulum ſic diſponere ut ad reliqvos legitimandi modos deveniri posſit.

§. 1. Si qvis igitur naturalium liberorum fuerit pa- 2.
ter, ſive Curialis exiſtens, ſive non, licentiam habeat, omnes, aut aliqvos ex eis ſive ſit eorum pater, ſive non offerre Curiæ qvantumvis ex illuſtri dignitate ſuſceptos; Et perinde eſt, *ſive oblatio* fiat à patre adhuc ſuperſtite, & ſub geſtis monumentorum i. e. judicialiter cum ſcriptura, 3.
ſive moriens in Teſtamento ſcribat oportere fieri Curialem, & deinde amplectatur Scripturam, & mox legitimus fiat, naturalium jure omninò liberatus, *ſive etiam mortuô Patre* ſemet ipſum filius aut filii offerant, non exiſtente legitima ſobole, ubi & ſic erunt legitimi & Curiales. Poteſt igitur Pater etiam exiſtentibus legitimis of- 4.
ferre curiæ filios non legitimos, ſi qvis autem filiorum per ſe ipſum ad hoc procedit, ſolum auditur, cum nullus legitimus filiorum exiſtit.

Modi ſecundum qvos offerantur legitimandi.

§. 2. Igitur ſive ſit curialis qvis, ſive liber ab hujus- 5.
modi fortuna, debet naturalem filium offerre curiæ illius civitatis, unde eſt ortus; Si verò ipſe pater non ſit civis, ſed ex villa qvadam aut vico oriundus, illi à Patre civitati offeratur, aut ſemet ipſum offerat, ſub qva civitaſe villa aut vicus tributa perſolvit; Atqve ſic offerre licet Pater, Avus, aut aliqvis Aſcendentium; ſi qvis autem ſemet ipſum offerat, hoc ipſi licet, cum non alii legitimi ſunt fratres.

§. 3. Of-

6. §. 3. Offerre autem volens filium aut ex maxima civitate Constantinopol. aut ex seniore Roma sit ortus, & sic in qvam voluerit metropolim oblationem celebrare potest, qvæ regula qvoqve in filiabus obtinebit, sic, ut nubere possint Curialibus aut ex civitate ipsa ex qva sunt orti, aut sub qva villa, aut vicus tributa persolvit, aut si qvis liber simul & Romanus, aut Byzantius fuerit, cuicunqve
7. Curialium, alterius cujuspiam, metropolis tamen. Imò potest pater, licet ex ancilla habeat liberos, eos in libertatem ducere, & offerre Curiæ. Qvod si verò pater non offerat, liber autem semel filius fiat, possit & semet ipsum Curiæ offerre, etiam hic legitima non existente prole.

8. *Addit.* Hæc Legitimatio à jure antiqvo dependet; & apud nos ulterius in vigore non est, non poterant autem huic legitimationi filii renunciare, nec onera curiæ declinare, *L. 3. & 4. C. de Natur. lib.* Et qvidem offerri potuit quisque ex civitate ejus Provinciæ ex qva erat oriundus, exceptis originem habentibus ex altera urbium regalium Roma, aut Byzantio, i. e. Constantinopoli, qvibus hoc privilegium datum, ut possint cuilibet me-
9. tropoli offerri. *d. l. 3. C.* Quales itidem offerrentur, parum intererat, nam & ex ancilla nati manumissi decurionatus, aliorumq; civilium munerum fiebant participes, & è contrario nulla dignitas oblationem impediebat, præterqvam tam ampla, ut à curiali sorte liberare soleret. *h. Cap. §. 2.* Gudelinus *de Jure Noviss. lib. 1.*
10. *cap. 16.* Poterat etiam Pater filios legitimos habens, alios tamen illegitimos etiam curiæ offerre, sic tamen, ut uni ex legitimatis non potuerit plus relinqvere, qvam uni ex legitimis, cui minima portio relicta est, debet enim differentia manere inter legitimos & legitimatos. vid. Brunneman. *ad L. 3. 4. & 9. C. de natural.*
11. *liber.* Cum verò fœminæ ab omnibus muneribus publicis arcerentur *L. 2. ff. de R. J.* & sic in ordinem Decurionum eligi non potuerint, hujus tamen legitimationis commodo fruebantur, si Decurioni nubebant, *qvid enim interest*, inqviunt Imperatores *L. 3. in fin. C. de natur. lib. utrum per filios, an per generos Commoditatibus Civitatum consulatur? Et utrum novos Lex faciat Curiales, an foveat,*

foveat, quos invenit? Ex qvo ipſo ſatis patet, uxori dignitatem ſuam communicare per nuptias maritum, & inſuper maritali ſplendore & Nobilitate coruſcare. *L. fœmina 8. ff. de Senator. L. cum te 10. C. de nupt. L. ult. C. de Incolis.* vid. Myler. ab Ehrenb. *Gamolog. Cap. 7. th. 3. & ſeqq.* qvam tamen dignitatem per luxurioſam vitam amittere dicit Brunneman. *ad L. 10. C. de Nupt.* diſſentiens à Carpzov. *P. 2. Dec. 181.* ſtatuente, nullibi id vel in jure Saxon. vel Civili dici. Cœterum Brunnem. ſententia ſatis defendi poſſe per *Nov. 39. cap. 2.* videtur, qvæ mulierem ante luctus tempus circa anni terminum parientem donatione ante nuptiali, & proprietate, & uſufructu & omnibus aliis pœnis ſecundarum nuptiarum in *Nov. 22. cap. 22.* expreſſis, ſubjicit, E. & dignitate, qvia luxurioſâ ſuâ vitâ ſe reddit indignam. 12. 13.

CAP. III.

De Succesſione Curialium.

SI Naturalis fiat Curialis, erit ut cœteri legitimi Patri & ab inteſtato Succesſor, & ex voluntate, & ex donatione, ut tamen non amplius habeat, qvàm unus legitimorum. Ex quo etiam ſemel ad jus legitimorum aſcenderunt, non ſe abſtinere debent Patrum hereditate, aut videri donationem in ſe factam, & ratam habitam ab eis relinqvere, & fortuna recedere manebunt itaq; Curiales, & relictam aut donatam habebunt menſuram. 1.

§. 1. Si ab initio refutaverint oblationem, & naturales manere maluerint, qvàm ditiores & curiales fieri, bona tamen paterna posſidere vel retinere, tenebuntur omninò Curialem fortunam amplecti, ne adulterari videantur legislatorem, & lucra qvidem occaſione oblationis venentur, repellant autem fortunam, propter qvam lucra promeruerunt. Idemqve locum habet in filiabus nubentibus Curialibus, nulla exiſtente differentia, ſive per maſculos qviſpiam curiæ munera agat, ſive per generos, Curiam in filiabus augere voluerit, & per 2. 3.

illorum filios novos adjicere prioribus Curialibus filios eorum.

4. *Addit*. Legitimati per oblationem Curiæ fiunt tantum legitimi Parenti suo, non etiam Agnatis & Cognatis Parentis, i. e. illis non succedunt, nec contra, *L. 9. pr. C. de Natur. lib.* & si sic legitimatus decedat, ei ab intestato succedunt liberi legitimi, portione qvarta Curiæ danda, si liberi ejus Curiæ non sint addicti, qvi autem post legitimationem Patris nascuntur, semper sunt curiæ obstricti, & succedunt in solidum, si autem sine liberis talis legitimatus decedat, mater superstes ab intestato trien-
5. tem accipit, bessem, i. e. duas partes, curia. Si nec mater superest, cognati succedunt in Maternis, Curia in paternis, nisi qvis ex cognatis se curiæ addicat, qvi paterna bona acqvirat, mater autem & cognati reliqva, quæ legitimatus non à Patre; sed aliunde acqvisivit. *L. 9. §. si verò sine liberis* & qvamvis LL. futuris tantum negotiis formam præscribere soleant, tamen *in d. l. 9. §. ea verò* specialiter statutum, ut non tantum qvi post hanc
6. Legem Curiæ dabuntur, ita succedant; sed & qui ante hanc L. dati sunt, ob favorem publicum munerum Curiæ, quæ plerumq; declinabantur, ut verò plures ea onera subirent, commodo legitimationis & successionis fuerunt onerandi, & sic modum succedendi, liberorum per obl. Curiæ describit Brunnem. *ad L. 9. C. de Natural. lib.* Conf. *C. sequens IV.*

7. Constat itidem ex §. 1. non posse qvem renunciare juri, in qvantum inde Publico præjudicatur, qvilibet enim Publico, si id operam nostram expetat, inservire tenetur, nec valet hic Renunciatio, licet jurata, publicum enim jus manet irrenunciabile *L. 38. ff. de Pactis* qvippe privatorum actiones non lædunt jus publicum *arg. L. 3. pr. ff. de Transact.* & sic in omni pacto vel renunciatione censetur exceptum jus tertii, qvod semper potius reservatum intelligitur *C. si postqvam 13. X. de præb. in 6to C. qvamvis 18. X. de Rescr. in 6to. l. 40. ff. de peric. & adm. Tut.* multò minus Respublica damnum sentire potest per renunciationem Civis sui, qvi ad officia ipsi præstanda obstrictus, cum ad munera publica aliqvem cogi posse in jure tritum sit. *l. 9. ff. de muner. & bonor.* vel si detre-
8. ctet, illis remediis compellatur, qvibus Tutor *d. l. 9.* Qvod & extendi

tendi poteſt ad Artifices, ut teneantur inviti ſuum nobis laborem locare, & mandatis pœnalibus compelli, cum ob artis profeſſionem, tum ob privilegia Collegii ſui, qvod factum refert Mev. *P. 21, dec. 156.*

CAP. IV.

Filius legitimatus per O. C ſuccedit tantum Patri.

ILli enim ſoli tantum fit legitimus, non etiam extraneæ 1.
cognationi Patris, & facit Imperator eum velut ex qvadam machinatione Cognatum, & qvia Patri ſolummodo legitimus fit Succeſſor, nullum habet participium ad Aſcendentes, aut deſcendentes, aut ex latere agnatos vel Cognatos patris, æqvali tamen privilegio, ut ſicut nec Cognatus patris ſit iſte Succeſſor, ſic nec illi vocentur ad ſucceſsionem ejus niſi forte aut ipſe ſcripſerit illos, aut ab illis ſcribatur, ſoli enim patri fiunt legitimi, & cognati eſſe creduntur.

CAP. V.

Qvinam ſuccedant legitimatis per Obl. C.

SIquidem habuerint filios, aut Nepotes de legitimis ſi- 1.
bi procreatos uxoribus & merito conſtitutos Curiales, modis omnibus ſuccedant, ſi filios Curiales non habeant, legitima menſura (ſcil. qvarta determinata à Lege) veniat ad Fiſcum & Curiam reliqvum verò qvantumcunque fuerit, ad filios non Curiales. Si verò generaliter 2.
nulla ſit ipſis proles, & moriatur inteſtatus, 9. uncias Curia & fiſcus habeat, ſuperſtites heredes legitimi, vel ſi teſtatus fuerit, ſcripti heredes. Si qvis autem aut ex gene- 3.
re, vel Extraneus ſcriptus forſan, aut etiam non ſcriptus, Imperium adire velit, & ſemetipſum Curiæ offerre, hoc

ipsi liceat, & distributâ Curiæ parte acceptâ fieri Curialis, & sic tàm fortunæ, qvàm functionum Successor, annuente Imperio.

CAPUT VI.

Naturales liberi qvando fiant Heredes.

1. SI qvis legitimos filios non habeat; sed tantum ipsi naturales sint, honore Curiæ liceat eos scribere heredes, eademque Scriptura pro omni oblatione consistat, nec egeat aliâ adjectione, aut oblatione, etsi superstites essent; sed si ita liberi scripti sint, curiales simul & heredes fiant, & habeant 9. uncias, sicut pater eis distribuerit, qvod si totum eis relinqvere voluerit, melius adhuc faciet, ad 9. verò omnimodo relinqvat, & si minus reliqverit, ex Lege omnimodo substantiæ supplementum fiat, liberi verò si voluerint, Curiales fiant.

2. II. Si verò aliqvi qvidem eligant, aliqui verò refutent, ad eos qvi eligunt, refutantium veniant portiones; qvod si omnes renuerint, tunc tanqvam filiis non existentibus ad Curiam 9. unciæ omnes veniant.

3. III. Si pater tacuerit, filiorum verò legitimorum ei proles non sit, legitima qvidem pars ad heredes ab intestato veniat, filii verò naturales, si voluerint, semetipsos offerre curiæ possunt, sive omnes, sive qvidam ex eis, & modis omnibus 9. unciæ ad Curiales aut Curialem perveniant.

4. IV. Si ex ancilla ei nati sunt, si eos manumiserit, aut vivens, aut in Testamento obtulerit eos, etiam sic suscipiantur, & sint Curiales, ut testator voluit, aut sicut eorum desiderium fuit, offerentes enim semet ipsos Curiæ, percipient 9 uncias, undiqve enim volumus, vel si testetur, vel si non facta voluntate decesserit, eos qui ad Curiam veni-

veniunt, IX. uncias accipere, &c. *vide textum ſatis clarum*.

CAP. VII.

Agit de LEGITIMATIONE PER ADOPTIONEM, hæc uti ſupra ad *Nov. 74. c. 3.* dictum â Juſtino Imper. Juſtiniani Patre eſt abrogata. *v. ſupra*.

CAP. VIII.

De ſecundo modo legitimationis per inſtrumenta dotalia.

SI quis dotalia ſcripſerit inſtrumenta ad liberam in principio, ſive ad libertam legitimos liberos non habentem, cui omninò copulari licet in forma Concubinæ, & aut legitimorum, aut naturalium filiorum Pater jam exiſtit, & filii vel præcedentes vel concepti legitimi eſſe debent, & licet poſtea non naſcantur filii, aut nati moriantur, nihilominus prior ſoboles legitima conſiſtit, modo dotalibus inſtrumentis mutatam affectionem declaraverit Pater. 1.

§. 1. Qvi ante dotalia inſtrumenta conceptus; ſed poſtea natus, ſtatim quidem eſt legitimus, cum tempus partus tanqvam utilius hoc caſu conſideretur; ſed ſi contigerit, tales aliqvas excogitari circumſtantias, caſuum, in qvibus eſt utilius conceptionis tempus, qvàm partus, illud magis tempus valere debet, qvod utilius eſt naſcenti. 2.

Addit. Ut conſtarent Nuptiæ cum Concubinis & manumiſſis vilioribusqve perſonis inſtrumenta dotalia olim fuiſſe neceſſaria ſtatuit Gudelinus *de Jure Noviſſ. lib. 1. c. 15.* qvod cum hodie non obſervetur; ſed per benedictionem ſacerdotalem de affectu matrimoniali ſatis conſtet, inde & ejusmodi liberi legitimi eſſe dignoſcuntur, qvippe hoc beneficium datum eſt juſtæ conjunctioni ſeqventi, ad qvam incitavit virum partim commiſeratio natorum, partim melior ſententia, majorqve effectus erga mulierem.

4. §. 1. Semper inspiciendum id tempus, qvod partui est utilius, hinc si Pater fuerit Nobilis, utut mater ignobilis liberi tamen Nobilitatem conseqvuntur, qvia vinculum ratione Matris est impertinens *v. l. 13. C. de Dignitat.* nisi in iis tantum, ubi Avos & Atavos suos continuâ serie annumerare tenentur in eo enim

5. datur exceptio, prout moribus Germanorum est receptum, ut octo generationes Nobilium ex utroqve latere sine defectus Nobilitatis probentur, qvæ consvetudo Germaniæ in Ecclesiasticis Collegiis Capitularium, præsertim superioribus *auff den hohen Stifftern* tam Principum & Comitum, qvàm Nobilium strictè observatur, ut non solum non nisi Principes, Comites, Nobiles; sed etiam nonnisi hoc modô perfectissimi sint, in iis admittantur, *Sie müssen vollbürtige Rittersleute seyn, welche ihre Ahnen und Helm beweisen können.* i. e. oportet esse vere legitimos Eqvites, qui generationes & galeas suas probare possunt. Similiter circa su-

6. sceptionem in ordinem Eqvestrem S. Johannis & Eqvitum Marianorum debet probari per testes eos ex utroq; Parente & IV. Avis esse omnino puro sangvine procreatos, nec ab aliqvo ex Judæis, Saracenis, Conversis, aut qvoqvô modô à S. Fidei Tribunalibus punitis, & præterea eos esse Nobiles, non qvidem ex privilegio; sed sangvine Avi, & aviæ paternæ ac maternæ, ita ut ex IV. ut dicunt lateribus sint sangvine Nobiles. Excell. Dn. Becman. *in den Anmerckungen von dem Ritterlichen Johanniter-Orden c. 1. th. 4.* ubi *seqq.* addit; *Und hat man zwar in dem Orden von St. Jacob in den vorigen Zeiten zugelassen, daß die Großmutter von der Mutter nicht hat dürffen von Adel seyn, wann sie nur sonsten ehrlich gelebet, welches aber Anno 1653. geendert, und daß es gleich wie bey andern Orden damit gehalten solte werden, geschlossen worden. Zu dem Johanniter-Orden werden zwar auch natürliche Kinder admittiret, aber nur von grossen Herren.* i. e. Concessum quidem fuit pristinis temporibus in ordine de S Jacobo, ut qui non habuerit Aviam lineæ maternæ Nobilem, modo honestam vixerit vitam, in Ordinem Eqvestrem potuerit admitti, mutatum id tamen An. 1653. & conclusum, ut & circa hunc, prout apud cœteros observari deberet. In Ordinem Johanniticum recipiuntur qvidem naturales liberi, sed tantum Heroum, & illustrium. Nec admitti pos-

7. sunt

sunt illegitimi præter Comitum, aut majoris gradus, & tituli Dominorum filios, dummodo sint ex ingenua matre nati, Idem Dn. Becm. *c. l.* Eadem ratione in Silesia jus & judicium Eqvestre *das Ritterrecht* reqvirere Nobiles, qvi insignia 4. tam Materna qvàm Paterna demonstrare possunt, ex Georg. Wentzelii *Tr. de Jure & judicio Eqvestri Silesiæ* notat Besold. *Thes. Pr. voc. Ahnen.* Li- 8.
cet alias legitimè nati non matrem; sed Patrem, non modò qvoad familiam & dignitatem; sed & qvoad statum seqvuntur *L. 10. ff. de Senator. l. 19. ff. de Stat. Hom.* Conjugis judaicæ tamen, ad fidem Christianam transeuntis marito in Judaica superstitione manente, proles seqvitur conditionem matris ejusq; religionem, qvoniam id ipsi utilius. *C. Judæi 28. qv. 1. & C. ex literis tuis X. de Convers. infidel.* & qvoad Baptismum parvulo dandum in concursu Pa- 9.
tris judæi & matris conversæ hujus consensus favore Religionis prævalet exclusâ contradictione Patris. Ziegler. *Dissert. de Judæis c. 2. §. 19.* Simili ratione si tempus conceptionis utilius est partui 10.
magis id qvàm partus inspiciendum, ut si conceptus qvis Nobili patre, si hic postmodum ob delictum commissum Nobilitate exuitur anteqvam partus nascatur, pro Nobili tamen est reputandus.

CAP. IX.

De tertio modo legitimat. per rescriptum Principis.

SI qvis filios legitimos non habens; sed tantummodo 1.
naturales, ipsos qvidem legitimare voluerit, mulierem verò omninò non habeat in promptu aut habeat qvidem, non tamen sine peccato, aut si non appareat, aut aliter dotalium Instrumentorum non habeat facultatem, dat ipsi fiduciam ad legitimam jus filios naturales educare; legitimis non existentibus. Sicut enim sunt modi, 2.
qvi servos ad libertatem simul & ad ingenuitatem deducunt, & naturæ restituunt, ita si pater non habuerit legitimam prolem & antiqvæ eos ingenuitate restituere, sive ex ingenua nascantur, sive ex liberta, hoc agat per Rescriptum,

ſcriptum, non enim fuit in principio, qvando natura hominibus ſanciebat ſola, anteqvam ſcriptæ procederent
3. LL. qvædam differentia naturalis atqve legitimi; ſed primis parentibus primi filii etiam ipſo proceſſu nati legitimi fiebant, & ſicut in liberis natura qvidem fecit liberos omnes, bella verò ſervitutem adinvenerunt, ſic qvoqve natura legitimas protulit ſoboles, ad concupiſcentiam verò facta converſio ſcilicet ad concubinas natura impulit, hinc ejusmodi morbo medelam adhibere fas fuit.

§. 1. Ejusdem cum pr. argumenti eſt.

4. *Addit.* Solennia Legitimationis per Reſcriptum Principis ſunt ut ex Rittershuſ. *ad Nov. P. 4. cap. 12. n. 9.* refert Ziegler. *de Jur. Maj. lib. 1. cap. 10. th. 5.* ſcilicet; Pater, qvi ex Concubina liberos naturales ſuſcepit, Principi preces offert, & deſideria ſua exponit libello ſupplice, vel etiam ipſi liberi naturales hoc faciunt, prolato ſimul patris ſui teſtamentô, qvi heredes ipſos inſtituit; qvibus deſideriis ſive precibus annuens Princeps, vel ſubſcribit eidem chartæ ſeu membranæ, vel ſeorſim dat libellum legitimationis. Ut verò legitimatio iſta effectum habeat, reqvi-
5. runt Interpretes 1. ut Pater non habeat alios liberos legitimos, qvod vult *cap. 9. h. Nov.* negandum tamen non eſt, poſſe Principem ex plenitudine poteſtatis filium naturalem legitimare, etiam in præjudicium legitimorum jam ante exſiſtentium. Peretz. *C. de Natur. lib. n. 9.* ubi tamen neceſſum eſt, ut liberorum legitimorum faciat mentionem, alias legitimatio ſub & obreptitia cenſe-
6. tur. Gail. *lib. 2. Obſ. 142.* Anton. de Roſell. *lib. 2. de legitim.* Conſenſus tamen proximiorum hic non reqviritur, cum nullum eorum præjudicium hoc loco verſetur, Myler ab Ehrenb. *de Princ. & Statib. Imper. cap. 54 n. 3.* adeoq; iniqvum eſt, ut & illi agnatis ſuis ſuccedant. Idem *n. 6.* 2. Ex *h. Cap.* reqviritur, ut per ſubſeqvens matrimonium legitimare pater non potuerit, qvod fit, vel qvando omnino concubina duci neqvit, ut ſi forte mortua ſit, vel lateat, aut non cum dignitate duci poſſit, ſi vel conditio
7. patris id non ferat, ut ſi Sacerdos factus ſit. 3. Conſenſus liberorum legitimatorum *Nov. 98. cap. 11.* ubi tamen tacitus ſufficit, qvi

qvi colligitur ex ſilentio, qvô modo & infans rectè videtur legitimari, modo tamen major factus rem ratam habeat. Zœſ. *ad Decret. X. qvi filii ſint legitimi.* 4. Patris voluntas liberos princi- 9.
pi offerentes, aut ſaltem in Teſtamento deſiderantes, ut beneficium hoc filio impertiatur. *Cap. 10. h. Nov.* Qvemadmodum verò ſupra ad *Nov. 74. cap. 1.* dictum, qvod legitimatio Principis Alchymiæ ſit ſimilis, qvæ facit apparere id, qvod non eſt, ita negari neqvit, qvod Baſtardo legitimato ſemper aliqva turpitudinis nota adhæreat, prout Baldus ſcribit *c. ult. X. de translat. Epiſc.* qvod Spurius legitimatus ſimilis ſit homini curato à vul- 10.
nere in facie illato, cujus cicatrix ubivis in oculis Virorum verſatur. Hinc in ſimili videmus, Legitimatos per Reſcriptum non comprehendi in diſpoſitione Feudali, ut nimirum in Feudis ſuccedant. Gail *lib. 2. Obſ. 142. n. 15.* Zœſ. *de Feud. P. 8. n. 74.* Richt. *de Succesſ. ab inteſt. Sect. 1. membr. 2. n. 12. ſeqq.* Vult. *de Feud. lib. 1. cap. 9.* Mynſing. *C. 5. Obſ. 42. n. 5.* Struv. *Synt. J. Feud. cap. 9. aphor. 8. n. 8.* Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feud. cap. 9. qv. 39.* Ergò nec in con- 11.
ceſſione inſignium comprehenſi dicendi erunt, cum utrobiqve eadem ratio militet. Hœpping. *de jure inſign. cap. 7. §. 4. num. 212.* niſi tamen Legitimatus per Reſcriptum expreſſè qvoqve & nominatim ad jura inſignium fuerit habilitatus, qvo tamen delatio armorum non niſi cum adjectione Barræ in medio per transverſum competere poteſt. Hœping. *d. cap. 7. n. 218.* Nold. *de Nobilit. cap. 11. n. 84.*

CAP. X.

De qvarto modo legitimationis per Teſtamentum patris à Principe confirmatum.

PAter naturalium filiorum tantum, ſi per caſus fortui- 1.
tos liberos legitimare non potuerit; ſed moriens Teſtamentum ſcripſerit, volens, filios ſibi legitimos eſſe Succesſores, hoc ipſi liceat, ita tamen, ut mortuo patre ſupplicent, Teſtamentum Paternum oſtendant, & here-

des ſecundum Legem exiſtant, hocq; donum habeant patris & Principis hoc eſt, naturæ ſimul & Legis.

2. *Addit.* Qvæ hic adjungi merentur, jam tum ſupra ad *Nov. 74. cap. 2.* ſunt propoſita, ad qvam me remitto.

CAPUT. XI.

Ut Liberi ratificent Legitimationem faciendam.

1. NAm ſi ſolvere jus patriæ poteſtatis invitis filiis patribus non eſt permisſum, multo magis ſub poteſtatem redigere invitum filium & nolentem ſive per oblationem ad curiam, ſive per inſtrumentorum celebrationem, ſive per aliam qvamlibet machinationem tanqvam ſortem metuentem paternam juſtum non eſt.

2. §. 1. Si plurimis exiſtentibus liberis, alii qvidem eligant, alii reſpuant, hi qvi volunt legitimi fieri fiant, aliis in jure naturali manentibus; Legitimis autem exiſtentibus, naturalibus deinde provenientibus, hic neqvaqvam jus legitimorum adjicietur, niſi aut per Curiam, aut per ſubſeqvens matrimonium ſint legitimati.

3. §. 2. Adoptionis modum ſecundum paternæ Conſtitutionis virtutem excludit à legitimatione, qvoniam caſtitatem non perfectè conſideravit, & *non erit decens*, ut, qvemadmodum jam ſupra ad *Nov. 74. Cap. 3.* dixit, *qvæ benè excluſa ſunt, in Rempubl. rurſus introducantur.*

4. *Addit.* Pro ſingulari legitimationis reqviſito habent aliàs Doctores, ut legitimandus conſentiat in legitimationem Aſcan. Clementinus *de Patria poteſt. cap. 5. n. 62.* Honded. *lib. 2. Conſult. 72. num. 10. & ſeqq.* Anton. de Roſellis. *de Legitimat. rubr. de Cauſæ*
5. *mater. lib. 2. n. 2.* Hinc ſi infans Principis reſcripto fuerit legitimatus, legitimatio talis non aliter valet, qvam ſi poſtea pubes factus eam ratificarit. Honded. *d. Conſult. 72. n. 59. & ſeqq.* ſic & abſentium & ignorantium legitimatio ſuſtinetur, ſub ſecuta eorundem

rundem notificatione. Forster. *de Succesʃ. lib. 6. cap. 33. n. 4.* Roſell. *d. L. n. 9.* ob rationem in textu allegatam, dum in poteſtatem invitum filium redigere non licet, *hic & L. fin. ff. qvi ſint ſui vel al. Jur.* niſi fuerint ingrati, ut ſi ſuos parentes vel atrocitate convicii, vel cujuscunqve atrocis injuriæ dolô repulſaverint. *L. un. C. de Ingrat. lib. 5. L. 2. C. de Libert. & eor. lib.*

Illud adhuc §. 1. notatu dignum legitimis exiſtentibus na- 7.
turales ſupervenientes non fieri legitimos, & ideò in precibus pro legitimatione facienda Principi oblatis, mentio fieri debet filiorum legitimè natorum extantium, alioqvin omisſio ejus reddet legitimationem ſub & obreptitiam. Gail. *lib. 2. Obſerv. 142.* Honded. *Conſult. 89. Vol. 1. membr. 22.* Benedictus de Barziis *de filiis non legitimè natis. n. 48.* Qvod ſi tamen Princeps ſciverit, pa- 8.
trem legitimandi habere legitimè natos, etſi illorum nulla mentio in precibus fuerit facta, valebit tamen legitimatio non ſolum qvoad ſubſtantiam; ſed etiam qvoad præjudicium legitimè natorum. Honded. *Vol. 1. Conſult. 89. n. 26.* Idem dicendum, ſi pre- 9.
cibus facta fuerit mentio filiorum legitimè natorum, Princeps autem, iis non vocatis, legitimarit, ſic enim valebit legitimatio non ſolum qvoad ſtatum integrum ipſius filii; ſed etiam in præjudicium filiorum legitimè natorum Gail. *d. l.* Anton. de Roſell. *de Legitim. rubr. de cauſa formali legit. n. 3. & 4. lib. 2.* Conf. Dn. Stryk. *Tr. de Succesſ. ab inteſt. Disſert. 1. cap. 2. th. 75.*

CAPUT. XII.

De Succesſione omnium Naturalium filiorum.

I. SI naturalium Patri legitima ſit Soboles, unam cum 1.
matre unciam habebit, nec ex donatione, vel ultima voluntate ulterius qvid percipiat.

II. Si filii non adſunt naturales; ſed concubinæ non 2.
habentes conjugem, mediam habebunt unciam.

III. Si verò legitimorum filiorum non ſint Paren- 3.
tes, & neq; Patrem, neq; matrem habeant, ad tres uncias relinqvere eis aut donare permisſum eſt, & hoc cum

matre, & si qvolibet modo aliàs qvi acceperint, id solummodo, in hoc reputari, qvod autem plus est, ad heredes ab intestato pervenire. Atqvi hæc illis olim erant relicta per Constitutiones Imperatorum Valentis, & Valentiniani & Gratiani Divæ memoriæ.

4. §. 1. Sed Imperator Justinianus hic pro tribus uncis, filiis legitimis non extantibus 6. uncias relinqvit. Cum verò ut ait, aliqvi non habuerint licentiam qvantum volunt suis naturalibus filiis relinqvendi; sed sibi eligant Viros aliqvos bonos & honestos qvos heredes scribunt, qviq; deinde filiis restituant, illi autem ex hoc impiè agunt, & voluntatem scribentium prævaricantur, aut pejerant, hinc constituit.

5. §. 2. Ut si qvis habeat filios legitimos, non possit filiis eorumqve matri ultra unam unciam relinqvere, aut donare naturalibus, aut concubinæ; sed & qvid amplius dare tentaverit, qvolibet modô hoc fieri filiorum legitimorum, aut si filii non sint, sed solum concubina, huic mediam unciam relinqvi aut donari concedit.

6. §. 3. I. Si qvis non habuerit liberos legitimos, aut qvemqvam Ascendentium, qvibus legitimam relinqvere tenetur, testatori licentia est, etiam in 12. uncias scribere filios naturales heredes, & res inter eos, qvocunqve voluerit modô dividere, & per donationes aut simplices, aut ante nuptiales, aut per dotes, aut per alium qvemlibet modum legitimum.

7. II. Si verò habuerint Ascendentes, legitimam eis relinqvant partem, qvam Lex & Imperator constituit, reliqvam verò dotem in naturales filios habeant relinqvendi licentiam.

8. §. 4. Atqve jam tradita locum habent conditô Testamentô, sed si ab intestato moriatur pater legitimâ prole aut conjuge non relictâ, naturales cum matre sua in duas

duas ſuccedunt uncias, non attentô numero naturalium, & mater accipit portionem filialem. conf. *Auth. Licet C. de Natural. lib.*

§. 5. Si effuſa cui concupiſcentia fuerit, & alias ſuper- 9.
induxerit priori concubinas, & multitudinem habuerit mulierum fornicantium, & ex eis filios habens moriatur multas ſimul deſerens concubinas, odibilis qvidem eſt iſte talis, & hac Lege procul modis omnibus cum talibus filijs & concubinis excludatur.

Ratio. Sicut enim legitimæ copulatus uxori alias ſu- 10.
per inducere non poterit matrimoniô conſiſtente, & ex his legitimos procreare, ita nec poſt agnitam concubinam, & ex illa filios, aliam dat, & Imperator non dat luxuriantibus; ſed pudiciis Legem, i. e. privilegium (nam LL. ſunt introductæ ut malis hominibus manus ligentur) Nec facit hic differentiam inter mares & fœminas, ſicut enim natura nil circa talia tractat, ſic nec aliam in maribus & in fœminis aliam ſecundum hoc ponit legem.

§. 6. Si naturales liberi cum legitimis ab inteſtato 11.
concurrant, illi planè excluduntur, paſci verò naturales à legitimis ſancit, ſecundum ſubſtantiæ menſuram arbitrio boni viri determinandam. Ex defuncta concubina qvoqve nati alendi à Succesſoribus. Qvæ hactenus ſunt dicta, etiam ſpecialiter in nepotibus obtinere vult.

CAP. XIII.

Succesſiones Liberorum & Parentum naturalium ſunt legitimæ.

EAdem enim menſurâ ſicut Parentes proſpiciunt filiis 1.
ſecundum Legem, ita & ipſi Parentibus compenſent ſive in ſuccesſionibus ſive in alimentis.

2. *Addit.* Naturales liberi tantum, de qvorum & parentum successione in *Cap. 12. & 13.* tractat Imperator, propriè seu strictè & in specie dicuntur, qvi nati sunt ex Concubina, qvam scilicet qvis unicam indubitatò affectu domi loco uxoris habuit *h. Cap.* §. *5. L. liberi 32. qv. 4. & Gloss. in c. nisi cum pridem 10. super verb. manzeris X. de renunc.* qvi non dicuntur de domo, & agnatione
3. patris naturalis, neq; retinent Nobilitatem generis, nec possunt portare arma & insignia patris, sive agnationis, nisi eis concedantur, vel nisi sit de consvetudine, & sic portabunt cum aliqvo signo denotante insignia esse læsæ naturalitatis. Nicol. de Ubald. *Tr. de Successf. ab intest. n. 53.* conf. supra *ad h. Nov. cap. 1.*
4. *6. & 11.* Succedunt hi omnes respectu matris sicut legitimi, prout etiam aliis Ascendentibus per lineam maternam ab intestato *L. 8. ff. unde Cognati.* & ex testamento, ita qvidem, ut si mater vel avus maternus eos non instituerit hæredes, vel sine justa causa exheredaverit, competat eis qverela inofficiosi. *L. 29. §. de inofficioso ff. de inof. Test.* unicus exceptus est casus in *L. si qva Illustris 5. C. ad SCt. Orfic.* Cœterum etsi Concubinatus per LL. Civiles
5. nomen assumserit, & jure Civili sit permissus & extra Legis pœnam esset *L. 3. §. 1. ff. de Concubin.* hodie tamen de jure Divino, qvo omnes injusta conjunctio extra legitimum matrimonium prohibita. *1. Corinth. 5. verf. 1. & 1. Cor. 6. v. 9. 1. Timot. 1. v. 10.* eum parum aut nihil à scortatione differre existimant, Wesenb. *r.*
6. *ff. de Concubin,* & alii passim Doctores. Qvia & jam olim Imperatoris LEONIS *Nov. 91.* eum prohibuit addita ratione, qvod indignum sit, cum qvis è fonte ipso aqvam puram haurire possit, ut lutulentam qverat. Num etiam jure Justinianeo? vid. Eckh. *ad π. Tit. de Concubin.* Et an jure Divino Vet. Test. fuerit prohibitus? defendit negativè Osiand. ad Grot. *lib. 2. de Jur. B. & P.*
7. *cap. 5. ad th. 15.* Frustra verò de eorum hodie successione qværitur, qvoniam cum spuriis ejusdem censentur farinæ, adeoqve si & hi certum patrem demonstrare possint idem accipient, qvod Naturalibus assignavit Imperator. vid. Dn. Stryk. *Tr. de Successf. ab Inst. Diss. 1. cap. 2.*

CAP.

CAP. XIV.

De Curatore filiis naturalibus dando.

PAter poteſt filiis naturalibus Curatorem dare pro quantitate bonorum illis relictorum, Confirmatione tamen Curator indiget, ipſa qvoqve Mater liberorū naturalium perinde ac legitimorum poteſt eſſe Tutrix. 1.

Add. Duo in textu habentur, *unum*, qvod pater filio cui quid reliquit, Curatorem posſit dare, qui tamen confirmandus erit ex inqviſitione, an ſit idoneus *L. ult. C. de Confirm. Tutor. Alterum*, qvod mater etiam naturalium liberorum Tutrix eſſe posſit, ſi ſecundis nuptiis & SCtò Vellejano omnive Legis auxilio renunciaverit, & bona ſua expreſsè obligaverit, cœteraqve obſervavit, quæ in *L. 2. C. Qv. Mulier Tut. officio* de juſtorum liberorum tutela traduntur. A patre tamen datum Teſtamento Tutorem liberis naturalibus matri præferri tradit Brunneman. *ad L. 3. C. qu. Mulier officio.* 2. 3. 4.

CAP. XV.

Ut filii ex damnato coitu nati nec alimenta â parentibus conſeqvantur.

TAles ſunt qui ex complexibus, aut nefariis, aut inceſtis aut damnatis procesſerunt, qui nec alendi â Parentibus, nec qvoddam ad præſentem Legem habebunt participium. 1.

Addit. Ex damnato coitu nati liberi dicuntur ex inceſtis & nefariis nuptiis procreati liberi, qvæ nuptiæ licet, promiſcuè accipiantur, *nefariæ* tamen propriè dicuntur, qvæ inter Aſcendentes & Deſcendentes contrahuntur usqve in infinitum, ſive ſint naturales & legitimi ſive naturalis tantum, vel etiam ſpurii & inceſtuoſi *L. 35. & L. fin. ff. de R. N. §. 1. I. de Nupt.* Sic Antiochi filium Seleuci Patris ſui uxorem, in Conjugem duxiſſe Patre vivente ſcribit Valer. Max. *L. 5. c. 7.* vid. Cypr. *de Sponſal. lib. 2. c. 3. §. 1.* 2. 3.

4. §. 1. n. 3. *Incesta* propriè dicuntur, qvæ inter Collaterales Consanguineos in primo & secundo gradu lineæ inæqvalis contrahuntur, qvalis gradus & divinô & humanô jure est prohibitus *Lev. 18.* §. *Fratris v. I. de Nupt.* qvod matrimonium inter fratres & sorores inprimis, licet dictis textibus refragetur, non tamen juri Naturali; nam qvô remediô Deus ad propagandum genus humanum est usus, illud non poterit esse contra Jus Nat. aliàs contradictoria in Deo admittenda forent, jam autem Deus permisit, ut filii & filiæ Adami se invicem ducerent, Ergò. Hinc ipse De-
5. us T. O. M. toleravit Abrahamum, qui Saram Sororem Consanguineam duxit *Gen. 26.* Amram Patrem Moysis, qui Jochebetam Amitam suam *Exod. 6.* Jacobum qui duas simul Sorores in Con-
6. jugio habuit. Cœterum qvanto hoc ipsum matrimonium est antiquius necessitate compellente, tanto postea sane factum est damnabilius religione prohibente, sunt verba Polycarpi Lyseri allegata ab Andrea Osiandro ad Genes. &c. & recte hodie matrimonium tale in L. nova *Levit. 18.* & statutis locorum prohibetur, vid. Dn. Bruckn. *Decis. Juris Matrimon. lib. 1. c. 5. ad N. 12. &c. & i-*
7. *bid. ad N. 60.* Igitur ejusmodi liberi ex incestuoso complexu nati habentur pro illegitimis & neq; patri neque matri ab intestato de Jure Civili succedunt, qvando scil. parentes ipsorum sciverunt prohibitionem juris divini, de qvibus loqvitur *Auth. Ex Complexu*
8. *C. de inc. Nupt.* Si verò Parentes nesciverunt illam prohibitionem, liberi habentur pro legitimis, qvod procedit, etiamsi non ambo; sed una tantum persona ex parentibus, prohibitionem ignorasset, quia nihilominus liberi pro legitimis debent haberi. Beust.
9. *Tr. de Spons. & nupt. lib. 2. c. 60.* Alimenta verò quibus privari debent, qvod attinet, ipsa Juris Civilis dispositio monente Brunnem. *ad Auth. Ex Complexu C. de inc. in. nupt.* intelligenda non est de alimentis, sine quibus partus vitam amitteret, hoc enim cum jure Naturæ pugnaret; sed de iis sine quibus per laborem, vel aliâ viâ vitam conservare posset, quæ meritò confiscantur *Auth. Incestas*
10. *C. de Inc. & inutil. Nupt.* quando enim Complexus punibilis, vel illicitus, tunc & lucrum inter has personas, turpe est, turpia autem lucra maximè deficiente legitimâ Sobole per Fiscum auferuntur, Peregrin. *de Jure Fisci lib. 1. tit. 9. n. 2.* nam omnia malè & scelere

lere qvæsita Fisco applicantur *L. 9. de jure Fisci.* Klock. *de ærario lib. 2. c. 115. n. 19.* quæ etiam locum habent, si Illustris persona cum vili contrahat matrimonium de Jure Civili, licet tamen id hodie mutatum *Auth. sed novo jure C. de Nupt.* & multò magis Jure Canon. *C. si qvis ancillam C. 29. qv. 2. c. fin. X. de Conjug. Servor.* v. Rittershus. *differ. jur. Civ. & Canon. lib. 1. c. 22.*

Nov. XC.

De Testibus.

CAP. I.

Ut Testes non nisi illæsæ existimationis recipiantur.

Bonæ opinionis testes esse oportet, qvi carent suspicione famæ derogante, qviqve in dignitate, aut divitiis sunt constituti, & officii publici causam tractant, nec artifices ignobiles, nec vilissimi, nec nimis obscuri ad testimonium procedant, ut si qva de testibus postmodum fuerit dubitatio, facilè possit demonstrari vita, qvod inculpabilis atq; moderata sit. 1.

§. 1. Si ignoti qvidem fuerint testes, & apparuerit circa testimonii veritatem aliqvid corrumpere velle, verberibus (tormentis) possunt subjici, hocq; agant judices si Administratores fuerint, i. e. Ordinarii: Si præter eos alii sunt administationem habentes, assumant Apparitorem Prætoris plebis in civitate, sed in Provincia Defensorem loci, & per eos inferant verberum experimentum, ut nihil celent veritatis, aut etiam per hanc viam pecuniis testimonium perhibere capiantur, vel aliter propter alium vel gratiam malignentur. 2.

Addit. De testium habilitate & inhabilitate latè aliàs tradunt Doctores, videtur autem ex dictis posse colligi duplices esse testes, alii sunt classici, & omni exceptione majores, alii 3.

verò suspecti & viles, inter illos referuntur autoritate & dignitate conspicui, *L. 3. §. 2. ff. de Test.* non autem famâ laborantes, qvod
4. videtur intelligendum de infamia juris *C. 54. X. de Testib.* infamiâ facti laborantes non excludit Carpzov. *P. 1. Const. 16. defin. 71. num. 7.* Nec verò omnis prohibetur, qvi juris infamia laborat, nisi expresse prohibitus inveniatur *arg. l. 2. ff. de Senat.* Frantzk. *de his qvi not. infam.* Jure Lubec. perinde ut de Jure Can. *d. l. C. 54.* personæ integræ existimationis tantum admittitunur *C. lib. 4. Tit. 7. art. 4.* qvem textum Mev. *d. l.* extendit etiam ad in-
5. famiam facti. Si tamen unus testis sit saltem notatus infamiâ facti, habeat autem Contestem spectatæ integræqve fidei ambo plenam faciunt probationem, qvasi integerrima alterius fides,
6. defectum alterius suppleat. Brunneman. *ad L. 6. ff. de Edendo.* Dignitatem igitur habentibus magis creditur, qvia ad hanc homines honesti eliguntur, non autem notatæ opinionis. *L. 2. C. de Dignitat. C. fin. X. de R. J. in 6to.* Besold. *Consil. 118. num. 14. seqq.* Hahn. ad Wesenb. *Tit. ff. de his qvi not. infam.* non tamen, ut dignitatem habenti uni soli credatur, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat *L. Jurisjurandi 9. §. 1. C. de Testib.* cum in ore duorum consistat omne verum. *Deut. 17. v. 6.* vid. Mynsing. *Cent. 5. Obs. 26.* Peretz. *C. de Testib. n. 17.* nam unius vox qvasi nullius est
7. *εἷς μηδείς d. l. 9.* Et sicut Senior juniori, honoratus plebejo, Vir fœminæ, ingenuus liberto præfertur, inculpatæ vitæ homo reprehensibili, sic etiam locuples egeno ob timorem subornationis. Mynsing. *ad C. 3. X. de Probat.* Sneidewin. *ad Inst. qvib. exc. manum. n. 11.* Qvapropter & in examine testium testis inter alia & de divitiis interrogari consvevit, *wie reich Zeuge sey?* Sneidew.
8. *d. l.* Et dives minus pejerare præsumitur, qvam pauper Setzer. *de Juram. lib. 4. cap. 13. n. 9.* qvod tamen *num. 10.* de eo vult accipi, qvi divitias suas honestè peperit, secus si inhonestè, ut fraudi-
9. bus, usuris, rapinis, & perjuriis &c. Qvod verò dignitatem testium concernit, ut & hoc addam, ea & multitudini prævalet, *c. 32. X. de Testib.* ibiq; Mynsing. *n. 2.* nisi excessus dignitatis parvus sit, aut numerus testium valde superans Farin. *de Testib. qv. 65. n. 120.*
10. Brunneman. *ad L. 21. ff. de Testib.* Officium qvoq; publicum qvod qvis tractat, fidem auget, cum qvilibet diligens, non verò negligens

gligens præsumatur. *L. cum de indebito §. 1. ff. de probat. L. regula §. 1. ff. de jur. & f. ignor.* unde Prætoribus, Qvæstoribus, Patriciis fisci, Tabellionibus aliisq; similibus magis creditur, qvàm aliis, licet & hic venis atqve artubus sapientiæ opus sit. Artifices verò 11.
non qvatenus Artifices à testimonio sunt excludendi, sed qvia sunt ignobiles & viles, vel talem artem callent, aut tali exercitatione clarent, qvæ nugarum nomine vendi meretur, qvalis fuit illius, qvi grana ciceris ex spacio distante missa in acum continuò, & sine frustratione inserere potuit, qvem cum spectasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modiô, præmio illô opere dignissimô, testis est Cœl. Rhodigin. *lib. 9. cap. 58.* huc 12.
pertinent arenarii Schœnobates, & periti aleatores, de qvibus illud celebratum. *qvantò sunt in arte meliores, tantò sunt neqviores*, qvales & similis farinæ homunciones à testimonii dictione meritò hic excludit Imperator, non verò liberales Artifices, qvales dicuntur Philosphi, Medici, JCti, de qvibus est in *L. 1. ff. de Extraord. cognit. L. 6. ff. de Excusat. Tut. t. t. C. de Professor. & med.* qvi sanè & veri dicuntur Artifices, in qvantum artem suam in 13.
praxim deducunt, *nec enim dicendus est sapiens, qvi multos habet & evolvit libros; sed si sana Consilia scit & impertit*, dictum est sapientissimi Annæi *Epist. 75.* & Cic. *lib. 1. de Orat.* perfectum JCtum describit, non solum qvi LL. & consvetudinis, qva in Civitate privati utuntur; sed etiam ad respondendum & agendum, & cavendum peritus sit; Et ad perfectum Medicum duo reqviruntur, nempe actus acqvisitus per doctrinam & freqventiam actionum, Neviz. *lib. 5. Sylv. nupt. n. 75.* Novellus autem Medicus præsumitur Imperitus, & Advocatus juvenis appellari solet intricator litium. Angelus. *in lib. 1. ff. de Postul.* Mascard. *de Probat. Concl. 1039. n. 28.*

Ex §. 1. hic constat, testem veritatem celantem tormentis 14.
posse subjici, qvod & *L. 18. §. 3. ff. de qvæst.* asseritur, si scilicet actui interfuerit, & vacillet, vel respondere nolit. Zœs. *de qvæst. num. 53. ad π. L. 21. §. 2. ff. de test.* idq; in inferioribus Clericis observari tradit Brunnem. *ad L. 8. C. de Episc. & Cleric.* In Presbytero tamen aliud esse asserit *d. l. n. 3.* nam veritas facti hominum 15.
voluntate immutari non debet. *L. 8. ff. de Castr. pec. L. 13. C. de Collat.*

Collat. ejusq; cuſtodia magis ſit cordi in judicando, qvam volun-tatis obedientia. *C. videlicet in fin. 2. qv. 7.* & eapropter pecuniâ corruptos hic meritò excludit, qvod & merito ad amicos, & inimicos, vel alios affectionem ad cauſam habentes extendunt Doctores. Felin. *ad C. 6. X. de Teſtib.* Franc. Vivius *lib. 1. opin. 354.* Farinac. *de Oppoſit. contra Teſtes qv. 60. n. 4.* Albericus de Maletis *Tr. de Teſtib. P. 4. n. 76.* Reuberus *in Method. Tr. de Teſtib. P. 2. num. 104.* Oldendorp. *de Teſtib. rubr. de perſonis Teſt. §. Socii autem.* Sichard. *ad L. 10. C. de Teſtib.*

CAPUT. II.

De Teſtibus Inſtrumentariis, Vel. ut Inſtrumentis debitæ pecuniæ teſtes rogati, non fortuiti adhibeantur.

1. CUm qvis per Scripturam debitum eſt confeſſus, poſtmodum ſolutionem probaturus, 5. Teſtes & qvidem ſpecialiter ad hoc rogatos adhibere debet, qvi vel ſolutioni interfuerunt, vel etiam Creditoris de factâ
2. ſibi ſolutione Confeſſionem audiverunt. Inania verò, & extranſitu perhibita teſtimonia, nullâ modis omnibus vult valere ratione, ſi ſcil. fingantur teſtimonia, qvod audiverint aliqvos dicentes, accepiſſe ab aliqvo aurum, aut debere alicui.

3. *Addit.* Notabilis hic eſt caſus, Teſtes circa ſolutionem faciendam adhibiturum debere eos rogare, ut ſolutioni interſint, ſi ſcil. in ſcriptis debitum ſit contractum, poterunt tamen etiam teſtes, ut docet Rittershus. *P. 9. C. 22. n. 11. Jur. noviſſ.* poſt ſolutionem jam factam, rogari, ut ſolutioni adſint, nec verò ſufficere, ſi forte fortuna tranſeuntes, intervenerint, & docente eodem Ritterhus. *l. cit. n. 9.* ex hoc textu notant Doctores teſtem debere rationem dicti ſui habere, ſive cauſam ſcientiæ reddere per ſenſum corporeum, ut Titius ſolvit Sejo 100. qvod ſcio inde, qvia præſens vidi fieri ſolutionem, debent autem illi teſtes 5. omni vacare ſuſpicione, & ut melius ſciant, qvid agatur, prius ad-
4. moneri Brunneman. *ad Auth. Rogati C. de Teſt.* Et ideò depoſitio teſtis

testis de auditu alieno, qvod nempe id super qvo interrogatur, audiverit ex aliis, non valet, nec probat *C. 33. X. de Testib. L. Si arbiter 28. ff. de Probat.* vid. & Dn. Frider. de Schencken L. Bar. in Tauttenbach *Progymnasm. For. lib. 2. tit. 12.* verbis: *insuper 5. testibus probanda est solutio debiti inscriptis relati.* 2. Et in divortiis 5.
testes vult esse rogatos Wesenb. *ad ff. de Testib. n. 32.* 3. In testamentis, seu ab ipso testatore, seu ab alio ejus nomine rogatio fit, qvia illa est de forma extrinseca testamenti, hinc non præsumitur, nisi probetur, vel contineatur in testamento, cum hoc sit facti, Linglois *ad L. Decis. Imper. Justin. Decis. 24. qv. 7. lib. 6.* Brunneman. *ad d. Auth. Rogati n. 1.* Exceptio est in donatione 6.
mortis causa ubi sufficit, sive rogati venerint, sive fortuitò testes prout & in Codicillis, & alia omni ultima voluntate, excepto Testamentô, ut dictum. *L. ult. C. de Codicill.* Linglois *d. loc. lib. 8. Dec. 50. qv. 1. n. 4.* idq; propterea introductum, ut constet, ver- 7.
ba à testatore prolata esse animo testandi deliberatô non autem jocando, vel blandiendo, & perfunctoriè. Mantica *de Conject. ult. volunt. lib. 2. tit. 11. n. 13.* Reusner. *de Testam. P. 3. c. 11. n. 1.* Sichard. *ad L. 21. C. de Testam.* Vult autem Mantica *d. l.* Testes intelligi rogatos, cum testator iis dicit, *Vos sitis mei Testes*, prout & qvando Notarius in Testamento scripsit *præsentibus Testibus*, Idem *d. l. num. 15.* Pari ratione, qvando Notarius in testamento scripsit, rogatos esse testes standum est huic assertioni, licet de rogatione testium aliter non probetur. Vasqv. *de Success. creat. §. 13. n. 75.*

CAP. III.

Ut Testimonia scriptis redigantur & qvorsum.

IN pr. confirmat Imperator ulterius illa, qvæ de roga- 1.
tione testium in *Cap. praced.* dixerat, & subjicit, judicem testium testimonia sibi invicem contraria debere rejicere, vel qvæ à dignioribus aut pluribus asserta approbare debere; si verò studio contraria dicant, puniendos esse, si errore, dimittendos.

2. *Addit.* Testes dicta in continenti corrigere volens, auditur, *C.7. X. de Testib. cog.* qvæ verba *incontinenti* intelliguntur, qvando nondum abiit à judice, vel qvando nondum cum parte est collocutus, & licet Barnabas Brisson. *de V. S.* qvem seqvitur Calvinus *in Lex. Jur. hac voce*, sumi eam pro intervallo, qvo mox alicujus jus perimitur, qvomodo insultatus ab alio in continenti, vel momento se defendere debet, Carpzov. *Proc. Crim. qv.31. n. 17. seqq.* intelligenda tamen cum aliqvo temporis spacio, qvod nec nimis breve, nec nimis longum, sed tale, qvod magis intellectu percipi, qvàm elocutione exprimi potest, prout probat Coler. *de Processſ. Execut. P.3. C.6.* qvô sensu Mev. *P. 4. Dec. 248.*
3. in continenti facta esse dicit, qvæ in termino brevi & idoneo fieri possunt, ubi id exemplo heredis Inventarium exhibentis in justo vel congruo termino confirmat. vid. Barbosa *Axiomat. Jur. usu freqvent. dict. 155. n. 114.* Et apud Saxones *in continenti* aliqvid probari dicitur, si integrè & plane intra terminum executioni præfixum h.e. 6. septimanas & tres dies, *binnen Sächsischer Frist.* Instrumentis liqvidis, vel ipsius Partis Confessione, non verò vel testibus, vel juramentô probatur, ut ex Constitut. Electorali affirmat Fibig. *Processſ. Jur. P. 2. membr. 2. Sect. 1. de Proc.*
4. *Execut. §.9.* Ut verò è diverticulo in viam redeamus, si ex intervallo corrigere velit, non auditur, nisi de errore doceat Joh. Campigius *de Testib. regul. 200. fall. 2.* Justus Reuber. *tradit. me-*
5. *thod. de Testib. P. 3. n.145.* Sed & si Testes post juratam depositionem etiam coram judice vel Commissario extra judicia iter contrarium asseruerit, non tamen per hoc prior subvertetur dispositio Gail. *lib. 1. Obs. 104. n. 7.* Felin. *ad C.9. n. 1. X de Testib.* qvin imò licet testis in articulo mortis depositioni juratæ contrarium asseruerit, non tamen propterea judicialis ista depositio
6. revocata esse censebitur. Gail. *d. loco.* Mynsing. *C.1. Obs. 86.* Amplius, licet testis ante examen factum in judicium deductum affirmat, postea verò in examine & jurata depositione neget, vel vice versa, tamen judicialis hæc attestatio prior extra judiciali assertioni præfertur. Sichard. *ad L. 8. n. 12. & seqq. C. de Testib.* Gail. *d. l. n. 8.* Qvod si plures Testes sibi invicem contrarientur, judex, qvantum possibile est, de conciliatione laborabit,

C.16.

C. 16. X. de Testib. Jacob. Butringarius *Tr. de Testib. rubr. de Contrariet. Test. n. 5.* Franc. Curtius *de Test. Concl. 13. n. 28. & Concl. 59. n. 112.* ipsi autem producenti pro cautela suggerit Wurmser. *Tit. 14. Obs. 10.* ut si timeat testes suos fore singulares, unum saltem producat, & in supplementum juramentum sibi deferri petat. Si verò studiô contraria dicant, crimen falsi committunt, *L. 1. §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals. L. 16. ff. de Testam.* & pœna digni. Qvod si conciliatio locum habere non possit, plus fidei tribuendum est affirmantibus, qvàm negantibus, Franc. Curt. *de Test. Concl. 2. n. 8. & Concl. 25. n. 54.* 2. Plus dignioribus & honoratioribus, qvàm minus dignis & honoratis. Wurmser. *Tit. 18. Obs. 22. n. 1.* Mynsing. *C. 4. Obs. 38.* 3. Plus maribus, qvàm fœminis. Id. *ibid.* 4. Plus testimonio Senum, qvam juniorum. Felinus *ad C. qvoties 5. X. de Testib.* Nepos de Monte Albano *in Tr. de Testib. n. 160.* nisi juniores testes digniores sint Senioribus. Gabriel. *Concl. 4. num. 69.* 8.
5. Si qvalitas personarum par sit inter testes, respicienda sunt testimonia, considerandumq;, qvalia sint h. e. qvàm verisimilia, qvàm naturæ negotii, de qvo agitur, convenientia, nam ponderanda sunt omninò argumenta testium, hoc est rationes, qvibus dicta testium firmentur, ut rectè exponit Bald. *L. Test. C. de Testib.* Mynsing. *c. l.* Joh. Crot. *de Testib. P. 7. n. 116.* Qvare & testis si sine ratione dicat; se nunqvam illud dixisse, qvod Notarius scripsit, magis Notario creditur. Bartol. *in L. fin. ff. qvemadmod. testam. aper.* Cyn. *in L. si qvis decurio C. ad Leg. Cornel. de Fals.* secus in Criminalibus. Socin. *in Reg. 229.* vid. supra ad *Nov. 73. cap. 3.* 9.

CAP. IV.

Ut cognitis testimoniis qvartæ productioni testium locus non sit, vel qvot & qvomodo testes producuntur.

I. SI jam tertiâ vice producti sunt testes & Producens jam attestata addidicerit, non amplius ad ulteriorem probationem admittitur; 1.

Ratio. Ne forte relictis prioribus testimoniis & du- 2.
dum

dum manifestis, non tam aliam productionem testium, qvàm præcedentium additamentum, aut priorum depositionum desideret emendationem.

3. II. Qvod si producens qvidem testes, attestationes eorum nondum acceperit nec attestationes eorum addidicerit, neq; perlegerit nec ipse, nec aliqvis Advocatorũ ejus; sed Adversari9 solus acceperit, & disputationem fecerit, non tamen communicaverit ei, qvi jam tertiam fecit productionem, qvarta testium productio datur ei, qvi hoc petierit, modo producens prius juraverit, qvod neqve sub-
4. traxerit, neqve percunctatus fuerit testationes, neque ipse, neqve aliqvis Advocatorum ejus, neq; per aliqvem dolum aut machinationem vel artem qvartam testium productionem fieri petierit; sed propterea, qvod non primitus valuerit uti denunciatis testimoniis, qvod si factũ, usqve vel qvartam productionem testium licentia est testimoniis uti, non verò per longum intervallum, ne protrahantur lites qvibus omnino velocitatem imponere oportet, secundum qvod judex hoc fieri existimaverit.

5. §. 1. Si qvis attestata didicerit, licet semel tantum Testes produxerit, ulterius eos producere vetatur, licet divina hoc jussio præceperit, i. e. Principis Rescriptum impetraverit.

6. *Add.* Post litem demum Cont. Productionem & examinationem testium fieri debere, usqve ad Conclusionem in causa traditum est à Dd. Joh. Oldendorp. *in Tr. de Testib. rubr. qvo tempore producendi reg. 2.* Joh. Grot. *de Testib. P. 7. n. 68.* Jacobus Ægyd.
7. Viterbiensis *de Testib. n. 40.* Nec post tertiam productionem qvarta concedenda est, qvia præsumitur, qvod didicerit attestata *Auth. Ast qvi semel C. de Probat. c. 15. 36. X. eod.* nisi juraverit, se non didicisse attestata, nihilq; dolosè petere, sic enim qvarta datur productio *d. Auth.* Brunnem. *Proc. Civ. c. 22. n. 80.* Addidicitis autem
8. attestatis semel, nec secunda productio concessa, Principis licet Rescripto

Rescripto interveniente §. *1. b.* nam Rescripta contra jus elicita judex refutare debet *L. 7. C. de prec. Imper. offer.* præsumuntur enim non ex certa scientia principis emanasse; sed per sub & obrept. impetrata, vel importunitate supplicantis elicita. Gail. *L. 2. Obs. 58.* Cæterum aliud, 1. Si testificata, ut in textu habetur, non- 9.
dum sint addidicita, scil. si fuerint consignata, quia sola publicatio attestationum neminem excludit à facultate alios producendi testes; sed scientia dictorum Gail. *L. 1. O. 105. n. 3.* Campeg. *Tr. de Testibus reg. 174. fallent. 1. & reg. 268. fallent. 10.* 2. Licitum 10.
qvoqve est post addidicita attestata alios Testes producere, qvando Princeps suô Rescriptô cum clausula *ex certa scientia* aliorum testium productionem permittit. Menoch. *lib. 1. A. I. qv. 34. n. 5. 6.* Græven. *lib. 1. Pract. Concl. 105. Consider. 1. n. 18.* 3. Poterit 11.
qvoqve judex tam in civili, qvàm in criminali causa testes alios super iisdem articulis vel novis examinare, cum in judice non subsit timor subornationis, nec ei in causa concludatur, nec novam ipsi publicatio adferat notitiam. Brunneman. *Proc. Inqvisit. C. 8. m. 2. n. 86.* vid. Antonius Thesaur. *decis. 262. n. 2. Ampl. 2.* Gvido Papæ *dec. 72.* 4. In Causâ Matrimonii pro matrimonio etiam post publicationem factam, & didicita attestatâ alii possunt produci Testes, *C. causam 14. X. de probat.* Gail. *d. Obs. 105. n. 1.* 5. Et 12.
in secunda instantia post publicatas attestationes ulterior admittitur probatio *L. 4. C. de tempor. appellat.* eò qvod appellatio ponat causam in eum statum, qvi fuit in prima instantia tempore litis Contestatæ *L. 13. C. de Procurat.* qvæ sententia hodiè eò minus dubii habere videtur, postqvam R. I. de An. 1654. §. *Wie ebenmässig* 68. dispositum reperitur, *daß in dieser (nehmlich andern Instantz) nicht allein nach Ausweis gemein beschribenen Rechten, was in priori Instantia nicht vorgenommen, oder deduciret worden, de novo zu deduciren, und zu beweisen, sondern auch was in voriger Instantz allbereit vorgebracht, ferner und besser zu beweisen verstattet werden solle:* i. e. nempe in hac (secunda instantia) non saltem juxta communia jura, qvod in priori instantia non deductum de novo deduci & probari debet; sed & qvicqvid in priori instantia jam tum adductum, melius deduci & probari debet. Idq; 13.
locum habet in Appellatione à definitiva, Appellatio verò ab in-

 terlocu-

terlocutoria ex prioribus actis est justificanda R. Deputat. de An. 1600. *§. nachdemmabl.* Blum. *Processf. Camer. tit. 48. num. 35.* Gail. *lib. 1. Obs. 130.* vid. Mynsing. *C. 3. Obs. 15.* qvæ cum ab his partim & ab aliis Cameræ Doctoribus Excellentissimis satis probata, passim & præjudiciis illustrata, frustra dissentiunt Gilhaus. *Arbit. Judic. civ. c. 6. P. 2. art. 1.* Gvido Papæ *Dec. 347. & 476.* & Crot. *de Testib. P. 7. n. 42.* statuentes, non licere in secunda instantia super iisdem articulis alios testes producere, post publicationem in prima instantia factam.

CAP. V.

Ut Testes in propria Provincia examinentur, & qvo ex loco trahantur.

1. SI lis in Civitate sit, testes verò in Provincia, examen testium potest committi judici loci in qvo testes commorantur, missis eo partium Procuratoribus, ex sententia judicis, coram qvo causa disceptatur.

2. *Ampliatio.* Ut si de Provincia in Provinciam hæc fieri petantur, hoc debeat esse concessum, propter probationum abundantiam, qvæ per evocationes testium ex locis remotis ad locum judicii nimis angustari videbantur, fa-
3. cilius autem procedant, si ad testes mittatur, ubi sunt; judicium tamen propterea adeò non est translatum, nam illic definitiva sententia danda, ubi & lis est contestata; qvemadmodum verò hæc in provincia apud judices aut defensores in productione testium agi possunt, ita & à Provincia in provinciam, & à Provincia huc tendant, & perfecta per omnia omnibus sit probationum facultas.

5. *Declar.* Ut hæc omnia in pecuniariis qvæstionibus intelligantur, in criminalibus enim, in qvibus de magnis est periculum, omnibus modis apud judices præsentari debent testes, & qvæ sunt eis cognita edocere, & ubi tormentorum forsan erit opus, eis possint subjici.

Addit. In Examinandis testibus sive præsentibus sive ab- 5.
sentibus qvomodo procedi voluerit Imperator, ex textu satis patet; Hodie si testes alterius jurisdictioni subjecti, vel forenses, extranei & peregrini nominentur, & producantur, vel scribitur judici testis, ut testem testimonii perhibendi gratia, coram judice causæ sistere velit *arg. L. solent 7. ff. de custod. & exhib. reor. Nov. 134. cap. 5.* Coler. *de Proc. Execut. P. 3. cap. 7. n. 37.* Vel cum 6.
remissiones testium hodie non sint necessariæ, judex rogatur, per subsidium juris, seu literas mutui compassus vulgò *Compaß-Brieffe*, ut partibus ad hoc citatis testes recipere, examinare, & attestationes eorum sigillatas & clausas judici causæ remittere velit. *C. 3. in fin. X. de fidei uxor.* Berlich. *P. 1. Concl. 42.* vid. Mev. *P. 3. Dec. 151.* Potest qvoqve hoc examen, testes licet sint præsen- 7.
tes, in causis civilibus aliis committi, Hortens. Cavalcanus *de testib. P. 5. n. 17.* Gail. *lib. 1. Obs. 96.* & freqventius nil ferè est, qvam ut testium examen & juramentorum receptio Commissariis deferatur teste observantia. Lang. *Proces. Civil. cap. 53.* qvorum tamen recusatio ex leviori suspicione circa hoc examen solere recipi testis est Mevius *P. 9. Dec. 17. 18. 19. 122.* Qvandoqve etiam 8.
Notario committitur examen testium, de qvorum inhabilitate, post præstitum juramentum ulterius excipi posse pluribus perseqvitur Carpzov. *lib. 3. Resp. 87.* Cæteris in causis Criminalibus examen testium non committi; sed ab ipsomet judice fieri & expediri debere, concors est Ddr. sententia. Nepos de Monte Albano *Tr. de Testib. n. 80.* Hortens. Cavalcan. *de Testib. P. 5. num. 69.* Græv. *Concl. Practicabil. 96. consid. 1.* qvod propterea utile judicat Brunneman. *Proces. Inqvisit. cap. 8. membr. 2. n. 59.* ut possit eò diligentius explorare, sitne qvis testium in depositione inconstantior, qvi vel in substantia rei, vel qvalitatibus & accidentibus à semetipso vel aliis discrepet seu an in testis moribus, sermone, animiqve motibus qvicqvam perspicere possit, qvod notasse ad rem faciat, prout judicem admonet Imperator *Art. 71. C. Crimin.* vid. Brunneman. *d. l. n. 61. & seqq.* ubi exceptiones allegat, qvibus etiam in Criminalibus examen alii demandari possit. Si 9.
qvoq; causa ad cognitionem & decisionem Principis spectet, hunc qvoq; idem in criminalibus causis aliis committere posse,

certum & usu forensi esse receptum, tradit Trentacinqv. *lib. 2. Variar. Resolut. 1. Tit. de Testib. n. 12.* & Cameram Imperialem posse illis casibus, qvibus cognitionem in causis criminalibus habet, examen testium aliis committere, concessis literis subsidialibus pro eis examinandis judici in cujus territorio ipsi testes reperiuntur, tradit Dn. Fabric. *Observ. ad Mynf. C. 3. Obs. 40.* qvod convenit cum *Art. 72. C. Crimin.* Ex qvo verbis, *und ob es mit Nothdurfft* similiter elucet testem invitum ad testimonium perhibendum cogi posse, non attentô, utrum sit privatus an in Magistratu positus. *L. 21. §. 1. ff. de Testib.* imò licet juraverit se non revelaturum, qvod vidit, vel audivit. Sed & tunc in criminalibus examen testium committi posse putant, qvando judex justo impedimento veluti infirmitatis, absentiæ, multitudinis causarum, vel aliarum occupationum publicorum impertitur ipsimet testes examinare. Franc. Marcus. *Decis. P. 2. Dec. 269. n. 5.* Trentacinqv. *lib. 1. Resolut. 10. de Testib.* Matth. Steph. *ad art. 72. C. Crimin.*

CAP. VI.

Ut Testimonium ejus Recipiatur, qvi servus esse dicitur.

1\. SI qvis testium Servus esse dicitur; sed hic se liberum natum esse asserat, ipsius testimonium admittitur, reservata tamen disputatione super statu. Nam si evictum fuerit, eum esse servum testimonium corruit. Si
2\. verò se libertum dicat, prius est compellendus demonstrare instrumentum manumissionis, in qvo libertatem percepit, & sic testimonium perhibeat, qvod si in alia Provincia se habere asserat, & alias probationes in promptu sibi non esse asserat, hocqve juraverit, admittitur qvidem depositio; sed manumissionis instrumentô post non monstratô, is qvi produxit eum, ejus testimonio non utetur.

3\. *Addit.* Servi, qvi notoriè talis est, testimonium corruit, neq; enim juris communionem habet Donell. *Tr. de Testib. cap. 1.* Idem dicen-

dicendum est de statu libero *arg. L. 29. ff. de Statu lib.* etiam Adscriptitio, cum nec is à servo differre videatur Accurs. *ad Auth. c. si Testis c. de Testib.* Sed in crimine adulterii, læsæ Majest. & 4.
fraudati census, si alia deficiant documenta admittitur servus. *L. 7. L. qvibus ff. & L. 1. C. de qvæstion.* qvod meritò ad domesticos & famulos nostros hodiè applicatur, ut & illi pro inhabilibus reputentur, nisi tamen famulus sit bonæ famæ & conditionis, qvo casu à testimonio pro Domino dicendo non repelli tradunt Sichard. *ad L. 2. C. cap. 6. de Testib.* Aufrer. *de Testib. n. 43.* vel qvando de eo probando agitur, qvod domi gestum esse dicitur & qvod non nisi per domesticos probari potest. Honded. *Vol. 1. consult 15. n. 20.* Trentacinqv. *Variar. Resolut. 1. tit. de Testib.* vel qvando veritas aliter haberi non potest *arg. c. 2. X. de Test. cog.* 5.
qvod dicitur eo causu, qvando negotium, de cujus probatione agitur, per se difficillimæ est probationis h. e. de sui natura tale, ut vel ratione loci vel temporis verisimiliter testes alii intervenire non potuerint, veluti sunt detecta, occulta, aut pacta in Collegio vel loco privato, ad qvem hominum freqventia non admittitur. *c. ult. X. de Testib. cog. c. tertio loco X. de Probation.* vid. Lang. *in Proc. C. 55. n. 54.* & sic etiam hodie suddito rectè contra 6.
Dominum testimonium dicere, modo Dominus juramentum, qvo ipsi adstricti sunt, remittat testatur Carpzov. *P. 1. constit. 16. def. 64.* qvam tamen juramenti remissionem errore magis, qvam jure esse introductam, nec de jure esse necessariam, qvia consvetudinariam subtilitatem supervacuam referunt Ddr. allegati ab Esbach *in Notis & Addit. ad Carpzov. cit. l.* moribus tamen relaxationem tali casu fieri ex Mynsing. *Resp. 16. n. 14.* aliisq; *cit. l.* probat. Cœterum qvod servus de jure Romano attinet, propter 7.
probationum abundantiam, & ne illæ pereant, admittit eos ad interim ipsorum testimonium Imperator, si manumissionis instrumentum producere neqveant, evidenterq; si juraverint, se alias non habere probationes, h. Cap. nec rejicit in testamentis, cum eo tempore omnium consensu liberorum loco fuerint, nec qvisqvam inventus, qvi ipsis status qvæstionem moverit. *§. 7. Instit. de Testam. L. Barbarius Philippus 3. ff. de Offic. Prat.*

CAP. VII.

Ut Testes propter inimicitiam à testimonio dicendo repellantur.

1. SI qvis probaverit statim, qvod criminalis inter se & testem lis moveatur, non adsit ad testimonium, qvi usqve adeo infestus est, donec de crimine judicetur. Si verò aliter odiosus esse dicatur aut lis sit de civili negotio, procedat qvidem testatio salvâ tamen disputatione de inimicitia.

2. *Addit.* Inimici testimonio non esse fidem adhibendam, licet Eucharistiam sumserit asserit Mascard. *de Probat. lib. 1. Concl. 462. n. 32.* & Felin. *ad C. qvoties 5. X. de Test.* vel in articulo mortis constitutus testimonium suum deposuerit. Farinac. *de Opposit. contra Testes qv. 53. n. 5.* qvod extendunt Doctores ad omnes, qvi cum inimicis versantur, v. gr. ad eorum domesticos, familiares, cognatos, amicos & Fautores, Menoch *lib. 5. præs. 43. n. 12. seqq.* Nicol. *Proc. P. 1. cap. 59. n. 6.* Amicus enim, ut vulgò dicitur, inimici mei, meus est inimicus. Honded. *Vol. 1. consult. 102.* Caval-
3. canus *de Testib. P. 4. n. 22.* Idemq; dicunt de cognatis & affinibus ejus inimici, contra qvem producuntur. Id. ibid. Gilhaus. *Arbitr. Jud. Civ. art. 1. de Testib. n. 73.* ut verò lis capitalis sit, necessum non est, modo sit criminalis. Um. *ad Proc. Disp. 16. n. 13.* C. A.
4. *L. 22. Tit. 5. th. 9.* Non sufficit verò saltem contra inimicum excipere; sed & probare inimicitiam oportet, cum enim hoc sit contra jus naturale, cum inter homines cognationem qvandam natura constituerit, & hominem homini insidiari nefas sit. *L. 3. ff. de jur. & just.* proinde non præsumitur; sed probanda est, qvomodo verò probetur, vid. Mascard, *de Probat. Vol. 2. conclus. 898.* aliud verò obtinet, si lis sit de causa civili, ubi tamen judicis arbitrio multum debere relinqvi judico, qvis & qvalis admittendus vel non sit inimicus, qvippe inimicitiæ omnium gravissimæ exoriri solent, si de bonis omnibus, aut de majore eorum parte controversia oriatur, Ddr. *ad §. 11. Inst. de Excusat. Tutor.* aut si
5. occultè sub prætextu amicitiæ noceat, & causam inimicitiæ dat, & tantò

& tantò nocentiores, qvantò occulta odia valentiora sunt professis. Cic. *lib. 1. in Verron. c. 17.* à qvibus ut Vir bonus sibi caveat, prudens Philosophus Seneca *Epist. 103.* manet. Qvando verò u- 6.
triusq; partis inimicus est testis, ob inimicitiam rejiciendum non esse tradit Carpzov. *P. 1. constit. 16. defin. 50.* nam sicut par affectio testem non repellit, Bartol. *in L. 197. §. 1. ff. de R. N.* ita nec eum repellet per odium Anton. Gomez. *Tom. 3. variar. resolut. cap. 12. n. 14.* Farinac. *de Testib. qv. 53. n. 66.* Sicut autem inimi- 7.
cus passim à testimonio repellitur, ita qvoq; amicus intimus & maximus qvi fraternâ caritate diligitur; nam major solet esse affectio inter amicos, quam conjunctos, unde Cic. *lib. 1. Offic. & in Lel.* amiciciam propinqvitati præfert, & Menoch. *lib. 3. præs. 124. num. 28. 29.* Idem de amico magna conjuncto amicitia, qvod de sangvine conjuncto judicat. Qvod si vulgaris saltem sit amici- 8.
tia non in totum à testimonio repelletur, sed judex arbitrabitur, qvantum fidei ipsius testimonio debeatur. Crot. *de Testib. P. 4. num. 105.* Nellus de S. Geminiano *de Testib. P. 1. n. 5.*

CAP. VIII.

Ut Mediatores non nisi de Partium consensu Testimonium ferant.

PRoxenetæ & Mediatores testimonium olim dicere 1.
non compellebantur, qvod hic limitat Imperator, si utraqve pars consentiat, sic enim & nolentes ad testimonium cogi possunt, dum ob consensum partium cessat ratio prohibitionis.

Addit. Secunda limitatio est, qvando ipse vult esse testis, 2.
sic enim admittitur, licet ad testimonium dicendum non cogatur. Albericus de Med. *Tr. de Testib. c. 4.* unicum tamen Proxenetam plus qvàm semiplenam facere probationem tradit Dunoz. *Decis. Rot. Rom. 276. n. 12.* admittitur qvoqve si contra eum producatur, qvi eum adhibuit. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Tit. de Test. th. 39.* Wissenb. *eod. th. 31.*

CAP.

CAP. IX.

Ut Testium productio non nisi præsente fiat adversario & qvo tempore testes in Testimonium admittantur.

1. PRoducturus contra aliqvem testes in judicio, Adversarium citari faciat, ut præsens testimonia eorum audiat; qvod si recusaverit, & advenire noluerit, & audire depositiones, publicabuntur, & nisi per inexcusabilem deduci aliqvam neccesssitatē non possit similis advenienti erit & nullum juvamen ex sua protervitate ei efficietur; sed videantur qvidem probationes factæ, ipseq; emanens propter proterviam, propterq; audaciam contrarias testationes opponere non valet. In fine priores LL. de testibus loqventes confirmat.

2. *Addit.* Ad productionem testium cur pars adversa citanda rationes ex Rulando *de Commiss. lib. 2. cap. 3. n. 3.* tradit Lange *Proc. C. 53. n. 32. & seqq.* nimirum 1. ut videat produci testes. 2. Jurare. 3. Possit contra testes excipere vel si exceptiones non sint liqvidæ, ut contra testium depositionem protestari qveat. 4. Interrogatoria exhibere. 5. Contra judicem vel Commissarium excipere vel approbare, si forsan in qvoqvam gravetur. 6. Ut præsentet adjunctum examinatori, & de hac citatione ejusqve legitima
3. executione constare debet apud acta. Qvod si pars citata non comparuerit, nihilominus ad Productionem & examen testium proceditur, & ut ait Pontifex *c. 2. de Testib. X.* perinde habetur, ac si & testium productio, & eorundem juramentum ac examen parte ista præsente facta & peracta essent. *d. c. 2. L. si qvando C. de Testib.* Gail. *lib. 1. Obs. 93. n. 9.* Jac. Bulgar. *de Testib. rubr. qvadam*
4. *forma n. 1.* si tamen pars citata justum & legale allegaverit impedimentum, qvo minus in termino comparere potuerit, ut adversam valetudinem, furorem, tempestatem, absentiam Reipubl. causa, captivitatem, violentam detentionem etiam à privato factam, & alia similia allegata passim à Dd. *ad Tit. ff. si qvis caut. in judic.*

in judic. & ab Excell. Dn. Stryk. *in elegant. Diss. de Impedim. legal. c. 2.* eademqve probaverit, meritò excusatur, probatio ista impedimentorum qvomodo instituenda, Idem examinat *cap. 3.*

NOV. XCI.

Ut Dos primæ uxoris præferatur doti secundæ uxoris, sive ipsa, sive liberi ejus agant.

CAPUT. I.

Qvatenus liberi prioris matrimonii in dote materna repetenda præferantur.

I. SI ex duobus matrimoniis de dote agatur, nimirum 1. â Prioris uxoris demortuæ liberis, & â posteriori conjuge adhuc superstite, tunc si qvid ex prima vel secunda dote adhuc adesse appareat, prima vel secunda Conjux id licentiam vindicandi habebit.

II. Sed si de eo non constet, prioris uxoris, & ex ea 2. descendentium causa potior est in repetenda dote, qvia hic utraq; causa privilegiata, & sic prior præferenda. *Auth. si qvid. & L. licet 7. C. qvi potior. in pign.*

Ratio. Sicut enim si duo debita publica fuissent, ne- 3. cessarium antiqvum præponeretur posteriori, ita & hic privilegia necessarium est priori doti dare priora, & ita secundæ, & dotem non præponere doti, nec hypothecam hypothecis; sed qvod antiqvius est tempore, amplius manere proprium robur habens & privilegium. Tempora namq; hypothecarum permutare, aut interimere, vel minuere, nullo modo patitur Imperator.

Addit. Ergò si liberi dotem maternam repetant, uxori se- 4. cundæ Novercæ suæ dotem suam repetenti præferuntur hic &

 Carpz.

Carpzov. *P. 1. Const. 28. Defin. 97.* Brunneman. *C. 2. Decis. 68.* nam legitimam maternam liberi petunt eô nomine, qvo matri bona competierunt, adeoq; non tam jure hereditario, qvam sangvinis, paternam verò jure patris, qvi jus tacitæ hypothecæ non habuit. Carpzov. *lib. 4. Resp. 34. ubi id n. 12.* nisi vitricus aut novercæ se pro Tutore vel Curatore gesserint, & bona liberorum administrarint, qvo casu bona sua liberis tacite obligarunt, licet
5. Tutores vel Curatores verè constituti non sint. Qvamvis verò mulier ab Imperatore concessum habeat beneficium, ut creditoribus omnibus aliis expressam anteriorem hypothecam habentibus præferatur, *L. Assiduis 12. C. qvi pot. in pign.* non tamen hoc jus prælationis alii cedere potest mulier; sed est Privilegium personale & manet, nec ad heredes transit, adeò, ut nec vel Ascendentibus, vel Collateralibus heredibus cedere possit qvod enim non est transmissibile, id etiam nec cessibile. *L. 42. ff. de*
6. *Peric. & admin. tut.* nec facit, qvod ad liberos transeat, nam ex eo qvod privilegium aliqvod in hæredes, vel ad alias etiam personas transit, non statim inferendum est, esse reale, cum hæc transitio non contingat ex jure hæreditario & transmissionis; sed ex speciali Legis concessione, & benigna ipsius concedentis extensione, qvæ privilegium reale non facit, qvod confirmat Lauterbach. *ad ff. Tit. de Constit. Princip.* privilegio immunitatis à muneribus personalibus & realibus competente Professoribus, qvod & ad uxores eorumqve liberos extenditur, uxoris gaudentis dignitate & foro mariti *L. 13. C. de Dignitatis. L. cum te 10. C. de nupt.* Competentiæ beneficio, qvod & datur uxori contra Maritum, & Socero, si Nurus dotem repetat. *L. 12. L. 18. ff. Solut. matrim. L. 83. §. 1. ff. pro Soc.* Restitutio in integrum, SCti Vellejani, Nobilium,
7. Doctorum, Studiosorum &c. Similiter privilegia Cameralium ad eorum liberos, uxores, scribas, famulos, servos & ancillas &c. & ad practicantes Cameræ immatriculatos extendi tradit Blum. *Proc. Camer. Tit. 22. num. 4.* Idem de privilegio dotali dicendum, qvod licet in heredes suos transeat non tamen hoc fit jure hæreditario, vel sangvinis, sed potius ex benigna extensione ipsius concedentis. Qvod si verò uxor contractum specialem Socie-
8. tatis cum marito iniit in propriam utilitatem, sic præponeretur

doti

doti creditor pro parte mulieris, Brunneman. *in Proc. concurs. Credit. cap. 5. §. 30.* & sic etiam postponerentur liberi, inprimis in Civitate Lubec. Hamburg. aliisqve, qvæ utuntnr jure Lubec. qvod ad promovendam mercaturam receptum, ut indistinctè æri alieno constante matrimoniô contracto postponatur uxor, etiamsi sic dotem amittat. vid. Mev. *ad jus Lubec. lib. 1. Tit. 5. A. 7. n. 2.* Cœterum qvod paulò ante de non cedendo dotis privilegio ab uxore dicebatur, illud videtur se aliter habere, si ex feudo dotem eam reportet, & consensu Domini sit munita, sic enim cum non ex privilegio dotis; sed vi hypothecæ consensu munitæ præferatur, hoc jus ex consensu qvæsitum plenissimè cedere posse cum sit reale, & ad qvoscunqve hæredes transitorium tradit Excell. 9.
Dn. Stryk. *not. ad Proc. conc. Brunneman. cap. 5. §. 35.* Qvod si autem appareant tres, qvæ novercæ sint in patrimonio, eædem ipsi in cujus sunt dominio ante omnia restituendæ, nullius enim justior potest esse petitio, qvam si dominus rem suam vindicat, 10.
L. bona fides 31. ff. de Posit. & hoc cap. 1. m. Idem obtinebit, si res 11.
adhuc extet, qvæ pecuniâ uxoris dotali empta *L. 54. ff. de Jure. dot.* modo empta sit uxore consentiente, ipsiq; res sit utilis. *L. 26. ff. de jure. dot.* qvam utilitatem in concursu creditorum extra dubium esse notat Excell Dn. Stryk. *ad Process. concurs. cred. Dn. Soceri Brunneman. cap. 5. §. 6.* Idem obtinet in lucro dotis secundæ conjugi debito, qvod meritò bonis paraphernalibus primæ conjugis præfertur, qvod enim qvoad dotem constitutum, idem etiam in lucro dotis obtinet, qvæ eodem loco, qvo dos debetur, & adjudicatur, Mev. *P. 2. Dec. 228.* ubi *n. 4.* id ex consvetudine Pomeraniæ certum esse dicit; & sanè si lucrum hoc est accessio dotis, ejusq; additamentum & augmentum vocatur, eodemqve jure gaudet qvo dos ipsa *L. 8. C. de jure. dot.* & Legis non hominis est beneficium, hinc nec hominis facto potest aufferri
vel imminui. Mev. *P. 7. Dec. 129.* qvod tamen exceptionem habet, 12.
si Fiscus ex Contractu agens concurrat, nam sic in rebus post contractum fisci qvæsitis, hic videtur præferendus augmento
dotis *L. 28. ff. de jure Fisci.* Brunneman. ad *L. 9. C. de jure dot.* ulteri- 13.
us ex *hac Nov. & Cap. 1. n. 5.* deducit Stephani, si duo sint publica debita, i.e. duobus fisci, vel duabus stationibus fisci ab aliqvo debeatur, qvod antiqvior præferatur, & sola temporis prærogativa

hic qvoqve locum habeat. V. De materia hac pluribus Petrus Vandaranus *de Privileg. credit. cap. 4.* Anton. Gvibertus Costanus *Tr. de dote cap. 7. n. 5. & seqq.* Joh. Campegius. *de dote P. 1.* Bald. Novellus *de dote P. 10.* & Joh. Sichardus *ad L. 1. n. 4. c. qui pot. in pignor.*

CAP. II.

Si per Maritum steterit, qvominus dos ei solveretur.

1. SI Maritus aut ejus pater forsan aut avus ab uxore, vel alio uxoris nomine offerente dotem accipere detractet, tunc si dos extra judicium offeratur, sive profectitia sive adventitia dos sit, & in re mobili consistat, si-
2. gnacula imponat, & sic recondatur; Si in judicio offeratur, & marito hoc denuncietur, ille tamen accipere nolit, solutô matrimoniô nihilominus donationis propter nuptias habet exactionem uxor, non secus ac si dos revera soluta fuisset.

3. *Ratio.* Qui enim dare voluit, dum perceptionem recusat is, qvi suscipere postulatur, proximus est danti, & hoc cum aliis in dote valeat.

4. *Add.* Occasione horum, qvæ hic proponit Imperator, qværi possit, *an Maritus necessariò teneatur accipere dotem vel ab uxore, aut alio ejus nomine dante,* qvod sane Neg. siqvidem dos in favorem ipsius mariti datur, ut facilius matrimonii onera ferat, *L. pro oneribus 20. C. de jure dot.* qvæ si ipsi sufferre integrum sit, forte qvod dives sit positis in fænore nummis, aut ob officii splendorem aliosqve reditus non anxiè desideret, qvare non minus beneficio suo ratione dotis ipsi renunciare liceat, qvam alii? *L. pen. C.*
5. *de pact.* Quod si igitur dotem qvoad ipsam sortem repudiet, nec usuras ejus petere posse puto, qvi enim creditor non est, qvoad sortem, nec potest esse ratione usurarum, qvia hæ sunt illius accessio, nec sine illa præstantur. *L. rogasti 11. §. 1. ff. de reb.*
6. *credit. C. consuluit X. de Usur.* vid. Mev. *P. 2. Dec. 241.* & si de solutione dotis qvæstio exsurgat, & mulier vel pro ea alius eam solutam

lutam esse dicat, cum usuras ejus acceperit maritus, hæ pro dote solutæ non faciunt sortem pro dote data haberi, qvod aliqvot modis declarat Mev. *P.5. Decis. 64.* Dote porrò non acceptatâ, 7.
postmodum nec constituta, multò minus lucrum dotis debetur *die Besserung*, sicut enim accessio sine principali non consistit, ita nisi dote constituta lucrum velut ejus accessorium non debetur qvo circa dotis augmentum seu lucrum petens, prius dotis constitutionem docere debet. Mev. *P.5. Dec. 62. 63.* Cessante igitur 8.
acceptatione à parte mariti, mulieri libera remanet super bonis in dotem non datis dispositio, fructuumq; qvi aliàs marito deberentur perceptio *d. l. 20. C.* Gail. *lib. 2. Obs. 82.* non tamen & propterea mulier cum marito pacisci potest, ne unqvam postea dotem petere velit; & si ita appositum pactum ne constante matrimonio exigatur, ad vitam soceri restringitur, & personale habetur *L. 11. ff. de pactis dotal.* Ulterius, cessante acceptatione ipsius 9.
uxoris personam pro dote accepisse intelligitur, *arg. C. per vestras num. 3. X. de donat. inter vir. & ux.* imputet enim sibi, qvod dotem non acceperit, cum sciret, aut scire deberet, matrimonio non dotibus; sed affectu & consensu constare *L. fin. C. de repud.* adeoq; pro dotata habenda & alenda, nec minus quartam bonorum mariti eo defunctô juxta *Auth. præterea C. unde vir. & ux.* & lucrum statutarium accipit, qvam si revera maritus dotem accepisset, licet tamen nec pauperi hæc beneficia deneganda, utiqve si paupertatem scivit maritus, & dote non promissa eam in torum accepit. Aliàs volunt, uxori tunc demum lucra deberi si promissa 10.
dos realiter muneretur, *Auth. dos data C. de donat. ante nupt.* Mev. *ad Jus Lubec. lib. 2. tit. 2. A. 12. n. 355.* cum decipiatur Maritus, si cogatur indotatam habere uxorem. *L. si donaturus 9. ff. de condict. causa d. c. 6. sec.* Quandoquidem verò hic Imperator vult, in ca- 11.
su cessantis acceptationis donationem propter nuptias nihilomnius deberi uxori post mortem mariti cum ob recusationem mariti beneficio suo non debeat privari, ita si vidua Nobilis sit, nec maritus pecuniam dotalem accepit multo minus in feudi utilitatem convertit, nihilominus ipsi à mariti hæredibus dotalitium constituendum videtur, qvod tamen ne agnatis circa feudum 12.
præjudicium fiat, sic restringendum puto, modò marito defuncto ipsam dotem realiter agnatis offerat, & numeret uxor, qvæsi

in feudi utilitatem vertatur, vel minus, ad uxorem non pertinet, & puto agnatos hoc casu ad acceptandum posse cogi. vid Muller. *Resolut. Marchic. LXXXIII.*

NOV. CXII.

De Immensis Donationibus in filios factis.

1. PAter qvidem unum ex filiis, qvi ab eo potius diligitur aliis præferre, & plus donare potest, ut tamen reliqvis liberis salva sit legitima, cujus computatio instituitur juxta qvantitatem patrimonii, qvæ fuit antequam donatione exhauriretur, nisi post factã donationem in tantum sit auctum patrimonium, ut reliqvis liberis ni-
2. hilominus salva sit legitima. Non possunt autem filii donationibus honorati dicere, se contentos qvidem esse immensis donationibus, abstinere autem velle paternâ hereditate, nisi cœterorum fratrum legitimam ex donatione compleverint.

3. §. 1. Atq; hæc de gratis filiis intelliguntur, non de ingratis, qvibus pater justam & legitimam infert ingratitudinem, qvæ si apparuerit, & causæ ejus probentur, ea qvæ in lege de ingratis posita rata esse debent.

4. *Add.* Pater liberis in potestate constitutis non rectè donat *L. 11. C. de donat. L. 25. pr. C. de donat. inter vir. & ux.* nisi forte in compensationem certorum meritorum Gail. *lib. 2. Obs. 38. num. 5.* qvorum intuitu filius pro persona extranea & pro tali habetur. ac si suis operis rem donatam acqvisivisset, Dn. Schwendend. *ad*
5. *Eckb. Tit. de donat. §. 5.* vel si donatio morte patris *L. 25. c. de donat. inter vir. & ux.* vel aliis modis confirmata fuerit, vel si filius in militiam abeat. *L. 4. C. famil. erc. L. 1. C. de castr. pecul.* vel juramento à patre fuerit confirmata. *c. 28. X. de jurejur.* Mynsing. C. 4. *Obs. 75. n. 5.* Tesfaur. *Decis. 32.* Grev. *lib. 2. concl. Pract. 38. n. 9.* vel si studiorum gratia fuerit facta *L. qvæ pater 50. ff. famil. ercisc.*
6. vel fecerit donationem propter nuptias *L. 35. ff. famil. ercisc.* Posito

sito igitur uni præ cœteris liberis majorem fecisse donationem, patrem, cœteris tamen legitima salva sit, licet pater promiserit se non revocaturum donationem, non enim sic nocetur liberis, qvo minus legitimam suam conseqvi possint, qvia iis jus in illa qvæsitum est, qvod sicut non potest, qvacunqve dispositione ultima, ita nec actibus inter vivos liberis aufferri. Carpz. *P. 2. const. 12. defin. 33.* Et licet aliqvi saltem quoad legitimam revocatio- 7.
nem modo fieri posse tradunt Brunneman. *ad L. 8. C. de revoc. donat,* Bachov. ad Treutler. *lib. 2. Disf. 19. th. 7. lit. E.* Mynf. tamen C. *5. Obs. 64.* non solum qvoad legitimam; sed & in solidum liberos hanc donationem non obstante renunciatione patris revocare posse existimat, à qvo dissentit Sutholt. *Disf. 6. Aph. 38.* & magnus ille bis quindecim & nepotum & liberorum parens Tiraqvell. ut eum vocat Guelich. *Annotat. ad Mynsing, c. 5. Obs. 64. in Comment. ad L. si unqvam C. irrevoc. donat.* ubi dissentientes plures allegat. Et pro hac posteriori sententia concludit quoq; Dio- 8.
dor. Tulden. *ad C. n. 3. C. de inoffic. donat. per L 2. 5. & 8. eod.* qvas adeò claras esse dicit, ut mirum sit, aliqvos sentire in totum revocationem donationis fieri. Quandoqvidem verò filiabus non minus debetur legitima, qvam filiis, cum utraqve persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungatur, *§. 5. Instit. de exhered. lib. L. 4. C. de liber. præterit.* sanè quo illis præjudicet, non impendat pecuniam omnem in evictionem feudorum, qvo filii saltem in iis succedant, exclusis filiabus à paterna substantia, inde justè constitutum, ut filiæ legitimam ex feudis emtis petere possint, habitâ ratione pecuniæ in emtionem feudi collatæ, hanc enim pater filiis, qvi soli in feudis succedunt *2. F. 26.* donare, & per obliqvum filiabus præjudicare videtur, hocque si liceret, parentes omnem pecuniam in feudorum emtionem collocare, & filios defraudare legitima possent, sicq; quod unâ viâ prohibitum, aliâ esset permissum, licet enim in feudis non succedant, successissent tamen in pecunia in feudi emtionem collocata vid. Brunneman. *Consil. 5. n. 35. & Consil, 65. n. ii.* Inde *Consil. 13. n. 3.* in- 9.
quit: Dotem à patre promissam ex feudo debere solvi, licet alia bona hereditaria supersint, & hereditas solvendo existat; sicq; hoc debitum licet non reale, tamen in rem scriptum, & succes-

foribus

ſoribus feudi occaſione rei incumbat, & in Pomerania filiabus ex feudo noviter emto dotem deberi asſerit *Conſil. 24. n. 7.* etiam cum hæreditas ſufficit, maximè ſi ita Lex vel conventio conſti-
10. tuit. Mev. *P. 3. Dec. 393.* Cum igitur dos intret locum legitimæ & alimentorum *L. 12. C. de præd. minor.* eam ſi ex feudo conſeqvatur, non eſt qvod per inofficioſam donationem & emtionem feudi à patre factam ſe læſam eſſe qværi posſit; Licet verò inter omnes, qvi ejusdem conditionis ſunt, æqvalitas ſervari debeat,
11. *L. 12. §. 7. C. de Ædific. de pr. Nov. 2. c. 5.* Præſertim autem deceat unâ eademq; lance liberos trutinari, ut nec prior nec junior ullo habeatur diſcrimine, ſed ex iisdem matrimoniis procreati ſimili perfruantur fortuna. *L. 10. c. de Natural. lib.* qvod & alias qvoque pater voluisſe facere præſumitur. *L. 1. pr. ff. de collat. L. 17. C. eod.* ne occaſio detur invidiæ, diſcordiæ & rixarum *arg. L. 6. §. 2. in fin.*
12. *c. de bonis qvæ lib. Nov. 22. cap. 8. verſ. ſi enim inteſtatis.* Secus tamen eſt, ubi contraria patris voluntas adeſt, qvam liberam unicuivis inprimis patri LL. relinqvunt. *L. parentibus 8. C. de inoffic. Teſt. & h. Nov.* & liberorum impar deprehenditur ratio, vel favor ſpe-
13. cialis & utilitas publica liberis qvibusdam conſulat. Nam utilitas publica ſemper utilitati privatorum præferenda. *L. un. §. hæc autem 14. ibid: qvod communiter omnibus prodeſt C. de caduc. tollend. Nov. 39. cap. 1. verb.: Ea enim, qvæ omnibus communiter proſunt,* nam quoties evenit, ut pater exoptet, ex filiis ſuis hunc vel illum præ cœteris excellente ingenio ornatum, ad Sapientiam, ut Deo patriæque emolumentum præſtare valeat, debere erudiri, cum cœteris ingenii dotes negatæ, & ad artificia vel opificia ſint aman-
14. dandi, qvis negaret majores ſumtus in unum eſſe impendendos, & poſt mortem parentis à collatione eſſe immunem, modo cœ-
15. teris legitima ſit ſalva? *arg. L. 20. C. de collat.* Hæc omnia verò locum habent, niſi filii probentur ingrati ubi non merentur, ut beneficio, & paterno in ſe affectu gaudeant, revera enim ſe filium neſcit, viſceribus caret, naturam negat, ingratus patri
16. exiſtens, ut inqvit Chryſologus *Serm. 10. fol. 9.* quique parentum vultus torvo viſu deſpexerit, & elatis oculis pietatem læſerit, cœcitatis ſuæ ſupplicium meretur à Patribus affirmante Hieronymo *Epiſt. 12. de honorandis Parent. Tit. 4. pag. 79.* & de Jure Romano ingratitudo hæc cauſatur, ut ejusmodi liberi in poteſtatem

tem patriam revocentur. *L. un. C. de ingrat. liber.* Conf. *Nov. 115.* & inprimis ad Nov. hanc pertinens exinde desumpta *Auth. unde C. de inoffic. Testam.*

NOV. XCIII.

De Appellationibus.

APpellatio ad summum intra biennium est finienda, 1.
alias prior sententia in rem judicatam transit; qvod si interea Appellantes in arbitros compromittant,& his cognoscentibus labatur biennium, jus Appellantium nihilominus manet salvum.

Ratio. Quia mora non est in Appellante; sed judice Arbi- 2.
tros dante. Brunnem. *ad Auth. Si tamen C. de Appellat.* nisi postquã deseruerit arbitrium, lapsum sit biennium sic enim sententia prior confirmatur.

Addit. Conf. ad h. Novell. *supra 59. cap. 1.*

NOV. XCIV.

Ut sine prohibitione matres debitrices & creditrices Tutelam gerant minorum.

CAP. I.

De Matre Tutrice Creditrice.

CAput hoc est limitativum superioris *Nov. 72.* qua Cre- 1.
ditores vel Debitores â tutela arceantur, ut in matre debitrice vel Creditrice non procedat, ex qvacunq; etiam causa debitum sit ortum, & possunt tueri filios, ac si nec ab initio contigisset, Legem in hoc scribi. Qva- 2.
propter sive dotes, sive sponsalitiæ largitates exiguntur, sive alia debita habeant, sive Matres ad Minores, sive Minores ad Matres, ex paternis forsan occasionibus, aut ex propriis, sint hæc integra utriqve, sive legitimorum, sive naturalium filiorum mater tutelam gerat.

3. *Addit*. De Jure Civili Tutelæ munere fungi prohibetur mulier; *in L. fin. ff. de Tutel.* Neratius ſic ſcribit; *Fæmina Tutores dari non poſſunt, qvia id munus maſculorum eſt, niſi à Principe filiorum Tutelam ſpecialiter poſtulent*, & *in L. 1. C. qv. mulier. tut. offic. fungi pot.* Imp. Alexander reſcripſit, hiſce verb: *Tutelam adminiſtrare virile mung*
4. *eſt, & ultra ſexum fœminea infirmitatis tale officium eſt;* forte ob hanc rationem, qvia pupillo illud præſtare neqveunt, cujus cauſa Tutela eſt inducta, nimirum defenſionem & adminiſtrationem. Exceptio eſt in matre & Avia, modò majores ætate ſint, *h. N. 94. & Auth. Minoris* C. *qvi dar. Tut. & Nov. 72.* per qvos textus totam antiqvi juris rationem eſſe mutatam dicit Matth. Steph. *ad d. Nov. 72.* Cogi tamen Mater & Avia non poſſunt Tutelam ſuſcipere; ſed in defectum Teſtamentarii Tutoris poſſunt, ſi voluerint eſſe Tutrices unde & à nonnullis Tutela Matris & Aviæ vocatur *Vo-*
5. *luntaria* Eckh. *ad ff. de Legit. tut. L. 26. pr. ff. de Teſtam. tut.* ubi dicitur matri in Teſtamento Patris fruſtra Tutelam liberorum mandari, fruſtra ideo, qvia ſi non vult Tutrix eſſe, cogi non poteſt, ſin vult eſſe Tutrix, poteſt, non ex datione iſta teſtamentaria; ſed qvia deficiente Tutore teſtamentario, ex voluntate ſua præ-
6. fertur omnibus aliis. Jam qvod magis eſt, in *hac Nov.* ex qua deſumta eſt *Auth. Ad hæc* C. *qv. mulier tut.* matrem qvoqve Creditricem admittit, ita, ut & hæc Curatore opus non habeat, qvod licet in textu non habeatur ſatis tamen exinde arguitur, quod alias fruſtra eſſet hæc Conſtitutio lata, atqve hæc ob inſignem qvo mater liberos colit amorem, nec enim præſumtio de ea colligi poteſt, ipſam ut Tutorem privatum Creditorum cautionem furaturam, aut alias probationes, qvæ minoris erant corrupturam,
7. ut loqvitur Imperator ſupra *ad Nov. 72. c. 1.* Hancq; Conſtitutionem locum habere in Patre exiſtimo, qvi itidem liberorum emancipatorum eſſe Tutor poteſt ob eandem rationem, & qvamvis alias peſſimum exemplum, fœminino vocabulo etiam maſculos contineri *L. 45. pr. ff. de Legat. 2.* aliud tamen forte dicendum, ubi de privilegiis ſexus maſculini, dignitate Parentis, & favore
8. liberorum ſermo eſt. Ampliatur qvoqve ſententia Imperatoris in naturalibus & ſpuriis liberis, ut & horum mater Tutrix ſit, cum ſemper certa ſit. *pr. I. ad SCt. Orfic.*

CAP.

CAP. II.

De Jurejurando Matribus Tutricibus remisso.

MAter Tutelam gestura, non tenetur amplius jurejurando secundis nuptiis renunciare, cum constet, aliqvoties prævaricatam Legem, & jusjurandum perjurum datum, non enim, qvod aliqvæ servaverunt jusjurandum, oportet & eas, qvæ exhonorant eum, habere occasionem impietatis in DEUM. Nam *qvod rarò fit,* (sicut etiam vetus sapientia docet) *non observant Legislatores: sed qvod fit plerumq;, & respiciunt, & medentur.* Qvare Matres Tutelam suscipientes modo debent abrenunciare SCto Vell. & omni auxilio, & omnia qvæ decreta sunt, agere, jusjurandum verò non præbere, mox verò ut secundas nuptias contraxerint, repente expelli à Tutela, & ea agi, qvæ perferrent, si jurare eas contigisset, cum semel in judicium mentitæ, & propriæ Confessioni & depositioni secundas concupiscentias præposuerint. 1. 2.

Addit. Optimâ ratione juramentum hoc sustulit Imperator, 3. ut nimirum occasio perjurii lascivis mulierculis præcidatur, qvas juramento à nuptiis absterrere valde periculosum esse dicit Brunneman. *ad Auth. Sacramentum C. qvando mulier.* Cœterum in Ducatu Brunsvic. & Luneb. juramentum adhuc præstari debere probat Hahn. ad Wesenb. *de Tutel. N. V. verbis qvia moribus Saxonicis* per formulam jurisjurandi adjectam ordinationi Cancell. in Ducatu Brunsvic. & Luneb. *des Vormundes Eydes, den eine Mutter als legitima Tutrix schweren soll.* Cessare autem dicit tutelam 4. Matris si intra IV. menses Tutor alius sit datus, & mulier moram in suscipienda ea commiserit, qvod d. l. illustrat *Responso Facultatis Jurid. Helmstad. de Anno 1600. d. 19. Novembr.* ulterius cessat ea, ut in textu docetur, per transitum ad vota secunda, sic enim affe- 5. ctum erga liberos prioris matrimonii mutare censetur, & magis in secundum maritum propendere, aliud verò si deposuerit tu-

telam cum ſit nuptura, nec tamen nubat, aliud enim eſt nubere velle, ad quam ſententiam per rationem, qvod non detur regresſus ad jus, cui qvis renunciarit, accedit Rittershuſ. *ad Jus Noviſſ. P. 8. c. 9. n. 13.* & ut æqviorem ſeqvendam putat. Mynſ. *Cent. 3.*
6. *obſ. 83.* Si autem ſecundus maritus mortuus, ad tutelam iterum non admittitur Mynſ. *c. l.* qvod ſic extendit Sande *lib. 2. tit. 9. definit. tit. 3.* etiamſi Teſtamento Patris Tutrix data, quamdiu vixerit, & in humanis fuerit, nam poſtqvam vitricum induxit, lex de ea diffidit, & cum mater in eodem ſtatu non remanet, Tutela ei remanere non debet, & ſi Teſtator de ſecundis nuptiis cogitaſſet, non ſic diſpoſuiſſet. v. *C. A. lib. 26. Tit. IV. th. 3.* Surd. *deciſ.*
7. *106. n. 11. ſeqq.* Peretz. *Tit. C. qv. mul. Tut. n. 3.* qvod tamen limitatur 1. Niſi Princeps denuò concesſerit, qvod eum qvidem poſſe facere per modum Gratiæ, non verò per modum juſtitiæ ſcribit Sande *d. l.* 2. Niſi ſtatutô vel conſvetudine inductum ſit, ut mulier Tutelam amisſam recuperet, ſicut de jure Bohemico obtinet teſte Dn. Fabricio *ad Obſ. Mynſ. Cent. 3. obſ. 83. in f.*

NOV. CXV.

De Adminiſtratoribus.

CAP. I.

Ut Judex depoſita dignitate ante 50. Dies in Provincia, in qva adminiſtravit, commoretur.

1. **INterea igitur debet acta eorum conficere, qvæ â ſe durante officio geſta, ut inde de Adminiſtratione ejus conſtare posſit.**

2. §. 1. Si ergò dereliqverit officium in provinciam eſt remittendus, & ſatisfaciat accuſantibus & pœnæ læſæ Maj. ſubjugetur; Si verò depoſito officio, intra tamen 50. dies diſcesſerit, pœnæ antiquæ de quibus ſupra ad *Nov. 8. C. 9.* locum habebunt.

3. §. 2. Injungitur Succesſoribus in Provinciam mittendis,

tendis, ne moras in itinere faciant; ſed velociter ad provinciam deſtinatam eant, & duobus diebus ante qvam acceſſerint, priori Adminiſtratori amicabili Epiſtola adventum ſuum denuncient, & ex qvo tempore officium adminiſtrare incipiunt, annonas accipiunt, nec ex Codicillis Cinguli debet judicari tempus, ſed ex qvo in provinciam acceſſerit, accipiat Reipubl. emolumenta; Nec enim poſ- 4.
ſibile, neqve portabile eſt omninò, ſine Judice relinqui provinciam, inprimis ſi jam alius ademtus ut ejus impleat locum, hominis forſan non habentis rerum experimentum.

Add. Qvæ hic conſtituit, adeò ſanctè vult obſervari Impe- 5.
rator, ut nullum reſcriptum, nulla etiam alterius Provinciæ neceſſitas ab ipſo Præſide gubernandæ, vel alia cauſa ipſum excuſet. Brunnem. *ad Tit. C. ut omnes judices tam n. 6.* Conſtat autem 6.
partim ex hoc, partim ex aliis juris textibus, magnâ prudentiâ non ſiviſſe Romanos ut perpetua Adminiſtratorum eſſet poteſtas, ne ea ad arrogantiam ſuam abuterentur, aut ipſis Superioribus Præficientibus majores fierent, ſic enim depoſitô Magiſtratu fit privatus, privatur armorum & ſatellitum manu, quibus juvatur poteſtas. Qvod & Reges Hiſpaniæ in Provinciis & Regnis in Italia & Belgio ad ſe ſpectantibus ſic ſatis longo tempore cum Pro-Regibus ſuis obſervaſſe, niſi qvod Belgicarum Provinciarum ad Hiſpanum ſpectantium gubernatio, ob certam Status Rationem perpetua facta, ſatis omnibus notum eſt. Et ſanè prima 7.
Lex illa de Magiſtratuum & Poteſtatum temporali duratione, Romanam Rempub. diu integram conſervavit, qvamdiu fuerunt Conſules annui, Dictatores ſemeſtres, & Magiſtri Eqvitum, item & fuerunt temporales Rectores, & Præſides Provinciarum, 8.
& alii, ê contra tunc cœpit Reſpub. deſtrui, qvando facta eſt prorogatio temporis gerendarum majorum Poteſtatum, ſicqve propriis coronis confecta & ſubverſa, ut accidit etiam Civitatibus, qvæ ſubverſæ ſunt à propriis Ducibus, poteſtatem fiduciariam datam in propriam convertentibus. Et ſic Julius Cæſar, 9.
qvi noverat, ad Summam ſe poteſtatem perveniſſe, ob nimiam impe-

imperandi concessam, & prorogatam, seu usurpatorum licentiam Lege statuit, ne qvis omnino Prætor anno, Consul biennio am-
10. plius, à suo Magistratu continuò imperaret. Dio Cass. *lib. 43.* Fa-
ctum & est SCtum Calvino & Messala Cas. ne qvisqvam ex his qvi Consulatum vel præturam gessissent, exteriorem aliqvam Provinciam ante qvinqvennium acciperet, sperantes, hac ratione certamina, de occupandis Magistratibus tolli posse, si pateret, eum qui obtinuisset, non statim cum potentia aliqva futurum,
11. qvam L. firmavit Pompejus Dio Cass. *lib. 40.* Lex etiam Romanis Censuram bis eidem homini, qvia magna erat potestas, non esse deferendam, nec continuandam in annum seqventem tribunitiam aut Consularem jussit. Val. Max. *lib. 4. c. 1. Exempl. 3.* Plutarch.
12. *in vita Coriolani.* Prout verò ambulatoria ipsorum erat potestas, ita officium in Provincia derelinqvere fas non erat, anteqvam injuriam vel damnum passis satisfactum fuisset, sub pœnis in §. 1. hic express is, qvæ tamen hodie apud Nos non sunt amplius certæ & determinatæ; sed arbitrariæ, & juxta varietatem facti commissi aut durius aut tenuius secundum judicis arbitrium discretum infliguntur Menoch. *lib. 2. arbit. judic. qvæst. cas. 341. n. 13.*
13. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 1. Art. 4. n. 17.* Cùm verò impossibile sit, nec portabile, sine judice relinqvi provinciam, Princeps ad exemplum hortulani in locum arborum demortuarum aut transplantatarum, vel minus idonearum finito ipsius officio aliũ surrogat, qvi in itinere moras nectere non debet, aut aliàs qvippiam committere, qvo Provincia Rectore diu destituatur, in qvam si pervenit, accipiat Reipub. emolumenta, Cinguli Codicillis exhibitis, de qvorum exhibitione licet in textu non habeatur, hodie tamen necessaria esse videtur, adeò, ut Paris de Puteo *de Syndic.*
14. *verbis Election. 3.* ex Baldo referat, aliqvem probando qvasi possessionem officii nihil peragere, nec per conseqvens præsumi titulum habere, nisi probetur per literas Concedentis. Qvod si
15. unus officialis primò fuit promotus ad officium, & alius secundo locô, qvi primo habuit literas præferetur Paris de Put. *d. l. verb. Successor. arg. L. 1. C. de Consul.* ex qvo svadetur, ejusmodi literas sedulo custodiendas, dum per acceptationem istarum acqviratur jus in re etiam post adeptam possessionem, exemplo collati benefi-
cii Ec-

cii Ecclesiastici. *C. si tibi de præb. in 6to.* possessio verò, ut modò 16.
dictum per cœptam Administrationem acqviritur Francisc. Stypman. *de Reverendar. & eorum officio in legendis actis C. 4. n. 7.* & ex
tunc commoda officii incipiunt deberi. Bald. *in usib. FF. c. 1. quis* 17.
dic. Dux. Sunt verò ista Salaria Administratoribus, liceat hoc addere, ex propriis bonis & reditibus Dominorum constituenda, non ex bonis subjectorum, qvibus justitia administratur, qvia ipsi sunt debitores justitiæ ministrandæ, & ob hoc reditus percipiunt. Garf. *de Expens. c. 20. n. 13.* multò minùs Consultum est Administratoribus in pœnis aut mulctis Salaria vel annonas constituere, qvippe exinde magna subjectis incommoda obvenire possunt, ex ratione; *Weil sie alsdann nicht eben der Fleiß, sondern die eigene Begierde ihren Vortheil zu haben treibet.* i. e. qvandoqvidem tum eos non tam diligentia, qvàm potius habendi commodum cupiditas impellit. Ob delictum autem Præsidi reprobato, præteriti modò temporis Salarium debetur, qvo servivit, nec culpam commisit, factâ laboris & pecuniæ divisione. Coras. *in L. diem functo ff. de officio Assessor.* Jason. *in L. Mevio ff. de annuis legat. n. 45.* add. Paris de Puteo *Tr. de Syndic. verb. condemnatus, & in verb. Rex concessit.*

NOVELLA XCVI

De Executoribus, & de iis qvi conveniuntur, & reconveniuntur.

CAPUT I.

De in jus vocando; vel ut Actor caveat de Cont. lite intra duos menses.

ACtor offerre libellum non debet, anteqvam cautio- 1.
nem præstiterit Reo, vel ab eo absente ejusdem negotii executori, se litem intra bimestre temporis spacium contestaturum, & si hoc non fecerit, omne damnum eveniens convento duplum restituturum, non transcendente tamen cautione 36. aureos.

Addit. Qvæ inter hanc & *Nov. 53.* sit differentia proponit 2.
Matth.

Matth. Stephan. *ad h. Nov. 96.* estque ex hac Novella desumpta *Auth. Libellum C. de lit. contest.* moribus nostris cautio ab Actore præstanda hic præscripta non obtinet; & Saxonicis præstant cautionem pro expensis & reconventione pignoribus vel fidejussoribus prout Actori placuerit, modò tamen Fidejussores bona im-
3. mobilia possideant, & foro renunciaverint. Aliqvando tamen & juratoria cautione contentus reus esse jubetur, modò juraverit, se credere, quod nullâ diligentiâ pignora vel fidejussores consequi possit. Fibig. *Processs. jur. Sect. 1. C. 11.* ubi tamen simul judex perpendat, monente Carpzov. *lib. 2. Resp. 82.* causam litigii, & si temerè aut de re levi litigetur eum repellat, & an Actor sit probatæ fidei, vel levis & suspectus. Idem *d. l.* v. *P. 1. Constit. 5.*
4. Imò hodie consvetudine non sunt in locis ubi jus Saxonicum viget; sed passim ubivis ferè Actor, nisi bona immobilia possideat, tenetur cavere de prosequenda lite, & restituendis in casum succumbentiæ expensis, ut testatur Zanger. *de Except. P. 2. cap. 21. num. 13.* Bachov. ad Treutler. *Dissert. 5. th. 3. lit. g.* qvod experientia quotidiana satis, comprobat, ex qua id etiam apparet, de reconventione actorem teneri apud nos satisdare. Tria alia
5. nominant scil. 1. Litis persecutionem ad finem, 2. Judicati cum expensis solutionem. 3. Reconventionem S. R. de A. 1633 H. und G. O. de A. 1560. & aliæ passim judiciorum Ordinationes, qvas ad longum recenset Gisebert. *Justin. Harmon. ad §. Si verò 1. n. 73. I. de Satisdation.*

CAPUT. II.

De his qvi conveniuntur & reconveniuntur.

1. SI Reus Actorem iterum convenire velit, coram eodem judice, ubi conventus, id ipsi licet; sed si hic ei suspectus, intra 20. dies eum repudiare, & alium petere potest, coram qvo utraqve lis ventiletur, Conventio scil.
2. & Reconventio; coram alio verò judice Reus Actorem lite pendente reconvenire neqvit, & ejusmodi artes in nullo

nullo fieri debent, & unusqvisqve proprio jure uti, ut ita tales eorum aufferantur artes, & in alterutros calumniæ.

Addit. Desumpta est ex hac *Nov. Auth. & generaliter C. de Sentent. & interloc. omnium jud.* & concedit Imperator Reo licentiam conveniendi actorem coram eodem judice, quem accusare non licet, nisi sit suspectus, cujus enim quis in agendo observat arbitrium, eum habere & contra se judicem in eodem negotio non dedignetur. *L. cum Papinianus C. 14. de Sentent. & interloc.* Sichard. *ad Auth. conseqventer n. 2. C. de Sentent. & interloc.* Non verò necessariò ante L. Cont. instituenda est reconventio; sed sufficit, si eodem judicio proponatur. *c. dispendia 3. X. de Rescript. in 6to* quod nonnulli eo usqve extendunt, ut sufficere dicant, si proponatur ante conclusionem in causa; Alii id qvidem admittunt, sed non cum privilegio simultanei Processus. Unde ad Processum simultaneum requirunt pleriq; ut aut ante litis cont. aut in ipsa litis cont. aut illicò post eam reconventio instituatur, Ummius *de Prosess. Disp. 10. n. 19.* Zœs. *ad Tit. ff. de re judic. n. 44.* Brunneman. *Procesf. Civil. cap. 10. n. 11.* Excell. Dn. Stryk. *Introd. ad Pr. Forens. cap. 14. n. 5.* Cum verò solus Reus conventus reconvenire possit, inferendum est, Actorem reconvenire iterum volentem non admitti, *arg. h. Nov. & Auth. & conseqventer.* daretur enim alias progressus in infinitum, *c. 2. X. de Rescr. in 6to.* & processus magis intricaretur, quam extricaretur, *arg. c. 3. X. de Ordine cognit.* & modus litium multiplicatus summam & inexplicabilem faceret difficultatem, quod præcavendum juxta JCtum in *L. 6. ff. de Except. rei judic.* Judicem autem qvem reus inconventione suspectum habet, ut declinare potest, ita alius ab actore, ut eligatur, petere potest, judex prorogatus verò de reconventione cogcoscere nequit, quia cessat ratio *L. cum Papinianus*, & utriusque partis unanimus consensus hinc judicem constituens excludit. vid. Excell. Dn. Strykii *Dissert. ad L. cum Papin. Vol. 2. Disput. cap. 3. §. 9.* Aliud in judice delegato, coram quo reconventio locum habet, inprimis si ab utroqve litigante sit petitus, vel etiam à Principe motu proprio datus. Sichard. *add. L. cum Papinianus.* Etiam coram judice particulari, cujus jurisdictio ad certas personas, vel certa negotia & causas est restricta. Molignat.

3.
4.
5.
6.
7.
8.

de Reconvent. qv. 29. & coram Arbitro juris ex diſpoſitione Legis, Statuti, vel Conſvetudinis electo, modò is cognitionem totius cauſæ, & non certi alicujus duntaxat articuli habeat Molignat.
9. *d. l. qv. 23.* Non autem inſtituitur coram judice appellationum, cum ibi appellans nihil proſeqvatur, vel petat à Reo; ſed ſaltem de iniqvitate ſententiæ conqveratur, aliud ſi extra judicialiter, h. e. â decretis & actis extra judicialibus appellatum, ſic enim poſſe coram judice appellat. reconventionem inſtitui, modo per viam actionis, & in forma judicii appellatio fuerit interpoſita alibi à Doctoribus, qvi Proceſſus adornarunt, fuſius eſt propoſitum, ad qvos me amore brevitatis remitto. vid. Umm. *d. loc.* Nicolai *Proc. P. 1. cap. 13.* Berlich. *P. 1. Concl. 22.* Carpzov. *P. 1. Conſt. 7.* Sich. *ad L. 14. C. de Sent. & int.* & qvomodo in cauſis connexis obtineat Ddr. *ad L. 21. C. de Pactis.* Menoch. *de A. J. qv. caſ. 95.* Frantzk. *lib. 2. Reſol. 20.*

Nov. XCVII.

CAP I.

De Exæqvatione dotis & donationis propter nuptias.

1. Æqvalitas inter dotem & donationem propter nuptias per omnia ſervatur, tam ratione eorum qvæ offeruntur, qvàm illorum, qvæ in ſtipulationem deducuntur, & tantam partem conſcribat vir, qvantam & mulier, & unusqvisqve lucrum æqvalis menſuræ debet ſti-
2. pulari. Et irrideri videtur undiq; Lex, ſi maritus qvidem conſcribat duos mille aureos, mulier autem 6. millia forte in dotem offerat, & ſtipulentur alterutros qvartam in lucro conſcriptæ percipere, proinde illô eveniente lucrô illa non plus lucrabitur, niſi 500. aureos ex qvarta, & ille 15000. ex qvarta, & ſic velut in ænigmate magna
3. videbitur qvarta unius alterius verò minor. Qvæ igitur ante Legem hanc ſunt conſtituta, habeantur juxta dictum modum, qvod enim factum eſt, infectum manere impoſſibile

ſibile eſt, & de cœtero æqvæ ſint oblationes, & mediocria lucra debent paciſci, ut per omnia juſtitia æqvitasqve honoretur. Et ſi altero alter ſit inſtructior facultatibus, po- 4.
teſt per alium modum legitimum tamen & LL. cognitum clementiam alii præbere, non per æqvalitatem redire ad inæqvalitatem, & majus alteri lucrum acqvirere.

Addit. Novella hæc & exinde deſumpta *Auth. Æqvalitas C.* 5.
de Pact. conv. æqvalitatem etiam in qvantitate reqvirit inter dotem, & donationem propter nuptias; ſed eandem uſu non ſervari, teſtatur Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib. 20. Tit. 5. n. 4.* Peretz. *ad C. Tit. de Pact. convent. n. 3.* Hahn ad Weſenb. *ff. de jure dot. n. 11. & ad Tit. de fund. dot.* Ludw. ad Weſenb. *Tit. de Pact. dotal. n. 3.* Et qvidem rectisſimè hanc Juſtiniani Conſtitut. ob- 6.
latam eſſe dicit Brunneman. *ad d. Auth. Æqvalitas* ex hac ratione; ſi enim donatione propter nuptias planè posſunt carere nuptiæ, qvidni ex dote minorem habere posſunt; & diſpar eſt conditio mariti & uxoris, nam dos pro oneribus datur marito *L. 20. C. de jure dot.* qvæ uxor non ſubit. Dependent verò & hæc ex pactis 7.
contrahentium, nam ſi in dotalibus plus pro donatione propter nuptias reliqvit mulieri, qvam ea pro dote offert, hoc omnino ratum eſt, ſi vero non ex pactis dotalibus conſtet, qvo modo de dote & donatione propter nuptias voluerint diſponere, tunc adhuc hodie diſpoſitum in uno, trahendum eſt ad alterum, cum contrahentes cenſeantur ſe voluiſſe conformare juri communi, prout ex Kohl. *de Pactis P. 1.* obſervat Brunneman. *ad d. Auth. Æqvalitas C.* Hoc igitur caſu ut magis illuſtrentur finalia verba 8.
hujus Cap. æqvalitas ſervatur in dote & donatione propter nuptias non verò in lucris exinde proventuris, qvæ mediocria ſaltem eſſe debent, & ſi forte maritus uxore locupletior ſit, poteſt pro dote, qvam ſatis amplam intulit, vel per teſtamentum, donationem mortis cauſa aut alium modum LL. agnitum, eandem compenſare & relinqvere. Per *Nov. 22.* ſupra qvidem ſatis erat proſpectum qvoad pacta, utrinq; æqvalitatem eſſe ſervandam; ſed hic conſtituit æqvalitatem dotis & donationem propter nuptias etiam qvoad qvantitatem ſervari debere.

CAPUT II.

De augmento dotis & donationis propter nuptias.

1. DOs constante matrimonió augeri potest, qvô factô & maritus donationem propter nupt. augere tenetur, ut sic per omnia æqvalitas servetur. Ne tamen ob augmentum dotis propter privilegium, qvod uxores in ea repetenda habent, defraudentur Creditores, simulante forte maritò dotem esse auctam, non aliter obærato marito dotem uxor augere potest, nisi in rebus immobilibus augmentum consistat, ut inde de eadem certius constare possit.

2. II. Qvod si mulier immobilium rerum habens substantiam, in rebus mobilibus scribat augmentum, sciat privilegium non habituram, nisi in antiqva sola dote, non in figurato existente augmentô, qvod enim ab initio factum est, in toto sine suspicione est, qvod autem postea machinatum est contra Creditores, hoc ipso introducit meditationem, & lædi homines ex dato â se dotibus privilegio, nullô vult modô.

3. III. Donatio propter nuptias â Viro in qvibusvis rebus fieri potest, si scil. Creditoribus nullis existit obligatus, ut tamen utrinqve augmentum habeat æqvalitatem, & æqvitatem servet.

4. *Add.* Per hanc *Novell. & Autb. sed jam necesse est C. de donat. ante N.* in necessitatem tractum esse videtur, aut arctâ â muliere dote, vel ab alio qvi eam dotat, vir qvoq; necessum habeat augere donat. propter nuptias; Cœterum uti hic vult Imperator augmentum dotis consistat in immobilibus, non vero in mobilibus, qvia in immobilibus augmentum est evidens; sed in mobilibus latens & occultum, & ideò in illis non ita metuenda fraus & collusio, prout in his Perez. *C. de donat. ante nupt. n. 3.* hancqve æqvalitatem adeò præcisè reqvirit Imperator, ut licet dos

5. (margin, beside "at augere donat.")

non

non sit numerata, modo non steterit per mulierem, qvo minus numeraretur, solutô matrimoniô nihilominus donationem propter nuptias exigere qveat uxor *Nov. 91. c. 2.* Hic autem non im- 6.
meritò dubium movet Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 1. c. 7. verb. Sed qvari. Si qvantum à muliere dotis causa datum est, iterum tantum debeat dari à Marito propter nuptias, qvam habebit utilitatem ex dote?* Resp. habet hanc utilitatem, ut constante matrimonio interea fructus ex re dotali percipiat in compensationem onerum matrimonii, qvæ ipsi incumbunt *L. 20. C. de Jure dot. & L. 7. pr. ff. eod.* non verò uxor rebus donatis, qvippe harum fructus in dotem convertuntur, *d. l. 7. §. 1. ff.* vult verò Donell. *lib. 14. Comment. Jur.* 7.
Civ. c. 9. n. 19. etiam fructus donat. propt. nuptias deberi uxori, cum talis donatio sit remuneratoria nuptiarum, qvam LL. admiserunt, donatione alioqvin inutili futura, si fieret jam contractis nuptiis *L. ult. C. de donat. ante N.* Hanc verò Constitutionem 8.
Consvetudinem publicam seqventium temporum repudiasse, ita, ut & donare propter nuptias, & donare minus, & aliâ formâ liceat testis est Donell. *loco cit. n. 50.* ubi pluribus in anteced. egregie inprimis ratiocinatur, qvare fas sit, ut fructus donat. propter nupt. percipiat uxor.

CAP. III.

De Privilegio dotis & Creditorum ex causa militiæ emptæ.

PRivilegium prælationis, qvod uxori circa repetitionem dotis competit, maxime præcipuum & generale est, ita aut si qvis domum renovasset, aut etiam agrũ emisset, ejusmodi privilegia mulieribus opponere non possit, imprimis si post dotem constitutam ejusmodi renovatio facta. 1.

Ratio. Satis namqve infirmitatem naturæ muliebris 2.
novit Imperator, qvia facile circumventiones adversus eas fiunt, & minui eis dotem nullô sinit modô, sufficit enim, qvod â lucris cadant, si priora antenuptiali donatione invenian-

veniantur, & sic sufficiens habeant damnum, non etiam vult, & circa ipsam dotem eas periculum sustinere.

3. *Add.* Uxorem ratione dotis etiam Creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus præferendam esse tradunt Treutl. *Disp. 24. lib. 2. th. 7. lit. b.* ibiq; Hunn. *Var. Resolut. l. 3. tr. 3. P. 5. qv. 4.* Peretz. *C. ad Tit. de Jure dot. n. 19.* Hahn. *ad Wesenb. de Privil. Credit. n. 4. cl. 2.* Berlich. *P. 1. concl. 65. n. 6. seqq.* hancq; sententiam in terris Würtenbergicis esse receptam dicit Besold. *de Pignor. Sect. 7. n. 6.* & ampl. hic Imperator, ut & domum renovantibus, vel agrum ementibus præferatur, quales tamen æqvè maximè sunt favorabiles, imprimis verò ex verbis hujus *Nov. si post dotem* concludit Brunnem. *ad Auth. Qvo Jure C. qvi pot. in pign. n. 5.*
4. ex tempore hoc esse dijudicandum, an dos, an verò Creditum ad refectionem sit præferendum & sic jus ex tempore æstimandum, non ex causa in qvem finem citat *c. 3. h. Nov.* Matth. Steph. *ad eam,* & Frantzk. *ad tit. ff. qvi pot. in p. n. 51.* qvò etiam inclinare videtur, Idem Brunnem. *in Process. Conc. c. 5. §. 39.* ubi tamen asserit ex Berlich. *P. 1. Concl. 65.* plures indistinctè dotem præferre, & maximè juxta Carpzov. *P. 1. c. 28. def. 105.* si res refecta amplius non extet, & expensæ minus sint necessariæ Grev. *lib. 2. concl. 12.*
5. *Conf. 1. n. 7.* Hartm. Hartm. *tit. 27. O. 8 n. 11.* Qvicqvid verò hujus sit, idem tamen privilegium etiam augmento dotis competit, *de Auth. qvo jure* modò fraus absit, nec simulatè aucta videatur in aliorum Creditorum præjudicium, prout est in rebus mobilibus,
6. in qvibus augmentum denegatum *c. 2. praced. h. Nov.* Idem asserunt de illo augmento dotis, sive lucro in Pomerania recepto, qvod vocant *die Verbesserung*, qvando maritus doti datæ dimidiam ejus partem addit, eamq; auget, qvod lucrum dotis cum ipsa dote eodem gaudere privilegio tradit Mev. *P. 11. dec. 228.* Etiamsi
7. verò dos omnia qvoqve anteriori expressæ hypothecæ innixa credita antecedat, non tamen illa pro qvibus obnoxia fuit res anteqvam ad maritum pervenit, non enim nisi deductô ære alienô in bona mariti ex ea qvicqvam pervenisse intelligitur, nec uxor plus juris qvoad hypothecam in ea accipere potest, qvam maritus ratione proprietatis obtinuit, ut decisum esse refert Idem Mev. *P. 3. Dec. 13.* In dotalibus vero tantum non in paraphernalibus,

bus, & Donat. propter nuptias hoc privilegium probationis uxoribus esse concessum prout aliàs à Dd. assertum.

CAP. IV.

Ut excipiantur hoc Privilegio Creditores in emptione militiæ.

SI qvis crediderit aurum occasionem militiæ, & sibi de 1.
hypotheca prospexerit, & expressim scribatur in instrumento, & in hoc fiat pactum, ut in casu proveniente prior sit solus, qvi ad hoc crediderit, huic soli cedit uxor; non autem facilè credendum, neqve per testes, sed negotio ex scripto gesto testium habente subscriptiones, sic enim causa procedat, nec suspicionem habeat.

Addit. Militiam qvod attinet, de qva hic agitur, est ea Ad- 2.
ministratio seu officium, qvod qvis in Palatio seu Comitatu Principis gerit, cujus gratia Salaria qvædam & commoda sive annonas de publico percipit, qvalis militia emi & vendi potest. *L. 52. §. 2. L. 5. vers. monente tamen C. qvi milit. poss. n. 12.* Gülcken *Auth. ea Testamen. C. de collat.* Diss. Vinnii *Tr. de Collat. cap. 13. n. 19.* Ad hanc 3.
igitur obtinendam si qvis credidit, & per publicum instrumentum ita constitutum atqve pactum esse probaverit, *Auth. qvô jure C. qvi pot. in pign. Auth. qvod obtinet C. de pign. h. Nov. cap. 4.* in omnibus præfertur Creditor, ex cujus pecunia militia scilicet vendibilis est empta. Joach. Chemnit. *Diss. Inaug. de jure prælat. Credit. olim sub Præsidio Dn. Coldebacii hic habita Class. 2. th. 118.* Habet ve- 4.
rò illa militia aulica de qva hic agitur, ut observat Excell. Dn. Stryk. *ad Process. Conc. B. Dn. Brunnem. c. 5. §. 26.* conjuncta annua Salaria certa, ex qvibus emens vivere poterat, unde si argumentum ab illis trahendum, non ad alias erit dignitates trahendum, qvàm qvæ Salarium habent annexum, v. gr. Canonicatus & Commendaturas, non verò ad illas prælatio trahenda, quæ solum habent honorem sine Salario, ut est Doctoratus, & Eqvestris dignitas, contrarium statuit Brunnem. *c. locô,* qvi forte potest in- 5.
telligi, si qvi ad dignitatem comparandam pecuniam mutuaverint, & mox eâ adeptâ sessionem & dignitatem in Curia Principis datô ab

ab ipſo Salario acceperunt, ubi meritò idem jus ipſis qvoq; com-
6. peteret. Potuere verò qvædam harum militiarum & vendi, & ad heredes transferri, qvædam non, & caſus militiæ appellatus commodum qvod militiæ talis intuitu, qvæ morte militantis caduca facta erat, hæredibus præſtabatur. Cujusmodi generis militiarum passim cum in Codice, tum in Novellis mentionem fieri refert Gudelin. *Jur. Noviſſ. lib. 5. c. 21.* Qvibusnam verò casibus licuerit olim militiam vendere docet Peretz. C. *Tit. de Pro-*
7. *xin. Sacror. Scrinior. n. 12.* Apud nos hodie militiæ non ſunt vendibiles, aut res pro mercales; ſed qui dignitate militari, aut Eccleſiaſtica ſe abdicare deſiderat, adverſam valetudinem, vel ætatis ſenium probare debet, ſeq; omnibus publicis imparem eſſe.
8. *Tit. X. de Renunciat.* Nec enim omnis ſenectus cauſa eſt, cur honorem qvis dimittat. Egregia hanc in rem ſunt Valerii Maximi verba *lib. 8. Plerumq; enim*, ait, *ſeneſcentibus membris, Eruditorũ animus induſtria beneficio intus florem juventus retinet.* Conf. hic Gregorius Nazianz. *Orat. de Laudibus Baſilii.*

CAP. V.

De Dote remeante ad Patrem, & rurſus data pro eadem filia ſecundo Viro.

1. SOlutô matrimoniô dos ſi filia in poteſtate, vel ſi alias ita conventum ad Patrem redit. Ad vota ſecunda verò filiæ tranſeunti, eandem absqve diminutione pater conſtituere tenetur, non attentô an filia ex donatione antenuptiali prioris matrimonii aliqvid lucrata ſit, hujus enim lucri proprietas ad uxorem ſpectat, Patri tan-
2. tum uſufructu relictô. Sin verò fortuita qvædam clades imminuerit patris ſubſtantiam, ut neqve volenti ſit posſibile æqva menſura, qva prius rurſus dotem dare, & probetur à patre fortuita deminutio patris ſubſtantiæ, non amplius cogitur pater dare ſecundo filiam jungens, niſi in qvantum ſubſtantiæ virtus eſt; ſed lucrum qvidem prioris

oris ante nuptialis donationis habebit integrum, tantum verò in ordine ſecundo à patre accipiat dotem, qvantum ſubſtantiæ ejus menſura ſuſceperit.

Add. Qvod Carpzov. *P. 2. c. 16. def. 11.* dicit, dotem in priore matrimonio datam, eandem qvoqve in ſecundo, ſi aliud nil obſtet, repetitam intelligi, intelligendum videtur de ſecundo matrimonio inter easdem perſonas Contracto, ſi primum fortè matrimonium divortio fuerit diſſolutum; At ſi matrimonium morte alterutrius fuerit diremptum, & ſuperſtes Conjux cum alio ſecundum matrimonium contraxerit, nunqvam dicit Sande *lib. 2. definit. Friſ. tit. 11. def. 3.* in jure tradi, dotem in primo matrimonio datam, in ſecundo cenſeri repetitam. Et qvod Paulus JCtus in *l. 30. ff. de Jure dot.* generaliter dicit, dotem qvæ in prius matrimonium data eſt, converti in poſterius matrimonium, hoc ſeqvens Papiniani reſponſum *L. 31. ff. eod.* ſatis indicat eſſe accipiendum de matrimonio poſt divortium redintegrato, vel renovato prout ex Compegio *de Dote P. 1. qv. 38.* docet Sande *d. l. circa f.* Menoch. v. *lib. 3. Præſ. 6. n. 28.* abſolutè dicit mulierem ætate majorem, & qvæ jam alteri nupta fuit, ſi primo viro omnia ſua bona in dotem dediſſet, præſumi eandem repetiiſſe in ſecundo matrimonio, qvod utiqve concedendum, ſi pari affectu ſecundum colat, qvo proſecuta priorem, illeqve dote magna non ſit indignus, v. *l. 22. C. de peric. & adm. tut.* Si verò Pater ex feudo dotem conſtituit filiæ ſatis amplam, eandemq; acceperit, mortuo priore marito Succeſſores feudales non obligati eandem qvoad qvantitatem ſecundo marito dare denuò, nec enim ultra tenentur, qvam pro præſenti temporis & rerum ſtatu Dominus putaverit æqvum. Mev. *P. 2. dec. 119. & P. 3. dec. 364. 365.* qvippe in dotis determinatione circumſtantiæ qvævis occurrentes accuratè debent ponderari, ne qvid vel domino, vel feudi Succeſſoribus in præjudicium vergat, unde & vulgo in caſu ambiguo dotis determinatio arbitrio domini feudi committitur, Ergo deminuta bonorum feudalium æſtimatio in conſiderationem meritò trahenda, & alia mutatio qvantum ob ipſam dotis cauſam facienda. Carpzov. *P. 3. Deciſ. 283. & de Onerib. feudi Deciſ. 3. Poſit. 5.* Qvando verò Brunnemann. *ad Auth. Sed qvamvis C. de R. U. A.*

[Margin numbers: 3. (line 1 of Add.), 4. (line "trimonium divortio..."), 5. (line "datam, in ſecundo..."), 6. (line "v. lib. 3. Præſ..."), 7. (line "v. l. 22. C..."), 8. (line "æqvum. Mev..."), 9. (last line)]

regulam colligit, qvod pater eandem dotem filiæ renubenti iterum dare debeat, licet dos promissa tantum sit, & non soluta, merito id in textu hic limit. nisi fortuita qvædam clades imminuerit patris substantiam, ut neqve volenti sit possibile, æqvalem denuò constituere, pater enim qvi lapsus est facultatibus iniqvitate fortunæ, licet vellet, non tamen majorem dare dotem posset, qvam primis nuptiis debeat, ubi tamen res ejus meliore adhuc loco erant, nec sane liberi cum parentibus minus agere acerbè debent, nec ad peram & sacculum eos excutere, ut alias proverbialiter dicitur, Rittersh. *ad Nov. P. 5. cap. 4. num. 3.* Qvod si
10. autem filia lucrum aliqvod ex priori matrimonio perceperit, ut ex donatione propter nuptias, forte qvod pactis dotalibus ita conventum, ut morte mariti uxor superstes donationem propter nuptias, vel partim ejus lucraretur, id lucrum non pertinet ad patrem, sed ad filiam, nec erit dotis; sed paraphernorum loco, sic tamen, ut pater in eo lucro habeat usumfructum prout rectè ex verbis final. *huj. Cap. 5.* deducit Rittershus. *loc. cit. n. 4.*

CAP. VI.

De Collatione dotis inope moriente marito.

1. SI Pater dotem obtulit filiæ, aut mater forte pro ea, hæc verò illam obtulit marito, sed Vir inops defunctus, deinde parentibus mortuis, urgetur à cœteris fratribus & sororibus conferre dotem, aut tanto minus accipere; si vir solvendo, causa undiqve est absoluta. Si verò ni-
2. hil adversus maritum conseqvi potest, nisi actiones contra maritum, illæqve minus idoneæ sunt, & objiciatur mulieri jam dotem pro ea datam esse, illa verò actionem conferat, non audietur, imputet enim sibi, qvod cum suæ potestatis, & perfectæ ætatis mulier sit, sibimet culpam inferat, cur mox inchoante viro male substantia uti non percepit, & sibi non est auxiliata.

3. §. 1. Si uxor sit sub patria potestate, patre consentiente dotem repetere potest, & insuper res donationis ante nu-

te nuptialis; Sed si pater non consenserit, uxor indemnis est, & nihil præter actionem, qvam contra maritum habet, conferre tenetur, qvæ actio postmodum ab omnibus fratribus movenda, & qvod exinde redactum communicandum. Cœterum hæc ita in dote à Patre profecta, si 4. ea parva sit, secus si magna, ubi filia etiam patre dissentiente dotem repetit, & Ulpianus Sapientissimus (*L. 1. §. 5. ff de Collat. dot*) talia sæpe qvæsivit, & inope virô maritô juvit mulierem, & in qvantum vir idoneus est, collationem ei fieri voluit.

§. 2. Valet autem hæc Constitutio in omnibus per- 5. sonis, in qvibus Collationis habetur ratio, & sic etiam in Successione sive Patris, sive Avi, sive Matris, sive Aviæ, aut si alias sit ascendentium persona.

Addit. Cum Pater filiæ dotem esse præcipuam nolle præsu- 6. matur, eandemq; ex officio dotare teneatur, *L. fin. C. de Dot. Pr. L. 5. §. 11. ff. de jure dot.* etiamsi filia sit dives, *d. l. fin. C.* Zœs. *ad ff. de jure dot. n. 6. 7. & 8.* Dotem à patre acceptam, si eadem velit succedere cum fratribus & sororibus conferre tenetur, Mev. *P. 2, Dec. 119.* Vinn. *Tr. de Collat. cap. 12.* secus si ab hereditate paterna abstinere velit *L. fin. ff. de Collat. dot.* aut qvando dos à matre profecta, vid. Brunneman. *Cent. 1. Dec. 11.* Quod si verò majorennis sit, 7. & dum videret maritum dotem dilapidare, nec eam exegerit, constante matrimonio cum potuisset, imputet enim sibi, qvod cum suæ potestatis fuerit, auxiliata sibi non sit, nam ob vergentiam Viri ad inopiam non solum dos ipsa æstimata vel inæstimata repetitur; sed etiam propter nuptialis donatio, bona paraphernalia & alia extra dotem bona mariti Administrationi commissa Græven *Concl. Practicab. 83.* sic, ut & hanc vergentiam viri ad in- 8. opiam propria mariti bona in subsidium afficere tradat Gail. *lib. 2. Obs. 83. n. 4.* hancq; exactionem adversus maritum locum habere volunt, qvacunqve ex causa ad inopiam vergerit, ex delicto, vel absq; Græv. *d. l. n. 4.* & maritus inops accipiendus is, cujus ita diminutæ sunt facultates, ut dotis exactioni non sufficiant. *L. si constante 24. pr. ff. de jure dot. L. ubi adhuc 29. C. eod.* Qvare non

 tene- 9.

tenetur mulier exſpectare donec maritus facultatibus labatur; ſed poteſt ſtatim, dum inopiæ imminet periculum ad dotis exactionem agere, ita tamen, ne dotem uxor alienet, verum ex ejus fructibus & ſe & Virum, & communes liberos tueatur, ſalvô omni jure ex pactis dotalibus, aut ipſi marito, ſolutô matrimoniô competente. *L. ubi adhuc 29 C. de jure dot. L. 24. ff. de ſolut. matrim.*

10. devenisſe verò ad inopiam maritum probari poteſt 1. famâ vicinorum, qvi indies vident, eum bona ſua profundere, nec modum neq; finem expenſarum facere. 2. Imprudenter pro aliis fidejusſiones ſuſcipere. 3. Si acceptâ pecunia ſe gravet uſuris, uſura enim per omnes facultates decurrit, & totum convertit in debitum; hinc Alphonſus Rex dicebat: *Fœnus pecuniæ, eſſe funus animæ.* 4. Si ob delictum mariti ſint ejus bona publicanda *L. ſi marito pr. ff. ſol. matrim.* vid. pluribus Berlich. *P. 1. Concl. 73. num. 87. &*

11. *ſeqq.* Ipſa verò uxore judicante maritum ob malos mores facultatibus labi, ſeq; de dote periculum incurſuram, ipſa ſi majorennis, ſine ullo Curatoris ad litem interventu ſibi proſpicere poteſt, nec enim hunc necesſariò accipiunt, ex more magis aliqvæ eum petunt, qvam, ex jure certo, nec hic in Marchia ulla Lex certa injunxit mulieribus, ut Curatores haberent, vel peterent, qvod & de conſvetudine Pomeraniæ refert Mev. *P. 5. Dec. 99.*

12. Si autem hic in Marchia ſemel ad inſtantiam mulieris Curator ad litem ſit datus, & Contractus celebratus, de conſvetudine Marchica ad Formam eſſentialem Contract9 Curatoris conſenſum eſſe necesſarium refert Mullerus & probat ſententia Judicii Cameralis

13. Berol. de An. 1652. die 7. Nov. *Reſolut. March. ult. n. 5.* verb: *Es kan auff die Obligation, ſo Beklagtens Mutter unterſchrieben, nicht geſehen werden, indem weder der* Curator litis *unterſchrieben, und dabey geweſen, noch Sie.* i. e. obligatio à matre rei ſubſcriptæ fides adhiberi non poteſt, cum neqve litis Curator adfuerit, nec ſubſcripſerit, nec ipſa &c. in extrajudicialibus negotiis aliud videtur, in qvibus nec de Jure Saxonico qvidem absqve Curatore rei hic valide agere tradit Struv.

14. *Jurispr. Rom. Germ. lib. 1. Tit. fin. th. 4.* Hactenus verò dicta locum habent, ſi filia ſit majorennis, qvod ſi minorennis ſit, & ſub patria poteſtate, inanem poteſt cedere ſeu conferre actionem. *§. h. Cap.* Struv. *ad Tit. ff. de Collat. n. 41.* & qvod de minorenne filia hic dicitur

dicitur, locum habet in culpa omisſionis; nec dicente Brunem. *ad Auth. qvod locum C. de Collat. n. fin.* ad juvenem patrias pecunias turpiter dilapidantem accommodare licet, qvi licet minor, ſcit tamen, & ſcire debet, ad qvem finem pater pecunias transmiſerit, ideoq; in dolo eſſe dicitur, nec ei parcendum. Cœterum 15.
filius uxoris ſuæ dotem conferre non tenetur, licet enim dos ſit in bonis mariti, qvamdiu conſtat matrimonium, mulieris tamen nihilominus manere intelligitur, ejusq; proprium adhuc eſſe patrimonium, qvod ſolutô matrimoniô ad eam revertatur. *L. 75. ff. de jure dot. L. §. 5. ff. de minor.* Imò licet maritus morte mulieris 16.
dotem ſit lucratus, præcipuam tamen eam nihilominus propter onera matrimonii, qvæ ſuſtinuit, habere debet. *L. 1. §. 20. L. 3. §. 4. ff. de Collat.* Vinn. *Tr. de Collat. cap. 12. n. 8.* qvi *cap. 13. pr.* de reliqvis ſumptibus, qvos præter dotem & donationem propter nuptias liberorum cauſa parentes facere ſolent, qvatenus collationi ſubjaciant, ſufficienter agit. Ultimò vult Imperator hanc Conſtitut. 17.
in omnibus perſonis in qvibus collationis ratio habetur, locum habere, & ſic etiam in ſucceſſione Avi, & inde apparet, hodie generale illud ſuppoſitum verum eſſe, liberos ſuccedentes (qvocunqve etiam modô) parentibus, inter ſe conferre. Eqvidem 18.
jure prætorio liberi non conferebant in ſucceſſione materna, cum ibi nec ſui nec emancipati concurrerent, hoc verò mutavit Leo Imperator *L. 17. C. de Collat.* & etiam in matris & aviæ ſucceſſione collationem induxit, adeò, ut matris reſpectu, cui ſucceditur, bona ab eo profecta contra juris regulã vocentur profectitia, non obſtat qvo jure liberi veniant ad ſucceſſionem maternam, modò ſuccedant *d. l. 17.* vid. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succeſſ. ab Inteſtat. Diſſ. 11. Cap. 2. th. 4. 8.*

NOV. XCVIII.

Neq; Virum qvod ex dote eſt, neq; mulierem ex ſponſalitia largitate lucrum proprium habere.

CAPUT. I.

Ut proprietas dotis & donationis propter nuptias servetur filiis.

1. MAtrimoniô qvacunqve ratione solutô, si lucrum ex dote perceperit maritus, sive uxor ex donatione ante nuptiali, in eo tantum habebunt usumfructum proprietate liberis servanda, sive ad secunda vota transierint, sive non, hanc etiam cum Lex iis semel assignaverit, si ambo parentes mortui, hi non ad legitimos heredes sed potius liberi ad suos vel alios legitimos transmittunt.

2. *Add.* Lucra nuptialia etiam aliàs à qvibusdam appellantur ea, qvæ constante matrimonio conjuges communiter acqvisiverunt, de qvibus tractat P. Peckius *de Testam. Conjug.* hic verò sumuntur pro eis, qvæ ex dote vel donatione propter nuptias lucrifiunt, & liberis indistinctè qvoad proprietatem acqviri vult hic Imperator & supra *Nov. 22. cap. 24. & 26.* Hoc autem postea
3. nonnihil mutatum esse videtur per *Nov. 127. cap. 3.* dum parens à secundis nuptiis abstinens qvasi pro præmio viduitatis non solum habet usumfructum; sed qvoqve virilem portionem plenô jure proprietatis vulgò, *ein Kindes Theil* conseqvitur, vid. *Auth. Preterea C. unde vir. & ux.* Aliud in illis bonis, qvæ pleno jure
4. ad patrem, vel ex statuto, vel Testamento conjugis delata, hæc enim liberi capiunt æqvaliter. Nam statuta lucrum superstiti
5. deferentia, illud simpliciter & plenô jure deferunt, sine ulla consideratione, an superstes ad secunda vota se conferat, an non. Qvare bona semel perfectè marito qvæsita cum ejus patrimonio consolidantur. *L. 10. §. 2. ff. de V. & Pupill. subst.* Exemplum habet Excellent. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab Intest. Diss. 1. cap. 2. th. 8.*

CAP. II.

Ut repudiô vel bona gratiâ solutô matrimoniô, id qvod alterutri personæ cautum est filio suo conservet, & de alendis liberis à parentibus.

Qva-

§. 1. QVacunqve verò ratione ſolvatur matrimonium ſive transactione, ſive bonâ gratiâ, ſive propter delictum, nec parentes liberis exiſtentibus eos erubeſcant, dent tamen occaſionem ſpontaneam & transactionis, & per conſenſum factæ, ut maritus dignus inveniatur ob peccatum amisſione donationis propter nuptias aut mulier digna caſu dotis, nec vir dotem debet lucrari, nec mulier ante nuptialem donationem, ſed proprietatis lucrum mox ad communes veniat filios & eorum fiat, uſufructu ſolo apud parentes tranſigentes manente, ſic tamen, ut cogatur, qvi uſumfructum lucratur filios ex eo matrimonio & alere, & alia omnia eis miniſtrare ſecundum lucratæ ſubſtantiæ menſuram. 1. 2.

§. 2. Qvocunqve verô tituló etiam lucrum ad alterutrum conjugem pervenit, qvæ tamen hactenus dicta ſunt obſervanda, ita, ut qvæ de lucris & ſuccesſionibus antea in LL. ſtatuta, in ſuo permaneant vigore. Sic, ut ait Imperator, omni abſtinebunt vitio, ſic omni deſiderio irrationabili, ſic nec inviti, nec ſponte ſuis nocebunt filiis; ſed erunt temperati, maximè qvidem circa ſuam caſtitatem, deinde etiam circa matrimonii affectum, qvem competens eſt habere eos, qvi ſemel conjuncti ſunt alterutris. 3.

Addit. Confirmat anterius dicta Imperator & parentibus uſumfructum bonorum ad ſe à liberis Profectorum, his proprietatem asſignat, & relinqvit, ſive bonâ gratiâ ſive ob peccatum aliqvod fortè disſolutum ſit matrimonium, ſic tamen, ut pro ratione lucri ad parentem advenientis alimenta liberis ſubminiſtrentur. Ex hiſce ſatis deducitur patrem ſumptus ſtudiorum filio de ejus propriis bonis, in qvibus uſumfructum habet miſisſe, modô ſufficiant, aliàs cum non ſufficiant, & patri filium in ſtudiis degentem alere convenit, nec repetere poteſt, qvod in cauſam alimentorum impendit, *L. Nerennius 34. ff. de Negot. geſt.* idem & in matre, licet non in perſonam; ſed in res filii mater impenderit. *L. 11. ibi ſi recipiendi animo te feciſſe oſtenderis C. de Negot. geſt.* Bachov. 4. 5.

chov. ad Treutler. *Vol.1. Disp. 10. th.3. lit. B.* Surdus *de alim. fil. tit.*
6. *6. qv. 8. 94.* Qvæ hic de usufructu ad parentem pertinente traduntur, etiam locum habent, licet filius peregrè absit, vel ex artificio suo se alat, ita, ut nihil conferre teneatur, integrum enim nihilominus usumfructum retinet ex substantia filii ob effectum patriæ potestatis. Carpzov. *P. 2. constit. 10. def. 7.* Brunneman. *ad*
7. *L. 6. C. de bon. qvæ lib.* Idq; in matre locum habebit, præsupposito & ipsam potestatem in liberos habere, prout eandem & habere apud Würtenberg. & Norinbergenses, deducit Esbach. *in Not. & Addit. ad Carpzov. P. 3. const. 8. def. 16.* itidemqve contra Carpzov.
8. Richt. *P. 1. Dec. 18.* probat, de jure Saxonico nonminus matri ac patri usumfructum in bonis liberorum competere, idqve eo in foro per 40. annos ita fuisse observatum vid. Neuenhan. *Tr. de Jurib. & Privileg. Viduit. Sect. 20. lit. U. & Sect. 21. lit. E.* Berlich. *P. 2. Concl. 12. n. 14.* vid. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 2. Tit. 2. Artic. 8. per tot.*

NOV. XCIX.

De Reis promittendi.

1. DUo Correi sive alternâ fidejussione obligati ex æqvo conveniuntur, nisi adjectum, ut unus eorum in solidum teneatur, hoc tamen casu non unus statim in solidum conveniendus; sed si alter præsens & solvendo sit, habet beneficium divisionis, & pro sua tantum parte tenetur, secus si absens sit, & non solvendo, ubi in solidum alter tenetur, cessâ sibi â Creditore actione contra Correum; sed si pro parte non solvendo, eatenus, qvatenus non solvendo tenetur alter, Creditori non obstante pactô Correorum.

2. §. 1. Si ambo Correi præsentes â judice simul vocandi, & communiter examinandum negotium, & communiter inferenda sententia.

3. §. 2. Injungit Judici Competenti, aut Præsidi cogere per suum officium Correos interesse liti, & partem ejus fieri, ut nullum impedimentum Legi fiat, & servetur in futuris tantum, non præteritis negotiis. *Add.*

Add. Vox REI ſumitur 1. *generaliter* pro omni debitore & 4.
Creditore tam ex contractu, qvàm delicto *L. 6. ff. de V. S. l. 5. pr. verſ. conventionalis ff. de V. O.* pro Creditore capitur *L. 128. ff. eod. L. 27. ff. de pact. pr. I. de duob. Reis. L. 34. pr. ff. de Rec. L. 34. §. 8. ff. de Solut.* 2. *Specialiter* & freqventius pro debitore *L. 3. § 1. L. 6. §. 1. 8. L. 14. ff. de duob. reis.* 3. *Specialisſimè* pro convento in judicio, & ſic contra diſtingvitur *L. 41. §. 1. L. 125. ff. de R. I. L. 13. §. 3. C. de Judic. L. 23. 24. C. de probat. L. 42. §. 2. inf. C. de Procurator.* Ab hiſce 5.
Correis promittendi *ſpecialiter* ſic dictis & ſingulis, olim ſolidum, vel partes petere licuit, *L. 2. C. de duob. Reis* & per *Auth. Hoc ita C. eod. ex h. Nov.* deſumtam, ex qva integrum eſt Creditori in partes convenire Correos, & ſic decidere Actionem tenetur *h. N.* aut etiam locus eſt, licet executivè agatur ex Inſtrumento liqvido 6.
Brunnem. *ad L. Reos 11. ff. de duob. R.* qvia verò magna inter Correos & Confidejusſores affinitas, imò Confidejusſores inter ſe ſunt Correi eisdemqve definitio Correorum debendi competit, ideò verisſima Ddr. ſententia, conventô uno Confidejusſorum, reliqvorum omnium præſcriptionem eſſe interruptam per *L. fin. C. de duobus reis.* Hering. *de Fidejusſor. c. 20. §. 18. n. 15.* & ſic in Facultate ſæpius pronunciatum refert Brunnem. *c. locô n. 3.* Et licet Nov. 7.
hanc de talibus Correis eſſe conceptam, qvi alternativè ſeu via mutuâ pro aliis fidejusſerunt, exiſtiment Treutl. *Vol. 2. D. 27. th. 9. lit. e.* Zœſ. & Peretz. *C. ad h. tit. n. 6. 16.* verior tamen eſt contraria ſententia, nam aliàs nihil novi in hac Nov. conſtituisſet Imperator, qvod tamen ipſum feciſſe conſtat ex contextu, hancqve ſententiam defendunt. Bachov. *ad Treutl. d. l.* Mynſ. *ad §. 1. I. de duob. reis.* Vinn. *ad §. 1. I. eod.* Gœdd. *de Contrab. & comm. ſtipulat. c. 9. n. 127.* eamqve in foro eſſe receptam teſtantur Hahn. *ad Weſenb. de duob. reis N. V.* & Carpzov. *lib. 6. Reſp. 64. n. 18.* ubi tradit, licet omnes conjunctim Correi conveniantur, diviſionis tamen beneficium etiam in executione ipſis competere ait *d. l.* atqvi hoc novum eſt, qvod per h. N. introduxit Imperator, nam qvoad modũ conſtituendi correos nihil mutavit; ſed ſaltem qvoad modum exigendi, dum dictum diviſionis beneficium indulſit.

NOV. C.

De Tempore non solutæ pecuniæ super dote.

CAP. I.

De Dote non numerata.

1. I. SI qvis duobus solummodo annis habeat uxorem, aut minus hisce duobus, nec accipiat dotem, ex taciturnitate sua Vir non lædatur, nec heredes Viri, licet hic tacuerit; sed intra annum alium qverela moveatur, nam brevitas matrimonii ad hanc Legislationem movit.

2. II. Si majus bienniô tempus, minus autem decenniô matrimonium protendatur, potest maritus qveri, & dicere non illatam sibi dotem, aut in partem, aut in solidum, qvod si fecerit, transmittit qverelam, si semel qvestus Maritus, nec Mulier probavit, qvod dederit eam.

3. III. Si neqve intra decennium qveratur, taciturnitate ejus, auffertur qverela, nec post decennium agere potest, nec annum ejus heredes ulterius habent.

Ratio. Ubi enim licet in prolixo sic tempore proponere qverelam, si tacere elegerit, palam est voluisse, vel si non accepit dotem, aut per se, aut suos heredes reddere, si solvi matrimonium contingat.

4. *Ampl.* Sive mulier dotem offerens conscribat, sive Pater, sive alter qvispiam pro ea.

5. *Declar.* Ut maritus qverelam non sermone tantum; sed in scriptis interponat, & si in judicio hoc qvis forte facere voluerit, vel uxor, vel ille, qvi dotem promittit, hac de recertiorari debet.

6. *Addit.* Effectus Exceptionis numeratæ dotis intra jam dicta tempora oppositæ est, ut numeratio probanda sit ab ipsa uxore, vel ejus herede petente restitutionem ipsius dotis, non etiam

etiam à marito excipiente. Zanger. *de Except. P. 3. cap. 14. num. 20.* ubi ex Dd. probat; Tempus datum ad opponendam exceptio- 7.
nem non numeratæ dotis marito etiam competere ejus Creditoribus, & proinde si hoc tempus elapsum sit, Creditores æqvè excludendos esse, uti maritus ejusqve heredes excluduntur, maximè si Creditores ipsi, id qvod sibi deberi dicunt, non aliter, qvàm per cautionem mariti Confessionem ejus continentem, probent. v. Peretz. *C. Tit. de Dot. caut. non num.* nam ob prohibi- 8.
tam inter Conjuges donationem Confessio in lucrum alterius tendens semper suspecta & simulata seu fraudulenta præsumitur Bartol. *ad Auth. sed jam necesse C. de donat. propt. n. arg. l. 27. ff. de probat. l. 37. §. pen. ff. de leg. 3.* Qvod si maritus juratò confessus sit, dotem se recepisse, licet Gail. *lib. 2. obs. 81.* hoc Creditoribus nocere asserat, rectius tamen ab hac sententia alii recedunt 1. ob falsitatis suspicionem, qvæ juramento non purgatur. 2. Qvod 9.
juramenti Virtus & Effectus tertio præjudicare neqveat *c. 14.* & ibi Panormitano ex qvibus illi colligunt inter non junctas & dilectas personas fraudem facilem. *n. 3. X. de Jurejur.* Uxor tamen 10.
ad probationem dotis cum juramento admittitur, modò testem unicum fide dignum pro certa pecunia dotis loco marito illata producere possit, proferat pacta dotalia à propinqvis & aliis subscripta & subsignata, & postea ex intervallo sit subsecuta Confessio Mariti de dote recepta, sicqve à JCtis Lipsiens. & Witteberg. refert responsum Finckelth. *obs. 22.* Ut enim qvilibet præ- 11.
sumitur bonus, ita & mulier præsertim jurans Deum timere præsumitur *L. 6. §. fin. C. ad L. Jul. repet.* Pacian. *de probat. lib. 1. c. 53.* Accedunt adminicula & præsumtiones juramentum adjuvantes, prout est vel testis omni exceptione major, vel pacta dotalia, vel adminicula alia, qvæ omnia mulieri succurrunt, & judicis arbitrio relinqvantur. vid. pluribus Finckelth. *d. l. n. 31. & seqq.* Probatur 12.
verò numeratio dotis ex confessione Mariti, accedente saltem unius testis fide digni depositione. Carpzov. *P. 29. def. 80.* item per testimonium fratrum Id. *def. 81.* licet tamen tunc semiplene saltem probari, ut inde mulier ad juramentum suppler. sit admittenda, notet Esbach. *d. l.* Parentes verò uxoris testes non admittuntur. Carpzov. *lib. 4. Resp. 24.* Ex eo verò solo Mariti bonis præ- 13.
sumitur

ſumitur illata, qvod Marito & uxori ſimul annumerata probetur, vel per teſtes vel per Inſtrumentum apochæ ab utroqve Conjuge ſubſcriptum. Idem Carpzov. *d. l defin. 82.* qvam præſumptionem ita militare pro muliere *arg. l. 5. ff de probat.* dicit Richt. *de Privil. Credit. c. 3. ſect. 1. n. 42. ſeqq.* ut nullâ probatione, neqve juramento ſuppletoriô gravari debeat. Hoc ſanè verum eſt, firmiorem eſſe mariti confesſionem ſi fateatur ab extraneo ſe dotem accepisſe, qvàm ab Uxore. Carpzov. *P. 1. c. 28. def. 79.*
14. Qvandoqvidem igitur Confesſio de dote recepta regulariter in fraudem Creditorum facta præſumitur ideoqve ſuſpecta & ſimulata eſt, hinc doti confesſatæ nec realiter numeratæ dotis privilegium non competere verum omnino eſt, Mynſ. *c. 1. obſ. 61.* Carpz. *Tr. de Jure fœmin. ſingul dec. 5. poſ. 6. per tot.* Rauchb. *P. 2. qv. ult. n. 6.* Philipp. Zorer *in rechtmäßigem Bedencken über etliche nothwendige Fragen von Bezahlung der Schulden. qv. 3. n. 247.* indubiè
15. verò Mulier prioritatem obtinet, ſi nec reliqvi Creditores fortiore probatione ac documento, qvàm ſola mariti confesſione numerationem probare qveant, ſic enim meritò favorabilior cauſa
16. dotis. vid. Carpzov. *lib. 4. Reſp. 23.* Fabric. *ad Mynſ. c. 1. obſ. 61.* Debet vero omninò ut hic vult Imperator exceptio N. N. Dotis innoteſcere Adverſario intra tempus conſtitutum, & qvidem ſcriptô ad eum transmiſsô, & ſic ſolenniter, & teſtato fieri qverimonia, ut alter diligentius deliberare posſit, qvid ſibi faciendum. Si
17. autem adverſarius abeſt, vel propter potentiam ei denunciari neqviit, denuncietur judici Ordinario, vel ſi talis deſit Epiſcopo. Brunneman. *ad L. 14. C. & auth. hanc autem querelam C. de N. N. pec.* ex qvæ pars h. N. eſt deſumta.

CAP. II.

Confirmatio dictorum, & de minorenne marito.

1. Confirmat ſancita in priore C. & addit, intra decennium ſoluto matrimoniô qvocunqve modô qverelam marito ejusqve heredibus intra menſes tres dari debere, poſt decennium planè non, niſi maritus ſit mino-

minorennis, cui â tempore nuptiarum XII. anni conceduntur, intra qvos si moriatur, heredi ejus promovenda qverela adhuc datur annus.

§. 1. Si hæres mariti sit minor, indistinctè ipsi qvin- 2.
qvennium ad movendam qverelam datur, non exspectatô exitu minoris ætatis, quod postmodum declarat Exemplo, & hanc Legem ad futuras tantum Nuptias extendit, & insimul disponit, qvid de nuptiis ante hanc Nov. contractis sit statuendum. Conf. ex hac Novella desumta *Autb. Si minor. C. de Tempor. in Integr. Restitut.*

Addit. Minori marito ad Contestandam exceptionem hanc 3.
dantur 12. anni & ejus intra 12. annum mortui hæredi annus unicus *h. N. & Autb. Si minor. C. de tempor. in int. restitut.* & minoribus amplius spacium datur propterea, qvia cum minores graventur in uno, præscriptio hæc favore dotis ipso jure currit contra minorem contra regulam in *L. ult. C. in qvib. causis restit. in int.* ideò æqvum fuit, ut in alio relevarentur, & præscripto amplius spacium bienniô duraret, prout ex Sfortia Oddo *de Restitut. in int. qv.*
19. Art. 3. docet Brunnem. *add. Autb. Si minor. C.* Interea verò ob 4.
renunciationem Mariti ejus hæres sive minorennis, sive majorennis non removetur, qvod eadem facilitate, & sub spe futuræ numerationis censeatur facta, non secus ac ipsa Confessio, sive
ante sive post matrimonium. Nec hæredi in repetenda dote 5.
præjudicare debet, eam â marito defuncto prorsus esse remissam, cum sic esset donatio, & inter maritum & uxorem prohibita, animusqve donandi minimè posset præsumi *L. 25. ff. de probat.* cum non admittatur donatio ubi in dubio alia sumi potest conjectu-
ra *L. si cum aurum 50. ff. de solution.* Qvod si de animo donandi con- 6.
stiterit, & in eo perseveraverit maritus usqve ad mortem, operabitur qvidem exclusionem exceptionis in præjudicium heredum, qvi non infringent pactum defuncti *L. 2. C. de dot. c. non num.* si appareat, remisisse obligationem dotis donandi causa, atq; in ea
voluntate decessisse. *L. 3. C. eod.* Creditoribus verò ista donatio 7.
non præjudicat, qvibus uti non expressô, sic nec tacitô pacto per lapsum temporis præjudicare potest; Illis enim non est qvod

imputetur, si non litigent super jure, qvod debitori suo competit
8. Peretz. *C. de dote causa non num. in f.* qvare & exceptionem non solutæ dotis objicere posse post elapsa tempora intra qvæ à marito opponi potuit & debuit, tradit Carpzov. *P. C. 28. def. 74.* Conf. Brunnem. *ad Auth. Qvod locum C. de dot. c. non numer.* qvæ ex hac Novella desumta. Diss. Gail. *de Credito c. 4. qvæst. 11. n. 1757.*

NOV. CI.

De Donationibus à Curialibus factis.

CAPUT I.

De Testamento Curialis.

1. Curialis potest Testamento suo qvemcunq; vult heredem instituere sive Curialis sit ejusdem civitatis, sive alius ex suo genere, sive extraneus, sive ex dodrante, sive ex asse, sic tamen, ut se dent Curiæ, & ejus functiones inculpabiliter expleant, idqve valet circa ipsos
2. filios & nepotes, & residuos successores non secus ac si ab initio fuissent constituti Curiales, nam & hi cum parentibus curiæ debent esse uniti, & animo, & corpore, nec qvicqvam differt, aut eum qvi curialis est ejusdem civitatis scribere heredem, aut eum qvi mox erit.

3. *Add.* Singulare hic est qvod à Curiale institutus hæres, si hereditatem acqvirere volebat, Curiæ ejusqve functionibus se subjicere fuerit obligatus, non qvoad se ipsum saltem; sed & qvos in potestate habebat, atq; hic modus erat subditos ad Curiæ onus adigere per obliqvum & per lucrum, qvi aliàs eas ob onera connexa subterfugiebant. Conf. supra *Nov. 38.* & liberi simul
4. hic adscribebantur Curiæ, & licet ambitiosum & odiosum videatur honores & munera ab una familia & dono perpetuò geri, & vetitum per *L. 1. C. de Muner. & honoribus non continuandis inter pat.* qvia una eademqve censentur persona *§. 4. Inst. de in ut. stipulat.* aliud tamen esse videtur in munere onus adnexum habente, sic & in-

& infantes ſeptenniô minores inordinem decurionum adſcribi fuiſſe ſolitos ex indulgentia Principis ob egregiam indolem vel ſtirpem notant Doctores *ad d. l. 1. C. de muner.* & qvia filiifamilias civilia munera & honores ſuſcipere posſint, non eſt dubitan- 5.
dum, qvin pater conſentiendo, ut filius familias decurio creetur, univerſis muneribus, qvæ decurioni filio injunguntur, obſtrictus ſit Reipubl. qvaſi fidejusſor pro filio. Conſenſisſe autem 6.
pater decurionatui filii videtur, ſive jam præſenti, ſive futuro, ſi hæreditatem delatam acqviſiverit, ut hic, vel ſi præſens nominationi non contradixerit, *L. 2. ff. ad municipal.* Proinde qvicqvid in Reipubl. adminiſtratione filius gesſerit, Pater, ut fidejusſor 7.
præſtabit, qvoniam Rempubl. ſalvam fore videtur promittere, qvi conſentit, ut filius decurio creetur, *L. 1. §. fin. ff. de Magiſtrat. conven.* videtur enim qvaſi ipſe pater electus & obſtrictus cum una eademq; perſona ratione poteſtatis cum filio eſte cenſeatur *d. §. 4. Inſt. L. fin. C. de impub L. 1. & 5. L. 7. §. ult. ff. & L. de Decur.* In caſu tamen qvo minores vel infantes, ut antea dictum Decuriones fiunt, ſuffragia tamen non ferunt, *L. 6. §. 1. & L. 11. ff. de Decurion.* incumbit enim Curialibus, ut Reipubl. Conſilia ſugge- 8.
rant, *arg. L. 41. C. de Decur.* ejusqve nomine in judicio pro utilitate publica experiantur *L. 30. C. eod.* ut mandata Præſidum exeqvantur, *L. 47. C. eod.* qvibus obeundis vel expediendis ipſorum ætas parum eſt idonea. Qvid *ſi Pater á Curiali heres inſtitutus inter libe-* 9.
ros etiam ſpurios habeat, an & hi ſimul Curiæ adſcripti cenſendi ſint? Qvod affirmat Brunneman. *ad L. 6. ff. de Decur.* cum non ſit impedienda dignitas ejus, qvi nihil admiſit, imò eo ipſo, qvod pater obtulit curiæ, & etiam asſumptus legitimatus eſſe videtur, vid. ſupra *ad Nov. 89.*

CAP. II.

De Succesſione ab inteſtato Curialis.

I. SI ab inteſtato curialis mortuus, conſangvineus, vel 1.
alius conditionis liberæ ipſi ſuccedere poteſt, ſi curiæ dare ſe velit, qvam ſuam voluntatem intra menſes

eorum Collegium jus ſuccedendi in bona vacantia habuerit, etiam ante Fiſcum, nam ſi ex Curialibus aliqvis decesſerit, non Fiſcus; ſed Ordo, ſive curia ei ſuccesſit. *L. 4. C. de Heredit. Decur.* Excell. Dn. Stryk. *de Succesſ. ab inteſt. Diſſ. 5. cap. 1. th. 32.* qvem in finem igitur aliàs ejusmodi pecunia impenſa, cum nec ad alios uſus eandem Imperatorem collocasſe legatur, nec contraria præſumtio de eo, ut Clementisſimo, ut benignisſimo Imperatore, capi poſſet.

CAPUT. III.

Qvando Donatio â Curiale facta rata ſit.

I. SCilicet non prius, qvam traditio facta apud acta, & donatarii nomen albo Curialium fuerit inſcriptum; qvod ſi donatarius non ſe ſociet curiæ, donatio ſubſiſtit ad 9. uncias, in qvibus curia omninò vocanda. 1.

§. 1. Qvod ſi ex teſtamento, qvi non eſt curialis ad ſuc- 2.
ceſſionem curialis perveniat, mox â morte curialis concurrat curia, & una cum defenſore civitatis, & ſine læſione rerum defuncti deſcriptionem rerum faciat, & ſignaculum ipſis imponat, dum actio geſtorum facta fuerit apud Provinciæ judicem, & data fuerit curiæ cum ſubſtantia & prole qvæ eſt, & fuerit, & tunc poteſt res percipere, & eſſe dominus, ſecundum qvod prior ille curialis fuit.

II. Si qvis ab inteſtato vocatur heres curialis, nolu- 3.
erit adire hereditatem, & ſe dare curiæ hæc qvidem 9. teneat uncias, & ipſe tantummodo trium unciarum Dominus efficitur, ſi plures ejusdem gradus ad curialis hereditatem vocati, & qvidam ſe dederint, qvidam recuſaverint, qvi ſe dederunt, 9. uncias accipiant, tres verò reſiduas accipiant legitimi heredes.

CAP. IV.

De Filiabus Curialium.

1. I. SI qvis mortuus fuerit superstite filia, nupta ejusdem civitatis curiali, dubium non est, qvin paternas res habeat, vel in integro, aut 9. uncias, si forte ad alium qvendam tres pervenire uncias voluerit; sed & si Curiali ab initio tali non existenti nupserit, volet tamen Curialis esse, & Curiæ se dare, ut stabiles sint nuptiæ etiam sic habebit 9. uncias, occasione bonæ circa Curiam voluntatis.

2. II. Cum plures fuerint filiæ, & qvædam ex his nuptæ fuerint Curialibus, 9. unciæ qvidem inter eas sunt dividendæ, ad residuas autem tres qvidem venient unciæ, qvi verò uxores eas acceperint, rebus ipsis possunt uti ad Curiales, sint licet in dominio uxoris, propter eas enim det res Patris, ut exinde Conjuges earum Curiæ functiones impleant.

3. III. Cum contigerit mori eam, qvæ nupta fuit illi, qvi se Curiæ tradidit, siqvidem masculos filios de eo habuerit, apud filios erunt res, & ipsi erunt in Curia.

4. §. 1. IV. Si fœminæ natæ, illæqve qvibusdam nuptæ fuerint, aut Curialibus ejusdem civitatis, vel si se ipsis dederint Curiæ ejusdem civitatis, & ipsæ eas res habebunt citra ullam molestiam, & per proprios Viros subjectæ
5. sint Curiæ functionibus. Curialibus verò si non fuerint nuptæ, vel sunt aut fuerint, nuptæ Curialibus 9. uncias habebunt, propter qvas functiones Curiæ compleantur, residuis autem tres sufficient unciæ &c. vid. *Textus ipse satis clarus & perspicuus.*

NOV. CII.

De Moderatore Arabiæ.

PRÆFATIO.

1. EX qvo Imperator alios Provinciarum Magistratus jam ad meliorem formam traduxit, in ampliorem Ordinem

dinem constituit, & per omnia valentiores fecit, invenitq; Pro-Consulum & Prætorum, & Moderatorum, & cœterum horum nominum amplitudinem, auctus annonis & summa data potestate, ante omnia tamen interdicto facto, ne perniciem inferant subditis, & multis ad ipsos diripiendos utantur manibus, qvod juramentis omnium horrendissimis munivit, codicillis desuper datis, hac ipsa Constitutione jam ad Arabum regionem conver- 2.
tit oculos, reqvirit causam, qvamobrem & publicum laboret inopia, & qvanqvam regio florentissima sit, tam magnus tamen numerus interpellantium Imperatorem iis locis excedat, & omnes lamententur, alii furta & rapinas, alii injurias, alii de aliis damnis qverentes, occasionem & causam hujus mali ex imbecillitate & impotentia eorum, qvi Magistratum ibi gerunt, provenire deprehendit. Erat enim ita tenui potestate præditus is, qvi civili 3.
defungebatur Magistratu, ut ei qvi præesset armis, servili propemodum more manciparetur, & in illius arbitrio hujus esset salus posita, aut ut ne omnino qvidem esset hic Magistratus, adeoqve propter hæc adseqventem Constitutionem sanciendam commotus Imperator.

CAP. I.

Melior conditio Præfecti Arabiæ ejusqve Officium.

PUlchrior ipsius sit forma, nam benignè ipsi Mode- 1.
ratoris appellationem largitur, & spectabilium Magistratuum jus concedit & in nullo sit Duciano inferior. Injungit porrò, ut & publicis exactionibus summa cum vehementia adhærescat, simul & privatorum utilitati, nec committat, ut vel spectabilis Dux vel tribunus, vel aliqva potentiorum domuum, vel etiam sacrum patrimonium, qvalecunqve subditis damnum irroget, neqve

facile succumbat, neqve formidinem contrahat; sed viriliter subditis præeat, & ante omnia DEO pariter ac Im-
2. peratori puras conservet manus. Deniqve mandata Imperialia semper adhibeat in colloqvium, & jussiones custodiat, qvas si secutus fuerit, non est causa, qvamobrem non omnia illi præclarè & ex animi sententia occurrant, & Legum beneficio ad summam ipse in rebus gerendis facilitatem, & justam perveniat facultatem.

3. *Add.* Meritò Princeps S. in Magistratum jam præpositum, & præponendum flectit oculos, qvalis sese habeat, si malus enim, lucri cupidus, & deses publicæq; Salutis pravus Custos præpositus, omnis in eum culpa qvi constituit, rejicitur, nam qualis Princeps, talis Magistratus, & qvalis Dominus tales ferè sunt semper
4. ejus servi licet nonnunqvam Princeps veniam mereatur, si Consiliarii sanctiores eum præficiant Civitati, qvi vix meretur in Abecedariorum numerum referri, & ad artem Imperandi, qvam omnium difficillimam esse, & nemo prudens se unquam eam ex professo addidicisse dixit, æqve aptus & idoneus sit, qvàm asinus ad lyram, saltem eô fine præficiat, ut devotum habeat Clientem, qui
5. omnia ad se tanqvam Patronum summum, & Caput referat, sicqve in fastigio dignitatis conservetur &c. Ita Heliogabalus eo vecordiæ est provectus, ut omnes scenicos, artifices & theatricos ad maximas Imperii dignitates promoveret, alium item à scena juventuti, alium Senatui, alium etiam Eqvestri ordini præposuit, aurigas etiam & Comœdis, mimorumq; histrionibus maxima Imperii munia demandabat, servisq; suis aut libertis, ut qvisq; turpitudine reliqvos anteibat, Procurationes tradebat Provinciarum.
6. Hos inter præcipuos refert Ælius Lamprid. *Heliogab.* §. *4. & 9.* Eutichianum Hominem libertinum, & Aurelium Zoticum turpissima libidinum mancipia, itidem Ludovicus XI. Rex aliàs gloriosissimus qvendam Oliverium Damam dictum Barbitonsorem non tantum Eqvitem creabat: sed & in Consiliarium status intimum creabat, eique secretiora committebat; sed post obitum Regis furcâ publica suspensus ignominiose mortuus v. Lans. *Orat. pro Hispan. p. m. 246.* Conf. Valer. Max. *lib. 9. c. 9. n. 3.* cœterum qvid hoc aliud est qvàm Vitrum auro includere, cum pretiosorum adaman-

tum

tum copia adſit Conf. *Proverb. 26. v. 8.* Sane qvin ejusmodi Magiſtratibus rerum ſummæ præfectis omnes lamententur, alii de furtis & rapinis, alii de aliis qverantur damnis, nemo non videt, â præficiente verò vel Cauſa Præfectionis Deus repetiturus eſt rationes villicationis & gubernationis eorum cum judicio inevitabili, in *qvo potentes, potenter tormenta patientur.* E contra Ner- 7.
va Imperator in eo ſtudium, quod gerebat in Rempubl. oſtendit, ut eſt apud Dionem Casſium, quod licet Cognatos & propinqvos plurimos haberet, publicæ tamen utilitati atqve ſaluti ſocietatem ſangvinis poſtpoſuit, & experientia ſatis docuit, in utroq; Principatu, & Eccleſiaſtico & ſeculari ex favore & ſine merito adeptos poteſtates in populum, tyrannicè eas exercuisſe, conniventib9 in cladem Reipub. ut adeò rectè Plutarchus inter apophtegmata retulerit, Theopompum interrogatum, quô pactô quis posſit tutò regnum tueri, ſapienter reſpondiſſe, *Si pro viribus advigilet, ne ſubditi afficiantur injuriâ.* Confer. Ziegler. *Dicaſter. Concluſ. 3. §. 6.*
Qvod ne fieret Arabiam inhabitantibus digniorem, qvam ha- 8.
ctenus habuerunt, conſtituit Magiſtratum, qvi ſub titulo Moderatoris ipſi præesſet, (qvod nomen ſpecialiter Imperator tribuit Præſidibus Provinciarum Helenoponti & Arabiæ *Nov. 26. & h. Nov. 102.* ut & Rectoribus Provinciarum in *L. Moderatores 11. C. de Offic. Rector. Provinc.* & alias alicujus operis Rector & Caput eo nomine deſignatur, prout Cicero *in Oratore* dixit: *Rector & Moderator, & tanqvam Architectus tanti operis*) & in Ordinem Spectabilium promotus, nam qvatuor olim Ordines dignitatum e- 9.
rant, *Maximi* ut SUPER ILLUSTRES, cujusmodi erant Præfectus Prætorio, Præfectus Urbi, Magiſter Militum, idem Qvæſtor, tum etiam Patricii, Conſules, & Conſulares. Matth. Steph. *ad Nov. 105. §. 14.* *Magni*, ut ILLUSTRES, erant Comites Sacrarum largitionum, rerum privatarum, item Sacri patrimonii. *L. 2. C. ut dignit. ordo.* *Medii* ut SPECTABILES, *Minimæ* ut CLARISSIMI, 10.
ita ſpecialiter vocati erant Provinciarum Præſides; Conſulares. *Nov. 23. Cap. 4. L. un. C. de Offic. Comit. Orient.* ut obſervat Accurſ. *Gl. Proœm. Inſtit.* Ducianis tamen ejusmodi Moderator Arabiæ inferior non fuit. (Erant autem *Duciani* Ducum Officiales ſeu milites. Barnab. Briſſon. *de V. S.*) Ulterius ut vigilantior in offi-

 cio

cio esset, Moderatoris adauget Salarium, qvò & sic donis intrandi occasio penitus præcidatur *Gloss. in L. 1. C. de Assessor.* Qvod summo jure facit Princeps crescente labore, & superveniente rerum caritate & penuriâ, & profectò debet Princeps considerare, paria esse non habere salarium, vel habere minus sufficiens & incongruum, qvare judex excusandus, qvando ab initio cogitare non potuit Salarii tenuitatem, ut si tempore acceptationis officii res viliori pretio vendebantur, qvam deinde cursu temporis factum est. Menoch. *de A. I. qv. lib. 2. Cent. 6. cap. 514.* ubi *num. 12.* statuit, si Princeps augere negligat Salarium, Magistratum ita
11. sibi ipsi augere posse, ut justum & congruum sit. Aliud verò, qvando tempore impetrati susceptiq; officii Magistratus sciebat, tenuè adeò esse Salarium, ut eo vivere non posset, & facile poterat prospicere, fieri posse omnia cariora, majorisqve pretii, qvo sanè casu tradit idem Menoch. *d. l. n. 16.* non tenetur Princeps, nisi honestate qvadam augere ipsum Salarium, & multò minus potest Magistratus ipse suâ auctoritate hoc sibi augmentum constituere, qvia ita conventum est pactô, qvod tanqvam Lex debet servari. *L. 21. §. si convenit ff. de Pos. L. Contractus ff. de*
12. *R. I.* Optimum verò & laude dignum est, si Reges & Principes vel per se ipsos aut oppida Regia competentia assignent Salaria, nec hoc solvendi onus, rejiciant in subditos, præsumitur enim sic violentia & oppressio, nisi Domini à tempore immemoriali probent, docere atq; Populares solvisse Salaria ista, qvia per lapsum tanti temporis justè debita & soluta præsumuntur, & purgata censetur, si qvæ ab initio fuerit violentia. Peretz. *Cod. L. 10. de præbendo Salario n. 6.* Conf. Lather. *de Censu L. 1. cap. 16. n. 14. 15.*
13. *seqq.* Et summæ datur laudi Optimo Imperatori Alexandro Severo, qvod cum judices promoveret, eos argentô, aliisve rebus necessariis instruxerit, ne Provincialibus molesti, vel aliqvid ex judiciis expectarent, qvo vel ad condemnandum aliqvem injustè, vel ad absolvendum excitarentur, referente ex Lampridio *in Alexandro Severo.* Myler. ab Ehrenb. *in Hyparcholog. cap. 13. §. 4.*
14. Nec tamen ea propter qvod digna & competentia Magistratibus & Judicibus deprehendantur assignata Salaria ipsi malis artibus vel per emtionem, favorem, ambitionem aut gratiam ad officium

ficium hoc aſpirabunt, qvia enim judices inter cives conſtituti, non hominis exercent judicium; ſed DEI *1. παραλ. 19. v. 7.* & ipſa prima officii ſuſceptio vacua eſſe debet ab omni iniqvitate & commercio ementis & vendentis.

CAP. II.

De Officio Moderatoris, ejusq; & Aſſesſoris Salario.

I. STudio ſit illi tributorum exactio, devotis qvidem humano paternoqve ſe affectu exhibens, indevotis verò vehementem & ſeverum. 2. Curam gerat Reipubl. & ut recte in ea atqve omnia ordine fiant, neve tumultibus & ſeditionibus dediti ſint ulli, nec qvæ à vetuſtate permisſa ſunt ad delectationem, ea convertant in furorem & cædes. 3. Habebit dicto ſuo audientes milites neqve ullam omninò rem negligat, qvæ commoditatem in ſe aliqvam habeat. 4. Cum alia multa, tum etiam ea, qvæ appellationes concernunt, adminiſtrabit. 1.

II. Pro Solatio percipiat 15. auri libras, Aſſesſor verò ejus Magiſtratus duas libras, & cohors ejus 9. auri libras habeat. Et qvanqvam ut tertiò dictum jam, militibus præeſt, in illos tamen ſtativa ibi agentes militares numeros ſubdi qvis debet, qvi in illos Magiſtratum gerat, cui ſoli obediant, ejusqve formulis ac præſcriptis cedant, & obtemperent. Igitur ſpectabilis Dux neqve cum militibus expreſſè ipſi asſignatis, neqve cum pagano aliqvo, neqve cum illorum litibus, ſi qvas inter ſe habent, nec ſi paganorum qvis in præjudicium producatur, aliqvam habebit communionem. Nullum deniqve cum paganicis cauſis commercium, qvoniam magnum in medio intervallum eſt, inter civilem & militarem adminiſtrationem, ita, ut ſi Dux rebus ſe civilibus immittere auſit, neq; militaria retineat; ſed & illis ſpoliatis privatum agat, & hujus Magiſtratus Imperio ſubſit. 2. 3. 4.

Addit.

5. *Addit.* Boni Magiſtratus Officium hic deſcribit Imperator, qvi ſicut in liberos obedientes pater pronus & benignus eſt, ita hic in ſubjectos officium facientes eſſe debet, qvo mutuus amor incenderetur, in majorem ipſius Magiſtratus honorem & autoritatem, & in majus Reip. incrementum, juxta iſtud Claudiani:

Tu Civem patremq; geras, tu Conſule cunctis.

6. Tributa ante omnia Moderatorem ſibi commendata habere vult Imperator, habent qvippe ea ſpeciem & *Necesſitatis*, & *Gratitudinis*. *Necesſitatis* dum exiguntur, *Gratitudinis*, dum eorum bono impenduntur, qvi contulerunt, de qvibus pasſim abundè tra-
7. ctant Politici. Ulterius cum diſtincti ſint Ordines & Status in Civili Societate, ſcilicet, Eccleſiaſticus, Secularis, & Subditorum *der Geiſtlichen, der Herrſchafften, und der gemeinen Leute und Unterthanen*, veluti habet Glosſa *das Sächſiſche LandR. lib. 3. artic. 79. der Prieſter, Ritter, und Bauren*, Sacerdotum, Eqvitum & Ruſticorum, qvibus ſingulis ſua qvoqve diſtincta munia & exercitia ſunt asſignata, juxta iſtud vulgatum:

Tu ſupplex ora, Tu protege, Tuq; labora.

8. Ita & hic Imperator inter civilem & militarem Adminiſtrationem intervallum eſſe jubet, ne Dux rebus ſe civilibus immiſceat; ſed militaria retineat, habent enim hoc privilegium à Principe ſibi concesſum armatæ militiæ milites, ne cogantur reſpondere judicio civili, aut criminali conventi coram alio judice, qvam Magi-
9. ſtro militum. *L. 6. C. de Jurisd. omn. Judic. L. 1. C. de Exhib. reis.* Qvi habet poteſtatem cognoſcendi cauſas militum reorum, nec ſaltem militares; ſed etiam Civiles, qvia hoc Conſvetudo introduxit, & nemo eos communibus coërcere poteſt pœnis. Brunnem. *ad L. 2. ff. de Re milit.* Et hodiè milites actu militantes à Ducibus ſuis puniri etiam ob delicta communia & enormia, idem tradit Brunneman. *L. Magiſteriæ 6. C. de jurisd. omn. judic.*

NOV. CIII.

De Pro-Conſule Palæſtinæ.

PRÆFATIO.

1. CUm jam Imperator alios gentium Præſidatus majores reddiderit, prius humiles pariter, & ad aliqvid fortiter

ter agendum impotentes, ſemperqve præclaro aliqvo adinveniendo, novum veluti florem ſuæ addiderit Reipublicæ, venit etiam ipſi in mentem metropolis Cæſarea, qvæ in prima Palæſtina Principatum tenet, qvam præ cœteris majore qvoqve honore perfrui oportebat, propterea, qvod & qvondam Pro-Conſul ipſam tenuerit, & 2.
magnæ admirandæqve regionis imperium habeat ea provincia & qvam maximam Reipubl. gratiam & cenſum exhibeat tam tributorum magnitudine, qvàm devotionis exuperantia, præbeat ampli nominis Civitates, ac bonos Cives enutriat, & omni doctrinarum genere refertos, neqve non inter Sacerdotes celebres, & (qvod omnium 3.
maximum eſt,) *qvia Univerſi Conditor Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, Verbum illud Dei, & totius generis humani Salus in ea comparuerit, dignatusqve ſit aſſumere noſtra.*

Addit Optimo inſtitutô unam poſt aliam Provinciam in ma- 4.
jus provehit Princeps, novumq; ipſi florem addit, egregiis hunc in finem conceſſis privilegiis & immunitatibus, qvibus tum ab oneribus conſvetis ad tempus debent eſſe immunes, tum qvod permittatur varii generis homines & advenas admittere, & in civium numerum cooptare, tum qvod civitatem de ſuo nomine appellet, & ad habitandum ibi convenientibus peculiaria jura concedat. Ita Alexander M. Civitate ſui nominis Alexandria con- 5.
dita ſingularia privilegia eaqve Magna conceſſit his, qvi eò convenirent ad habitandum, unde brevi tempore, undiqve confluentibus hominibus ea in ſplendidiſſimam evaſit civitatem, teſte Joſepho *L. 2. de Bello jud.* Imò & meretur civitas privilegia, cum 6.
ob memoriam Rectorum, qvi ſumma cum laude ipſi præfuerunt olim & ærarium locupletarunt, tum ob Cives obedientes & fortes, qvi in omnibus Principem belligerantem ſecuti & fideliter territorium ejus ampliare qvæſiverunt, ſicut enim DEUM T.O.M. peculiariter uni Civitati & Provinciæ ſaltem ob unicum bonum virum & pium benedixiſſe in Sacris legimus, nec qvam diu is præfuit, gratiam illi ſubtraxiſſe, ita hunc Principem ut Vicarium 7.
Dei in terris imitari convenit, nec porrò illorum memoria qvi Sa-

cram olim purpuram fideliter adorarunt, obliterata esse debet apud Principem, idem enim Populus dicitur, qvi erat ante 100. annos retrò, licet omnes mortui sint, qvi tunc erant. *L. præponebatur*
8. *76. de judic.* Ex hisce & similibus rationibus aliis hic allegatis & Palæstinæ benè vult, maximè, qvod Universi Conditor &c. qvippe qvid Salvator Mundi, Hierosolymæ in Palæstina sitæ nostri caussa sit perpessus, neminem fugit Christianorum; Templum ejus verè mundi fuit miraculum, reliqva omnia 7. mundi miracula, &
9. si qvæ alia sunt celebriora, superans. Etenim in alto monte fuit exstructum, inferius murô 50. ulnas crassô, ex alboqve marmore confecto circumdatum, cujus altitudo 300. ulnas contine-
10. bat, & æqvalis erat. Templi ex auro tectum fuit &c. prout in Sacris nimirum *2. παραλ. Cap. 3. & 4.* pluribus describitur. conf. Georg. Christoph. de Neitzschütz *Sibenjährige Welt-Beschauung lib. 7. cap. 15. p. m. 244.* Urbem hanc & Templum hoc Cæsar Vespasianus, & filius ejus Titus funditus everterunt, soloq; æqvarunt, qvod sanè excidium tam triste fuit, ut & miseratus qvoqve hostis fit; Ita enim se habent verba Petri Cunæi *de Republ. Hebr. lib. 2. c.*
11. *15. Titum, cum eversa omnia, dirutaq; cerneret, ingemuisse cum dolore, & defectionis succensuisse autoribus, quorum execrando scelere urbis fatum erat acceleratum, nam illum non nisi invitum tam asperô remedio admovisse manum; Nec enim erat illi Viro animus ferox, insatiabile gentium malum. Deliciæ enim amorq; non Romanorum, sed humani generis dictus habitusq; fuit, Verum qvid ageret? Reipubl. causa adhibenda severitas fuit, & crudelem Medicum intemperans æger fecit. Periit*
12. *Urbs, qvam perire etiam percuntium intererat; jacebat dirutum flammisq; exustum Templum qvod per 46. annos vix extruxerant reversi Exules.*
13. Idcircò & post expugnationem ipse Titus ad Amicos dixisse fertur, σὺν θεῷ ἐμαχήσαμεν μέθ᾽ ἡμῶν ἄνδρες, h. e. cum DEO expugnavimus, ô Viri. In ejus locum aliam Ælius Adrianus novam urbem ædificavit, dictam *Æliam capitolinam.* Cœterum hæc ὡς ἐν παρόδῳ. vid. Joseph. *de Bello Judaico lib. 7. cap. 24.*

CAP.

CAP I.

Palæstina accipit Proconsulem, & de ejus officio.

I. ERgò ob rationes in Præfat. recensitas per hanc pragmaticam formam Magistratum Palæstinæ Pro-Cons. efficit, & inter spectabiles adscribit, & omnia 1.
assignat, qvæ ejusmodi Magistratus sunt propria; Audiat 2.
qvoqve per Appellationem ad se devolutas lites usq; ad X. auri libras ex utraq; Palæstina, & talis existat, ut jussiones Imperatorias præclarius, & majoribus, cum viribꝰ ad Effectum deducere qveat.

II. Utatur qvoqve veneranda illa atqve antiqva Ve- 3.
neta i.e purpurea stola, ut in sacris mensium festis eam induat, & venustum se præbeat, tanto redimitus honore, & multis imperato militibus, qvicqvid deniqve vel publico vel subjectis utile est facito.

III. Salarium ejus esto 20. librarum auri, qvas tam 4.
inter se, qvam Assessorem suum, & obtemperantem sibi cohortem dividat, qvô ipse voluerit modô.

Add. Ad præcipua privilegia quibus Imperator mactat Pro- 5.
Consulem hoc sanè omnium maximum est, qvod veste purpurea eum uti largiatur, qvam proprium genus vestitus Imperatorum esse Testes sunt Lamprid. *in Historia Cæsarū*, & Johan. Conradus Dieterich. *in Antiqvit. Romæ veteris nova p. 180.* & Commercium ejꝰ
privatis erat prohibitum *L. 1. C. qvæ res venire non poss.* & dicitur *in* 6.
d. l. 1. C. blatta, vel oxiblatta, vel janthina, hinc *blattiarii*, qui sericas vestes tingunt, *L. 2. C. Theodos. de Excusat. artific.* *E blattifer*, qvi sericis vestibus purpura punctis induitur. Sidon. Apollin. *lib. 9. Ep. ult. Blattifer, vel qvam tribuit Senatus.* Imperator hic anti- 7.
qvæ Venetæ usum Procons. concedit, qvam Gothofr. ad h. locum *trabeam Romuli* interpretatur, fuisse hanc trabeam inqvit Alex. ab Alex. *lib. 5. c. 18. gen. d.* magni splendoreis, qva Romanos rarenter usi, qvippe solos Reges aut Consules trabeatos incessisse ait Servius

8. vius *in lib. 7. Virgilii* tria trabearum fuisse genera ostendit, unum *è sola purpura* Diis consecratum, *è purpura non sine albo* qvo Reges sunt usi. Tertium *augurale è purpura & cocco.* Secundi generis trabeæ fuerunt præreliqvis in maximo apud Romanos usu. vid.
9. Rosinus *Antiqvit. Roman. lib. 5. c. 34.* Hæc Consvetudo Purpuræ, licet semper fuerit veteribus Principibus in usu, hodie tamen planè desiit esse in usu, in cujus locum succesſit qvædam augusta vestis Imperatoris, qua nullus nisi Imperator utitur, & tum maximè, cum celebratur actus aliqvis Imperatorius Sichard. *ad rubr. C. d. t.* Sed nec vestitus saltem purpureus privatis est interdictus; sed & omne commercium ut modo ex *l. 1. C. d. t.* dictum fac. *L. fin. C. de Vestib. holob.* adeò, ut si quis vendiderit, sciat se fortuna-
10. rum suarum & capitis subiturum discrimen *d. l. 1. C.* Deinde & aurea Vestis soli Imperatori competebat, nam sine magno sumtu haberi non potest, & est nimis splendida. Huc pertinet *Rubr. Cod. de Vestib. holob. & aurat.* ubi non saltem aurea Vestis prohibetur; sed & vestis inaurata. Hinc nemini auratas habere aut in tunicis aut in lineis paragaudas licet. *L. nemo 2. C. de Vestib. holob.*
11. (*hic inseratur Ordinatio Vestiaria Electoralis de Anno 1696.*) Sed nihil jam singulare Principibus superesse qvoad vestimenta nemo certius quàm ipsa experientia testatur rectisſimè tradit Exc. Dn. Stryk. *Dissertat. de Jure Vestiar. c. 2. n. 33.* quod Exemplo Regni Galliæ ex Rebuffo ad Constit. Regni Gall. d. l. probat; nimirum in illo permitti omnis generis purpuram de Consvetudine, sive sit vera purpura, sive adulterina, sive fusca, ac pro Insigni eam usurpare Cardinales, nec non Curiarum Supremarum præsides Consiliarios ac Doctores regentes, & puellas neogamas; quod
12. olim uti dictum apud Romanos aliter se habebat. Nam hodie, dicente Brunnem. *ad L. 2. C. quæ res venire &c.* ubivis serica probant, ubiq; serica vestimenta imbuuntur, & non dignitatis; sed
13. opum habetur ratio, Novo Justiniano opus esset. Prætextam verò supra tunicam qvemqve honoratum & Nobilem habuisse, & pueros patricios aliquando purpuream induisse refert Alex. ab Alexandro *lib. 5. genial. dier. c. 18.* hujusq; prætextæ seu togæ circuitus purpura erat prætextus h. e. limbus purpureus, *der Schweiff unten am Rock;* qua veste utebantur ad Annum ætatis XVII.

Mynſ.

Mynſ. ad §. *1. I. de Injur.* inde prætextati, prætextatæve. Mynſ. *ad* §. *1. I. de injur.* Et plebejam purpuram diſtinctam à patricia in uſu 14.
fuiſſe idem refert Alex. ab Alex. *d. l.* erat enim fuſca & obſoleta, non murice & cocco; ſed herbarum ſuccis infecta. Conf. Panciroll. *rerum memorab. dependit, tit. 1.* ib. Salmuth.

CAPUT II.

Ejusdem cum Priore argumenti.

NUllam cum civilibus cauſis publicorumqve tributo- 1.
rum profligationibus habeat communionem; ſed ipſe omnes publicas privatasqve cauſas diſceptabit, & maximè omnium providebit, ut publica tributa ſine retardatione detrimentoqve inferantur, & Juris ipſe utatur
manibus; id qvod exemplo Antecesſoris, qvem nominat 2.
Stephanum, & Succesſorem facturum confidit, utpote qvi Rempubl. evidenter pacatam reddidit, & omni motu ac turba liberavit, maximè cum ex diverſitate religionum ſeditione laborantem ſuſcepisſet. Itidemqve ſi fortasſis in ſecundam Palæſtinam excurrere contigerit, ut ibi tumultus ſedet, facturum, ne qvid incommodi illic geratur, injungit.

Add. Prout publica Salus alias Lex eſt Suprema, ita circa 3.
publica tributa curam habeat ſupremam Pro-Conſul, ut illa ſine detrimento inferantur, expendet tamen etiam, qvomodo concurrente publicâ & privata utilitate ſine detrimento privati publico posſit conſuli, nam & ſingulorum, ut publici curam gerat perinde ſicut DEUS Rex Regum providentiam & curam ſuam extenditurqve ad minimum capillum, & ad pasſeres ſingulares. *Matth.*
VI. verſ. 26. Et ſi agatur de commodo publico ſtatuendo cum 4.
incommodo privati, certe non eſt lædendus privatus, ut commodum majus accedat publico, qvia privatus certat de damno evitando, Reſpubl. de lucro captando, contra jus gentium, qvo diſtributa ſunt dominia rerum ſuarum libere, *L. 5. ff. de*
Jur. & Jur. L. 2. ff. de his qvi ſunt ſui. Maximè autem providebit, 5.
ne propter Religionem turba vel motus concitetur in Republ.

vel concitatus mox ſopiatur. Licet verò obſervare, præſtantiorem, & pacatiorem ſemper populum & magis Principibus ſuis obſeqventem, benè inſtitutum in religione veri Dei fuiſſe, qvàm Ethnicis impoſturis deceptum; In qvo tamen & illud annotatum ut etiam religionis & Numinis metus plus valuerit ad continendos mores, & ad reddendum populum obſeqventiorem,
6. qvam arma aut LL. etiam potentum Tyrannorum. Naturale enim eſt homini, qvi rationis habet ſignaculum, & animum intellectualem, credere, eſſe Deum aliqvem, (qvamqvam non omnes populi verum Deum cognoverint,) eumqve putare eſſe Summum, Omnipotentem, omnibus imperantem, qui decipi neqveat, juſtisſimum, æqvisſimum & bonum, qvod argumentum latius tractavit Tholoſan. *de Republ. lib. XV. c. 1. n. 12. 13. & ſeqq.* qvænam aliàs poteſtas Pro-Conſ. fuerit docte perſeqvitur Alex. ab Alex. *lib. 2. genial. dier. c. 27.*

CAP. III.

Ut Miles ad Poteſtatem Pro-Conſulis tuendam paratus ſit, & de diſtincto munere Ducis Militum & Pro-Conſ.

1. SI Militibus opus habeat Pro-Conſul, & hi eidem debent adjungi, ut dignitatem ſuam eo commodius tueri, & tributa exigere posſit. Et injungitur Militum Magiſtro, ne conſtituta militum præſidia à Pro-Conſule abſtrahat, ne qvis exinde in civitatibus oriatur motus & turba, potius ſi qvid indecorè geratur per ipſos corripiatur.

2. §. 1. Diſtincta debent adhuc manere Officia Ducis militaris & Pro-Conſ. ille enim militibus, & limitaneis, ac fœderatis, & qvicqvid omninò in provincia armatæ militiæ adſcriptum eſt, præibit, exceptis militibus, qvi Pro-
3. Conſuli ſunt deputati, Hic verò tam pro civilibus perſonis, qvàm rebus, & præſidiis militum illi adhærentibus providentiam & cuſtodiam adhibebit. Sanè nomine publico-

blicorum tributorum, vel motu in Populo ſeditionis nemo prorſus à Pro-Conſ. jurisdictione eximetur; ſed omnibus imperabit, omnibus præcipiet, neq; qvisqvam ejus reſiſtet formulis ac diſpoſitionibus, aut ullum habebit prætextum vel defraudandi publicum, vel civibus inferendæ injuriæ publicæ ſeditionis Autor factus, aut etiam utetur vel dignitatis, vel Sacerdotii, vel cujuslibet alterius cauſæ prærogativa; ſed eo ſolo ſupplicio & noxa ſe liberabit, ſi nullam noxiam contrahat.

§. 2. Præcedentia confirmat, & priſtino honori Ma- 4.
giſtratum Palæſtinæ reſtituit.

Addit. Etſi pecunia ictu fulmineô potentior ſaxa prorum- 5.
pere aulæ, perq; medios ire aulicos ad ipſum Regem ſolet, imprimis nervus rerum gerendarum in bello eſt, ſi tamen ea ſit ſine militibus ſumma poteſtate prædito, fama ejus & gloria magis obfuſcatur, qvàm ad faſtigium pervenit, nam ſalus Reipubl. expoſcit, ut virorum armorumq; faciamus certamen, cum ignavia magna non contineantur Imperia. Tacit. *lib. 15. annal. c. 1.* Si cœ- 6.
tera remedia ad illatam Nobis injuriam propulſandam, & obtinendam non ſunt tutiora, neq; efficaciora, arma ſumamus. Qvod Imperator in præficiendo Pro-Conſ. optimè perpendit, ut ſi ſubjectos in officio continere neqveat, & ad obſeqvium jugiter ſervandum compeſcat, præſidia militum parata eſſe debere injungit, ad Imperium Pro-Conſulis; nec enim à qvocunq; loci alicujus tuendi cauſa vocati deputari debent ſine juſſu Principis, *L. fin. C. de cogat. milit. ann.* Non tamen milites executionem ſententiæ vi 7.
armata facere debent, & licet in *L. 68. ff. de R. V.* dicatur, qvod res à Reo manu militari ſit auſferenda, intelliguntur tamen ibi *per manum militarem* ipſi Apparitores, qui inſtar militum gladio cincti ſententias exeqvebantur, qva de re agit Donell. *lib. 20. Comm. Jur. Civ. c. 6.* vel poteſt dici, contineri caſum ſpecialem Contumaciæ ibi, qvando reus condemnatus, rem vindicatam habet, & poteſt reſtituere, nec tamen vult, & actoris intereſt, rem potius, 8.
qvàm æſtimationem habere. Favore tamen libertatis & pudicitiæ tutò manum militarem adhiberi Brunnem. *ad L. 1. C. Si mancipium ita*

ita fuerit. Insuper hodie principibus cautum est, ut si subditi contra jura superioritatis & principibus debita qvid machinentur, ipsi illos sine ope Cæsarea qvovis modô in Constitutionibus Imperii tamen licito ad obedientiam perducere possint §. 7. verb: *Bey ihren Fürstlichen Juribus selbst. Capit. Leopold.* unde manu militari cogere subditos pro re nata exclusum non esse tradit Illustr.
8. Dn. de Rhetz. *Jur. Publ. lib. 2. Tit. 11. §. 11.* Insignem qvoqve ProConsuli adscribit §. 1. Imperator potestatem, ut & illi 6. fasces fuerint prælati, qvibus utebatur, simul ac urbe egressus in provinciam esset iturus, & tamdiu utebatur, donec portam urbis esset ingressus, Brunnem. *ad l. 14. & ult. ff. de Offic. Pro-Conf.*

NOV. CIV.

De Prætore Siciliæ.

1. HIc res Civiles debet tractare, & curam militaris impensæ gerere.

2. §. 1. Publica tributa Siciliæ ad ejus sollicitudinem non pertinent; sed censentur sub Comite patrimonii Italiæ.

3. §. 2. Provocationes à Sicilia in civitatem venientes, ventilenter apud Qvæstorem &c. vid. *Nov. 75.*

NOV. CV.

De Consulibus.

CAP. I.

De Septem Processionibus Consulum.

1. ENarrat hoc Cap. Imperator, qvomodo Expensæ & Sportulæ à Consule singulis annis creando erogari debeant, & convenit septem Processiones Consulibus, qvibus se Populo exhibere, ludis interesse, & pecunias spargere possint.

2. *Addit.* Inter ludos qvibus consules interesse permittit primo loco hic recenset *Ludos Circenses*. Qvippe qvi in Græcia ludi Olympici

lympici fuerunt, hi Romæ qvantum opinione auguratur Alex. ab Alex. *lib. 5. Genial dier. cap. 8.* Circenses fuere ludi. Eximiè 3.
culti celebratiq; sunt; inter enses & flumina locis virentibus agebantur, instituti à Romulo propter felicem Sabinarum raptum, in iis qvadrigæ septo currebant circuitu, atqve eqvos adversæ partis fregisse victoria erat, Salmuth. *ad Panciroll. tit. 60. circa fin.* ubi *cit. loc.* refert; usitatum fuisse agitatoribus, dæmoniacis qvibusdam imprecationibus adversariorum eqvos impediisse, & suos ad cursum incitasse, ita, ut suis eqvos velocitatem, adversariorum verò tarditatem afferrent.

Licebat & deinde interesse *Bestiarum spectaculis*, in qvibus 4.
præter apparatus magnificentiam immanissimæ feræ, hominesqve, qvi cum his concurrerent, exhibitæ, ad qvæ matronas admitti erat Lege vetitum, ne immanitate, aut feritate assvescerent, sicut ab Athletarum spectaculis muliebrem sexum Augustus avocavit, & dimovit, teste Alex. ab Alex. *lib. 6. cap. 19.*

Thymelis delectatio ipsis concessa erat, per qvam alii pulpi- 5.
tum, alii arcam significari volunt, ut Joh. Corasius annotavit *lib. miscellan. c. 24. n. 15.* & Cœl. Rhodigin. *lib. 2. cap. 15.* Cœterum Græci histrionicam Thymelen nuncuparunt, θυμέλην enim scenam dixerunt & θυμελικοὺς scenicos & histriones. Alex. ab Alex.
lib. 3. Genial. dier. cap. 9. unde apparet thymelicorum nomine in- 6.
telligi ludios, mimos, citharoedos, tibicines, citharistas, lyristas, & qvi sunt in eodem genere. Specialiter autem videntur dici Thymelici Cantatores, qvi modos faciebant, & saltationes, prout & intellexisse videtur JCtus *L. 4. ff. de his qvi not. in fam.* vid.
Salmuth. *ad Panciroll. tit. 80. P 1.* Qvandoqvidem verò primis Ka- 7.
lend. Januar. Consules inire solebant Magistratum ut ex *L. 36. ff. de Condit. & dem.* refert Gothofr. *ad d.* inde illis qvoqve eodem die *primus* erat Processus. Post illum *secundum* agebant specta-
culum certantium eqvorum, qvam *mappam* vocant; Autorem 8.
mappæ fuisse Neronem Principem liqvet ex Cassiodoro *lib. 3. Epist. 51.* his verbis; *Mappa verò, qva signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem, cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qva tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem*

daret, certaminis postulandi, hinc tractum est, ut ostensâ mappâ certa videatur esse promissio Circensium futurorum. Igitur mittebatur mappa, i. e. ludi Circenses, aut Scenici indicebantur à Prætore; unde Martial. *lib. 12. Epigr. 29.*

9.

Prætor cretatam cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

10. *Tertium* habebant qvi *theatroqvinegium* dicitur, & non bis; sed semel tantum exhibebatur, Gothofredus ad h. l. *venationem Theatricam* dicit, ludum venatorium intelligere videtur JCtus *in L. 8. §. pen. ff. de Pœnis.* qvamvis tamen hic ludus fuerit pœnæ genus, & servi in illum dati servi pœnæ efficiebantur *d. l.* sed in theatroqvinegio feræ magnô discrimine, ab iis qvi depugnabant, con-
11. ficiebantur, qvi infamiâ non notabantur, si scil. esset talis fera, qvæ regioni noceret, & extra arenam esset, licet operas suas locasset. *l. 1. §. 6. ff. de postul.* aliàs notabatur, qvi in hoc operas suas locave-
12. rat, ut cum bestiis pugnaret. *d. l.* Ab hac venatione theatrica diversi erant ludi theatrales & honorati, qui instituti, prout quisq; ad honores, ut ædilitatem, Præturam, vel Consulatum erat evectus, ad conciliandum Populi favorem, in qvibus mutuæ bestiarum pugnæ, ut Elephantorum & Leonum pugnæ aliarumque belluarum venationes freqventer exhibebantur, de qvibus uberius est legendus Alex. ab Alex. *lib. 5. genial. dier. c. 19.* & videtur de hoc ludo posse intelligi textum Imperatoris.

13. *Qvartus* Consulum Processus erat totius diei, multaq; delectatione implebat Populum ludus habitus, Græcè vocatus *παγκράτιον*, qvale Plutarchus *in Synops. lib. 2. cap. 4.* scribit fuisse certamen mixtum ex pugillatu, & lucta, inde apud Alex. ab Alex. *lib. 3. cap. 9. circa fin. Pancratiastes,* qvi luctator simul & pugil foret, qvippe cum alii pugiles, alii luctatores essent, is qvi utroq; teneretur studio, pugnâ scilicet & luctâ nuncupatus *Pancratiasticus,* & ubi exercentur *Pancratium.* Conf. Salmuth. *ad Panciroll. P. 1. Tit. 26.*

14. *Qvintus* Consulis Processus ad Theatrum ducit, qvem Adorna vocant, ubi in scena ridiculorum est locus tragœdiis & thymelicis choris, & spectaculis universis, & ut Gothofr. hic explicat, ubi nihil nisi risu dignum, neq; videtur; neqve auditur, Æschylus

Æschylus autem primus Tragœdiam dedit, in qva Victor Sopho-
cles, victus Æschylus non multo post mœrore victus occubuit.
Tragœdorum ludis etiam decem judices ex singulis Curiis præ- 15.
fuere, fuitq; in more, ut hircus præmium Tragœdo foret, utq;
lyrici juventam immolarent, Tragœdi hircum, Poëtæ taurum. A-
lexand. ab Alexand. *lib. 6. cap. 19.*

Sextus est, ubi spectaculum Eqvorum certantium edit, seu 16.
qvæ vocatur Hippomachia.

Septimus. Ex hoc deponit annalem honorem in depositio- 17.
ne solennem agens panegyrin; qvod & apud nos hodienum fie-
ri solet in locis, ubi dignitas Consularis ambulatoria est, & col-
legæ regimen subseqventis anni cedit. Conf. Janus Guilielmus
Lubec. *Tract. de Magistrat. Pop. Rom. cap. 7.* Annalis verò ut dicit 18.
fuit honor, nec fas erat denuò anno seqvente Consulem fieri,
qvi annô proximô hac dignitate fuerat perfunctus, qvanqvam
in persona Marii propter molem ex bello Cymbrico imminentis
periculi locum fuit observatum, teste Rosino *lib. 7. Antiqvit. Rom.
cap. 9.* Consulibus qvoq; in provinciam profectis, & cum hosti- 19.
bus bella gerentibus etiam ultra annum, & donec debellatum
cum hostibus, aut à Senatu essent revocati Imperium sæpè fuis-
se prorogatum, qvos tamen non fuisse consules; sed velut per-
functos Magistratu Pro-Consules nominatos, & fasces & lictores
interea habuisse, qvoad Pro-Consulare sibi duraret Imperium sa-
tis compertum & cognitum esse, tradit Alex. ab Alex. *lib. 2. c. 3.
Genial. dier circ. fin.* Aliàs raró hanc dignitatem bis aut ter in u- 20.
num esse collatum, rarius verò qvater, aut qvinqvies, Idem re-
fert Rosin. *cit. loc.* & unius *Marii* proprium, qvod septies Consu-
latum gesserit. Ex qvo igitur eo defuncti erant, *Consulares* fue-
runt appellati, ut qvi Prætura, *Prætorii*, Ædilitate, *Ædilitii*, & e-
rat eximii honoris symbolum dici Consularem, Rosin. *cit. l.* qvan-
qvam nemo Consularis habitus, nisi qvi animô existeret in Rem-
publ. Consulari. Cicero *lib. 10. Epist. ad Famil. 7.*

CAP. II.

De Uxore & Matre Consulis.

1. ET Uxori & Matri consulis, qvorum utraqve est fœmina Consularis, & munificentiam Consularem exhibere Populo potest; & qvidem ipso jure Consulis Uxor talis est, mater verò non aliter nisi filius velit una eam secum frui honore & dignitate, alia verò mulier non decorabitur, qvoniam uxores coruscant radiis maritorum, inde exclusa est filia, soror, forte & uxor filii, & multò magis, si nec ad genus pertinens sit.

2. §. 1. In dictis autem Processionibus 7. (mutatâ Marciani Constitutione *in L. 2. C. de Consul.* qvæ nihil spargere permittebat,) hic Imperator concedit, Consules an spargere qvid velint annon, nam ex argento muneribus honorare Populum non interdicit, aurum tamen spargere non finit, nec minoris alicujus, aut majoris omninò, nec medii characteris aut ponderis; sed uti dictum, argen-
3. tum, soli enim aurum spargere dat Imperio, cui soli etiam aurum contemnere præstat fortunæ fastigium; qvanto verò minora sunt, qvæ sparguntur, tanto plures suscipientes erunt, sitq; rei mensura dantis virtus, & voluntas sive nihil, sive mediocre, aut transcendens populo erogetur, nec enim inviti spargere coguntur, nec volentes prohibentur.

4. §. 2. Qvæ verò decreta sunt & conscripta in hac L. transcendi nullo modo vult, & qvod infinitum est, neq; certò determinatum in dantis ponit voluntate, & propriæ est potestatis ejus qvi dat, qvod verò definitum est semel & ordinatum, transcendi hoc Lex prohibet, qvod si egrediatur 100. auri librarum pœnam persolvat, qvi enim qvod dispositum est ritè transcendit, prævaricatus est Legem, & dignus pœna, atqve ita jugiter erunt Consules, causæ immensitatem non formidantes, nec tanqvam certissimum periculum Consulatum refugientes, & aversantes, & propterea vult L. hanc sub firmitate servari.

§. 3. Hanc

§. 3. Hanc pœnalem prohibitionem extendit ad omnes & summos Administratores si ultra mensuram sparserint, & subjungit, ne majora vasa, sive majorem spargant monetam, qvod si egerint, qvi Consularem edent munificentiam, his solis concilient populares, & neqvaqvam dum de lucris maximis decertant, seditiones ad invicem exercebunt, nec venient usqve ad alternas plagas, qvas per fustes & gladios & lapides egerant freqventer, rem omninò odibilem. Si verò mediocre sit, qvod spargitur, nec vehementer contendent, nec qvæstus expectantes abundantia vulnera aut plagas alterutris ultra mensuram dabunt. 5. 6.

§. 4. Disponit, ubi debeat recondi Originale hujus constitutionis, ne forsitan adulteretur. Confirmat reliqvas dignitates Consulares antea ipsis collatas, & excipit ab hac Lege Imperatorem, *cui & ipsas DEUS LL. subjecit, eumq́; tanqvam Legem animatam misit hominibus.* 7.

Addit. Signum Majestatis erat, qvod Consules Romæ ut supremi Principes aurum in plebem spargerent *L. 2. C. Theodos. de Spect.* tesseras qvoqve orbiculatas & qvadratas, qvod deinde Marcianus Imperator prohibuit *L. 2. C. de Consul.* constituens, ut loco missilium 100. duntaxat auri libras sub initium Consulatus ad refectionem aqvæ ductuum præstarent, qvomodo verò hanc Martiani Constitutionem per præsens Cap. mutaverit, satis ex eo manifestum redditur. An verò hac permissione Justinianus satis consulerit ipsis consulibus aut Populo, qvi sæpe admodum periculosè tumultuatur, diripiendo & apprehendendo missilia qværi posset? Sed decidit eam Anton. Peretz. *C. de Consul. n. 18.* qvi, ut & de aliis circa hanc materiam *d. loc.* videri potest, inprimis & Dn. Ahasver. Fritsch. *ad L. 2. C. de Consul. de missil. sparsione.* Prima verò missilis largitio ut adhuc notem, peragebatur *tesseris* postea verò ultimis temporibus Imperatores spargebant nummos *aureos*, *argenteos*, *aureos* tres junctim inclusos *nodô linteô* qvorum magnam copiam jactabant in populum, qvi modi vacabantur *Epicombia*, ut notat Dn. Diether. *in Continuat. Thes. Pr. Besoldiani* 8. 9. 10.

11. *ſoldiani verb. Miſſilia.* Hodieq; hæc Miſſilium ſparſio partim in Principum Noſtrorum aulis, dum Illuſtres Nuptiæ conciliantur adhuc eſt in uſu, inprimis in Inauguratione Imperatoris Sereniſſimo Domino Electori Palatino ut Imperii Theſaurario vi hujus muneris competit jus miſſilia ſpargendi, vulgò nummi miſſiles dicuntur, & ſuis inſtrui ſolent impreſſi ſeu phrenos chematibus teſtaturis virtutes, ſpem, fortunam, potentiam, &c. novi Principis, qualia erant Auguſtæ Imperatoris LEOPOLDI cum Symbolo ejus CONSILIO & INDUSTRIA ab altera; LEOPOLDUS HUNGARIÆ & BOHEMIÆ REX CORONATUS IN REGEM ROMANORUM *1. Aug. Anno 1658.* Excell. Dn. Becman. *Notit. dignit. Illuſtr. Diſſert. 5. C. 1. th. 6.* Schweder. *Introd. Jus Publ. Partis Spec. ſect.*
12. *2. c. 5. th. 17.* Ulterius de hoc miſſilium jactu apud Aqvisgranenſes velut ſingulare in privilegium introductum aſſerit Limn. *lib. 7. Addit. ad Jus Publ. c. 2. p. 82. tom. 5. Daß man einem regierenden Burgermeiſter einen Griff ins Geld ſo zur Crönungs-Zeit unter das gemeine Volck geworffen wird, thun, und was er ergreiffet, behalten laſſen.* i. e. ut tempore coronationis Conſul p. t. regens, manum in pecuniam in populum ſpargendam injiciat, eiq; qvalecunque apprehenderit, relinqvatur. Conf. hic Manzius *ad §. 46. I. de R. D.* ubi aliud notabile Exemplum jactus miſſilium, cum novi limites altæ jurisdictionis confirmatæ ponerentur autoritate Wolffgangi
13. Wilhelmi Comitis Palatini, recenſet. Licet hæc verò ob Majeſtatem, qva pollent Summi Reges & Principes, in iis omninò non improbentur, utpote qvibus præcipua rerum ad famam dirigenda Tacit. *lib. 4. annal. c. 40.* aliud tamen in privatis obtinet, qvorum multi ut patrimonia ſua effuderunt inconſultè largiendo, Cic. *lib. 2. Offic.* ita inſani ferè fuerunt habiti ſemper, qvi Principes invitando gloriam ſuperbiæ ſtultæ ambire qvæſiverunt. Et
14. refert Valer. Maxim. *lib. 7. c. 118.* olim Romæ qvendam luditanum deliſſe ſpeciem nota inſaniæ, qvod Populo nummus ſpargeret, togam veluti tragicam veſtem in foro trahens, qvod Exemplum qvoq; allegat Matth. Steph. *ad h. N. n. 10.* Conf. Rittershuſ. *ad Nov. P. 2. c. 2. n. 5.*

NOV.

NOV. CVI.

De Usuris Nauticis.

PRÆFAT. C. I.

COnfirmatur hac Nov. Consvetudo in usuris nauticis hactenus usurpata, & permittuntur usuræ centesimæ; Non verò in certum tempus dantur hæ usuræ; sed tunc demum sunt solvendæ, si navis salva redierit sive post annum, sive mensem. Post reditum na- 1.
vis 30. dierum induciæ dantur, in qvibus solvere tenetur, ita tamen, ut interim usuræ non currant, hoc verò spaciô elapsô & pecunia non solutâ propter moram ad communes usuras obligatur. 2.

Add. Fœnus nauticum usuræ appellantur maritimæ *L. 6. ff. de* 3.
naut. fænore. in qvibus permittit hic Imperator usuras centesimas stipulari, qvæ tales propterea dicuntur, qvod qvolibet mense centesimam sortis reddant, & annuatim XII. in 100. præstent, & IIX. annis, & IV. mensibus sortem exæqvent. Eckholtz. *ad ff. de usur. §. 7.* 4.
Nec verò mirum est, maximas usuras in tali causa stipulari licere, easdemqve ex pacto deberi, non tam enim usuræ sunt, qvàm pretium ejus periculi, qvod Creditor interim sustinet, & præstat si conditio defecerit. H. Donellus *ad lib. 22. de fœn. naut.* Hæ nauticæ usuræ hodie centesimas excedere non possunt, & licet Imperator *in h. N. 106.* approbaverit qvasdam conventiones usu re- 5.
ceptas, in fœnore nautico, aliud tamen *in Nov. 110.* qvam vero imò hunc modum ne qvidem excedere licet ob operas servi trajectitiæ pecuniæ nomine secuti, qvem Græci κερμακόλυθον appellant, unde finitô periculô ne quidem legitimæ communes usuræ exced. possunt. *l. 4. §. 1. C. de naut. fœn.* qvæ inter mercateres sunt besses. *l. 26. §. 1. C. de usuris.* Eadem, qvæ hic statuta ab Imperatore lo- 6.
cum qvoqve habent in terrano fœnore, ut si Creditor, convenerit de suscipiendo periculum pecuniæ transvehendæ per loca periculosa & insidiis prædonum infestissima, cum utrobiq; militet eadem juris ratio, fundata in periculi susceptione *l. 5. C. de fœn. naut.*

naut. & ſolutione vectigalium, qvæ hodie graviora exiguntur.
7. Peretz. *C. de fæn. naut. n. 6.* Aliud exemplum proponit H. Donellus *c. locô.* Licet verò ut paulò ante dictum hæc Nov. per *Nov. 110.* abrogata, qvoad 30. dierum inducias tamen, qvæ poſt reditum navis dantur, & intra qvos ſolvi debent uſuræ, non eſt abrogata, nec currunt poſt hoſce dies uſuræ nauticæ; ſed vertuntur in mediterraneas *l. 1. & 2. C. de fæn. naut.* qvoniam periculum mutuantis
8. eſſe deſiit *l. 4. pr. & l. 6. ff. l. 1. C. eod.* Uſura verò maritima non tantum; ſed & ipſum periculi pretium notatur per vocem *Bodmerey*, inde *auff Bodmerey nehmen oder außzahlen* dicitur, item, *Sein Schiff mit Bodmerey belaſten.* Dn. Dietherr. *in Contin. Theſ. Pr. Beſold. voc. Bodmerey.* Apud Hollandos talis pecunia in Inſtrumentum
9. redacta dicitur *den Byl-Brieff, ende ſulcken Brieff gaet vor Bodmerie-Brieff.* Marqvard. *de Jure Mercat. lib. 2. c. 5. n. 22.* & *c. 8. n. 80.* eſtqve hæc pecunia privilegiata, ita tamen, ut Creditores Chirographariis tantum anteferantur, qvia tacita in ea nave hypotheca Creditoribus non introducitur. Treutl. *Vol. 2. Diſp. 1. th. 4. lit. E.* vid.
10. Marqvard. *de Jure Mercat. lib. 2. c. 5. n. 25.* Si verò ſibi de hypothecâ expreſſa proſpexerint, omnes hypothecarios etiam antiqviores præcedunt *L. 7. C. qui pot. in pign.* Bald. *ad L. 26. ff. de reb. autor. jud. poſſid. L. 17. C. de pignor. L. 6. C. de R. V. L. 16. inf. ff. de in rem*
11. *verſo.* Neguſant. *de Pignor. M. 2. P. 2. n. 13.* qvæ ſententia confirmatur etiam ex eo, qvia ſpeciali vel ſingulari jure cautum eſt, qvod pupilli, minores, mulieres in rebus pecuniâ ſuâ coemtis, pignoris, vel potius jus dominii habeant. *L. 3. C. arbitr. tut. L. 8. C. de R. V. L. 55. ff. de donat int. V. & U. L. 54. ff. de Jure dot. L. 12. C. eod.* quæ & ſimiles exceptiones confirmant regulam in caſibus non
12. exceptis Decius *in L. 1. n. 12. ff. de R. J.* Sichard *ad L. licet n. 8. C. qui pot. in pign.* Cujac. *ad Nov. 97. & 136.* qvod poſſet qvoqve admitti, ſi in Cibaria nautarum fuiſſet creditum, ſine qvibus navis ſalva ad deſtinatum locum pervenire non poterat. *L. 6. ff. qvi pot. in pign.* Straccha *de Naut. P. 5. c. 7.*

NOV. CVII.

De Teſtamentis imperfectis à Parentibus in Filios factis.

PRÆ-

PRÆFATIO.

DIcit Lex Conſtantina *L. 26. C. Famil. erciſc.* oportere 1.
morientium voluntates, qvando ſunt parentes omnibus modis inter filios tenere, ſic tamen, ut claram rerum concedant ſignificationem, ita, ut ſi non ſint manifeſtæ eorum diſpoſitiones, ex qvibusdam tamen indiciis & conjecturis, & qvalibet apparuerint ſcriptura valeant, & in ſuis, & emancipatis filiis. Inſuper & Theodoſius 2.
L. 21. §. 1. C. de Teſtam. non in patribus ſolum hoc; ſed etiam in matribus & Aſcendentibus utriusqve naturæ hæc obſervari decrevit. Verò licentiam dum apprehenderunt homines in tantam ſunt ingresſi obſcuritatem, ut divinantibus magis, qvam interpretantibus hæc egerint.

Addit. Nihil magis contrarium eſt actibus humanis, vel LL. 3.
privilegiis, teſtium asſertionibus, ſententiis judicum, ut & teſtantium ultimis voluntatibus, qvàm obſcuritas, qvippe ex hac videtur induci incertitudo, hæc verè vitiat promisſionem, teſtamentum, legatum, ſententiam, & laudum Pacian. *Conſ. 69. n. 19.*
Etenim ſunt multi, qvi de induſtria loqvuntur obſcurius, & vel 4.
ob imperitiam, vel ſuperſtitioſam incognitarum vocum affectationem ſtylum obſcurant, ut dicente hic Imperatore divinatore magis, qvàm lectore vel interprete opus habeant. Inde cum pa- 5.
trum diſpoſitiones inter liberos privilegiaſſet Imperator, ut valerent, qvomodocunqve eſſent factæ ſine ullis ſolennitatibus, animadverteret autem, parentes licentia ſibi permisſa nimium qvantum abuti, dum ſcilicet qvibuscunqve verbis, ſignis & conjecturis inter liberos diſpoſuerunt, qvo factum, ut liberi in contentiones ſeveriores ſæpè inciderent, ultimam tandem Conſtitutionem adjecit per *h. Nov. 107.* in qva certum conſtituit modum, juxta qvem parentes poſthæc teſtamenta conficerent. vid. Excell. Dn. Stryk. *Diſſ. de jure teſtam. inter lib. cap. 1.* adeoq; manifeſtam 6.
inprimis hic reqvirit voluntatem & diſpoſitionem patris, ut posſit conſtare, qvid vel qvantum uni liberorum voluerit relinqvere, inde non valet diſpoſitio, ſi de parentis voluntate perfectò non conſtet, qvia hoc caſu defectus teſtamenti concernit jus natu-

 rale,

rale, non positivum, circa qvod dispensatum non est. Maulius *Tr. de ult. volunt. tit. 11. n. 26.* nec si nutu Testamentum Patris inter liberos conditur, nam jura parentis manum aut lingvam reqvirunt, ut testamentum subsistat. Clarus *§. Testam qv. 8. num. 7.*
7. Wesenbec. *Consil. 90. n. 6.* Valere tamen talem dispositionem ut Codicillum, cum clausula Codicillaris Testamento patris insit,
8. Codicillus autem nutu fieri possit. Maul. *cit. l. n. 16.* tradit. Ulterius verò & hic Imperator matri & Ascendentibus disponendi licentiam minus solenniter inter liberos concedit, qvippe per hanc Constitutionem & *L. Hac Consultissima §. 1. C. de Testam.* ad eam facta est extensio, ut & per Rec. Imper. de An. 1512 Tit. *vom Testamenten* verb: *In Testamenten, so Vater und Mutter zwischen ihren Kindern machen*, & sic Jenæ in Collegio JCtorum responsum esse, testis est Richterus *P. 1. Dec. 29. n. 84.* vid. Carpzov. *P. 3. Constit. 14. defin. 15.* & sic etiam Matrem inter liberos naturales testari posse, affirmat Hartm. Pistor. *P. 1. qv. 1. n. 19.* Gail. *lib. 2. Obs. 112.* Matrem tamen Illustrem excludit Maulius *Tract. de ult. volunt. tit. 11. num. 68.* ob *L. Si qva Illustris 5. C. ad SCt. Orfic.* nec valet, si
9. filii sint forte nati ex damnato coitu. Idem *ibid.* In Patre qvoq; naturalium liberorum valere putat Carpzov. *d. l. defin. 24.* qvem seqvitur Mev. *ad Jus Lubec. P. 2. tit. 1. art. 2. num. 29.* alii verò contrariam sententiam pro veriore habent, cum Leges de testamento inter filios loqventes intelligendæ sine dubio sint de filiis, qvi propriè & verè tales sunt, *arg. L. 69. pr. ff. de Leg. 3. L. 8. §. 1. ff. de V. & P. S.* hancq; sententiam communiter à Doctoribus esse receptam, eamq; tenere Gail. *lib. 2. Obs. 112.* & alios tradit Esbach.
10. ad Carpzov. *d. l.* Porrò & idem Privilegium ad Avum extendit Imperator, ut & hic inter Nepotes testari possit. *L. ult.* ibi: *ex qvolibet venientes gradu C. famil. ercisc.* Ludwel. *de ult. volunt. P. 2. cap. 3.* Sichart. *ad L. 21. § 1. C. de Testam.* Sande *lib. 4. Defin. Frisic. 6.*
11. *tit. 1.* Parentum enim nomine omnes veniunt Ascendentes *L. 15. ff. de V. S. L. 10. §. 7. ff. de grad. & affin.* (uti è contrario liberorum appellatione in causis favorabilibus etiam Nepotes, Pronepotes, cœteriq; qvi ex his descendunt, continentur *L. 201. & 220. ff. de*
12. *V. S.*) de qvo qvidem si defuncti fuerint filii, ac nepotes primum locum successionis obtineant, nulla est controversia; Sed si adhuc

huc ſuperſtites, non pauci ſunt, qvi id ipſum negant, fundamentum negationis ſuæ in *L. fin. C. famil. erciſc.* collocantes, ubi parium in gradu mentionem facit Imperator, qvem textum licet ex *L. 21. §. Ex imperfecto C. de Teſtam.* generaliter correctum contendat, atq; ita hodie indifferenter Teſtamentum Avi imperfectum inter nepotes ſubſiſtere præjudiciis confirmet Carpzov. *P. 3. Conſt. 4. def. 16.* illam tamen correctionem, qvod textus hi diverſum plane contineant, ac inter ſe differant non admittit Bruneman. *ad L. final. C. famil. erciſc.* Cui inſuper patrocinari videtur 13. ratio, qvod nepos talis nullum jus ſucceſſionis ob ſuperſtitem adhuc parentem tempore mortis Avi in avita ſit obtenturus hereditate adeoq; pro extraneo habendus. vid. Excell. Dn. Stryk. *Diſſ. de Jure Teſtam. inter lib. cap. 2.* & Dn. D. Hopp *Diſſert. de Jure Avorum cap. 4. circa pr.*

CAPUT I.

De Voluntatibus Parentum in diſtributione Patrimonii facienda.

I. SI literas ſciens inter liberos diſpoſitionem facere velit, 1. ad ſcriptionem tempus declaret, videlicet Annum Chriſti & diem menſis. 2. Filiorum nomina propriâ manu deſignet. 3. Uncias in qvibus eos ſcripſit hæredes non ſignis numerorum ſignificet, ſed per totas literas declaret, ut undiqve claræ & indubitatæ conſiſtant. 1.

II. Qvod ſi & rerum diviſionem facere voluerit, aut in aliqvibus rebus certis, aut omnibus qvasdam facere inſtitutiones, & harum ſignificationes inſcribat, ut ita ejus literis omnia declarata, nullam ulterius contentionem liberis derelinqvant. 2.

§. 1. Si aut uxori, aut extraneis perſonis aliqvibus legata voluerit relinqvere aut fideicommiſſa, & hæc propriâ manu ſcribere, inſuper coram teſtibus probare debet, qvæ omnia ſint firma, & nihilo minuenda, eo qvod in charta videantur ſcripta, & reliqva teſtamentorum obſervatio non ſuſcipiatur. 3.

Nnnn 2 *Add.*

4. *Addit.* In Teſtamento hoc reqviritur, 1. ut Teſtator ipſe, vel diſpoſitionem ſuam ſcribat vel nomen ſuum ſaltem ſubſcribat *Auth. qvod ſine C. de Teſtam.* & etiam anni & diei mentio fiat, nam diſpoſitio ſine die & Conſule jure ſubſiſtere neqvit. Gilcken. *ad Auth. qvod ſine C. de Teſtam.* Dauth. *ad L. hac Conſultisſima n.32. C. eod.* ſufficere tamen, ſi tempus per æqvipollens deſignetur, tra-
5. dit Richter. *Dec. 29. n. 19. 20.* Qvin imò ſi nec annus vel dies appoſitus, & fortasſis duo teſtamenta â patre condita inveniantur, non poterit conſtare, utrum prius vel poſterius ſit, de qvo ſi non apparet, neutrum propter incertitudinem valet *L. Duo ſunt Titii*
6. *30. ff. de Teſtam. Tut. L. 10. pr. ff. de reb. dub.* Et qvando 2. reqviritur, ut filiorum nomina propriâ ſcribantur manu, non tamen eſt necesſum, ut æqvaliter vel in æqvis partibus omnes ſcribat heredes, ſiqvidem & inæqvales portiones asſignare poteſt. *L. parentibus 8. C. de inoffic. Teſtam.* Linglois *ad L. Dec. lib. 6. qv. 8. num. 2.* Sicut enim liberi omnes non æqvale ſemper parentibus obſeqvium præſtant, ita qvoqve nec parentes compellendi, ut æqvalibus beneficiis indifferenter liberos afficiant, qvia inæqvalis asſignatio habet vim prælegatorum, hæc autem liberis parentes
7. relinqvere posſe, dubium non eſt. Gail. *lib. 2. Obſ. 116.* Qvando qvoqve 3 vult uncias in qvibus heredes ſcribuntur, per totas literas debere ſcribi, non ſignis numerorum ſignificari, ſimul ſciendum, abbreviaturas uſitatas non vitiare teſtamentum ſolenne inſcriptis, ſi ſcil. ſint intelligibiles, ſufficit enim de mente teſtatoris ac ſenſu ſcripturæ conſtare. Carpzov. *P. 3. Conſtit. 3. defin. 4. & Conſt. 4. def. 17.* qvod ſi hac occaſione ſcriptura patris in dubium vocetur, non ſolum per comparationem literarum; ſed & per teſtes probari poſſe, teſtes ſunt Menoch. *lib. 4. Præſumt. 7.* Hartm. Hartmanni *lib. 2. tit. 38. Obſ. 5. n. 4.* Brunneman. *ad Auth. Qvod ſine*
8. *C. de Teſtament.* Igitur ſi à patre ſcriptum ſit teſtamentum, alia non eſt necesſaria ſupſcriptio, ſi autem ſubſcripta â patre, ab alio ſcribi potuit. Brunneman *add. Auth. qvod ſine.* vid. Carpzov. *P. 3. Conſtit. 4. def. 18.* Qvo caſu ſi proponatur ſcriptura alterius manu ſcripta, tradit Linglois *d. l. n. 3.* duobus teſtibus præſentibus etiam fœminis (de Jure gentium) probari debet, hoc factum eſſe de voluntate teſtatoris, ex illo vulgari dicto in ore duorum vel

vel trium testium stat omne verum. *Deut. 17. v. 6. L. ubi numerus 12. ff. de Testibus.* Cæterum differunt qvoqve inter se *divisio bonorum inter liberos* & *Testamentum inter ipsos* qvæ distinctio fundata est in *Nov. 18. Cap. 7.* & hoc casu qvando nuda qvædam divisio est, non opus est, ut titulo institutionis aliqvid relinqvatur, neq; præcisè reqviritur, ut ipsius parentis manus adsit, sed sufficit, si subscriptione liberorum scriptura sit corroborata, de qvali nuda divisione Doctores *L. fin. C. famil. ercisc.* intelligere tradit Dn. D. Stryk. *præl. Dissert. de jure Test. cap. 1. n. 24.* vid. Gail. *lib. 2. Obs. 116. per tot.* Finckelth. *Obs. 78. qv. 1. per tot.* Treutl. *Vol. 2. Disp. 19. th. 12. lit. b.* ibiq; Bachov. Maul. *Tr. de ultim. Volunt. tit. 11. n. 70.* vid. *C. 3. hic.* Ulterius & testamentum hoc patris est vel Scriptum, vel Nuncupativum, *de qvo Idem d. l. n. 25.* Non possunt vero extranei in imperfecto testamento heredes scribi; extraneis tamen relicta liberi præstabunt, si modo holographum, & testibus ipsis nuncupatum fuerit testamentum. Gothofred. *ad C. 1. h. Nov.* Quotnam verò testes si extraneis legata vel fideicommissa relicta, exigantur, pro & contra disputant Ddr. Hermannus Goëhausen *Pericul. Academ. P. 2. peric. V. qv. 31.* duos sufficere contra Fabrum disputans defendit, quippe dicit, si tali casu 5. testes præcisè exigerentur, utique non esset necessaria scriptura, cum constet legata & fideicommissa coram 5. testibus etiam sine scriptura relinqvi posse *L. fin. §. fin. C. de Codicill.* Et alias quod favore Parentum esset introductum, in odium illorum detorqveretur, quippe quorum quidem voluntas qvoqvô modô valere debeat, quoad extraneos tamen non aliter, quàm si relicta legata propria scripta manu, dictaq; à Parentibus testatoribus coram duobus testibus fuerint, atque in hanc opinionem allegat Donell. *lib. 6. Commentar. Jur. Civ. c. 9.* Wesenbec. *Vol. 1. Const. 90. n. 5.* Gilcken. *ad L. 21. §. Ex imperfecto. C. de testam.* Menoch. *lib. 4. Præs. 7. n. 8.* & Mev. *ad Jus Lubec. P. 2. tit. 1. A. 2. n. 34. 35.* hanc sententiam usu & in foro esse receptam dicit, à qvo tamen & aliis omnibus mox allegatis recedit Brunnem. *ad Auth. Quod sine C. in f.* dicens, tot testes in tali casu reqviri, quot in Codicillis, à qva tamen sententia recedere videtur *ad L. fin. C. de Codicill.* dicens, si in testamentis privilegiatis sufficiunt duo testes, multo magis in Codicillis

9. 10. 11. 12. 13.

dicillis privilegiatis, ut tempore pestis, inter liberos. Extranei
14. verò hoc in loco sunt omnes, qui non verè, & secundum naturam sunt liberi, ut Uxor, Noverca, Sponsa, Fratres & Sorores, &c. qvia & seqvitur, nec liberis sic inter Parentes testandi jus competere, nullam enim omninò mentionem faciunt LL. de hac materia disponentes; sed potius Imperator dum in h. Nov. dicit, mo-
15. rientium voluntates *Qvando sunt Parentes* observari debere, eos excludit, nec locum habet, in *liberis adoptivis* Tiberius Decian. *Consil. 34. n. 6. usq. ad f.* nec si quis instituat *Monasterium.* Mascard. *de Probat. Conclus. 1352. n. 69.* nam decisio *Auth. Qvod sine C.* ad Testamenta ad pias causas non pertinet Clarus *§. Testamentum qv. 7. n. 1.* Wesenb. *vol. 1. Cons. 90. n. 9.*

CAP. II.

De Revocatione Testamenti Paterni.

1. TEstamentum Paternum ita perfectum non rumpitur, si qvis testes producere vult, asserentes, mutasse testatorem voluntatem suam; sed reqviritur, ut pater mutaturus tale testamentum, per posterius solenne vel nuncupativum coram 7. testibus confectum id faciat.

2. *Add.* Igitur testamentum imperfectum, qvod inter liberos valere potest, aliô testamento imperfecto revocari, aut rumpi non potest; sed reqviritur, ut in posteriori testamento observentur solennia juris, & expressa fiat prioris revocatio, svasit enim hoc favor liberorum, & ne infinita Patris esset
3. licentia *Auth. Hoc pater C. de Testam.* ibi Brunnem. & Peretz. *C. n. 28.* vid. Richter. *Dec. 29. n. 24. 25. & seqq.* & in hoc casu est exceptio à regula *in L. 35. ff. de R. J.* ubi testamentum non eô modô dissolvi-
4. tur, quo erat colligatum. Aliud in testamento militis esse dicit Gothofr. *ad h. l.* cujus imperfectum testamentum revocari potest aliô imperfectô intra annum tamen missionis. *L. 34. in ff. de Testam. milit.* & ita facilius imperfectum militis testamentum rum-
5. pitur, quàm Patris inter liberos. Et tale testamentum imperfectum

fectum in præsentia testium 7. revocari debere tradit Linglois *ad qvinqvag. dec. lib. 6. qv. 8.* casu, cum novum testamentum sit inter liberos & extraneos (sive isti coheredes dati sint, sive legatarii, sive substituti) sic enim servari debet forma *Auth. Hoc inter liberos C. de Testam.* h. e. ut vocatis 7. testibus dicat testator, nolle valere prius testamentum, & aliud cum ordinaria LL. solennitate, seu per viam solennis testamenti, seu nuncupativi conficiat, alias dicit *n. 9.* non censeri revocatum esse primum testamentum. Revocatum qvoqve testamentum est, si id Pater laceraverit, inciderit, aut cancellaverit ex toto, nam ridiculum esset, Parentibus censeri prohibitum, qvod qvibuslibet extraneis est permissum, maximè cum hæc revocatio fiat in favorem omnium liberorum, qvi æqvaliter parentibus succedunt ab intestato. *L. ult. C. famil. ercisc.* Linglois *in c. l. n. 7.* 6.

CAP. III.

De Divisione bonorum Paterna.

SI qvis dividat proprias res, & filios evocans faciat subscribere divisionibus ipsis, & eas ratas judicare, sit ea divisio firma, in primis si per subscriptionem clara omnia pater fecerit. 1.

Add. Eruit hinc Gothofr. *ad h. Nov.* schedulam à patre non scriptam, vel subscriptam; sed tamen subscriptam à liberis valere, valere dicit, non jure testamenti; sed Contractus. Unde seqveretur, filium cum patre contrahere posse, qvod tamen secus de jure §. *6. Inst. de inutil. stipulat.* qvia filius cum patre una habetur persona, ita, ut vox unius sit vox alterius. §. *Si verò Inst. eod.* seqveretur itidem ejusmodi divisionem à patre non posse revocari, sicq; esset casus qvod qvis Legem sibi possit dicere, à qva non possit recedere contra *L. 22. pr. ff. de Legat. 3.* Cœterum, licet non negetur, posse qvoqve patrem non saltem per ultimam voluntatem; sed & per aliqvem actum inter vivos de bonis suis disponere, valet tamen ejusmodi tantum dispositio in vim ultimæ voluntatis, & proinde revocari potest, licet jurejurando esset confirmata, & consensu liberorum approbata, omne enim juramentum sanâ ratione intelligitur *Rebus sic stantibus.* Illustr. Dn. 2. 3. 4.

de

5. de Rhetz. *Jur. publ. lib. 3. Tit. 6. §. 5.* si scil. liberi in obseqvio parentibus debito jugiter persistunt, qvod si violent, & extremè ingrati deprehendantur, cur ipsis parentibus non esset integrum eandem divisionem per actum inter vivos factum revocare?
6. Nam & omnia juramenta, qvæ bonis moribus sunt contraria, qvæ in deteriorem exitum cedunt, exemplo perniciosa sunt, dicerem, qvæ & ad contemtum parentum pertinent, adeò ipsô jure sunt reprobata, ut nec absolutionem reqvirant, & sine metu perjurii licitè contemni possint, tradente Setser. *lib. 1. de Juram.*
7. *cap. 17. n. 7.* Interea verò si & talis divisio valere debeat, necessum est, ut in ejusmodi omnium liberorum ratio sit habita, nec ullus eorum præteritus, & tantum honorabili institutionis titulo capiat, qvantum aliàs ratione legitimæ ipsi debetur, ut præter
8. differentiam jam tum supra *Cap. 1. h. Nov.* traditam, differt hæc divisio à testamento paterno, nam in actu divisionis succeditur ab intestato, & judicio familiæ erciscundæ liberi portionem sibi assignatam conseqvuntur; Sed in testamento inter liberos licet imperfecta Successio testamentaria obtinet, & ita ex testamento succeditur. Brunneman. *ad L. fin. C. famil. ercisc.* Menoch. *lib. 4. præs. 7. num. 17.* Gail. *lib. 2. Obs. 116. per tot.* vid. superius dicta *ad Nov. 18. cap. 7.*

NOV. CIIX.

De Restitutionibus.

CAP. I. & II.

De Restitutionibus Fideicommissi universalis.

1. HÆres fideicommissô gravatus, ut restituat, qvicqvid post mortem superfuerit, non potest integrum fideicommissum consumere; sed qvartam partem fideicommissario salvam servare debet, in cœteris tribus
2. qvartis liberrima ipsi relicta est dispositio. In aliqvot tamen causis, ut in dotis, & donationis proprias Constitutione, ut & in redemptione captivorum, qvod omnium pretio-

pretiosius videtur, si alia bona heres non habeat illam etiam qvartam diminuere potest.

Addit. Omnia, qvæ hæres habet jure & titulo hæreditariô, qvæq; ex judicio testatoris ad ipsum perveniunt, in universalis fideicommissi veniunt restitutionem, hinc qvæ hæres gravatus aliô qvam hæreditario titulo habet, in restitutionem fideicommissi non veniunt. M. Anton. Peregrin. *de Fideicomm. Art. 6. n. 7.* 3.
Menoch. *lib. 4. Præs. 193.* Honded. *lib. 1. Consult. 3. n. 69.* prout nec bona, qvæ aliena fuerunt; sed tantum qvæ testantis & gravantis. Peregrin. *d. l. num. 13.* tempore mortis & aditæ hæreditatis, qvæ postea accesserunt in restitutionem fideicommissi universalis non veniunt, qvò tamen non spectant ea, qvæ per heredem gravatum ex causa transactionis sunt acqvisita, inprimis si lis cum defuncto erat contestata, hæc enim omnino & fideicommissario debentur. Peregrin *d. l. n. 40.* Alexand. Raud. *Decis. Pisan. 22. n. 5.* 4.
Idem & de Actionibus ex Contractu defuncti descendentibus dicendum est, hæ enim cum hereditariæ sint, ideò eveniente restitutionis casu ad fideicommissarium transeunt. Peregrin *Artic. 4. n. 66.* Fusar. *de Fideicomm. qv. 641. per tot.* 5.
Multa insuper qvæ in restitutionem veniunt fideicommissario passim à Doctoribus proponuntur, qvæ hic tamen lubens brevitatis amore prætereo, id paucis saltem dico, cum qvis in re certa institutus est, & fideicommisso gravatur, tunc si ipsi tota hereditas obvenit, vel qvia non habuit cohæredem, vel qvia hæres noluit, vel non potuit adire, totam hæreditatem in restitutionem venire. Peregrin. *de Fideicomm. Art. 5. n 33. & seqq.* 6.
Contrarium verò, scil. hoc casu non totam hereditatem, & illud qvod accrevit; sed tantum rem illam certam, in qva fuit institutus, restituendam esse, tradit Fusar. *de Fideicomm substit. qv. 654, n. 4. seqq.* cujus opinio æqvior esse videtur, siqvidem de eo qvod accrevit, defunctus non cogitasse videtur, & sic voluisse magis ad Fiduciarium, qvam Fideicommissarium heredem pervenire. vid. *Auth. Contra qvæ ex hac Nov. desumta C. ad SCt. Trebell.* qvo pertinet, qvod fructus superfluos non videatur rogatus restituere, *L. 57. 58. §. pen. ff. ad SCt. Trebell.* Linglois *ad 50. Decis. 35. ad lib. 6. qv. 6.* 7.
Licet verò per *h. Nov.* heredi liberam disponendi licentiam concesserit, hactenus tamen restrinxit, ut qvadrantem integrum servaret fidei- 8.

commissario, nam si hæres fiduciarius plus qvadrante consumserit, de suis bonis sarcire tenetur, nisi hæc cautio eidem sit à testatore remissa. *d. Auth. Contra.* si nequeat, ad ejus quartæ persecutionem datur Fideicommissario actio realis & hypothecaria contra tertium Possessorem. Brunneman *ad d. Auth. contra ad SCt.*
9. *Trebell.* Certis tamen casibus & hujus quartæ deminutio permittitur, de quibus in *h. Cap. 1.* Imperator, & jam tum satis supra ad *Nov. 39. Cap. 1.* dictum, inter quas duas Novellas hanc esse tradit differentiam Matth. Steph. *ad h. Nov. n. 1.* 1. Quod *Nov. 39.* agat de restitutione ab herede facienda, qui simpliciter rogatus est eam restituere; sed hæc præsens agat de restitutione ejus tantum, qvod supererit de hereditate, cum moritur. 2. In *Nov. 39.*
10. restituitur plerumq; dodrans, nisi quid de eo fuerit detrahendum nomine dotis vel donationis propter nuptias. At in *Novell. 108.* restituitur ferè qvadrans fideicommissario, dodrans verò totus est in potestate & perfecto dominio ipsius heredis gravati. Rittershus. *P. 6. Jur. Nat. C. 9. n. 18.* ubi plures habet differentias *& Cap. 10.* subseqv. allegat duas facti species, quæ occasionem
11. præbuerunt. *Nov. 39. & h. Nov. 108.* Ambæ verò hoc habent commune, in eoq; conveniunt, qvod sive qvis totam hereditatem restituere sit rogatus, sive id qvod ex ea supererit tempore mortis prohibeant heredi simplicem donationem, qvia donare est perdere. *L. 7. pr. ff. de donat. L. 3. ff. ad SCt. Maced. L. 25. §. 11. ff. de hæredit. petit.* qvod de simplici tantum ac mera donatione verum est, qvæ non fit ob aliqvam causam, & pro qva nihil recipitur.
12. Aliud est in donatione propter nuptias, & in dote, qvæ sunt qvidem species donationum, Contractibus tamen potius annumerantur qvia fiunt lucri causa, & ob causam, & aliqvid pro illis recipitur.

NOV. CIX.

De Privilegiis Dotis Hæreticis Mulieribus non præstandis.

PRÆFATIO.

1. UNa est Imperatori in omni Reipubl. & Imperii vita in DEO spes, scienti, qvod sibi & animæ & imperii det salutem, unde & ejus Legumlationes pendent, earum

earum principium, medium eſt & terminus. Sicut verò Anteceſſores Imperatores ut Leo piæ memoriæ & D Juſtinus Pater hæreticis omnibus interdixerunt, ne qvodlibet in publicis cauſis haberent participium, ne occaſione militiarum & publicorum Collegiorum Sanctæ DEI Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ membra viderentur vaſtare, ita & ſuis conſtitutionibus hæc corroborat Juſtinianus; Hæreticos verò, & illi dixerunt & ipſe dicit eos, 2.
qvi diverſarum ſunt hæreſium, qvibus conjunget & connumerat, & qvi Neſtorii Judaicam ſeqvuntur Veſaniam, & Eutychianiſtas, & Acephalos, qvi Dioſcori & Seviri mala Secta langvent, & Manichæorum & Apollinaris renovant impietatem, & omnes; qvi non ſunt membrum Sanctæ DEI Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Igitur Sacram 3.
Communionem in Catholica Eccleſia non percipientes à Sacerdotibus hæreticos juſtè vocat, nam licet nomen Chriſtianorum ſibimet inpoſuerint, à Chriſtianorum tamen fide & communione ſe ſeparant, Dei judicio ſemetipſos ſubdi cognoſcentes.

Addit. A DEO T. O. M. omnem Summorum Principum 4.
Poteſtatem pendere & fluere non niſi juſte & rectè creditur, piè qvoqve hic credit D. Imperator, omne ſuum Legislationis principium, medium & terminum unico Deo adſcribens. Etenim 5.
Reges ſunt Christi Domini *1. Reg. 24. v. 11.* h. e. à Deo uncti & ſignati, ut inviſibilem Deum ſpecie viſibilium in terris repræſentent, Jeſuita Cauſſin. *in Diſſert. ad Libros Reg. 1.* & qvod Sol in firmamento, hoc eſt Rex in Imperio, à DEO conſtitutus, ut terrori ſit improbis bonis præſidio. Idem *Diſſert. 65.* Atqve ex hoc 6.
fundamento Eccleſiis benè providet, ut juxta Chriſtianam Religionem gubernentur, verus Dei cultus promoveatur, eumqve turbantes, vel pravo dogmate conſpurcantes, qvam procul removeantur. Et ne qvid tale fieret, vel ne Eccleſiæ Catholicæ membra vaſtarentur, ab omnibus collegiis publicis Hæreticos olim excluſere Imperatores. Et hodiè ubi mixtæ Religionis Ma- 7.
giſtratus ſunt, alii Religioni addictos Socios intuitu Poteſtatis

publicæ non debent perseqvi, nec qvicqvam moliri qvod Conscientias ipsorum oneraret, in seqviorum sententiam traheret, aut qvocunq; modo vitæ conditionem difficiliorem & tœdiosam
8. redderet; qvæ & similia ut prohiberentur, jam tum olim Marcianus Imperator in *L. 4. C. de Summa Trinitat.* in Chalcedonensi Synodo convocata prohibitiones fecit, & nostro & anterioribus Seculis propterea per Pacem Religiosam & *Instr. Pac. Osnab. A. 5.* ferè per totum imperium fuit prospectum. vid. Illustr. Dn. de Rhetz. *Inst. Jur. Publ. lib. 2. Tit. 1. per tot.* ut varias Sectas Nestorian. Eutych. Acephal. & alios, qvarum hic facit mentionem Imperator, ordine explicemus, operæ pretium non videtur, cum jam tum partim à Theologis, partim ab Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus hoc abundè sit præstitum. vid. Georg. Horn. *Histor. Ecclesiast. ad An. Christi. 431. 448. & ad An. Christi 493.* ubi de Acephalis, qvales dicti, qvod nullum certum hæreseos suæ vel schis-
9. matis Autorem haberent. Conf. Dieter. *Instit. Catechet. Art. de Persona Christi pag. 375. 377.* & de Dioscorianis in tres divisis sectas, ut Armenios, Jacobitas, & Costos agit Bartholomeus Georgii vitius, qvi per 13. annos in Turcia fuit, Busbeqv. Epistol. ut & Baptista Montalanus, & de pœnis Hæreticorum dictum supra ad *Nov. 42. Cap. 3.*

CAPUT. I.

1. PRivilegium Prioritatis uxoribus circa repetitionem dotis concessum his dat solis, qvæ diligentiam habent rectam, & adorandam fidem tenent Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ & participant in ejus salutari communione, qvæ enim sæparant se à Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nec vult dignas fieri privilegiis, nec ex suis LL. frui permittit continentia, qvia omni privilegio ex Constitutionibus Imperiis dato privabuntur.

CAP. II.

1. LIcebit autem eis melioris sententiæ factis, & rectam veramqve amplectentibus fidem, & privilegiis aliarum mulierum Orthodoxarum in dote competentibus uti; & injungit judicibus, si non invenerint eas Orthodoxæ fidei

xæ fidei existentes, nec percipientes Sacrosanctam & adorabilem communionem in Sanctissima Catholica Ecclesia & Apostolica à Sacerdotibus, ne permittant frui ex Constitutionibus privilegiis.

NOV. CX.

De Nauticis Usuris.

HÆc Novella posterior abrogat *Nov. 106.* & pro non scripta habetur, igitur Usuræ Nauticæ secundum Leges Codicis in primis juxta *L. Eos 26. C. de Usuris* sunt determinandæ. 1.

NOV. CXI.

De Tempore actionum sacris locis Competentium.

CAPUT I.

Actiones contra loca religiosa & actiones pereunt annis XL.

IMperator hic Præscriptionem centenariam Ecclesiis & venerabilibus locis aliis in Nov. 9. supra concessam abolet, & in ejus locum qvadragenariam substituit, ut adeò & pia loca XL. annis præscribantur, reliqvis præscriptionibus, ut & usucapione triennali in robore suo manentibus, qvam Novellam Imperator ad negotia nondum decisa restringit. 1.

Add. Hoc Imperatoris Conclusum variè ampliatur in textu scil. 1. ut procedat etiam in Hospitalibus *h. c. 1. N.* 2. In pauperibus & miserabilibus personis. *h. c.* Licet olim secundum Canones antiqvos Ecclesia contra Ecclesiam 30. annis præscripserit, hodie tamen istis Canonibus correctis Ecclesia præscriptura contra aliam Ecclesiam semper opus habet qvadragenaria præscriptione *h. c.* Brunnem. *ad Auth. Quas actiones C. de SS. Eccles.* Hahn. 2.

 ad Wesenb.

3. ad Wesenb. *Tit. de usucap. N. 7.* Sic tamen, ut non currat hæc præ-
scriptio nisi à die pronunciationis, ut explicat, Pacianus *Consil.*
19. n. 58. 4. Ut & Laicus possidens rem temporalem Ecclesiæ ut
proprium bonâ fide spacio XL. annorum præscribat contra Ec-
clesiam, *gl. fin. in l. fin. de præscr. in 6to.* modo tamen Ecclesia non
fuerit impedita Laicum interpellare, & contra hunc actionem
4. suam perseqvi, qvippe Præscriptio qvadragenaria non delet obsta-
re litem perseqvi impeditis, aut penes quos non stetit, ut perse-
qverentur Mev. *P. 8. dec. 459.* quod jus cum in Laicis servetur,
Ecclesia favore digna deterioris non erit conditionis. 5. Ut non
solum res corporales immobiles Ecclesiasticæ præscribantur con-
tra Ecclesiam 40. annis, sed etiam res incorporales, ut jura & ser-
vitutes causam continuam habentes. Licet enim de Jure Civili
inter privatos præscribantur longô tempore, *L. 2. C. de Servit. &*
5. *aqva,* in prædio tamen Ecclesiastico hujusmodi servitutes non
præscribuntur nisi 40. annis. *C. si diligenti, & C. de quarta X. de*
6. *præscr.* Balb. *de præscr. in 2. p. 4. part. pr. qv. 1.* Qvod verò supra sub
Ampl. 3. dictum, Ecclesiam contra aliam 40. annis præscribere,
puto meritò limitari, nisi una certet de lucro captando, altera
verò de damno vitando *arg. l. 11. §. 6. ff. de minor.* Sic enim cum
qvidem libenter damnum evitare voluerit non autem potuerit,
meritò restituenda, argumento eorum, quæ tradidit Mev. *dec. mox*
7. *allegatâ.* 6. Si Laicus contra Ecclesiam Jus Patronatus haben-
tem præscribat, etiam 40. annis opus habet, prout & in rebus
Ecclesiæ aliis. Eqvidem si Ecclesia non patronata; sed libera,
Laicum in ejusmodi Ecclesia libera planè jus Patronatus præ-
scribere non posse asserunt Panormit. *in c. quarelam n. 9. X. de Elect.*
8. Fachin. *lib. 8. Controvers. c. 24.* nunqvam tamen Jure Canonico fa-
cultatem præscribendi Laico esse denegatam rectè monet, Fin-
ckelth. *de Jure Patronat. c. 4. n. 96.* inde ut hic præscriptionem 40.
annorum esse admittendam, modò adsit titulus, alioqvin præscri-
ptione immemoriali esse opus ex Ddb. tradit Excell. Dn. Stryk.
9. *ad Jus Eccles. Brunn. lib. 2. c. 8. ad th. 8.* 7. Et Ecclesiam succeden-
tem privato, contra qvem inchoata est præscriptio, gaudere pri-
vilegio præscriptionis 40. annorum tradit Carpzov. *P. 2. C. 5. def. 3.*
8. Licet contra Civitatem non nisi 100. annorum spacio præscribi
Wesenb.

Wesenb. *ad tit. de Usucap. n. 7.* Rueding. *C. 5. obs. 81.* Castr. *ad Auth. Qvas actiones C. de SS. Eccles.* Cujac. *lib. 5. obs. 5.* per *L. fin. C. de SS. Eccles.* qvam nullibi dicunt esse correctam. Alii tamen harum 10.
rerum præscriptionem ad 40. annos esse redactam docent *arg. h. N. 109.* Gebhard. *de usucap. c. 4. §. 5. n. 10.* Hahn. *ad Wesenb. d. t. n. 7.* Boër. *decis. 264.* Bachov. *ad Tr. l. 2. disp. 22. th. 4. lit. I. m.* Qvanqvam verò contra hactenus dicta in sola Romana Ecclesia centenariam remansisse præscriptionem per *L. fin. C. de SS. Eccles. & Nov. 9.* tradant Zœs. *ad ff. tit. de usucap. n. 15.* Ungep. *ad Decr. de præscript. n. 16.* Hahn. *ad Wesenb. de usucap. n. 7. verb. & Emt.* Richt. *P. 1. dec. 21. n. 51.* Brunnem. *ad Auth. Qvas actiones C. de SS. Eccles.* Donell. *lib. 5. Commentar. Jur. Civ. c. fin. lit. f.* forte quod Pontificii asserant, eam esse caput cœterarum, & ad eam, tanquam ad matrem atque apicem omnes Majores Ecclesias & Episcopos recurrere, *c. Antiqva X. de Privileg.* veram tamen matrem se postea non præbuisse, 11.
qvia non aluit filias suas cibô incorruptô recte asserit Ziegl. *ad Lancellott. lib. 1. Tit. 5. §. 5.* Neqve in spiritualibus & causis fidei hodie adeò magna est Pontificis autoritas; sed ab ipso provocatio ad Concilium universale omninò fieri potest, qvam sententiam defendunt Petrus Gregor. *de Appellat lib. 3. c. 4.* Besold. *eod. Tr. c. 4. n. 9.* Et hac provocatione à Pontifice scil. ad Concilium dua- 12.
bus vicibus fuisse usum B Dn. Lutherum refert Sleidan. *lib. 1. & 2. de Statu Relig. sub Carolo V.* Quicquid verò horum omnium sit, nec Romanam Ecclesiam peculiari præ cœteris Ecclesiis præscriptione gaudere & Nov. 9. per præsentem correctam statuunt, Ludw. *ad Wesenb. Tit. ff. de usucap. N. 7.* Cujac. *lib. 5. obs. 5.* & in specie præsentem Nov. esse correctoriam *Nov. 9.* tradit Ritterhus. *P. 11. c. 1. n. 7.* Exceptis hactenus dictis res mobiles Ecclesiæ usucapi- 13.
untur triennio sicut res privatorum *h. N. & Auth. qvas actiones C. de SS. Eccles.* ut & in actionibus annalibus, ut injuriarum, & aliis temporalibus præscriptionibus, ut actione reali C. qvanto minores &c. in qvibus omnibus prout contra privatum, sic & contra Ecclesiam præscribitur. *L. 2. in f. C. de præscr. qvadr. L. cum lex ff. de Æ. E.* Richt. *ad Auth. quas actiones C. de SS. Eccles. & Dec. 21.* Hinc 14.
sequitur, terminos seu præscriptiones judiciales ut 10. dies datos ad appellandum *Auth. Hodie C. de appell.* item tempora fatalia Appellationis

tionis *Auth. Si qvi C. de tempor. Appell.* etiam contra Ecclesiam currere.
15. Ulterius nec Clerici gaudent præscriptione qvadragenaria in bonis patrimonialibus; sed contra eos præscribitur secundum Juris Civilis dispositionem, ut est *Gloss in L. Possessionis Inst. C 16. qv. 4.*
16. nec enim gaudent Clerici in patrimonialibus privilegiis Ecclesiæ nisi in casibus jure expressis. Bambus *de Præscr. P. 1. part. V. pr. 5. qv.* Cœterum omnibus casibus quibus Præscriptio contra Ecclesiam debet currere, necessum est, *ut Ecclesia suum habeat Caput*, nec desit, qvi Ecclesiæ jura attendere possit; imò Ecclesia ita destituitur legitimo defensore, hinc etiam jure agere prohibetur, *arg. c. ult. X. ne sede vac.* non valenti verò agere, non currit præscriptio *L. 2. C. de Annal. Exc.* Gvido Papæ *Dec. 152.* Balb. *de Præscript. P. 2. P. 6. pr. n. 7.*

Nov. CXII.

De Litigiosis.

CAP. I.

Qvæ Res litigiosa sit.

1. I. Litigiosa res dicitur & intelligitur res mobilis & immobilis seseq; movens, de cujus dominio causa inter Actorem & Reum movetur aut per judiciariam conventionem, aut per preces Principi oblatas, & insinuatas judici, & per eum Reo cognitas, & in his casibus etiam Constitutionem in *L. fin. C. de Litigiis.* obtinere vult, in qva scientes & ignorantes emtores discernit, (scilicet, ut sciens emtor re careat, & pretium detur fisco, non ut lucro cedat alienantis, imò ipse det tantundem, si verò sit
2. emtor ignorans, pretium retrahat) & hoc adjiciendum perspexit, ut si lite de re litigiosa pendente reum ab hac luce contigerit recedere, ejusqve heredes divisionem rerum facere velint, illis id sine ullo obstaculo liceat. Qvando enim res litigiosæ per successionem ad heredes perveniunt, non debet alienatio intelligi earum inter Cohæredes divisio.

II. Hoc

II. Hoc præsenti Lege qvoqve decernit, ut si contigerit unum pro tali causa litigantem ab humano consortio recedentem per ultimam voluntatem res aliqvas de qvibus lis est, alieni legati nomine relinqvere, si heres judiciali sententia dominus earum fuerit demonstratus, Legatarius relictum omnibus modis conseqvatur; Si verò heres in judicio victor fiat, Legatarius non habebit licentiam, aliam rem pro eodem legato ab herede exigere, qvia testator sciens rem litigiosam esse, litis eventum legatario dereliqvit, ad hunc effectum, ut si ea forte evicta sit ab heredibus, alia res legatario non præstetur, licentiam tamen habet legatarius, ut si prodesse sibi putaverit, litis particeps fiat, ne qvam forte negligentiam seu proditionem heredi possit objicere. 3. 4.

III. A litigiosi vocabulo hypothecas separari vult, ita, ut si speciales res mobiles, vel immobiles, aut se moventes nominatim hypothecæ fuerunt suppositæ, liceat qvidem debitori eas, cui & qvando voluerit vendere, sic tamen, ut ex pretio earum usqve ad debiti qvantitatem satisfaciat creditori, qvod si debitor non fecerit, licentiam habet creditor, qvi rem venditam suppositam habet, eandem vindicare, donec ei pro debito satisfiat, nisi fortè ante aut per generalem, aut specialem hypothecam eadem res nominatim aliis creditoribus fuerit obligata, sic enim secundum LL. tenorem temporum privilegia unicuiqve servari debent. 5. 6.

IV. Ex his patet, generales hypothecas multo magis litigiosi vocabulo contineri velle Imperatorem, & earum actiones secundum veterum LL. constituta examinari. 7.

Addit. Fit autem res litigiosa aliter in *Realibus*, aliter in *Personalibus*. *In illis* fit à die editæ citationis, sive illa citatio fiat à Judice ordinario, sive ab eo, qvem Princeps delegavit, ut tamen citatio sit valida. Brunneman *ad Auth. Litigiosa C. de Litig.* & qvia 8.

hac Auth. tantum meminit realium actionum, & sufficit oblatio precum Principi & judici insinuatarum proinde ad personales
9. non est trahenda. Negat tamen Menoch. *lib. 2. praes. 97. n. 1.* sola supplicatione coram Principe vitium litigiosi contrahi, qvi tamen forte intelligendus, si ad eas nondum Princeps respondet
10. aut judici sint insinuatae; vel parti denunciata lis. *In Personalibus* fit res litigiosa, qvando agitur actione personali pro re aliqva, qvod declarat Gvido Papae *qu. 479.* citante cum Menochio *d. l. n. 14.* Si enim, dicit, adversus te proposui actionem personalem, petendo fundum illum, & tu respondisti, non teneri, lis dicitur contestari, & ideo instantia coepta inter te & me ita effectu est litigiosa, ut ego eam ipse prosеqvi debeam, nec alteri cedere possim, cum adeo affixa sit mihi, ut in alium transferre neqveam *L.*
11. *3. ff. pro Soc.* sed in alium si transtuli, jura mea qvae habeo contra te, dicor transtulisse & concescisse non qvidem actionem illam directam, sicqve illam instantiam coeptam; sed actionem utilem tantum, qvam is Cessionarius ex sua persona proponere potest, ut dicitur nova actio nunqvam intentata, & conseqventer nullo
12. litigiosi vitio affecta. Qvomodo itidem in actione personali in rem scripta, actione mixta in judiciis universalibus res ipsa & actio efficiantur litigiosae Idem tradit Menoch. *d. l. n. 22. & seqq.*
13. Effectus rei litigiosae potissimum in eo elucet, qvod rem litigiosam emens, aut alio qvocunqve titulo acquirens per hujusmodi exceptionem ab acquisitione repellatur, si nimirum sit alteruter litigantium, nam si tertius rem illam qvarto vendat, contra
14. erit, ut notat Zas. *in L. litigiosam n. 2. ff. de litigios.* Sed & si qvis illam acquisiverit quovis ferè titulo, dicendum est victori, aut si alii redhibenda est, licere illam rem repetere, alienatione rei irritâ factâ *L. ult. C. de litig.* non quod ipso jure res litigiosa in contractum deduci non possit, ut censent post Bartol. *in d. l. ult. C.* Sichard. & Zas. *in d. l. litigiosam n. ult.* sed quod Contractus virtute hujus exceptionis rescindendus sit. *d. l. ult.* Cujac. *ad h. Nov.*
15. *112.* vid. Linglois *ad 50. Decis. Dec. 1. qu. 1. n. 19.* Interea quando litigiosae res ad heredes deveniunt, & illi easdem inter se dividunt, non alienant, qvippe ut heredes factum defuncti praestare tenentur illi, qui jus in illa re habent. *L. cum à Matre 14. C.*

de

de R. U. & dicit hic convenienter Umm. *Disput. ad Proc. 8. th. 6. circa fin.* Jure Cod. hactenus heredes rem talem inter se dividen- 16.
tes, vel testatores rem legantes tutos fuisse, ut eo nomine pœnam non incurrerent, non verò ut ipsa divisio vel legati relictio jure subsisteret, id namqve jure Novello demum effectum esse dicit. Hoc ipsum, cum in dote & donatione propter nuptias 17.
nullibi admissum sit, ulterius concludit, nedum qvidem dotem, aut donationem propter nuptias jure litigiosa constitui posse, qvanqvam si de facto tale qvid contingat, citra irrogationem pœnæ rem illam suo ordini ad instantiam alterius restitui posse & debere contendat. Hodiernis verò moribus res litigiosas ven- 18.
di, permutari, obligari, vel alii modo transferri posse, tradit Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 46. th. 51.* Legatarius verò, cui res litigiosa relicta est, litis eventum exspectare debet, & siqvidem vicerit heres, legatario ipsam rem debet, sin victus fuerit, nihil præstandum, cum litis eventus legatus videatur. *Auth. Nunc si heres C. de Litigios.* Ne verò heres in præjudicium le- 19.
gatarii cum suo adversario colludat, svadet Brunnem *add. Auth.* ut legatarius liti adsit, sicqve legatum tale consistere in eventu, & derogari. *L. 3. C. de litigios.* ut & *l. 4. C. eod.* ut statuit Diod. Tuld. *C. eod. n. 6. m. 3.* hæcqve est sententia Peretz. *C. h. tit. circa fin.* Separantur autem, ut hic tradit Imperator à litigiosi vocabu- 20.
lo *Hypotheca*, inde & actio hypothecaria rem litigiosam non efficit, nec eam alienari impedit *Auth. litigios. C. h.* Gvido Papæ *Dec. 433. n. 7.* Si tamen emens rem alteri oppignoratam, sciebat li- 21.
tem super hypotheca esse motam, vel hypothecariam actionem esse institutam, & debitor non habeat aliud, unde creditori satisfaciat, probata scientiâ debitoris, sententia lata contra reum principalem absqve novo processu executioni mandabitur contra tertium possessorem, qvia hæc alienatio censetur facta in fraudem litis & ad eludendum judicium ideoq; revocatoria actione hic opus non est. Covarruv. *Practic. qv. C. 15. n. 7.* Anton. Fab. *C. lib. 8. Tit. 24. def. 1.* Giphan. *ad L. 24. C. de pignor. vers. tertia ejus exceptio.* Ex hoc qvoqve fundamento licet Fidejussor habeat beneficium excussionis *per notoria juris*, si tamen ædes specialiter hypo- 22.
thecatas possideat, illud non allegare posse, respondet Carpzov.

lib 2. Resp. 72. Moribus ad alienationem rei litigiosæ, ut ea absqve vitio, seu pœna litigiosi procedat, gratia Principis impetrari
23. solet. Extingvitur qvoqve vitium litigiosi transactione, & renunciatione litis perempta instantiâ, & sententiâ absolutoriâ pro reo lata. Menoch. *lib. 2. præsumpt. 91. n. 61.*

CAPUT II.

De Cautione qvæ ante reorum citationem præstari debet ab Actore.

1. LIbellus non antea reo dandus, nisi actor eidem subscripserit, & fidejussorem idoneum dederit, qvod usqve ad finem litis permanere, eamqve aut per se, aut per Procuratorem exercere velit, & si succubuerit, decimam partem litis ratione expensarum velit solvere, qvod si fidejussores invenire non possit, ad cautionem juratoriam est admittendus.

2. §. 1. Dictatur Judici denarum librarum auri pœna hæc non observanti, ipse autem executor negotii & confiscationem suæ substantiæ patiatur, & exilio qvinqvennali damnabitur; si qvod verò damnum reo contigerit, ob nec præstitam cautionem id ex actoris bonis est farciendum, nisi consensu utriusqve hæc cautio remittatur.

3. *Add.* Ex *Novella hac* desumta *Auth. Generaliter C. de Episc. & Cler.* Esse verò hanc cautionem moribus nostris sublatam, tradit Sichard. ad *Auth. offeratur n. 14. C. de litis contest.* id tamen omninò manet, ut si semel actionem proposuerit, sive conventione judiciaria sive precibus Principi oblatis, judiciq; insinuatis, & per eundem adversario communicatis, necessum habeat, usqve ad finem litem exercere *Auth. qvi semel C. qvomod. & qvando jud.* nec dum ipsi desistere integrum; sed tam in criminalibus, qvam civilibus desistens plectitur, vel tanqvam collusor cum adversario velut Calumniator, vel Procurator, *L. 1. ff. ad SCt. Turp. L. 212. ff. de V. S.* aut si usq; ad finem litem foveat iniqvam, ut temerarius litigator sumptus adversario resarcire compellitur. *L. E-*
4. *um qvem temere 79. ff. de judic.* De cœtero cavere non tenetur, si pos-

ſi posſesſionatus ſit. *L. ſciendum 15. ff. qvis ſatisd.* an verò tali caſu nihilominus fidejusſoribus cavere debeat, qværitur; qvod aliqvi volunt, qvia *Auth. Generaliter* ſuper reo posſesſionato cautionem fidejusſoriam non admiſit, & ob id ex *d. l. 15.* interpretationem ſumi non posſit. Cœterum Jaſon. *ad d. l. 15. pr. n. 2.* con- 5.
tendit, actorem immobilia posſidentem ad ſatisdationem non teneri, maxime cum nec reus posſesſionatus fidejusſoribus oneretur, & ſic nec actor deterioris debeat eſſe conditiones. vid. Doctores ad *Auth. offeratur C. de lit. & teſt.* Qvatenus verò posſes- 6.
ſor immobilium à ſatisdatione relevetur, per limitationes & ampliationes latè explicat Ayrer *in Proc. P. 1. cap. 10. Obſ. 3. per tot.* Sed in uſu tantum apud nos eſt, ut de expenſis & reconventione caveat actor. Carpz. *P. 1. Conſtit. 5. def. 1.* licet enim hic in 7.
Marchia reconventio una cum conventione ſimul procedat, ea tamen, qvæ ex eventu cauſæ principalis dependet non poteſt ſimul inſtitui, & remanſit, ut in plerisq; judiciorum ordinationibus, ita & hic cautio de proſeqvenda lite, & reſtituendis in caſum ſuccumbentiæ expenſis, licet in ſpecie exceptionis cautionis pro expenſis & reconventione inſignem eſſe utilitatem, qvando vel reconventio non gaudet ſimultaneo procesſu Dn. Stryk. 8.
Introduct. Pr. for. cap. 11. §. 2. & ad Tit. ff. qvi ſatisdar. cog. §. 7. vel in procesſu executivo exceptiones tanqvam altioris indaginis ad reconventionem rejiciuntur. Berlich. *P. 1. Concl. 84. num. 9.* qvam etiam tunc præſtandam volunt, licet juramentum paupertatis ſit præſtitum Carpz. *lib. 2. Reſp. 81.* Pleriq; verò judicia duobus ſibi 9.
ſatisfieri, pati *litis ad finem perſecutione*, & *in caſum ſuccumbentiæ refuſione expenſarum* variis judiciorum allegatis Ordinationibus probat Giſebert. *Juſtin Harmon. ad Tit. de Satisdat. n. 75.* Qvamvis 10.
etiam ſi fidejusſores invenire non posſit actor, ad juratoriam cautionem ſit admittendus, ſi famæ integræ ſit, ut explicant multi, ſubleſtæ tamen fidei itidem in ejusmodi caſum admittendus, alias enim in totum â judicio repellendus foret, aut tamdiu ob actionem civilem & pecuniariam inſtitutam in carcere detinendus, qvorum tamen neutrum juris rationi congruit. Brunnem. *Proceſſ. Civ. cap. 8. num. 14. & ad Auth. Generaliter C. de Epiſc. & Cler.*

CAP. III.

Ut post annum & tria Edicta in Actorem contumacem sententia feratur.

1. Actor cœptum negotium usqve ad finem litis exercere debet, & si proseqvi differat habeat reus licentiam, judicem apud qvem lis cœpta est, postulandi, ut ab eodem judice actor ad judicium aut per se, aut per legitimum procuratorem venire moneatur, qvod si non fecerit, tribus propositis edictis vocetur, qvorum qvodlibet
2. 30. diebus debet terminari. *Nam vocem praconum possunt pauci, qvi prasentes inveniuntur audire, Edicta verò per multos dies sic posita, possunt penè omnis agnoscere: aliis qvoqve omnibus judicibus permittitur, partes, qva in judicio non remanent propositis Edictis vocare, ne causa infinita permaneant.*

3. §. 1. Idem obtinet, si apud judicem litis contestatio non sit facta; sed tantum per conventionalem libellum adversario de jure actoris cœpit constare, nam & sic licebit reo ad competentem judicem ire, & facere, ut adversarius vocetur, ejusqve præsentiâ factâ, lis secundum LL. Ordinem examinata, finem legitimum sortiatur.

4. §. 2. Qvod si propositis edictis vocatis ad judicium venire, & intentiones suas aut per se, aut per legitimum procuratorem proponere noluerit, aliud unius anni spacium concedit Imperator, qvo litem perseqvi liceat, intra qvod si intentionem suam non fuerit prosecutus, judex allegationes rei examinare, & veritate subtilius reqvisitâ sen-
5. tentiam ferre potest. Si intra illum annum venerit, reo refundere debet expensas contumacia suâ causatus, & sic litem perseqvi, donec qvidem secundum LL. accipiat. Nam si tantummodò venerit, ut anni lapsum interrumpat, postmodum verò iterum recedat, ab omni cadit actione.

Addit.

6. *Addit.* Eqvidem nemo invitus agere tenetur. *t. C. nemo invitus &c.* imò nec accuſare qvis cogitur, niſi agatur ex *L. diffamari*, vel ex *L. ſi contendat 28. ff. de fidej.* ut tamen inſtitutam actionem ad finem perducat, poteſt cogi, *h. Nov. cap. 3. Auth. qvi ſemel C. qvomodo & qv. judex &c.* qvia per litis conteſtationem judicio qvaſi contrahitur de ſententia exſpectanda. *L. 3. §. 11. ff. de Peculio.* imò nec hoc pertinet ad Magiſtratum, qvi vindex utilitatis publicæ conſtituitur, ut & officio non imploratus ad puplica commoda fungi teneatur. Heig. *P. 2. qv. 39. n. 29. 30.* 7. Inde & licet actor mortuus, inſtantia morte ejus non perimitur; At ſi forte fatale inſtantiarum ex *L. Properandum 13. C. de judic.* alicubi obtineat, id ab herede continuandum eſt. Gail. *lib. 1. Obſerv. 37.* Mynſing. *Cent. 3. Obſ. 37. n. 9.* Gilcken. *ad d. l. properandum n. 8.* Peregrin. *de Fideic. art. 53. n. 18.* ubi tamen Doctores communiter exceptionem faciunt in Clerico defuncto laico ſuccedente, ſic 8. enim inſtantiam in defuncto cœptam paſſivè non continuari in hæredem Clericum; ſed de novo coram judice Eccleſiaſtico debere inchoari tradunt Peregrin. *d. Art. n. 20.* Trentacinqv. *Variar. Reſolut. 4. Tit. de Judic. n. 17.* qvæ ſententia tamen dubia; cæterum licet ipſe actor ſive heres ejus, poſito qvod ſit obligatus litem perſeqvi nolit, ad id, ut hic vult Imperator, movere debet, ad cujus judiciale monitum, ſi non qvod officii ſui eſt fecerit, & legitimo modo finem liti cœptæ imponere tergiverſetur, trina citatione edictali emanata compelli debet. 9. Alia enim media legitima anteqvam ad edictalem citationem perveniatur, ſunt tentanda, qvippe ſi in perſonam vel ad domum ſolitæ habitationis executio citationis fieri poſſit, ea locum non habet, *c. cauſam X. de dolo & contum.* Gail. *lib 1. Obſ. 57.* 10. Tutò verò procedit Magiſtratus, ſuper edictali citatione affigenda, ut conſilium reqvirat à Dicaſteriis & JCtorum Collegis, ne forſan ex præcipitantia gravet citandum, ſeſeq; injuriarum actione obſtringat. v. Umm. *Diſp. 5. ad Proceſſ. th. 11. n. 62.* Et licet Græv. *Pr. Concl. 57. num. 4.* 11. autoritatibus firmet, ſolum Principem edictaliter citare poſſe, neqvaqvam verò inferioribus Magiſtratibus ac judicibus hanc poteſtatem competere, qvotidiana tamen teſtatur experientia, & inferioribus judicibus ac Magiſtratibus hanc competere poteſtatem,

tem, & partim â Rectoribus Magnificis Universitatum, aliisq; oppidanis Magistratibus Studiosos & Cives edictaliter citari, si,
12. nesciretur, ubi locorum commorentur. Si verò de hoc constet citandus autem, nec per se ipsum, vel per ministros suos citationem acceptare dignetur, prohibendo forsan custodes castri, aut civitatis, ne intromittant nuncium citantem, edictali citatione opus non esse, sed regularem ei consvetam citationem operari effectum suum, qvæ perinde citatum arctat, ac si in personam
13. facta esset, tradit Gail. *lib. 1. Observ. 55.* Idem etiam obtinet, si actor qvidem actionem apud judicem introduxit per libellum, postmodum autem non urgeat, ut litem reus contestetur, hæc enim *regulariter* omitti non potest, Gail. *lib. 1. Obser. 74.* Mynsing. *C. 4. Obs. 66.* nec voluntate judicis, Speckh. *C. 2. Cl. 4. n. 20.* nec
14. consensu vel voluntate partium Mynf. *Resp. 8. n. 3.* Inde & vel judex urgere potest, ut ea fiat, si scil. publ. intersit, alias non imploratus, nec officium suum impertitur, multi enim actores ardore litigandi incensi gaudium sperant, modo reum temere ad judicium vocent, hunc verò si causæ non diffidentem & intrepide comparentem videant, mox solent se subducere, saltem ut glaucoma faciant, & reum in expensas conjiciant, qvô casu si & fortè post processum metuat reus, ut is finem legitimum sortiatur, recte vocatur adversarius, ut cogatur viam ambulare, qvam
15. semel cœpit. Trinâ verò citatione edictali factâ, si nec tum compareat actor, qvomodo cum eo reus procedere possit, satis clare in §. 2. *h. cap.* proponitur, & ab hoc jure non multum abscedit Constitutio Cam. *P. 2. Ordinat. Camer. 42. §. Wo aber.* potest enim reus libello exhibitô post Proclama factum, & sex juridicas insuper effluxas in contumaciam actoris litem negativè contestari, in causa principali procedere, ita, ut sententia judicis subseqvatur, & deinceps actori ulterior agendi via intercludatur. Gail. *lib. 1. Obs. 59. n. 4 seqq.* Blum. *Processf. Camer. Tit. 66. num. 46.* Conf. Guelich. *Observ. ad Mynf. Cent. 4. Obs. 66.* ubi explicat §. 49.
16. *alleg. Ordinat. Camer. Wo aber.* De Jure Civili qvalis emanentis actoris sit pœna, notum est, scil. non tantum reo condemnatur in expensas, & de lite proseqvenda cautionem sufficientem præstandam; sed & ipse reus absolvitur, & sic tota circumducitur & cassatur

cassatur citatio *C. 1. X. de dolo & contumac. in 6to.* & cautio illa debet præstari datis fidejussoribus, vel pignoribus, aut per juratoriam cautionem, non obstante, quod Actor aliàs bona immobilia possideat, & sic est casus, quo perdit beneficium *L. Sciendum 15. ff. qui satisd.* juxta ordinationem Dicasterii Pomeranici lite con- 18.
testata non comparente Actore ad rei petitionem ad Responsionem *zu gebührlicher Handlung* prius citatur, & adversus contumaciter emanentem Processus Juris Civilis dirigitur. vid. Ummius *Proc. Disp. 6. th. 2.* Mevius *ad Jus Lubec. lib. 5. t. 4. a. 1.* Cöler. *decis. 104.* Blum. *Proc. Camer. Tit. 66. n. 48.* Rei contumacia freqven- 19.
tior & magis perniciosa severe punienda, cum jura contra Reum, qvem *Fugientem* appellant, male præsumant. v. Boër. *decis. 42. n. 20.* Cœterum ut de hac materia pluribus hic agatur, opere pretium non est, cum id abunde satis à Dd. qui Processus adornarunt, sit factum, quos neque allegare huc præstat.

NOV. CXIII.

Ne sacræ formæ fiant in medio litis; sed secundum LL. Procedatur.

CAP. I.

Ne Judex in quavis causa pendente lite Rescriptum à Principe suscipiat.

JUdex tam in causa Civili, quàm criminali lite penden- 1.
te non debet recipere Rescriptum à Principe, ut secundum illud judicet; sed ex generalibus LL. litem decidere debet; Et si sententia ab ipso Imperatore lata sit, hæc â nemine aut examinanda, aut retractanda; Si verò dubium aliqvod in aliqua Lege judici resideret, â Principe interpretationem petere debet.

Add. Quæ hic prohibentur, jam tum supra *ad Nov. 82. c. 13.* 2.
Imperator prohibuit adeoq; præcisè secundum LL. & ordinationes judiciorum judicabit, nec ad Rescriptum vel sub & obreptitiè impetratum fortè, quod si autem Rescriptum impetratum licitò

quidem modô, & jubeat in possessione existentem exire, aut ejicere, parendum ipsi non est, repugnat enim officio boni Principis, qvod est tueri subditos, eorumqve bona & jura, eumq; habent intellectum Rescripta Principum, quod velint juri atq; æquitati conformia. Mev. *P. 1. dec. 142. 143. & P. 4. dec. 116.* omneqve privilegium & Rescriptum debet intelligi, ne in tertii alicujus præjudicium cedat, & ut verba potius improprientur, Gail. *lib. 2. obs. 140. n. 21.*

3. *2. obs. 140. n. 21.* Quare si fortassis dubium aliqvod ingruat circa L. vel ordinationem judicialem secundum quam judex judicat ipse debet ejus esse interpres, qui eam dedit, qualis est Sumus Princeps Pacianus *Consil. 36. n. 150.* P. Augustinus Morla *Empor. utriusq; jur. lib. 1. P. 1. qv. 11.* Conf. Hunn. *Encyclop. d. Jur. P. 1. Tit. 1. c. 4.* Quod

4. si Princeps non possit consuli, & ingens tamen suboriatur dubitatio rescripti interpretatio strictè est facienda, & quidem juxta jus commune *c. 18. X. de Rescr.* quia indubio non præsumitur Princeps aliquid contra jus commune rescribere, sicut nec derogare juri alteri prius quæsito; quod est de natura Rescripti *L. Rescripta 7. C. de precib. Imper. offer.* Et hinc omnes clausulæ in Rescriptis expressæ vel subintellectæ ad juris communis sententiam revocari solent. vid. Vallensis *ad Decret. Tit. de Rescr. §. 6.*

5. §. 1. Repetitur hic, qvod judex tale Rescriptum planè non attendere debeat sub pœna 10. librarum auri, qua & ille afficiendus, qui ejusmodi Rescriptum fecit; Atqvi hæc in omni judice obtinebunt, tàm à Principe dato, quàm à partibus electo, aliàs sententia est ipsô jure nulla, sic, ut nec appellatione opus habeat.

6. *Add.* Ampliat hic §. *1. pr. h. N.* & infert pœnam judici attendenti Rescriptum pendente causa oblatum, ut juxta id pronunciatur inprimis dum Rescriptum neqvaqvam ad id collimet, qvod in lite est, Ergò si in juris vel facti narratione mendacium reperietur, pro tenore veritatis cognoscere, sententiamq; ferre debet, non secundum ea, quæ in precibus & rescripto ad eas facto con-

7. tinentur. *L. 2. C. si contra jus vel utilit.* non obst. quod preces rescriptô Principis sint confirmatæ, cum sic demum Rescriptum valeat, si preces veritate nitantur *L. 7. C. de divers. Rescr.* nec contine-

8. ant aliquid qvod jus tertii lædat, nam intentio Principis nunquam

quam talis præsumitur, qvod alterius juri qvæsito derogare velit, ideò qvicqvid rescribit, mandat, aliterve fieri vult, sic est intelligendum, ut nemini fiat injuria, *L. Nec avus 4. C. de Emanc. lib. L. Si qvis à Principe ff. Ne qvid in loco publ.* Jas. *in L. 3. ff. de Const. princip.*

CAP. II.

Ad quæ rescripta hæc Novella extendatur.

SCilicet ad ea, quæ sententiam definitivam præcedunt, si enim semel pervenit sententia definitiva, neqvaqvam hanc jubet perscrutari ex lege, licet Appellatio sit subsecuta, aut sit aliqua retractationis species contra sen- 1.
tentiam. Talia igitur Rescripta modò perhibentur, quæ judici, quomodo judicare debeat, præscribunt, alia autem, qvibus vel actorum editio, vel judici injungitur festinatio, vel qvibus alius adjungitur judex, utique subsistunt. 2.

Add. Quandoquidem Rescripta modum judicandi, præscribentia prohibita, inde si vel ab una vel altera parte Rescriptum ejusmodi impetratum, aut etiam decretum extraordinarium absq; prævia causæ cognitione, non transeunt in rem judicatam; 3.
sed quoquo etiam tempore post decendium omissâ licet interpositione Leuterationis vel Appellationis iis contradici potest. *r. c. C. Communicationes.* Cöler. *de Process. Execut. P. 1. c. 2. n. 9.* quia nullum unquam decretum, nulla unquam potest subsistere sententia, Parte utraque non auditâ, & absq; prævia causæ cognitione. 4.
Ergò neque Principis rescriptum Carpzov. *P. 1. C. 26. def. 18.* Et quando pro sententia definitiva Rescriptum Principis haberi dicit Umm. *ad Proc. D. 7. n. 11.* intelligendum id omninò de Rescripto cum causæ cognitione lato, qvippe sine causæ cognitione emanatum, ne quidem litis pendentiam inducit. Carpzov. *Proc. Tit. 9. Art. 3. §. 4. n. 39.* Et si hæc & similia Rescripta partes litigantes non ligant, multò minùs judicem, qvi pro LL. & judiciorum habet ordinationes tanquam lucernam præeuntem, cæterum si causæ cognitio præcesserit, & Rescripta partibus litigantibus publicata fuerint, autoritas rei judicatæ iis tribuenda est, 5. 6.

ctam ſubſcriptionem non habentia remittat. Offerenti verò ejusmodi Reſcriptum, pœna Falſariis ſtatuta dictatur.

Add. Requiritur in Reſcriptis ſubſcriptio Qvæſtoris ſeu Cancellarii, de qva etiam ſupra ad *Nov. 35.* qua continetur, inter quos & per qvem Reſcripta emittantur, & ad quem judicem dirigantur, & ex hac Nov. deſumpta eſt *Auth. Glorioſisſimi C. de diverſ. Reſcr.* Dum verò & Cancellarius ſimul ſubſcribit, contentorum habere notitiam præſumitur Hœping. *de Jure Sigill. c. 15. n. 205.* Nec verò ipſos Pomeraniæ Duces ſaltem ſubſcripſiſſe, ſed etiam ſe vidisſe dicit Brunnem. *ad d. Autb.* Conſiliariorum qui præſentes fuerunt, mentionem in Reſcriptis factam fuisſe; Nec 2.
verò faciles ad ſubſcribendum ſint *Principes* quamvis à Cancellario producatur vel offeratur, deliberandum enim diu, & perlegendum ſæpe, quod ſubſcribendum eſt ſemel, nam *litera ſcripta manet*, multa enim ſubſcribuntur, quæ poſtea nocent, & quorum ſæpe pœnitet; & ſic mater Theodoſii prudenter Imperatorem filium emendavit. Cum enim Theodoſius junior Imperator omnibus facilè chartis oblatis ſine diſcrimine nomen ſubſcriberet, mater pulcheria Auguſta obtulit ſynographam ſubſcribendam, qva venditio & alienatio uxoris continebatur, qvam ſubſcripſit, ubi autem petüsſet à matre poſtea uxorem, illa reſpondit, ſuam amplius, non eſſe, qvod vendidiſſet, docere enim illud Syngrapham, qvam oſtendebat & ita illum ne temerè ſubſcriberet, aſtutè correxit, ut refert Nicephor. *lib. 14. Hiſtor. Ecclef. Cap. 23.* inſimul etiam *Cancellarius* anteqvam ſubſcribit cautus eſto forte ſi princeps aliqvem puniri ultra modum regularem reſcripſit, nam forte ex iracundiæ calore tale qvid ſcripſit, cujusmodi fulminatorio non ſtatim obediendum Anton. Ganeus *Variar. Reſol. Tom. 3. c. 13.* nec enim ut prudenter monuit Ariſtot *7. Eth. 6.* Miniſtrum oportet eſſe præproperum, qvi prius, qvam id omne qvod dicitur, audierit, exſilit, deindeq; in agendo aberrat, vel canum ad inſtar, qvi priusqvam attenderint utrum ſit amicus, nec ne ſi qvis fores pulſaverit, aut ſtrepitum aliqvem ediderit, latrant, inde præceps erat ſententia Davidis Regis, dum ad delationem falſisſimam Zibæ dimidiam bonorum paternorum partem

(Margin numbers: 2. beside "Add. Requiritur…"; 3. beside "verò faciles…"; 4. beside "ratorem filium emendavit…"; 5. beside "Cap. 23…"; 6. beside "Reſol. Tom. 3…"; 7. beside "latrant, inde…")

tem Mephiboseth ademit, & improbo huic delatori assignavit. *2. Sam. 16. v. 4.* Mœbius *Theolog. Canon. loco 1. Can. 6.* Conf. de facto Nabuchdonos. Drexel. in *Daniel. c. 4.* §. 2. & de facto Potipharis adversus Josephum Dynastam Ægyptium Idem in *Josepho C. 5. §. 2.* vid. *L. 9. C. de judic. & L. 20. C. de pœnis. C. Deus Omnipotens 2. C. 2. qv. 1.*

NOV. CXV.

Ut cum de Appellatione cognoscitur, secundum illas LL. debeat judicari &c.

CAP. I.

Ut causæ Appellationum dirimantur ex iis legibus, quæ tempore latæ sententiæ obtinebant.

1. SI à causa per sententiam definitivam terminatam fuerit appellatum, & pendente Appellatione novæ LL. sint conditæ, appellationis sententia est ferenda secundum LL. illas, quæ fuerunt tempore definitivæ, non verò secundum LL. novas, licet hæ ad præterita se negotia referant; Idem qvoqve obtinet in Retractationibus & Relationibus judicum.

2. *Addit.* Hinc seqvitur, si fortassis judex, uni parti gratificari volens appellationem interpositam eousqve protrahat, donec LL novæ ferantur, qvæ appellatos conducibiliores, non tamen secundum eas appellatum debere vel posse judicari, nam si appellans justificaturus appellationem justô tempore compareat, & judex modo hæc modò alia negocia expedienda majoris momenti objiciat, sicuti hæc judicis mora Appellanti non nocet,
3. *Auth. si appellatione C. de Tempor. Appellat.* ita si in novarum LL. Statum, unum litigantium deducere conatur, & idcirco justitiam protrahit, audiri non debet; sed promotoriales pro administranda

ſtranda juſtitiæ decernuntur. Gail. *lib. 1. obſ. 28.* quæ quando, aut quibus in cauſis decernantur, tradit Guelich. *Annot. ad Mynſ. C. 5. obſ. 56.* & judex Appellationis eas ſeqvatur LL. quæ erant in uſu 4. tempore prioris ſententiæ definitivæ. Sic v. gr. ſi ſententia lata ſit de exheredatione liberorum ex qvibus cauſis debeant exheredari, antequam præſens *N. c. 3.* publicata, ſententia â qua appellatum eſt cognoſcenda eſt ex ſuperiore, quæ non volebat filium exheredatum, ſi in carcere furioſum Patrem neglexerat; qvod tamen præſens omnino vult. Idem etiam obtinet in Re- 5. lationibus â judicibus faciendis, & Retractionibus, licet quotiescunque Lex ad præterita negotia refertur, negotium jam finitum transactione, vel ſententia non comprehendat ut Gothofred. *h. l. ex l. 22. §. 1. C. de SS. Eccleſ.* probat. Conf. ſupra *Nov. 82. C. fin.*

CAP. II.

De his qui poſt renunciationem adverſariorum allegationes ſe habere dicunt.

SI una pars litigantium allegationibus ſuis renunciet, 1. altera verò ſciens, ſe malas habere cauſas poſt dilationes, qvos probationum causâ LL. concedunt, aſſerat, ſe adhuc habere, qvod proponere poſſit, judex negotii omnibus modis eam partem, qvæ utitur dilatione compellat intra 30. dies poſtqvam altera pars renunciaverit, qvicqvid vult, ſine aliqva intermiſſione proponere, qvod ſi non fecerit, ad ejus malitiam convincendam alius unus menſis indulgeatur â judice. Si verò & ſic diſtulerit al- 2. terius unius menſis dilatio ei præbeatur, ita, ut ſi & tunc allegationes ſuas non propoſuerit, cauſa accipiatur pro concluſa, & LL. conſonans ſententia proferatur, vel ſi voluerit, referat, ne litigatoribus male certantibus ultra liceat cauſarum exitum protrahere.

Add.

3. *Addit.* Ex *h. Nov. C.* desumpta est *Auth. Jubemus C. de judic.* & uti videre est satis amplum terminum litiganti calumnioso indulget Imperator, intra qvem exceptiones, qvas se habere putat, alleget, scil. 3. concedit dilationes qvarum qvælibet 30. dies & sic unum mensem continet, & ita in effectu 5. menses conceduntur, ultra qvos non auditur, ne litigatoribus occasio detur
4. litium exitus protrahendi; Potest tamen & judex si moras malitiosè nectat pars ex officio renunciare & sic concludere in causa, qvô factô judicetur renunciatio allegationum facti, probationum & exceptionum, ita ut facta conclusione in causa nec testes, vel instrumenta produci, nec exceptiones amplius opponi valeant. Covarruv. *qv. 20. n. 8.* Mynsing. *Cent. 6. Obs. 56.* Rosb. *Proc. Civ. Tit. 70. n. 1. & seqq.* neqvidem si exceptio falsitatis primum allegaretur. Umm. *Disp. 19. ad Proc. th. 3. n. 13.* qvod tamen accipiendum est de ipsis litigantibus, nam ad judicem illud extendi neqvit, cui non concluditur in causa. Hiltrop. *Proc. judic.*
5. *P. 3. Tit. 29. n. 25.* Fallit tamen 1. in causis criminalibus, in qvibus qvoad reum nunqvam in causa concluditur, nec etiam conclusum intelligitur, ac proinde reus non obstante conclusione poterit adhuc probationes producere, exceptiones opponere, & defensiones in medium adducere. Gail. *lib. 1. Obs. 107.* Myns. *Cent. 3. Obs. 17.* Thesaur. *Decis. 266.* Guido Papæ *Singul. 489. n. 2.* 2. In causa matrimoniali conclusio in causa non excludit probationes pro matrimonio faciendas Gail. *d. Obs. 107.* Gilh. *Arbor jud.*
6. *Civil. cap. 4. ram. 6.* 3. Licet verò si nihil ulterius ad probandum superesse videat judex vel alia causa movens adsit, ipse in causa concludere possit, qvoad ipsum tamen nunqvam causa pro conclusa habetur, nec per conclusionem à Partibus factam os ipsi clausum, vel manus ligatæ intelliguntur; sed ipse ex officio justa præcedente causa partes ad ulteriorem probationem admittere potest. *C. cum Job. 10. X. de fide, instrum.* Ruland *de Commissar. P. 4. lib. 8. cap. 11. n. 22.* alias exceptiones referunt Doctores vid. Menoch. *lib. 1. Arb. Jud. qv. 35.* Gilh. *Arb. Jud. Civ. cap. 4. ram. 6.* Johannes Baptista Asinius *Proc. Judic. §. 3. cap. 11. n. 2. & 3.* & §. *23. cap. 6. limit. 7. n. 2. & 3.* Tholos. *Syntagm. Jur. Univ. lib. 48.*
7. *cap. 17. n. 2.* Gail. *lib. 1. Obs. 107.* Rectè verò, ut accuratiores Doctores

ctores notant, seqvuntur *Causa Conclusio, & Renunciatio* propter *c. 11. X. de Probat.* nam in formula conclusionis, qvæ habetur in *Ordinat.* Cam. *P. 3. Tit. 23.* nulla renunciationis; sed submissionis judici factæ mentio fit, & hanc etiam selegit Johan. Ferrar.
Montan. *de Judic.* ubi rectè diversitatem notat, & inter cætera 8.
monet, non tantum vocum ethymologiam; sed & rem ipsam inter se differre. vid. Eberhard. Fabric. Gail. *Enucl. Observ. 107. lib. 1. Sect. 3.* nam qvi liti renunciat, toti causæ renunciasse videtur, *Auth. Qvi semel* C. *qvo modo & qv. Judex.* & facta præsumitur ex desperatione juris sui & agnitioni bonæ fidei. Tiraqvell. *ad L. si*
unqvam C. *n. 204.* qvi verò concludit in causa ille non renunciat, 9.
nec desperat de jure suo; sed pro hac tantum vice ulterioribus deductionibus, si judici sic visum fuerit, renunciat, ejusqve ulteriori cognitioni causam submittit.

CAPUT. III.

Qvæ sint justæ Exhæredationis Liberorum causæ.

NOn licet Patri, vel Matri, aut avo, vel aviæ, proavo 1.
vel proaviæ filium suum vel filiam, vel cœteros liberos præterire, aut exhæredes in suo facere testamento, licet per qvamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium qvemcunqve modum eis dederit portionem LL. debitam, nisi forte probentur ingrati, & parentes ipsas ingratitudinis causas testamento
suo nominatim inseruerint. Cum verò causæ, ex qvibus 2.
ingrati liberi debent judicari, in diversis LL. dispersæ, nec aperte sint declaratæ, imò nec aliqvæ ad ingratitudinem dignæ sint visæ, aliqvæ verò, cum essent dignæ, sint prætermissæ, ideò præsenti Lege ut comprehendantur, necessarium duxit, ut adeo præter ipsas *nulli liceat ex alia Lege ingratitudinis causas opponere, nisi qvæ in hujus constitutionis*
serie continentur. Causas autem justas ingratitudinis se- 3.
qventes esse decernit, qvas uti Doctores communiter cer-

tis distichis memoriæ ergò comprehenderunt, ita iisdem comprehensas hic refero:

4. Bis septem ex causis exheres filius esto,
1. Si Patrem feriat, vel 2. maledicat ei.
3. Carcere conclusum si negligat, 4 aut Furiosum
5. Criminis accuset, 6. vel paret insidias.
7. Si dederit damnum grave, 8. Si nec ab hoste redemit.
9. Testarive vetat. 10. Se societve malis.
11. Si mimos seqvitur, 12. vitietve Cubile paternum,
13. Non orthodoxus, 14. Filia si meretrix.

Add. partem ex ipso textu. Sane quod *primam attinet causam,*
5. nullum evidentius impiæ mentis signum est, quàm cum verberando Patrem ei filius atrocem & realem injuriam infert, nam si juxta Ambrosium *L. 3. in C. 15. Luc. T. 4.* primus pietatis gradus est, ut qvos autores vitæ voluit esse Deus, honores obseqviis, extremæ certè impietatis signum est, eum qui viscerum nostrorum
6. pars est, & sangvis ipse verberibus diris perseqvi, nam si quis alios homines injuria afficit, meritò in eum jura animadvertunt, si qvis autem non studet omnia facere & dicere, qvæ parentib9 grata esse intelligit, etiamsi non offendat eos, immanis & impius ab omnibus judicatur. Richter. *Axiom. Oeconom. 44.* & juxta Hieronymum *Epist. 12. de honorandis parent T. 4.* meretur cœcitatis suæ supplicium subire, qvi parentum vultus torvô visu despexerit, & elatis oculis pietatem læserit.

II. Qui injuriosis Patrem verbis insultat, revera se filium
7. nescit, visceribus caret, naturam negat, Autorem vitæ despicit, & verbis ad omnem contemptum compositis inhonestat, qvalis erat ille, quem cum Pater apud Carolum V. supplice prece à patibulo liberasset, tulit à neqvam filio gratiam hisce verbis; *Ej du alter Schelm, es wäre dir dein lebelangk nicht also geglücket,*
8. *und solche Ehre entstanden, daß du mit dem Käyser geredet hättest, wann es ohne mich gewesen wäre,* Selneccer. *Instit. P. 2. p. 322.* Neqvam senex nunqvam colloqvendi facultas cum Cæsare facta fuisset, nisi ipse fuissem autor. Similiter gravem & inhonestam injuriam ingerit, si filius turpis & vilis Patris filiam turpem & vilissimam abjectissimæ conditionis fœminam ducit in uxorem

xorem, hoc ſaltem fine, ut honeſtum contriſtetur Patrem, & dignitati & generi qvandam inurat infamiam, ad quod ſtatuendum vox *inhoneſta* impellit, quæ non ſaltem porrigitur ad inhoneſta verba ingeſta Parentibus; ſed & ad facta inhoneſta, qvæ Parentes & omnem proſapiam generoſam ad extremam protrudunt infamiam, ſicut enim qvartum præceptum verbis violatur, ita quoque turpibus factis, quæ Parentum lædunt pietatem.

III. *Prohibetur filius accuſare Patrem.* 9.

Add. *Exceptum* eſt crimen perduellionis, hinc Patrem Serenum Qv. Vetium filium de crimine Majeſtatis rectè accuſaſſe tradit Tacitus *lib. 4. Annal.* vid. Sichard. *ad Auth. Non licet C. de lib. præter. n. 3.* Nec qvoqve huc pertinet, ſi filius forte patrem civiliter ob adventitia bona conveniat, hoc enim ipſi integrum eſt ſine periculo exhæredationis, quia juris executio injuriam non habet, *L. injuriarum §. 1. ff. de injur.* nec dolo facere videtur, qvi jure ſuo utitur. *L. 55. ff. de R. J.* imò nec dolo videtur exſeqvi, ſi ignorat cauſam, cur non debeat petere *L. 177. §. 1. ff. eod.*

IV. *Si cum maleficis hominibus ut maleficus verſatur.* 10.

Addit. Malefici in genere dicuntur, qvi improbè qvid admittunt *L. 1. pr. ff. ſi famil. furtum.* hic pro incantatoribus & dæmoniacis ſumi textus arguit, licet ab illis ſcil. incantatoribus, qvi rem verbis peragunt, & à Chaldæis diſtingvunt Imperatores *in L. 5. C. de Malef. & Math.* his non immerito annumerantur empirici illi Medici, qvi conceptis precum & verborum formulis deperditam ſanitatem recuperari jactitant, vaneqve gloriantur. De tali refert B. Dn. Dieterich. *Sapient. P. 1. pag. 942. 943.* Ulmæ fuiſſe in agro ruſticum, qvi innumeros hiſce verbis curavit, ſcilicet: *Braun hats nicht verſchuldt, GOtt der Vater hats nicht verſchuldt, GOtt der Heilge Geiſt hats nicht verſchuldt. Im Nahmen des Vaters des Sohnes und des Heilgen Geiſtes.* i. e. Braun non eſt Reus, Deus pater non eſt, nec DEUS Spiritus Sanctus, in nomine Domini Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Qvi ejusmodi hominibus familiariter utitur, & cum illis ut maleficus verſatur, non poteſt 11.
fieri, quin & artis eorum peritus evadat, ut renunciet DEO, cujus veritati olim dixit Sacramentum, diaboli fiat mancipium, & artibus ejus adjutus viam ſcelerum ambulet, & filio Chriſtiani hominis ſe indignum reddat.

 V.

12. V. *Si vita parentum per venenum aut aliò modò insidiari tentaverit.* Et notanter dicitur tentaverit, ipsa enim præparatio veneni sufficit, licet mors non sit secuta, imò licet per medicamenta Pater venenum abigat, ita, ut potius ejus diligentiâ, qvàm filii pœnitentia mors non secula fuerit, nihilominus exheredationem meretur. Covarruv. *ad C. Raynutius n. 13. X. de Testam.* perinde sicut & L.
13. Pompeja de parricidiis, & L. Cornelia de sicariis talis tenetur. *L. 1. in f. ff. ad L. Pomp. de parricid. L. 3. ff. ad L. Cornel. de Sic.* quando verò paratô venenô filium spontè pœnitet, ante deprehensionem, pœna exheredat. cessat Covarruv. *d. loc.*

14. VI. *Si Novercæ suæ aut Concubinæ Patris filius sese immiscuerit.*

Add. Habetur enim ejusmodi concubitus incestuosus, qvippe in linea recta affinitatis intuitu inter eas personas, qvæ parentum liberorumve loco sibi esse cœperunt qvælibet conjunctio carnalis est illicita & nefanda, inde Ruben effusus est ut aqva, nec crevit, quia ascenderat cubile Patris sui, & maculaverat stratum ejus. *Genes. 49. v. 4.* idem in Concubina Patris, utiqve enim & semper reverentiæ sanguinis est habenda ratio.

15. VII. *Si delator contra parentes filius extiterit, & gravia eos dispendia sustinere fecerit.*

Addit. Ut si v. gr. Pater Mercator merces suas per errorem non profiteatur loco competito, sicq; ratione vectigalis, vel accisiæ Publicum defraudetur; Filius autem deferat Patrem ut fraudatorem Vectigalis publici, qvando merces igitur in commissum cadunt, nec in vulgare incidit Pater damnum, non meretur filius hereditatem paternam consequi, & quamvis fortè dici posset, favore dignum esse, qvod Fisci commodum promovere, nec patri in injusta causæ assistere voluerit sufficit tamen hunc in finem delatores & Inspectores publicos fuisse constitutos, qvi delatione facta de mercibus commissis participant, qvos sine omni dubio officio functos fuisse probabile est ut improba impii filii delatione opus non fuisset.

VI.

VIII. *Si qvis Parentum carceri inclusus, vel pro persona vel* 16.
pro debito fidejussionem suscipere detrectet, qvod tamen ad masculos tantum liberos vult pertinere.

Add. Filium pro Patre fidejubere nolentem exheredari non 17.
posse docet Finckelth. *obs. 99.* qvod non cogatur exsolvere æs alienum Patris *L. 4. C. Ne Fil. pro patre n. 12.* tamen *ead. obs.* excipit casum, si pater inclusus, seu incarceratus *petat* à filio, ut pro se fidejubeat, nam petitionem accedere debere, qva ipse petat Pater, ut sibi auxilietur filius communiter hic deducunt, qvæ enim impietas, si ad preces Patris filius aliàs satis dives non subveniat,
utpote cum carcer mala mansio *L. 7. ff. depos.* magnum tormen- 18.
tum & supplicium, in qvo pater aliàs miserrimè hærere, integræ valetudinis jacturam sentire, vitæqve periculum incurrere necessum habet, nisi auxiliatrices manus ferat; qvæ si desint, qvis non ejusmodi filium alias juvare valentem pro extremè ingrato haberet? & licet textus hanc exheredationis causam ad solos tantum filios trahat, exclusis filiabus, cum ad SCtum Vellejanum fidejubere non possint, cum tamen & hæ beneficio suo renunciare possint, eandem qvoqve pietatem qvam fratres patribus debeant, hunc si locupletes satis & bona receptitia, vel propriũ habeant patrimonium, ex eodem parentibus non minus subvenire debent, qvam fratres, aut liberato Patre eandem ingratitudinis pœnam sentire.

IX. *Si convictus qvis liberorum fuerit, qvod prohibuerit Pa-* 19.
rentes suos condere testamentum, imprimis si testibus advocatis, & rogatis ut testimonium perhiberent, aditum intercluserit, & prohibuerit, qvo minus cœtera testamentorum solennia ad effectum deducerentur, est enim filio talis prorsus injurius in patrem, qvi rem meræ facultatis prohibet, & arbitrium liberum intercludit. Conf. *L. 23. C.*
de Testam. Inoffic. Test. qvod si autem à Patre filius non ex- 20.
heredatus, hæreditas tamen ut indigno auffertur. *L. 2. ff. si qvis aliqvem testare.* & cum hoc in extraneo obtineat, qvi eô modo lædit jus publicum, quare aliud juris esset in filio prohibente.

21. X. *Si Præter voluntatem parentum inter arenarios vel mimos se filius sociavit, & in hac professione permanserit*, nisi forte & parentes ejudem fuerint professionis, nam si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent. *L. 36. ff. de dolo mal.* nil Judæus Judæo, nil Catilina Cethego, & mores qvosqvis in se probat, in alio improbare non debet. *L. in arenam 11. C. de inoff. Testam.* unde & recte deducitur, matrem meretricem filiam meretriculam exhæredare

22. non posse. *Arenarii* dicti ab *arena* loco, ubi certamina præbebantur, qvia spargi arena solebat. *L. 4. ff. de Accusat.* etiam cum feris bestiis pugnabant, unde & bestiarii qvibusdam dicti sunt. *L. 1. p. de Æ. E.* qvales si operam suam locaverant, ut pugnarent, infamiam incurrebant. *L. 1. §. 8. ff. de Postut.* Mimus est, qvi publicè vel privatim alios voce & facto ludicre turpiterq; sectatur, Germanicè *ein Gauckler.* Harpr. *Inst. h. t.* Ergò si liberi hoc & simile hominum genus secuti essent, invitis parentibus, qvi tales professione non erant, & si persistebant in ea conditione hereditate privabantur.

23. XI. *Si parentes voluerint filiæ vel nepti maritum dare, dotemq; juxta vires substantiæ præstare, ea autem non consenserit; sed luxuriosam vitam degere elegerit, & si usq; ad 25. annorum ætatem pervenerit filia & parentes distulerint eam marito copulare, contigerit autem forte eam in corpus suum peccare, aut sine consensu parentum, marito libero tamen se conjungere, hoc ad ingratitudinem filiæ non vult imputari, cum non sua culpa, sed parentum id commisisse cognoscatur.*

24. *Add.* Ergò filia ante 25. ætatis annum sine consensu patris alii se matrimonio jungens, exheredari propterea potest.

25. Gilcken. *ad Auth. Non licet C. de lib. præter.* Maximè tunc, qvando Pater filiam honestæ personæ in matrimonium tradere volens, ipsa indigno vel turpi nubit homini, modo 25. annum non excesserit, nam hoc casu culpa imputetur patri, qvippe prohibere videtur, dum conditionem non qvæsivit, *L. 19. ff. de R. N.* vel sponte

ſponte oblatam repudiavit, fortè ob avaritiam, dum dotare tergiverſatus eſt; debuit enim pater potius nuptias accelerare, qvam differre, & filiæ nubendi poteſtatem dediſſe intelligitur, qvi ejus nuptias in 25. annum protrahit, & difficilis eſt, pudicitiæ virginalis cuſtodia, cui adſervandæ cuſtodiendæq; ne argi qvidem lumina ſufficiunt, ut ex Barnaba Briſſonio notavit Sande *Deciſ. Friſ. lib. 2. Tit. 1. Def. 5.* Hæc tamen ad filium extendi non de- 26.
bent, qvi ſive major ſive minor 25. ſit annis, ſi invito patre uxorem duxit, ob id exhæredari non debet, exemplo enim peſſimum eſt, ſub fœminino vocabulo ſexum maſculinum comprehendi. *L. ſi ita ſit ſcriptum 45. pr. ff. de leg. 2.* notabilis exceptio eſt *ſub cauſâ. n. h. Cap.*

XII. *Si qvis Parentum furioſus fuerit, & ejus liberi, vel* 27.
qvidam ex his, aut liberis ei non exiſtentibus, cognati alii, qvi ab inteſtato ad ejus hereditatem vocantur, obſeqvium & curam competentem non præbuerint, ſi à tali ſanatus fuerit infirmitate, erit ei poteſtas, utrum velit negligentem filium vel filios, aut cognatos ingratum vel ingratos in ſuo teſtamento ſcribere: Si autem 28.
extraneus aliqvis, aliqvo furoris morbo eum detentum viderit à liberis ſuis vel cognatis relictum, eum verò pro miſericordia procurare voluerit, atteſtationem poteſt dirigere ad eos, qvi vel ab inteſtato, vel ex teſtamento ad hereditatem furioſi vocantur, ut feſtinent eum procurare, qvod ſi poſt talem atteſtationem neglexerint, ac extraneus in ſuam domum furioſum ſuſceptum ſumtibus propriis usq; ad finem vitæ ejus procuraſſe monſtratus fuerit, is qvi obſeqvium ac diligentiam furioſo exhibuit, licet extraneus ſit, ad ejus ſucceſſionem perveniat, evacuatâ inſtitutione eorum, utpote indignorum, qvi furioſo curam præbere neglexerunt, ita tamen ut cætera teſtamenti Capitula in ſua maneant firmitate.

XIII. I. Si per liberorum negligentiam vel contem- 29.
tum pater captivus non fuerit liberatus, & in captivitate deceſſerit, illos ad ſucceſſionem ejus venire non patitur Imperator, qvia non feſtinarunt ejus redemptionem citius procurare; Ergo liberis omnibus in hoc negligentibus,

bus, res universæ relictæ, Ecclesiæ civitatis, ex qvo ortus debent applicari, inventario desuper sub publica attestatione celebrando, ne qvid ex facultatibus pereat; sed qvicqvid exinde ad Ecclesiam pervenerit, captivorum redemtioni proficiat.

30. II. Qvod si ille qvi in captivitate detentus fuerit, liberos non habuerit, & alii qvi ad ejus hereditatem vocati sunt nec redimere festinent, & sic in captivitate defunctus fuerit, nullus ex iis qvi neglexerit, ad hereditatem ejus perveniat, licet ante Captivitatem testamentum forte conscriptum, in qvo ejusmodi personæ heredes essent scriptæ. Hæc verò hactenus, ut institutio heredum saltem infirmetur, cœteris testamenti capitulis in suo ro-
31. bore permanentibus; bona verò talium personarum simili modō Ecclesiis civitatum, ex qvibus orti sunt, applicentur, & nullis aliis causis, qvam in captivorum redemptionibus expendantur, ut unde illi à suis non sunt redempti, aliorum redemptio procuretur, ipsorumq; ani-
32. mæ ex hac causa piissima subleventur. Idem observetur, si aliam personam extraneam ante captivitatem scripsit heredem illaqve se heredem scriptam sciens, eum à captivitate redimere neglexerit.

33. III. Valebit hæc pœna tantum contra eos, qvi 18 ætatis annum compleverunt, ubi si qvis proprias pecunias non habuerit, licentia erit mutuandi, & res mobiles, vel immobiles supponendi pignori, sive propriæ ipsius sint, sive illius qvi in captivitate detinetur, qvia in omnibus, qvæ pro captivorum redemptione data vel expensa probantur, contractus hujusmodi tanqvam à persona suæ potestatis & legitimæ ætatis facti, adeo firmi sunt, ut nullus, qvi tali casu & modo contraxit cum hujusmodi personis, præjudicium inde generetur, illeqve qvi à captivitate reversus, tales contractus ratos habebit, & eis tanqvam suis debitis obligabitur. *Add.*

Addit. Qvinqve notabilia vel ſingularia ex hactenus di- 34.
ctis eruuntur. 1. Qvod ſi teſtamentum nullum, nihil debeatur eorum, qvæ ſunt in teſtamento relicta, & legata corruant &c. *L. Si nemo 9. ff. de Teſtam. tut. §. 34. Inſtit. de legat. C. 42. X. de R. I. in 6to* in hoc verò teſtam. qvod à captivo ante captivitatem factum, ſi inſtituti hæredes teſtatorem captivum non redimerunt, heredis inſtitutio infirmetur, cœteris verò teſtamenti Capitulis in ſuo robore permanentibus. *M. 2. h. C.* 2. Qvod illo caſu ab 35.
indigno auffertur, non applicetur fiſco, prout alias ſolet juxta *L. Claudius 13. & L. Mulierem 14. ff. de his qvæ ut ind.* ſed Eccleſiæ. *M. 2.* 3. Non dominus rem captivi alienari ſua autoritate poteſt, 36.
ſatius enim eſt, ut pro libertate omnium rerum inæſtimabili bona expendantur, hæcq; recuperetur, qvàm ut incluſus carceri ab omnium hominum conſortio remotus, in mala manſione retineatur, ubi vita ipſi eſt ſupplicium. 4. Ut minores 25. annis, ma- 37.
jores tamen octodecim poſſint in hunc finem mutuam pecuniam accipere res ſuas proprias, vel parentis qvoqve aut alterius mobiles aut immobiles etiam abſq; decreto pignori obligare, inſuperq; reverſis nullum præjudicium ſit generatum, ut & contractus ratos habere teneantur. *M. 4. & Auth.* hic deſumpta, *Si captivi C. de Epiſc. & Cler.* 5. Ut nec minores in alienatione tali fortè læſi reſtituantur, contra *L. 3. & 4. C de in integr. reſtit. M. 2.*

XIV. Si filius non fuerit orthodoxus, ſive fidem 38.
IV. Conciliis œcumenicis Niceno Conſtantinopolitano, Epheſino primo, & Chalcedonenſi, non amplecti, vel recitare poſſe dignoſcatur; Et licet parentes ſint heterodoxi, filios tamen, vel ſi qvos non habent, orthodoxos cognatos inſtituere debent, heterodoxis verò nihil relinqvere poſſunt, qvi ſi omnes tales, cognati orthodoxi ſunt præferendi. Si verò & hi heterodoxi, defunctus 39.
verò Clericus, hereditas ad Eccleſiam devolvitur, qvæ eam intra annum petere debet, & poſt eum Fiſco cedit; ſi Laicus ſit, indiſtinctè ad Fiſcum ſpectat hereditas, qvæ obtinere debent, etiamſi teſtamento non facto tales

personæ decesserint. Si enim pro causis corporalibus cogitamus, qvanto magis pro animarum salute providentia summæ sollicitudinis adhibenda.

40. *Add.* Hodie apud Nos mutatô Reipub. statu, tres Religiones nimirum Reformata, Lutherana & Romano-Catholica in Rep. Romano German. receptæ tolerantur, inter qvas omnino est & esse debet æqualitas si unusqvisqve cultorum unicuiqve suum tribuerit, nec religionis intuitu quis quicquam per violentiam patiatur. Joh. Synold. Schutz. *Colleg. publ. de Statu Rei Rom. Vol. 1. Exercit. 14. th. 6. lit. c.* Carpzov. *ad L. Reg. German. c. 112. Sect. 10.* & præter dictas Religiones nulli alicui exercitium concedi in Germania per *A. 7. §. ult. in f. J. P.* docet Illustr. Dn. de Rhetz. *Jur.*
41. *Publ. lib. 2. Tit. 1. §. 18.* inde facilis est Conclusio filium ab una horum Religionum ad alteram receptam transeuntem exheredare non posse, secus si neutram ex his profiteatur, sed vel Arianorum vel Socinianorum aut aliam sectam, & inde cognatos orthodoxos etiam liberis legitimis præferri posse, inqve cæteris dispositionem hujus textus & hodie locum habere. *arg. Auth. idem est C. de hered.* colligere licet.

42. Ex his itaq; causis Parentes unam vel plures testamento suo inserere debent, quorum una si probata fuerit ab herede scripto, subsistit testamentum. His verò non observatis, exheredatio nulla est, & rescinditur testamentum qvoad Heredis institutionem, & liberi ab intestato æqvis partibus admittuntur. Qvoad legata verò ut Fideicommissa ut & alia in testamento scripta testamentum subsistit. *Auth. Ex causa C. de lib. præteritis.* Conf. hic Excell. Dn. Stryk. *dissert. de Interesse Controversiar. c. 9. §. 60. & seqq.*

43. *Add.* Præter istas verò recensitas in h. C. causas etiam liberos ob alias causas æqvè graves similiter per se exheredari statuunt Ddr. ut Anton. Gometz. *Tom. 4. variar. resolut. c. 11. n. 12.* Sichard. ad Gilcken. *ad Auth. non licet C. de lib. præterit.* Fachin. *lib. 6. Controvers. c. 78* Sneidew. *ad pr. I. de Exhered. n. 14.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 32. th. 33.* & alii qvos magnô numero allegat Harpr.

ad

ad §. fin. n. 65. de Exhered. Cœterum alii qvos inter Gyphanius 44.
ad Auth. *non licet C. de lib. praterit.* & Hugo Donellus *ad Auth. Ex causa C. eod.* ut & Brunnem. *ad Auth. Non licet n. 15. C. de lib. prat.* verius contrarium statuunt, pro quibus Imperatoris sententia sub *pr. h. C.* militat, *ut prater ipsius nulli liceat ex alia L. ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur* & si de his quæ formæ nomine præfinita sunt, non licet qvidqvam mutare, ex *C. 3.* verò *§. ult. h. Nov.* constat, esse hæc formæ 45.
nomine præscripta, non licebit ultra intentionem Imperatoris hic aliud & qvippiam novi simul introducere, & addere facit, qvod exheredatio ut odiosa magis restringi, quam extendi debeat, & hinc exheredato filio, filia exheredata non intelligitur, Mantica *de Conject. ultim. volunt. l. 4. tit. 11. n. 22.* nec exheredato filio, nepos. Idem *c. loc. n. 23.* nec exheredatis filiis posthumi Angel. de Gambellion. *Tr. de Testam. Gl. 74. n. 6.* Rationem verò cur filii, vel 46.
unus sit exheredatus vult similiter probari Imperator, ne fortè duri Parentes vel illecebris novercalibus deliniti, vel alia non satis justa causa in filios infensi existiment commentis deludere jura naturæ. Mantz. *ad d. Tit. I. de Exhered. §. 5. n. 15.* Et quæ ha- 47.
ctenus de Patre dicta sunt etiam locum habent hodiè in matre, & Avo materno, ut æquè liberos suos testamento instituant, vel exhæredent, exhæredationis causâ expressâ, & per hæredem institutum probatâ, alias neqve testamentum valet, qvod aliter se olim habuit juxta *§. fin. I. de Exhered.* qvi sic jam est antiqvatus tradentibus Db9 *ad d. §. fin.* Multis verò modis causæ hacte- 48.
nus recensitæ ob qvas liberi exheredantur remitti possunt, ut 1. qvando filius commisit crimen, ob qvod exheredationem merebatur; Patri verò vivo pœnitentiam egit, & vitæ emendationem promisit, Covarruv. *C. Raynutius perm. 25. X. de Testam.* Sichardus *ad Auth. non licet C. de lib. prater.* Schneidew. *ad pr. I. de lib. Exher. n. 17.* Simon. de Prætis *de Interpret. ult. volunt. lib. 3. dubit. 6. solut 4. n. 10. 12.* 2. Quando Testator eam in ultima voluntate re- 49.
vocat. Idem *n. 14.* 3. Cum Pater causam exheredationis remisit & condonavit Alciat. *ad L. fin. n. 59. h. de Pactis.* 4. Quando filius ob delictum in Patrem commissum exheredatus monasterium ingreditur, intelligitur pœnitentiam egisse, & Patri esse reconci-

liatus, adeoqve exhæredatio cenſetur eſſe abolita. Sichard. *ad*
50. *Autb. Non licet C. de lib. præterit.* 5. Cum filius ob ingratitudinem exheredatus, multa magnaq; beneficia poſtea in Patrem contulit, cenſetur ingratitudo à Patre remiſſa, & exhæredatio eſſe abolita. Hieron. Cagnol. *in repetit. l. fin. n. 86. C. de Pactis.*

CAP. IV.

Quæ ſint juſtæ cauſæ Parentum Exhæredationis.

1. E Contrario qvoqve de liberorum teſtamentis eadem cum aliqva diſtinctione diſponere juſtum perſpexit Imperator. Sancit itaqve, non licere liberis Parentes ſuos præterire, aut qvolibet modo à rebus propriis in quibus licentiam teſtandi habent, eos omninò alienare, niſi cauſas enumeratas in ſuis teſtamentis ſpecialiter enumeraverint, qvas ſeqventes eſſe decernit.

2. I. Si Parentes ad interitum vitæ liberos ſuos tradiderint; citra cauſam tamen, qvæ ad majeſtatem pertinere cognoſcitur.

II. Si venenis aut maleficiis, aut aliò modò Parentes filiorum vitæ inſidientur.

III. Si nurui ſuæ, aut Concubinæ filii ſui ſeſe immiſcuerit.

IV. Si Parentes filios ſuos teſtamentum condere pro-
3. hibuerint in rebus, in qvibus habent teſtandi licentiam, omnibus in hujusmodi teſtamentorum prohibitione ſervandis, qvæ in Parentum perſona diſtinxit.

V. Si vir uxori ſuæ ad interitum aut alienationem
4. mentis det venenum aut uxor marito, vel aliô modô alter alterius vitæ inſidietur, qvod uti publicum crimen juxta LL. examinari, & vindictam legitimam promereri decernit, ita liberis ſit licentia, nihil in ſuis teſtamentis de facultatibus ſuis ejusmodi perſonæ relinqvere, qvæ tale ſcelus noſcitur commiſiſſe.

VI. Si

VI. Si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint.

VII. Si in clade captivitatis liberi detineantur, & per 5.
parentum contemtum, vel negligentiam non rediman-tur, interea ab hac luce transire contigerit, nullatenus parentes ad liberorum eorum facultates perveniant, de quibus filii testari poterant. Omnia verò in hoc qvoq; Capitulo serventur, qvæ de parentibus, vel cognatis atq; agnatis qvi ab intestato ad talium personarum jura vocantur, aut de extraneis scriptis hæredibus supra ad *Cap. 3.* scripsit.

VIII. Si qvis de liberis Orthodoxis senserit suum 6.
parentem vel parentes non esse Catholicæ fidei, hæc & in eorum persona debent teneri, qvæ supra de parentibus jussit. Atqve hæ octo exhæredationis causæ similiter à Doctoribus certis versibus inclusæ sunt, ut recitat ex Hilligero *L. 6. C. 16. ad tit. C.* Harpr. *ad Inst. de exhæred. n. 59.*

1. Si capitis natum pater accusaverit; 2. Ejus 7.
Aut vita insidias clamvè palamvè struat.
3. Si vetuit cupidum secreta novissima mentis
Prodere; 4. Nec veritus sit temerare nurum,
5. Si Pater aut genetrix tibi fata scelesta minetur
6. Fulcra nec adnati clausa furentis erant.
7. Filius auxiliô si non patris hostica linqvit
Limina; 8. Si genitor Numen inane colat.

Ex his igitur causis testamento aliqva inseri, eaqve ab he- 8.
rede scripto probari debet, qvô facto subsistit testamentum, hisce verò non observatis, qvoad institutionem rescinditur, & hereditas ab intestato succedentibus defertur reliqva verò Capitula firma manent. Ex his autem causis non tantum qvis exheredari potest, sed & si qvædam inter crimina reputentur, pœnæ LL. determinatæ locum habebunt.

Addit, Parentes à liberorum successione non sunt arcen- 9.
di.

di. Non sic tamen parentibus liberorum, ut liberis parentum hereditas debetur, parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul, & parentum commune votum. *L. Scriptô heredo 7. §. fin. ff. Si Tabb. Testam. nulla*, licet enim nulla liberis incumbat necessitas, qvo parentibus præsertim post mortem prospiciant, cum naturali ordine servatô pater filii exeqvias curare non soleat, si tamen id eveniat, & filius bona relinqvat, sine dubio hujus mens fuit, ut ad illos devolverentur bona à qvibus beneficiis maximis fuit affectus, qvales sunt parentes, qvibus post DEUM T. O. M. maximum debemus. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab intest. Dissert. 2. cap. 1. thes. 1.* Et
10. ideò, qvando pater à filio absq; expressione legitimæ causæ est exheredatus, testamentum est ipsô jure nullum, nec ad id evertendum opus est qverela inoffic. Testam. Sichard. *ad Auth. non licet n. 23. 24. C. de lib. præter.* Gometz. *Tom. 1. variar. Resolut. cap.*
11. *2. n. 36.* Si verò pater causa legitima expressa à filio est exheredatus, qverela patri, causam ejusmodi subesse neganti competit, & ea testamentum filii evertit. Gometz. *d. loc.* Brunneman.
12. *ad Auth. non licet n. 18. C de lib. præter.* Octo verò saltem causas, ob qvas parentes à liberis exheredantur, expressit Imperator, nam majorem habent erga liberos parentes affectionem; qvam liberi erga parentes, cum amor descendat non ascendat, nullusq; affectus extraneus inveniatur tantus, qvi vincat pater-
13. num. *L. cum furiosus 7. pr. C. de Curat. fur. & prod.* ubi verò major affectio, ibi major qvoqve ingratitudo. Unde fit, ut liberi pluribus ex causis ingratisiant, qvam parentes erga liberos, & conseqventer pluribus ex causis exheredentur, imò qvædam jura patriæ potestatis vel naturæ parentibus in liberos sunt permissa, qvæ è contrario liberis prohibentur, qvid enim si pater filium verberaverit, vel ei convicium fecerit, nonne æqvissimum est
14. ut patri condonetur? Non verò vice versa æqvum est, ut filius sit Censor morum patris, nam Lex erubescit castigatores filios genitoribus statuere. *Nov. 22. cap. 24.* vid. Harpr. & Sneidew. *ad Instit. de exhered. lib.* De exheredatione fratrum nihil hic habetur ab Imperatore cum se invicem instituere vel exheredare jus non habeant, *arg. L. fratris 27. C. de inoff. test.* & qvando Impe-
rator

rator supra *Nov. 22. cap. 47.* agit de causis qvibus fratres & soro- 15.
res à lucris nuptialibus excluduntur, manifestum est, non agere de causis qvibus soror vel frater alterum exheredare potest. In conscientia tamen multi Doctorum putant, graviter peccare, qvi spretis proximis indigentibus, & frugi hominibus omnia extraneis relinqvunt, Brunneman *ad L. 2. de inoff. test.* Confer. Dn.
Stryk. *de Potiorib. fratr. jur. cap. 5.* Forma autem exheredationis 16.
hic præscriptâ non observata, testamentum tanqvam nullum potest inpugnari, est enim hic parentibus nova exheredationis forma præscripta, qvæ ad amussim observanda, qva neglecta corruere ipsum actum necessum est. vid. Excell. Dn. Stryk. *Diss. de interesse controversia cap. 9. th. 8.*

CAP. V.

Ut non liceat Creditori hæredes defuncti molestare ante IX. dies.

HActenus dicta disposuit Imperator, ut & Parentes & 1.
filii â testamentorum injuria liberi reddantur, nam si qvi hæredes nominati fuerint, nullatenus quidem hoc casu testamentum debet solvi; sed quicqvid minus legitimâ portione relictum, hoc juxta alias LL. ab hæredibus debet impleri. Sola enim est intentio â Parentibus & liberis injuriam præteritionis & exheredationis auffer-
re, *considerare namque debent Parentes, qvia & ipsi filii fuerunt,* 2.
& eadem â suis Parentibus speraverunt, & similiter qvi nunc filii sunt, debent studere Parentum animos sanare, qvia & ipsi Parentes fieri desiderant, & â suis filiis optant honorari. Unde & constat utriusque partis utilitatem & cautelam præsentem Legem fuisse probatam.

§. 1. Sancit, nulli penitus esse licentiam, aut heredes, 3.
aut Parentes, aut liberos, aut Conjugem, aut agnatos, vel cognatos aut alios affines ejus, aut fidejussores, ante 9. dierum spacium, in qvibus videntur lugere, conveniendi, aut qvocunqve modô inquietandi, aut aliqvam admoni-

monitionem eis offerendi, aut in judicium eos vocandi, ſive debiti gratia, qvod à defuncto deſcendit, ſive alterius cujuſcunqve cauſæ nomine ad memoratas perſonas ſpecialiter pertinentis, qvod ſi qvis fecerit, omnia invali-
4. da eſſe decernit. Poſt 9. dierum excurſum verò, ſi qvis contra tales perſonas aliqvas habere putaverit actiones, eas ſecundum LL. exerceat, ita, ut nullum ipſi præjudicium generetur, circa retentionem juris, qvod intra dictũ 9. dierum ſpacium non potuerit agere.

5. *Addit.* Licet filius re certa contentus eſſe juſſus ſit, & aliqvid ſaltem ex paterno teſtam. adeptus, teſtamentum tamen nihilominus ſubſiſtit, & ſupplementum legitimæ per condictionem ex L. omnimodo conſeqvi poteſt, qvæ & qvandoqve contra Legatarios locum habet, utpote qvi de lucro captando, liberi verò de damno vitando certant. *arg. L. 56. ff. de R. I.* imò qvoqve hoc jus ſupplementum legitimæ petendi tranſit ad heredes extraneos, licet à filio petitum non ſit. cum non ſit qvota hereditatis: ſed bonorum, qvæ filio ipſo jure ex L. proviſione, nec judicio patris debetur. vid. Gail. *lib. 2. Obſ. 120. L. 35. §. 2. C. de inoffic. teſtam.*

6. *Ad §. 1.* Ratio ita conſtituendi fuiſſe videtur, qvod tot dierum ſpaciô ſolennia luctus durarent, tracta ex ritu paganorum. Cujac. *de diverſ. tempor. præſcrip. cap. 6.* qvod cum ita ſit, mirum non eſt, ſpatium illud hodiernis moribus non eſſe receptum, & affine eſt, qvod anterioribus conſtitutionibus cautum fuerit, ne liceret corpora defunctorum prætextu debiti detinere, deniqve & impedimentum ſepulturæ facere, gravibus ob eam rem pœnis
7. conſtitutis, de qvibus Imperator ſupra *ad Nov. 60. cap. 1.* Jure Saxonico intra 30. dies hereditas jacens, neqve à creditoribus, neq; ab ipſis heredibus moleſtari poteſt. Carpz. *P. 3. Conſt. 33. def. 2.* cujus fundamentum habetur in *L. fin. §. 11. C. de jure delib.* Brunneman *ad L. fin. C. de Sepulchro viol. in f.* Peretz. *C. de jure delib. n. 11. §. 5.* ubi hoc ad V. Inventarii effectum refert. vid. de hac qv. Mengering. *informator. Conſc. Evangel. Dom. 16. Trinit. qv. fin.* ubi tradit, theologicè non poſſe defendi mortuos in feretro arreſtari, & gentibus ex lumine naturæ illud improbaſſe. Interea tamen

tamen posse arrestari intra 30. diem bona defuncti debitoris statuit Finckelth. *Obs.* 15. ubi *n.* 4. *cap.* 5. *h. Nov.* agere tradit de personis lugentibus non molestandis, non verò de bonis.

CAP. VI.

De Constituta pecunia.

SI qvis pro se, aut pro alio pecuniam constituerit, vel spoponderit, dicens fortè, *satis tibi facio*, in qvantitatem qvam dixit, omnibus modis obligatur, & promissionem seu sponsionem suam adimplere, & debitum persolvere compellitur. 1.
Si qvis dixerit, *Fiet tibi satis à me & ab illo, & illo*, illis qvidem qvos nominaverit, non consentientibus, nullum ex tali voce fit præjudicium, non tamen ille qvi hoc dixit, pro illis qvos nominavit, exactionem aliqvam sustinet, pro se verò, qvod secundum LL. debere monstratus fuit, pro rata tantum portione persolvere est obligatus. 2.
Si qvis dixerit, *Fiet tibi satis aut à me, aut ab illo, & illo*, nominatis simili modô non consentientibus, nullum fit præjudicium, ipse autem qvi promisit, integrum qvidem debitum persolvere cogitur. 3.
Sed si dixerit, *Fiet tibi satis*, tali verbô, ut impersonaliter dicto, planè ac si nihil promiserit, ab omni exactione liber servatur, si qvam autem contra nominatas personas sibi actionem competere putaverit, eam juxta LL. adversus eos proponere, & legis auxilio perpotiri debet.

Addit. Constituere qvid in hac materia denotet, satis aliàs à Doctoribus *ad h. Tit. ff & C.* proponitur, *Pecuniæ* vocabulum hoc in Tit. latissimum est, & pro omni re debita sive sit pecunia, sive alia res fungibilis, sive etiam mobilis, sive immobilis, & generaliter pro omnibus rebus, qvæ in stipulationem veniunt, accipitur. Eckh. *ad h. Tit. ff. pr.* pertinet qvoq; ad debita tam ex delicto, qvam ex contractu. Brunn. *ad L.* 1. *ff. h. Tit.* Et vocabulum *satisfaciendi* qvo qvatuor casibus distinctis hic utitur Imperator, prolatum ab homine obligare se volente significat solutionem, & sic promisso 4.

se non potest liberare dando pignora vel fidejussores ex *L. 10. ff. de pignorat. act.* Brunneman *ad Auth. Si qvando C. de Constit. pec.*
5. ut adeò dubium non sit, *primo casu* firmiter qvem obligari, modo talis sit, qvi se obligare & solvere possit, & qvantitas sit ab initio certa, & si sit factum ob qvod satisfactio promittitur, ut *proprium* sit, non alienum, respectu scil. promissoris, nemo enim alienum factum promittendo obligatur. *§. 3. inst. de inutil. stipul.*
6. *L. 38. pr. & §. 1. ff. L. 83. pr. ff. de V. O.* cum regulariter ex contractu alterius non obligemur. *L. 3. C. Ne uxor. pro marito*, ac deinde, modo fieri possit, qvod promittitur, nam qvod fieri non po-
7. test, si promittitur illud omne inutile est *L. 35. ff. de V. O.* Fieri verò aliqvid non posse intelligitur dupliciter, & qvod *natura* non potest, & qvod non potest *jure*. Jure fieri non possunt qvæ LL. fieri prohibent, aut boni mores *L. 15. ff. de Condit. instit.* Nam boni mores optima pars sunt juris, ut qvi nascuntur ex jure naturali ac gentium maxima ex parte, in qvo numero ponuntur in
8. *L. 6. C. de Pact.* Lex fieri qvod prohibet sive prohibet apertè verbis, sive tantum Legis sententiâ, ex qvibus in usu juris si illud fiat, dicitur fieri contra Legem, hoc magis in fraudem legis *L. 29. 30. ff. de Leg.* v. Anton. Donell. *lib. 12. Comment. J. Civ. cap. 21. Secundo casu*, si qvis *se satisfacturum, & Cajum ut & Sejum promittat*, ipse qvidem in propria persona obligatur, verum qvoad
9. cæteros duos non obligatur; cum ut paulò ante dictum factum alterius in potestate nostra non sit, excipitur 1. qvi promittit dominum rem ratam habiturum, apertè promittit alium facturum, Donell. *d. l. cap. 18. n. 20.* & 2. si qvis factum illorum, qvos in potestate habet, constituerit *L. 24. §. 6. ff. de damno inf.* 3. Si qvis alium daturum, vel facturum, *se effecturum* promisit, tunc enim absq; mentione pœnæ simpliciter obligatur *§. 3. Instit. de inutil. oblig.* qvia hic non tam alienum, qvam proprium factum conti-
10. netur; Tenetur autem præcisè casu hoc ad effectum, nec liberatur præstando interesse, itaq; si in vanum laboraverit, nec conatui respondeat eventus, in id qvod interest, condemnatur, prout antecedit Treutler. *Vol. 2. Disp. 27. th. 1. lit. b.* Wisenb. *ad π.*
11. *P. 2. Dis. 26. th. 7.* Similiter & 4. qui constituit creditori certam personam fidejussuram pro se, his verbis alium facturum constituit,

ſtituit. Donell. *d. l. n. 30.* qvod ſi verò tres ſimul conſtituerint in unam ſummam in ſolidum omnes teneri non eſt dubium; ita, tamen, ut ſicut fidejusſores, ita & Conſtituentes gaudeant beneficio diviſionis. *L. fin. C. de Conſtit. pec.* qvod Dn. Schwendend. *ad Eckbolt. d. tit.* §. 8. verum eſſe dicit, ſi qvis pro alio ſeſe conſtituat, *Nov. 4. Cap. 1.* ſecus ſi conſtituat debitum proprium, ſic enim beneficio excusſionis gaudere non poſſe ait, cum tunc non pro intercesſore ac fidejusſore habeatur; ſed proprio nomine fiat obligatus. *Tertius caſus* differt à priori licet enim hic ſimul 12.
aliorum factum promittat, qvod in ejus poteſtate non eſt, tamen ne eludatur creditor, ipſe in ſolidū tenetur, ſufficit enim, hunc ſe ſolū obligaſſe, nec tenetur creditor aliorum fidem, ſibi forte ignotorum ſeqvi ſic ſi debitor hoc caſu ſolutionem difficultet, ſi non jurat, ſolvere cogendus erit à prætore *L. 34. §. 6. ff. de jurejur.*
Qvod ſi autem creditor in unum debitorem qui offeruntur à ter- 13.
tio alternative conſentiat, in ipſius eſt arbitrio, à qvo pecuniam velit acceptare, vel qvem ſibi eſſe obligatum, qvippe in alternativa perſonarum debentium eſt electio creditoris. *L. 21. ff. de Condict. indeb.* Clud. *de Condict. indeb. cap. 3. n. 80.* Conf. *L. 2. §. 3. ff. de eo qvod certo loco.* Sed *qvartô caſu* cum imperſonaliter conſtitui- 14.
tur, nemo eſt obligatus, nam omnis conventio dandi præſtandive aliqvid eſt inutilis, ex qva nemo obligatur, cum ſint comparatæ omnes conventiones vel ſtipulationes, ut aliqvem nobis obligent, *Inſt. de V. O.* Donell. *Comment. jur. Civ. lib. 2. cap. 19. n. 10.*
qvis vero eſt obligatus cum dicitur; *Fiet tibi ſatis*; ſane ſimplici- 15.
ter poſitum hoc verbum generalius eſt, qvàm ut referri poſſit ad perſonam proferentis, inde manet incertitudo, hanc autem vitiare actum juris dubium non habet *arg. §. 22. Inſtit. de legat.*
L. 15. ff. de uſufr. L. 17. ff. de in diem addict. unde aliqvi differen- 16.
tiam conſtituunt inter *Stipulationem & Conſtitutum*, qvod ſcilicet ſtipulatio per imperſonalia verba rectè fiat, non etiam conſtitutum, Cujac. verò ad *L. 5. in fin. ff. de V. O.* nihil inter utrumqve Contractum intereſſe tradit, & ſtipulationem iisdem ſervatis terminis non valere, ut *promittis 100.? Promittuntur*, vel *ſatis fiet*, debitum itaqve ſubſit necesſum eſt. *L. 11. ff. de Conſtit. pec.* Zœſ. *ad Tit. ff. de Conſtit. pec. n. 8.* Qvamvis verò communis Doctorum 17.

Schola omne constitutum personale v. *Auth. Si quando C. de Const. pec.* rejiciat, eumqve qvi verbo aliqvo impersonali utitur, tanqvam si nihil promiserit, ab omni exactione liberum pronunciet, nonnullos qvoqve eadem *Auth.* moti impersonalem stipulationem impugnare, nonnullos tamen id simpliciter adeo non procedere, & aliam interpretationem adhuc assumi posse probat occasione *h. Nov. 115. cap. 6. & L. 15. ff. de Stipulat. servor.* Dn. D. Hoppe *Dissert. Francofurti olim habita de Jure Impersonal. cap. 2. thes. 13.*

NOVELLA CXVI

Ut neqve miles neq; fœderatus recipiatur in domo vel possessione alicujus privati.

CAPUT I.

1. PRohibetur hoc C. ne qvis milites domi foveat, ut privatæ inserviant utilitati, sub pœna Confiscationis bonorum & amissionis dignitatis, nisi intra 30. dies eos expulerit. Milites verò hoc casu militia privantur, & ultimò afficiuntur supplicio, Judices etiam si milites ad numeros vel fœderatos ad optiones (qvæ sunt gradus in turmis decurionum, & Cohortibus Centurionum) suas non remiserint, pœnam C. librarum auri incurrant, & insuper exilio tradantur, utpote Imperatorias jussiones negligere præsumentes.

2. *Addit.* Milites ad nutum Ducis vel Centurionis paratos stare oportet, nec sine consensu ejus alienis se immiscere negotiis domesticis, qvibus forte à militia avocantur, aut impediuntur, quo minus officio defungi valeant, qvod qvidem in iis locis, ubi sunt in præsidiis, dubium non habet, posset tamen gregariis militibus à Ducibus suis, diebus in quibus excubias non agunt, si forte unus vel alter Calligraphus sit, aut aliàs manuum opera sibi qvid acqvirere possit, concedi, cum aliàs stipendia exigua sint, ut sibi necessaria compareant, dummodo non ad annum vel aliud

aliud majus, tempus certo domino operas locent, & sic consequenter à militia abstrahantur, qvod hic prohibet Imperator, ad numeros suos etenim mox referri vult, & *L. 3. C. de Commeatu* injungit, ut si qvis sine Commeatu (*ohne Paß und Verlaubniß*) sed 3. arbitratu propriô annum vel propriis in penatibus, vel in qvibuslibet locis desidiosâ qviete transegerit, gradu dejiciatur, & qui commeatus spatium excessit, emansoris, vel desertoris loco habeatur, habetur tamen ratio dierum, qvibus tardius reversus, item temporis, navigationis, vel itineris, & si se probat valetudine impeditum, vel latronibus detentum, similive casu moram passum *L. 14. ff. de Re milit.* quippe si militia, & per conseqvens 4. Status Reip. diu in sereno tranqvilloqve beatæ Pacis statu conqviescere debet, ut ait Valer. Max. *lib. 2. c. 7.* disciplina militaris severè custodienda est, & miles aliàs licentiosus, & sæpenumero petulans in officio continendus. Et nullâ aliâ re Populum Romanum sibi terrarum orbem subegisse, nisi armorum exercitatione, disciplina castrorum, usuque militiæ satis constat ex Vegetio, Livio, & aliis Scriptoribus teste Peretz. *C. de Re milit. n. 1.* unde in bello desertionis admissum capitale est 5. *L. 5. pr. ff. de Re milit.* gravius qvoqve in eum statuendum est, qui post desertionem in aliam militiam se dedit, legiqve passus est *L. 4. §. 9. ff. eod.* Impp. olim permiserunt cuilibet desertorem opprimere, *L. ult. C. qv. lic. unicuiq.* qvod Leo Imperator ita restrinxit, si inventus restiterit *L. 3. C. de desert.* Nec solum ipsi deser- 6. tores puniendi sunt; sed etiam ii, qvi eos occultant, item judex, qvi gratiâ vel dissimulatione pœnam desertori irrogare neglexit. *L. 1. C. de desertor.* Si quis desertorem agro tectove susceperit atq; apud se diu passus fuerit delitescere, Dominus loci si hujus rei conscius fuerit, amissione prædii in quo latuerit desertor puniatur, Burger. *Observat. Polit. Jurid. milit. Cent. 2. obs. 23.* Desertor au- 7. tem habebitur, quisquis belli tempore abfuisse, & militaribus stipendiis degenerem latebram præbuisse monstratur. *L. 1. C. de desertor. & occultat. eorum. Denn daß sind die rechten Ehr- und Eydvergessene Schelmen, wann sie, da man ihrer am nöthigsten bedarff, und gegen dem Feind emplojiren wolte, außweichen, und also schändloser weise den Feldt-Herrn umb das Geld betriegen.* i. e. hi enim veri sunt furciferi

ciferi, & perjuri nebulones, qvi dum ipsorum opera Dux militaris indiget, & hosti opponere paratus, castra deserunt, & Ducem bellicum stipendiô defraudant. Qvos & ordinationes militares capitis pœna plectunt, ut Maximil. I. Imperat. *O. M. art. 11. Holländisch Kriegs-Recht art. 16.* alleg. à Burgero *cit. l.* qvæ maximè locum habent, ex qvo in numeros sunt relati, sic enim verè milites esse incipiunt, milites enim sub numeris erant, fœderati per optionem ex fœderatis populis in numerum militum cooptati, h.e. non ut otiosi delitescerent; sed ut pro libertate & commodis Reipubl. contra, hostes militarent, ejusdemq; commoda augerent.

8.

9. Semel tamen ad numerum redactus, non potest ab uno ad alium, vel una vexillatione ad aliam, ab una legione ad aliam, ab uno exercitu ad alium sine consensu Principis transferri *L. 14. C. de Re milit.* quia honoris augmentum non ambitione; sed labore qværendum. Brunneman. *C. de Re milit. n. 4.*

NOV. CXVII.

Ut liceat Matri & Aviæ, & aliis Parentibus post legitimam partem liberis derelictam, &c. &c.

CAP. I.

Si quis Filiumfam. heredem instituerit, ut Pater ipsius usumfructum hæreditatis non habeat.

1. LIcet Matri & Aviæ, aliisqve Parentibus, ex qvo reliqverunt legitimam, qvod reliqvam bonorum superest, sive in parte filio vel filiæ, nepoti vel nepti, & deinceps descendentibus donare, aut per ultimam relinqvere voluntatem, sub ea conditione si voluerint, ***ut Pater aut qui omninò eos habent in potestate, in his rebus neqve usumfructum, neque qvodlibet penitus habeant participium.*** Hæc enim

enim & extraneis relinqvere poterant, unde nulla Parentibus utilitas nascebatur, & hoc non solum Parentib9; sed & omni personæ licere præcipit.

§. 1. De rebus sic relictis vel donatis licet liberis sub 2.
potestate positis si perfectæ sint ætatis, *qvocunq; volunt modò disponere*, si verò ætate minores sint, illum in his bonis administratorem habebunt, qvem testator dedit, qvi & matrem ejus, cui quid legatum administratricem constituere potest, licet maritum habeat, quæ tamen invita cogi non potest. Cessante administratore testamentario, 3.
judex aliqvem fide dignum cum legitima fidejussione scil. rem pupilli salvam fore, ordinare debet, qui relictam ejusmodi personis substantiam gubernet, & custodiat, donec ad perfectam ætatem perveniant.

Addit. Desumpta ex *hac Nov. Auth. Ex liberis C. de bonis qvæ lib.* 4.
adeoqve per hosce textus qvod ita liberis legatum vel relictum est, ne Pater in eo usumfructum habeat, pleno id jure ad filiumfamil. spectat, Patri usufructu non acquisito, qvia nec ullam horum bonorum commoditatem Pater habet, sibiqve vindicare potest, licet qvoad hoc dissentiat Rodericus Svaretz *enodat. qv. utrum in bonis majoratus Pater habeat usumfr. n. 1.* Statuens præsenti ca- 5.
su patri non qvidem usumfructum, commoditatem tamen acqviri, à cujus sententia pleriqve Doctorum recedunt. 2. Qvoqve excipitur, qvod filiusfamilias ab Imperatore vel Augusta ex titulo donationis vel consimili accepit illud enim similitudinem Castrensis peculii habere, & nulli qvoad usumfructum acqviri sancitum est in *L. cum multa 7. C. de bon. qvæ lib.* 3. Quod filius- 6.
familias una cum Patre fratri suo germano ab intestato succedens, ex successione & hæreditate Patris consecutus est, id omne etiam filiofamilias acquiritur Patri usufructu non relicto prout in subseqv. *Nov. 118. c. 2.* definivit Imperator. Non possunt autem li- 7.
beri de ejusmodi peculio adventitio irregulari testamentum condere *L. 11. C. qvi Testam. fac. poss.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 32. th. 7. n. 4.* non obst. qvod Imperator hic in textu dicat, licere *qvocunqve modò* liberis de sic relictis disponere, qvippe hic non loqvitur

tur de dispositione testamentaria, sive ultimæ voluntatis; sed de dispositione administratoria, seu domestica inter vivos, ut Græcus textus arguit, in qvo non est διατίθεσθαι, i. e. testari; sed διοικεῖν, qvod œconomicam disponendi licentiam importat, id qvod ex aliis Doctoribus probant Harprecht. *ad pr. I. qvibus non*
8. *est permissum n. 33.* Mynſ. *ad I. eod.* Nec 2. urget *Nov. 22. cap. 26. versu si verò non habeat.* ubi filiusfamilias de iis rebus, qvas ex secundo patris matrimonio lucrifecit, testari posse dicitur, nam loqvitur de filiis, qui quasi sui juris, nec matris adhuc superstitis potestati subjecti testamento extraneum sibi hæredem instituere possunt, nam patre superstite in cujus sunt potestate, non possunt, ne de iis qvidem bonis, quæ patri non acquiruntur, facere testamentum *L. pen. C. qui Testam. fac. poss.* Harpr. *d. l. num. 35.*
9. 3. Omnium maximè se huic sententiæ opponit Hunnius *lib. 2. variar. Resolut. tr. 5. qv. 10.* inter alia dicens, ne Novella hæc otiosa & inepta evadat, omninò esse dicendum, eam vel maximè de dispositione testamentaria tractare. Resp. Ungepaur. *Exercit. Justinian. 8. qv. 6.* hanc instantiam præsupponere, qvasi in Novellis novum atque à veteribus LL. dissidensius semper proponatur,
10. qvod verum non est. Nihil enim aliud sunt Novellæ Constitutiones, qvàm posteriores LL. qvæ prioribus & anterioribus superadditæ sunt, sive illæ prioribus derogent, sive eas abrogent, sive qvid novi juris constituant, sive etiam priora & vetera jura
11. tantum confirment. Cujac. *pr. Nov.* Nec 4. facit, qvod Hunnius objicit, absurdum esse viventibus de rebus suis disponendi facultatem concedere, eandem verò morientibus denegare velle *t. t. I. d. L. Jus. Canon. toll.* nam Resp. argumentum à negotiis inter vivos ad ultimas voluntates nunqvam procedere ad derogationem Legis. Eberhard. *Tom. leg. Loco à Contractu ad ultim. volunt.*
12. *num. 2.* Quinimò textum hunc de dispositione inter vivos, quæ fit per Contractus, necessario esse accipiendum illa qvoq; ratione ostenditur, qvod illa libera disponendi facultas, de qva hic textus agit, concedatur filiisfamilias 25. annorum, qui si ætate minores sint, tutorum vel curatorum gubernationi ipsorum res permittuntur, qvi de illis nullum jus testandi habere unqvam dignoſçuntur, nam & qvi perfectæ ætatis est, vel extra pubertatem consti-

constitutus sibi ipsi testamentum facere potest *L. à qua ætates ff. qui Testam. fac. possunt.* non tamen de peculio adventitio extra- 13.
ordinario, quamdiu sub potestate patria est constitutus, ne qvidem si testandi facultatem concedat pater, cum jus publicum pactis privatorum mutari non possit *L. 38. ff. de pactis.* & publicè intersit, ne ultima voluntas pendeat ex arbitrio Patris, aut tutoris ob varios rerum casus, qui evenire atqve intercedere possunt. vid. Peck. *Tr. de Testam. Conjug. lib. 1. c. 29. n. 9.* Mantz. *Tr. de Testam. valid. & inv. Tit. 2. & ad I. Tit. qvibus non est promissum Testam. pr. vers. adeò qvidem.*

CAPUT II.

De eo, qvi in aliqvo Instrumento nominatus est filius.

I. SI qvis filium ex libera muliere susceperit, & eun- 1.
dem in instrumento sive publica sive propria manu conscripto, triumqve testium fide dignorum subscriptione munito filium suum aut filiam suam esse nominaverit, nec naturalem adjecerit, talis filius nulla alia probatione legitimitatis indiget, sed omni fruitur jure, qvod 2.
legitimis filiis conferunt Leges, præsumitur enim ex ejusmodi scriptura matrimonium cum matre esse initum, & prodest hoc testimonium etiam reliqvis ex eadem matre natis.

II. Qvod si pater ex ipsa muliere multos filios ha- 3.
bens, uni ex eis testimonium qvodvis prædictô modô præbuerit, testimonium uni datum sufficit reliqvis ex eadem muliere natis ad legitima jura patris.

Addit. Nominatio filii in instrumento trium testium subscri- 4.
ptione munito filium facit legitimum, non qvod ejusmodi nominatio sit peculiaris legitimandi modus; sed legitimarum nuptiarum argumentum, qvod pater eorum liberorum matrem pro uxore habuerit. Brunneman. *ad Auth. Si qvis liberos C. de natural. lib.* qvod & præsumi dicit Menoch. *lib. 3. Præs. 1. n. 86.* inprimis si

duxerit in uxorem, & vir & mulier ſe invicem nominant Conjuges. *num. 85.* Conf. Bruckner. *Deciſſ. Jur. Matrim. cap.19. n. 46.*
5. Singulare qvoqve in hoc Cap. eſt, qvod privilegium legitimitatis uno datum filiorum aliis qvoqve proſit, qvale beneficium qvoqve alteri fratri conceſſum, qui cauſam communem cum fratre habet. *L. 1. C. de diverſ. reſcr.* ut conceſſa dignitas uni tribunorum ſuperiorum & notariorum, prodeſt qvoqve alteri amico vel non amico dummodo ſit de provincia. *L. 6. Reſtituendæ ad hoc Cap. de Advocat. diverſor. judicum.* Idem ſi filiis dati tutores ut filiabus qvoqve dati eſſe cenſeantur *L. 16. pr. ff. de Teſtam. tut. L. 62. ff. de leg. 3. L. 45. pr. ff. de leg. 2.*

CAP. III.

De Muliere qvæ ſine inſtrumentis dotalibus nupſit.

1. SI qvis citra inſtrumenta dotalia uxorem duxerit, eâ verò mortuâ ſecundam cum dotalibus inſtrumentis ducat, nullum liberis ex priori matrimonio natis ſit ratione ſucceſſionis præjudicium; ſed æqvaliter cum liberis ſecundi matrimonii concurrunt, cum etiam ex ſolo affectu poſſit conſiſtere matrimonium.

2. *Addit.* Vel ex his poterit colligi, liberos contractis ſponſalibus; ſed ante benedictionem Sacerdotalem natos, patre tamen ipſorum mortuo, ſi forte ex priore matrimonio legitimi adſint, cum his hodie æqvaliter ſuccedere, licet enim ἱερολογία deficiat, jure tamen civili ad nuptiarum ſubſiſtentiam ſolus con-
3. ſenſus ſufficit. *L. 30. ff. de R. I.* ut adeo ſi jure civili validum matrimonium, nec liberis inde natis ſucceſſio jure civili delata ſit neganda, etiamſi benedictio ob mortem Sponſi non ſit ſecuta, & qvod inſtrumenta dotalia olim idem apud nos hodie bened. Sacerdotalis importat prout alibi ſupra demonſtratum.

CAP. IV.

De Nuptiis Illuſtrium, ut cum dotalibus inſtrumentis fiant.

Qvi

QVi maximis sunt dignitatibus decorati usqve ad Il- 1
lustres, nuptias sine dotalibus instrumentis contrahere non possunt, matrimonium tamen ante adeptam dignitatem solô affectu contractum firmum manet. Barbaris autem licet in illustri dignitate constitutis, & reliqvis omnibus, qvi in maxima non sunt dignitate, qvo vis modô nuptias contrahere permissum est.

Addit. Regulariter Nuptiæ solo contrahuntur Consensu *L.* 2.
30. ff. de R. J. hic enim dicitur basis & fundamentum matrimonii, Carpz. *lib. 2. Jurispr. Consist. def. 26.* imò anima conjugalis, qvia pertinet ad matrimonii substantialia, Philipp. *Usu Pr. ad Inst. lib. 1.*
Eclog. 57. n. 6. nec reqviruntur dotalia instrumenta, limit. hoc 3.
in Illustribus personis, licet ante dignitatem contractus retineant, ad hanc verò subtilitatem, ob suam simplicitatem non tenebantur Barbari, i. e. Gothi, vel Vandali; ulterius qvoqve Tabb. 4.
nuptiales exigebantur in nuptiis contractis inter personas imparis conditionis sive dignitatis, ut si Senator permissu Principis ducebat mulierem scenicam, i. e. vilis conditionis. *L. 22. & 23. C. de Nupt.* per qvam Legem, qvæ malè Justiniano adscribitur,
matrimonium illustris cum fœmina etiam scenica confirmatum, 5.
modò principale Rescriptum, & ut hic traditur, dotalia accesserint instrumenta, qvod ipse Imperator Justinianus in favorem suæ *Theodoræ* sic postmodum ampliavit, ut omnes qvoqve nuptiæ inter Illustres, qviqve maximis sunt decorati dignitatibus ac inter ludicras personas tanqvam legitimæ valeant. *Nov. h. Cap. 4.* Gudelin. *de Jur. Novisf. lib. 1. cap. 9.* Rittersh. *ad Nov. P. 4. cap. 2.*
n. 6. Et hodie apud nos valere matrimonium inter Virum Illu- 6.
strem & inferioris dignitatis Virginem, pacto simul tempore nuptiarum inito, ut tam uxor qvàm liberi nasciturі ex tali conjunctione non tantum à maritali & paterna dignitate abstineant; sed & modica bonorum parte pro alimentis contenti, omni succedendi spe priventur, in dubium est, inprimis talia pacta inter
Principes, Comites, & alios Viros Illustres tam in imperio Rom. 7.
Germ. qvam extra illud indies præsertim in contractu matrimonii exercentur & observantur, in qvorum personis ea tanto facilius admittuntur propter dignitatem & amplificationem familia-

rum, ac generis splendoris conservationem; Virtus enim unita
8. in se ipsa fortior manet, qvàm sparsa, cum divisio præsertim sæpius reiterata bona familiæ soleat attenuare, & qvasi ad nihilum redigere, *arg. Nov. 18. post pr.* Sonsbeck. *de Feudis P. 1. n. 44.* qvod argum. passim ab Excellentiss. ævi nostri Doctoribus satis eruditè & latè est propositum. vid. Besold. *Thes. Pract voc. Morgen-Gabe* Myler. ab Ehrenb. *Gamol. C. 6.* Excell. Dn. Coccejus *Diss. de Lege Morganatica Sect. 5.*

CAP. V.

Ut cum matrimonium est sine dote & Conjux superstes inops, mortui qvartam partem accipiat.

1. SI qvis uxorem indotatam duxerit, & eam postmodum sine causa LL. probata expulerit, aut si citra divortium vixerint Conjuges, maritus verò præmoriatur, qvartam partem substantiæ mariti capit uxor, si scil. tres sint liberi, vel pauciores, sive ex hoc, sive ex alio matrimonio. Si plures adsint liberi, uxor portionem filialem accipit; sed qvoad usumfructum tantum, proprietatem verò liberis, qvos ex his nuptiis habuerunt, servare debet.
2. Si verò uxor ex eo marito filios non habet, etiam jure dominii illam qvartam partem accipit; qvæ verò irrationabiliter, exclusa vel expulsa est, statim petere suam qvartam potest. Vir autem tali casu qvartam ex substantia mulieris accipere non debet.
3. *Add.* Quid Jure Civili uxori ex bonis mariti debeatur liberis existentibus, vel non satis ex hoc C. patet, & potest hic conferri *supra Nov. 53. c. 6.* cum ibi dictis, circa quam partem maritus uxori in testamento præjudicium inferre neqvit, nec per æstimationem vel taxationem bonorum viliori pretiô factam Carpz.
4. *P. 3. Const. 7. def. 10.* si verò uxorem male tractet & expellat, lucro dotis se indignum reddit, qvod ipsi aliàs ex statuto vel pactis dotalibus competebat. Carpzov. *P. 3. c. 26. def. 6.* Brunnem. *Tit. C. de*
latina

latina libert. toll. n. 11. qvod Mev. *ad Jus Lubec. P. 2. Tit. 2. Artic. 8. n. 442.* limitat in expulsione durante usqve ad tempus mortis, reversâ enim & reconciliatâ uxore non est ob præcedentem injuriam jam remissam maritus lucro dotis privandus. *d. l.* & colligitur 5.
hæc ex amica receptione, familiari convictu, reconciliatione, item cum innocens nocenti in testamento quid reliqvit. Mev. *d. l. n. 450.* Ulterius qvoqve refert Mev. ad causas amittendæ qvar- 6.
tæ si se invicem adulterii falso accusaverint, nec obtinuerint, vel tale qvid commiserint, unde divortium possit seqvi, ut si Conjux Conjugem ad atrocia persvadeat crimina, unde ultimum sentiat supplicium, imò & ex ea separatione, qua torum & mensam, 7.
quæ non fit bona utriusqve Conjugis gratia; sed vel altero invito, & ob alterius factum vel culpam, nam tunc partem separationi causam præbentem carere lucro æqvum est, insontem verò sine facto suo non privari, ut cum Peckio *lib. 4. de Testam. Conjug. c. 12. n. 4. in f.* idem distinguit Mev. *c. l. n. 454.* quod si uxor ob sæ- 8.
vitiam expulsa, & sic qvoad torum & mensam separata sit, non tamen statim qvartam petere debet, siqvidem spes conciliationis est, cum matrimonium nondum qvoad vinculum solutum sit, iterum Conjuges posse conciliari, nisi pars innocens valde pauper, & de alimentis, qvæ perexigua â marito exhibentur, vitam vix sustentare possit. Aliud si ob adulterium solveretur matrimonium, *Matth. 19, 9. Marci vers. 1. Cor. 7, 15. Deut. 24.* sic enim statim 9.
innocens pars qvartam suam, vel portionem â statuto debitam consequitur. *l. 6. §. 4. in f. C. de repud. c. 9. h. N. N. 139. c. 10.* Richter. *de Success. ab intest. sect. 4. M. f. n. 41. seqq.* Hartm. Hartm. *l. 2. tit. 35. O. 10.* Carpzov. *P. 4. C. 21. def. 3.*

CAP. VI.

De Leoniana, & Constantiniana Constitutione.

Confirmat hic Imperator, Constitutionem LEONIS 1.
Imperatoris, & limitat Constitutionem Constantini Imperat. qvod viles personæ etiam Illustribus nubere possint, modo confecta fuerint dotalia Instrumenta;

in aliis verò dignitatibus constituti solô affectu & sine scriptura cum personis vilibus nuptias contrahere possunt.

2. *Add.* per *C. 4. & hoc 6. h. Nov.* ex indeq; desumtam *Authenticam sed novo jure C. de Natur. lib.* correcta est *L. 1. C. d. t.* ut & hodie secundum mores illustris persona cum vili possit contrahere matrimonium, sic ut liberi ex tali matrimonio impari geniti sint
3. nobiles Reincking. *de regim. Sec. & Eccl. l. 1. cl. 5. c. 11.* qvamvis tamen in omnibus æqvè bonis Parenti non succedant, nam qvando feudalia ipsis relinquere cupit, omninò Cæsaris Consensum ut Domini Feudi esse necessarium docet Illust. Dn. de Rhetz. *Jur. Publ. lib. 1. tit. 19. §. 15.* ob textum *1. F. 8. per. verb. Nulla ordinatione in feudo manente* & solet regulariter hic respici ad pactum ante matrimo-
4. nium initum, in qvæ bona succedere debeant liberi ejusmodi, qvale tamen pactum non sic stringit Patrem Illustrem, ut id constante matrimonio non possit mutare Idem §. 17. cum omni succedendi vis intuitu horum liberorum dependeat ex arbitrio Patris, arbitrium verò tale sit ambulatorium usqve ad mortem; Et
5. hæc mutatio non tantum fieri potest pro parte, ut scil. testamento plus quàm pacto provisum est liberis ex inæqvali Conjuge relinqvere possit; sed & in totum, ut scilicet liberi jam nati cum uxore plenaria dignitate & successione fruantur, qvale qvid ante annos non adeò multos in domo Cellensi Luneburgica contigis-
6. se, ignotum non est, & qvando Pater bona de qvibus liberam testandi licentiam habet, in extraneum transferre potest, cur non etiam in filium Morganaticum? Excell. Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feud.*
7. *c. 7. qv. 5.* & habetur ejusmodi conventio tanqvam donatio mortis causâ vel potius mortis causa capio, qvæ revocabilis est usq; ad extremum vitæ spiritum *L. 35. §. 2. ff. de donat. m. c.* & qvamvis pactum patris illustris de modo succedendi inter filios favore matrimonii & familiæ conservationis valeat, hoc tamen eatenus est intelligendum, si in eadem voluntate paciscentes perseveraverint
8. *arg. L. 10. §. 6. ibi: modò duret ff. de in rem verso.* Alia qv. est, An si filii aut nepotes primi matrimonii absqve legitimis hæredibus decedant filii ex Conjugio ad morganaticam, eorumve descendentes legitimi succedant in bonis Patris, aut Avi, qvi Conventionalem hanc successionem instituit qvam cum aliis tractat & resolvit Myler. ab Ehrenb. *in Gamolog. c. 6. §. 34.* CAP.

CAPUT. VII.

Solutô per repudium matrimoniô, qvô modô & apud qvem liberi alantur.

I. Divortiô factô inter Conjuges liberi exinde lædi 1.
non debent; ſed ad parentum hereditatem nihilominus vocandi, & ex ſubſtantia patris alendi indubitanter. Et ſiqvidem pater occaſionem ſeparationis præbeat, & mater non ad ſecundas venerit nuptias, apud matrem expenſas patre præbente nutriri debent.

II. Si per cauſam matris oſtendatur ſolutum matri- 2.
monium, apud patrem maneant filii & alantur, qvi ſi minus idoneus eſt, mater verò locuples, apud eam pauperes filii manere, & ab ea nutriri debent, ſicut enim filii locupletes coguntur matrem egentem alere, ita juſtum eſt, & à matre locuplete filios paſci. Et qvod hic de alenda patre, & filiis indigentibus definit Imperator, hoc qvoqve in omnibus aſcendentibus deſcendentibusq; perſonis utriusq; naturæ valere præcipit.

Addit. Lis inter patrem & matrem & ex illa divortium ſe- 3.
qvens, non poteſt liberorum jus qvoad hereditatem paternam & maternam infringere; ſed nihilominus jus qvod ita radicatum habent ſemel, conſtanter retinent, qvia & ſi impuberes ſunt, à parentibus de alimentis neceſſariis ipſis proſpici debet, nam poſtulat officium paternum, liberos ſuos conveniente victu alere, Ariſtot. *lib. 1. Eth. cap. 8. & lib. 7. cap. 17. Polit.* Nam dum libe- 4.
ros hac mente generant, ut poſt ſe ſuperſint, & in iis ſui nominis memoria in omne ævum perennet, ſanè media qvibus finem illum obtinemus, odiſſe non poterunt, qvi finem ſeriò exoptant. Gvilielm. Grot. *de Princip. Jur. Nat. cap. 10. aphor. 6.* ſiqvidem non minus peccat, qvi liberis de negatione alimentorum interitum accelerat, *L. 4. ff. de agnoſc. & alim.* qvam qvi ſibi, cum liberi ſint parentum pars. Nec refert, utrum liberi morigeri ſint, 5.
nec ne benè, an malè morati, qvia nuſpiam permiſſum eſſe legitur, hujusmodi filium occidere, qvod per denegationem alimento-

6. mentorum fieri dicitur. *d.l. 4. ff.* ficut nec illi alimenta denegabuntur, qvi à religione una deficit, & ad aliam permissam tamen in imperio Rom. Germ. transit, religio enim est favore maximo, non exheredatione digna, qvæ tamen locum habere debet, ubi qvis ab alimentorem petitione est excludendus, qvæ in consulendo se observasse dicit Wissenb. *P. 1. Disf. 23. ad ff. th. 26.*
7. Inprimis in studio virtutis eos exercere debet & aliqvam artem, ad qvam propendent à natura, eos edocere debet, unde aliquando se sustentare possint. Qvamvis autem Surdus *de alim. Tit. 4. qv. 6. n. 8.* tradat, patrem non teneri impendere pro filio studente in jure, nec teneatur pro illo inpendere usq; ad finem studii,
8. idemq; esse in hæredibus patris, paulo post tamen idem declarat, si filius sit bonæ indolis, & patris conditio, ac substantia ferat sic enim dicit, teneri patrem pro filio impendere, non solum in studia liberalium, sed etiam juris, & medicinæ, qvia pater tenetur ad institutionem filiornm *L. Jus alimentorum §. item ad instru-*
9. *ctionem ff. ubi pupill. educ.* Et sanè scientia filii est patris gloria, qvodq; pro filio impendit, proprio impendisse videtur honori. *L. 1. §. 16. ff. de Collat. bonor.* Carpzov. *P. 3. const. 11. def. 17.* qvod & de sumptibus peregrinationis utiliter impensis statuit Carpzov.
10. *d. l. def. 18.* vid. Vinn. *Tr. de. Collation. C. 13. n. 2. & 14.* Apud qvem parentum verò liberi potius nutriri aut educari debeant distincte hic proponit Imperator; Sane in filiæ educatione mater videtur præferenda, qvia maternus amor cœteros affectus omnes vincit, & Lex nulli magis qvàm matri liberorum educationem credidit, *L. 1. ff. ubi pupill. educ.* crudeleq; videtur, puellam à maternis visceribus avelli, vid. Sander. *Dec. Frisic. lib. 2. Tit. 8. def. 1.*
11. Si verò filius potius apud patrem, ubi putant, satisfacere patrem officio suo, si eam artem, qvam ipse callet, aut modum acqvirendi, qvo ipse utitur, doceat filium, nec ulterius ex jure naturæ obligari, modo tamen ars isthæc non fuerit illicita, qvalis est ars magica, latrocinandi, furandi & similes, qvod eruditè persecutus Eicholius *P. 1. de Jure liber. qvo naturaliter liberi & paren-*
12. *tes sibi invicem sunt obstricti.* Qvod si alteruter ex parentibus sit infidelis apud fidelem educari præstat *C. fin. X. de Converf. fidel.* qvod limitat Peretz. *C. Divort. factô &c.* nisi filii in ea sint ad huc

ætate

ætate, qva maternô magis indigeant ſolatio, qvô caſu ipſi potius debent asſignari, hanc verò ſi contingat eſſe inopem, à locupletiore conjuge ſumptus ſunt asſignandi. vid. *Auth. ſi pater C. Divort. facto.*

CAP. VIII.

De Juſtis Divortiorum cauſis marito permisſis.

CUm olim ob plurimas cauſas pasſim in LL. comprehenſas facilè nuptiarum ſolutiones fierent, placuit Imperatori abſcindere aliqvas, qvæ indignæ ad ſolvendas nuptias ſunt viſæ, easdemqve ſolum præſenti inſerere Legi, ut ita rationabiliter vir vel mulier repudium mittere posſit. Eſt igitur. 1.

Cauſa I. Si uxor conſcia Criminis læſæ Majeſtatis, hoc marito non indicaverit, ſed ſi marito denunciaverit, isq; tacuerit, uxor ad Magiſtratum deferre debet, qvô factô cesſat repudium. 2.

II. Si adulterii ſuſpecta ſit uxor, maritus prius in crimen ſubſcribere debet, & probato adulterio repudium uxori poteſt dare, ubi maritus præter donationem propter nuptias dotem lucratur, & ſi liberi non adſint, tantum partem, qvanta eſt tertia pars dotis ex aliis uxoris bonis percipit, etiam qvoad proprietatem. Si verò liberi adſint, his proprietas ſervanda, qvæ omnia qvoqve in adulterio, ſi maritus uxorem habeat ſervantur, ut illa dotem & donationem propter nuptias lucretur, etiam qvoad proprietatem, ſi liberi non extent, aliàs tantum qvoad uſumfructum, reliqva adulteri ſubſtantia liberis debetur, aut ſi hi non ſint fiſco applicatur. 3. 4.

III. Si qvolibet modô mulier vitæ viri fuerit inſidiata, aut aliis hoc facientibus conſentiens, viro non indicaverit. 5.

6. IV. Si cum viris extraneis nolente marito convivatur, aut cum eis lavatur.

7. V. Si nolente marito extra ædes pernoctet, nisi forsan apud proprios parentes manserit.

8. VI. Si Circensibus, aut theatris aut amphitheatris interfuerit ad spectandum ignorante aut prohibente viro.

9. Qvod si maritus expellat uxorem ob alias causas hic non recensitas, & parentes non habeat, apud qvos possit manere, & sic ex necessitate foris habitare nocte cogatur maritus nullam habet licentiam propter eam causam mittere repudium uxori, eo qvod ipse hujus rei autor existat.

10. *Addit.* Ob causas VI. matrimonium qvoad vinculum dissolvi posse hic concludit Imperator, qvæ hodie ad duas reductæ, vel ad summum tres, si una pars alteram malitiose deseruit, & Processus desuper desertorius ritè fuerit institutus. Qvid vero de hic propositis statuendum, ordine dicetur.

11. *Qvod primum attinet* causam, mulieres qvidem crimen perduellionis commissum esse scientes, accusare poterant, *L. 8. ff. ad Leg. Jul. Maj.* tenebantur tamen id primum marito denunciare, ut is accusaret, nam cum mas prudentior ut plurimum à natura sit, melioribus qvoqve probationibus ad judicium accedere præsumebatur crimen maximè detestandum accusaturus, igitur si uterqve tacuisset, nec id ad Magistratum detulisset, justa erat divortii causa, an verò hic propter scientiam uterq; conjugum supplicio capitali sit punitus asserere tutò non licet, cum textus
12. nihil hac de re habeat, qvod si verum, ipsâ morte satis solutum esse matrimonium constat, & scientia criminis perduellionis non nisi tanqvam causa remota soluti matrimonii statui potest, an verò propter nudam scientiam criminis hujus pœna capitalis locum habere possit. Bartolus & Baldus gravissimè inter se dimicant, illo affirmante, hoc negante, qvi illum propter hanc opinionem esse in inferno, ibiq; ejus animam cruciari cum Sectatoribus suis exclamat, qvem seqvitur Wissenbach. *ad ff. Disp. 34. §. 13.* & alii qvos allegat Myler ab Ehrenb. *Addit. ad A. B. Rumel.*

P. 3.

P.3. Dissert.5. th.9. ad qvos me remitto; cum præsens materia hujus loci non sit.

II. Propter adulterium qvoqve apud nos hodie dissolvi matrimonium constat ex textibus supra *cap 5. circa fin.* allegatis, non poterat autem maritus jure Codicis accusare uxorem adulterii, nisi factô divortiô, nec adulterum. *L. 11. §. 10. ff. ad L. Jul. de adult.* sed extraneus poterat adulterum, non tantum ob *L. 39. §. 11. ff. eod.* sed & adulteram constante matrimoniô accusare, si prius maritum lenocinii accusaverit *L. 26. ff. eod.* Sed jure Novell. & per hunc textum maritus retentam uxorem accusare potest, & debet, ex qvo verò adulterium prius probavit, demum repudium mittat, ne scilicet crimine non probatô matrimonium sine justa causa dirimatur. vid. Brunnem. *ad Auth. sed novo jure C. ad L. Jul. de adult.* Probatô igitur adulteriô non qvidem ipsô jure dissolvitur matrimonium; sed demum per judicis sententiam Carpz. *P. 3. Const. 26. def. 10.* & pœnæ civiles in textu assignatæ locum habent. In iis locis verò, in qvibus peculiaria vigent statuta, nullâ dote aut donatione propter nuptias constituta, uxor ob adulterium mariti tantum ex ejus bonis lucratur, quantum ipsi statutum in casu successionis ab intestato tribuit. Idem *Pr. Crim. P. 2. qv. 64. n. 44.* Criminalem verò pœnam qvod attinet, sciendum ante L. Juliam latam nullam certam adulterio pœnam destinatam fuisse, Sveton. *Tiber. cap. 35.* Tacit. *lib. 2. Annal.* Ex L. Julia verò pœna adulterii non fuit capitis supplicium, sed relegatio *L. 5. ff. de qvæst. L. 6. ff. de divort.* Post Augustum Constantius & Constans Imperatores primum adulterium capitaliter punire cœperunt *L. 4. C. Theodos. qvorum appellat. non recip.* Cujac. *lib. 6. Obs. 11. 13.* & tandem Justinianus pœnam capitalem reiteravit. *L. 30. C. ad L. Jul. de adult. §. 4. Inst. de publ. judic.* Postqvam igitur securitas nuptiis Constantini Magni beneficio parta est exclamare libuit maritis cum Antonio Matth. *in Orat. pro Constantino M. de adulteris Trajecti recitata 1644. Jo.! Magne Princeps, Victor & Triumphator semper Auguste. Nunc demum Uxorem ducere, nunc dulces heredes tollere juvat. Te custode secura domus gaudet, nec times concussorem lectus Conjugalis.* Conf. infra *Nov. 134. cap. 10.* Ab hac tamen plerasq; Germaniæ provincias recessisse, & pecuniarias a-

13 14 15 16 17 18

liasve leviores substituisse tradunt Matth. Steph. *ad C. Crim. A. 120. n. 3.* C. A. *lib. 48. tit. 5. th. 21.* Besold. *vol. 5. Consil. 215. n. 4.* Mynf. & Harpr. §. *4. I. de publ. judic.* adeò, ut dicat Fichard. *lib. 1. Consil. 115. num. 5. Daß er von keinem Lande Teutscher Nation wisse, ausserhalb des Chur-und Fürstenthumbs Sachsen, darin der Ehbruch mit dem Schwerdt*
19. *gestraffet werde.* Cœterum in aliis & Germaniæ locis, ut in Palatinatu, & Hassia, item in Electoratu Brandenb. in duplicatu adulterio utrumq; reum gladio puniri praxis & exempla probant, atq; ita etiam ex Lege DEI rectissimè *Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22.* qvæ cum naturali ratione constet, & ad interpretationem & Decalogi tuitionem pertineat, hodie nos obligat dicente Wissenbach. *ad ff.*
20. *D. 34. §. 20.* ibiq; damnat statuta & mores earum gentium apud quas adulteri ære mulctantur, huncq; unum ex casibus esse dicit,
21. in qvibus Christiana Respublica indiget reformatione. Illud verò adhuc hic notatu dignum puto, allegatos textus Mosaicos qvoad adulterii prohibitionem moralis esse, & omnes omninò homines obligare, qvalicunqve potestate & autoritate polleant, & si contra hanc sanctionem divinam impingant justissimum Deum vindicem sentire, qvoad pœnam verò politicas tantum esse, solis-
22. que Judæis datus, qvippe dederat Deus T.O.M. hanc L. Judæis, ut si qvis eorum accepisset uxorem, nec gratiam ante oculos ejus invenisset, propter aliquam fœditatem, ut libellum repudii scribere, & è domo sua dimittere potuerit, idqve ob stupendam Judæo-
23. rum duritiem *Deut. 24. v. 1.* vid. Brentius *ad h. l.* Ulterius tolerabat Judæos polygamos, ut ex variis textibus Biblicis abundè constat adeoque in ejusmodi licentia libellum repudii dandi mulieri, & facultate plures assumendi uxores adhuc alterius torum velle commaculare, non poterat, aliter nisi gravissima pœna in iis plecti, atq; ex hisce forsan rationibus Hollandos, Lubecenses, Hamburgenses, Belgo Hispanos, & alios populos à rigore hujus pœnæ recessisse arbitror, & pecuniariam introduxisse, licet tamen
24. & hic optima cum Joh. Sandio Frisiæ qvondam Senatore, ut pœna gladii revocaretur in usum, nedum nimis levicula pœna huic delicto statuitur, aliis ansa peccandi præbeatur. vid. *lib. 5. defin. Frisic. Tit. 9. def. ult.* & Simon van Lewen *Censur. For. lib. 5. cap. 26.* Faber. *ad §. item L. I. de publ. judic.* Menoch. *de A. I. quæst. lib. 2. casu*

419.

419. num. 86. Gudelin. *de Jure Noviss. lib. 5. c. 18. vers. in his provinciis.* Qvin hactenus cum dictis apprime qvadrat illud maximi Theologi b. m. Dn. Chemnitii *in secunda parte locor. Theol. in 7. prac. Constitutiones Mosaicæ nostras Politias non obligant, qvæ facinorosis rectè possunt pœnas imponere pro ratione illius regulæ, ut communis pax & tranqvillitas conservetur, malum de terra auferatur, audacia reprimatur, ut cæteri timorem habeant, multis enim grassantibus opus est exemplo.* Quæ verba licet de pœna furti si recte meminerim loqvantur, rectè tamen ad adulterii pœnam accommodari possunt, qvæ nonnullis in locis, uti, dictum præter rationem mitigata. 25.

III. Si ad illam insaniam uxor redacta, ut potius mortem qvàm vitam viri, præoptat, & sciens ab aliis vitæ ejus insidias strui, nec id manifestavit, uxoris nomine indigna est, matrimonium tamen hoc casu apud nos non dissolvitur; sed saltem separatio qvoad torum & mensam fit, utpote qvæ locum habet, ob unius vel alterius sævitiam machinationem mortis &c. Beust. *P. 2. de matrim. c. 2.* ubi addit, maritum tali casu posse expellere uxorem, & uxori agenti ut restituatur obstare exceptionem, nec periculum hoc per cautionem tolli, cum hoc casu satisdatio malevolum uxoris propositum non mutet *arg. §. fin. I. de susp. Tutor.* vid. Carpz. *Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 12. def. 216. & seqq.* 26. 27.

Quod cæteras tres causas attinet, nec ob illas dissolvi posse matrimonium satis apud nos est in comperto, moribus tamen ejusmodi præditam fœminam adulterii suspectam fieri, dubitandũ non est, qvod illustro verbis Domin. Arumæi *Exerc. 20. th. 8. Eqvidem mulier,* ait, *qvæ contra mariti voluntatem in conviviis versatur, vel foris pernoctat, vel ludis interest, vel lavat eodem in loco cum viris, vix evitare potest adulterii suspicionem.* Et Chrysostom. *in Matth. cap. 1. Omnis mulier,* ait, *qvæ vinolenta & commessatrix est eadem qvoqve meretrix est*, qvo vetusta Romuli Lex spectat, ibi; *si vinum biberit fœmina, domi ut adulteram puniunto.* Qui & Egnatium Mecennium, Conjugem fuste ad mortem usq; pulsantem, qvod vinum è doleo bibisset, cædis absolvit Plin. *lib. 14. c. 13.* Crusius *de judiciis delictorum general. P. 2. c. 7. n. 16. seqq.* Prohibitum quippe erat, fœminis Romanis vinum bibere, hinc cognatus cognatæ obviam procedens illam osculabatur, modo ut exploraret, an virum bibisset 28. 29.

& inde *oscula exploratoria* manasse, testis est Erudit. Autor *deliciarum Biblic. P. de An. 1694. p. 98.* verè itaq; Euripides in Baccho dixit;

Vinô sublatô nulla est Venus.

30. inprimis verò si constat mulierem cum aliquo viro fuisse in balneo, præsumtio est contra eam Berlich *P. 5. concl. 38. n. 96.* Bocer. *de adult. c. 4. n. 51. & seqq.* qvare prisca Romanorum verecundia laudata, qvæ neqvidem passa fuit, ut puberes filii cum Parentibus lavarent.
31. Klock. *d. arario lib. 2. c. 12. n. 7.* In Concilio Laodicensi peculiare extat Capitulum *Ordinat. 30.* qvod repetitur in Jure Canon. *c. non oportet D. 31.* qvo perhibetur Christianis omnibus, inprimis Clericis, communia cum muliere lavacra, qvia hæc est prima apud gentiles reprehensio, qvia & Turcas promiscui sexus lavacra ita conservantur ut capitale sit, viro interesse, vel conspici in loco ubi fœmina lavat, testis est Balduinus *lib. 4. cas. Consc. cap. 1. cas. 3.* vid. *Dn. Christoph. Harant von Bolschitz im andern Theil der Reise p. 706.*

CAP. IX.

De Justis divortiorum causis mulieri concessis.

1. EX qvibus potest & dotem recipere, & donationem propter nuptias exigere, ita, ut filiis servetur donationis proprietas, aut his non existentibus etiam hujusmodi dominium habeat.

2. I. Si contra Imperium aut ipse qvid cogitaverit, aut cogitantibus conscius non indicaverit imperio aut per se aut per qvamcunq; personam.

3. II. Si qvolibet modo vir insidiatus fuerit vitæ mulieris, aut aliis hoc volentibus sciens non manifestaverit uxori, & studuerit secundum LL. ulcisci.

4. III. Si maritus uxoris castitati insidiatus, aliis eam adulterandam tentaverit tradere.

5. IV. Si maritus in crimen subscribens calumniose uxorem de adulterio accusaverit, & non probaverit, ubi uxor maritum repudiare potest, & receptâ dote lucrari ante

ante nuptialem donationem, & si filii non adsint, etiam qvoad proprietatem, tantum partem ex alia mariti substantia percipere, qvanto est tertia pars antenuptialis donationis. Si verò liberi adsint, his omnis substantiæ pro- 6.
prietas est servanda, insuper maritus, qvi non probavit adulterium, illis afficiendus suppliciis, qvæ passa fuisset uxor, si convicta esset.

V. Si maritus contemnens uxorem in sua domo cum 7.
aliis inveniatur in ea domo manens, aut in eadem civitate degens in alia domo, cum alia muliere freqventer manere convincitur, & semel & secundò culpatus aut per suos parentes, aut per mulieres, aut per alios aliqvos fide dignos, hujusmodi luxuria non abstinuerit, licet mulieri pro hac causa solvere matrimonium, recipere datam
dotem, & antenuptialem donationem, & pro tali injuria 8.
tertiam partem æstimationis, qvam antenuptialis facit donatio, ex ejus substantia percipere, ita tamen ut si filios habuerit, usu solo mulier potiatur rerum, qvas ex donatione propter nuptias & pœna tertiæ partis bonorum mariti acceperit, communibus filiis dominio servando. Si verò ex eodem matrimonio non habuerit filios, habeat talium rerum etiam proprietatem.

Addit. An ob *primam causam* divortium peti possit judicare 9.
licet ex iis qvæ ad *Cap. prec.* dicta sunt.

Ob *causam secundam* matrimonium qvidem non solvitur, fi- 10.
delem tamen uxori maritum esse neqvaqvam dici potest, cum qvod uxori non revelet vitæ hostes, tum qvod ab iis uxorem defendere consilia non agitet, cum defendi uxores à viris æqvum sit, §. 2. *Inst. de injur.* qvi enim non repellit injuriam à socia si potest, tam est in vitio, qvam ille qvi facit *c. 23. qv. 33.* inprimis cum natura cognationem qvandam inter homines constituerit,
maximè inter maritum & uxorem, ut alterum alterius vitæ insi- 11.
diari nefas sit, *arg. l. 3. ff. de jur. & jur.* & huc facit *L. 50. ff. de R. J.* Culpa caret, qvi scit, sed prohibere non potest, ut è contrario,

qvi

qvi prohibere, damnumq; evertere poteſt, nec avertit, culpæ reus eſt, qvod Bald. *in L. 2. C. de S. • vis fugit.* ſic expresſit, *culpa eſt defenſionem alterius omittere, ſui dolus.*

12. III. Si maritus leno ſtuprum & adulterium uxoris promovebat, capitali pœna afficiebatur, *L. 8. 10. 12. L. 29. ff. ad L. Jul. de adult.* Anton. Matth. *de Crimin. lib. 48. Tit. 3. cap. 2. n. 11.* adeoqve ſatis per mortem ſolvebatur matrimonium.

13. IV. Inſcriptio ad ſimilitudinem ſupplicii hodie ceſſat; ſed tantum cautio præſtatur ſuper expenſis & injuriis *A. 12. C. Cr.* qvæ cautio fieri non debet juramento, ſed in fidejusſorum facultatibus, & conveniendi facultate conſiſtit, Claſen. *d. A. 12. C. Cr.*
14. probato igitur adulterio, & lata declaratoriâ ſententiâ, judex Eccleſiaſticus conjugium disſolvit, & conjuges ſeparat, qvo caſu pœnæ prædictæ ſupra locum habere posſunt, niſi ſtatutum alias induxerit. Carpz. *lib. 3. Jurispr. Conſiſt. Tit. 5. def. 69.*

15. V. Cum maritus in domo propria cum alia fœmina amice converſatur propriam deſpicatui habens uxorem, & aliqvoties maritus â luxuria non abſtinuerit, rem ſanè ſemet indignam facit, adulterium tamen probatum non eſt, ad hunc effectum, ut ſolutio matrimonii locum habeat, nam ex judiciis, præſumptionibus & conjecturis & ſuſpicionibus indecentis amoris, qvi ſic forte inducitur non debet mox vinculum matrimonii ſolvi, nec
16. qvis capitis damnari, cum luce meridiana clariores probationes oporteat eſſe maximè & in adulterii negotio, & anteqvam qvis ad adulterii probationem deveniat, neceſſum eſt imprimis, ut probetur matrimonium, & adulteram eſſe uxorem alterius, cum qva qvis familiariter verſatur. vid. Maſcard. *de Probat. Concl. 58.* Nondum autem probatô adulterio pœnæ hic determinatæ locum habere non posſunt.

CAP. X.

Ut non liceat conſenſu matrimonium disſolvere, niſi ex cauſa probabili.

1. MAtrimonium mutuô conſenſu ſolvi non debet, niſi id conſtitutis cauſa fiat, dote & donatione propter nuptias liberis ſervatâ. Solutô verò ob caſtitatem matri-

matrimoniô, si unus conjugum aliàs contraxerit nuptias, aut luxuriosè vixerit, liberi præter dotem omnem ejus substantiam capiunt, & educandi sunt apud parentem, qvi tale nihil egerit. Qvod si ambo parentes ad alias nupti- 2. as confugiunt, utriusqve substantia liberis applicatur, qvibus si minorennes sint, à judice dispensator constituitur; Liberis verò nullis existentibus, bona fisco acqviruntur.

Addit. Licet alias omnis res, per qvascunq; causas nascitur, per easdem etiam dissolvatur *L. 35. ff. & c. 1. X. de R. I.* in 3. matrimonio tamen aliud, qvod dissolvere in potestate partium non est, *Gl. in l. 3. §. qvacunq.* Bartolus & Doctores *ff. de jurejur.* ne qvidem licet in prohibito gradu contractum, ac altera pars dissentiat. Mev. *P. 3. Decis. 399.* sed hic recurrendum ad Consistorium, cum nec transactio super matrimonio valeat, Treutler. *P. 1. Disp. 7. th. 4. lit. A.* nec compromissum. Borell. *de Compromisso P. 2. Gl. 1. n. 3. 95.* Apud Romanos verò marito in militiam 4. profecto poterat matrimonium, bonâ gratiâ dirimi. *L. 61. ff. de donat. inter V. & Ux.* & sine ulla causa amicabilis fieri separatio *L. 6. ff. de repud.* qvô casu mulier post annum secundas nuptias contrahere poterat, qvod Imperator per *Nov. h. cap. 10. & Auth.* exinde desumptam *Qvod hodie C. de repud.* fieri prohibuit, nisi utraqve pars ingressa monasterium, qvippe vita monastica præferebatur vitæ conjugali, Rittersh. *Nov. P. 4. c. 7. n. 9.* & de jure Pontifi- 5. cio potest vir post consummatum matrimoniũ religionem intrare, si etiam uxor transeat, vel si illa sit senex & sterilis, qvod sine suspicione possit esse in seculo, castitatem promittat *cap. 4. X. de conversion. conjugal.* nam alter conjugum alterô invitô post carnalem copulam religionem intrare non potest, *c. 8. X. eod.* qvia vir & uxor sunt effectu una caro per copulam conjugalem *c. 13. X. eod.* Vir igitur non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & è converso teste Apostolo *1. Corinth. 7.* inde & conjuge alterô ingressô absq; licentia alterius potest revocatio fieri ab altero. Zœs. *d. Tit. n. 10.* Cœterum apud Protestantes voto monastico 6. matrimoniale est potentius, & juxta Legem divinam inseparabile, adeoqve matrimonium per ingressum in religionem solvi nequit, & in matrimonio summa est castitas, quæ si non esset,

 status

ſtatus ejus autori Domino DEO noſtro ſummoperè diſpliceret. vid. Dn. D. Philip. Alb. *Orth. Tr. von unauflöslicher Einigkeit der Ehe. pag. 57.* conf. infra *Nov. 140.*

CAP. XI.

Qvod tempus expectare maritum in expeditione degentem debeat mulier.

1\. UXor maritum in militia verſantem ſemper expectare debet, qvamvis nec literas nec reſponſum ab eo acceperit; ſi verò eundem mortuum audiverit, tribunum ſub qvo militavit, adire debet, ut hic jurejurando apud acta de morte mariti deponat, qvo facto uxor ad huc annum expectare debet, qvô peractô ad alias nuptias transſire poteſt.
2\. Si verò præter hanc obſervationem mulier præſumpſerit ad aliud venire matrimonium, & ipſa, & qvi ducit eam uxorem, velut adulteri puniantur; Qvod ſi tribunus de morte mariti falſo depoſuerit, militia denudatus, 10. auri librarum pœnam compellatur exſolvere illi, qvem mentitus eſt mortuum eſſe, ipſe verò maritus reverſus licentiam habeat, ſi voluerit, uxorem ſuam recipere â ſecundo marito.

3\. *Addit.* pertinet ad hoc Cap. *L. 61. ff. de donat. inter v. & ux.* quæ correcta per *L. 7. C. de repud.* hæc verò correcta deprehenditur per *Nov. 22. cap. 7.* hocq; C. iterum per *h. Cap. Nov. 117.* de-
4\. clarationem uberiorem accepit; eſt enim hic exemplum, ubi unius teſtis nempe Ducis teſtimonio fides adhibetur, qui præſentiam ſuorum habere præſumitur, cum inſcriptis aſſignatos milites habeat, & tractatur hic de probatione occultæ mortis, ſcilicet ejus, qui in bello occiſus vel mortuus dicitur, ideò probatio eſt difficillima, propter locum belli periculoſum, de qvo
5\. vulgò aſſeritur, *Homines ibi non naſci, ſed mori.* Qvo circa etiam unius teſtis teſtimonium ſufficit, præſertim, qvia alias mors naturæ eſt conſona. vid. hæc uberius declarantem Finckelthauſ. *Obſ. 55.* & creditur ſic atteſtanti tribuno de morte etiam ſine juramento.

ramento. Burger. *Obs. jurid. mil. cap. 3. Obs. 42.* nam si creditur viro bono & Nobili, multò magis credendum est judici tanqvam viro bono, *L. 18. ff. judic. solv.* pro quo alias & maxima est præsumptio Carpz. *Decis. P. 1. Dec. 24.* Quod si nesciatur ubi terrarum vivat maritus, uxor debet comparere coram Consistorio, obitum mariti docere, ac juramento asserere, se nihil de marito ubi terrarum degat, rescivisse, ita hic in Marchia juxta *Ordinat. Consist. March. Tit. 66.* decernitur citatio edictalis peremtoria, & marito non comparente aliud matrimonium ineundi licentia conceditur. Conf. supra *Nov. 22. cap. 7.* 6.

CAPUT XII.

Ex quibus causis matrimonium sine pœna solvatur.

MAtrimonium præter superiores causas adhuc ex tribus aliis solvi potest *1. Propter impotentiam naturalem*, scil si ut Imperator hic inqvit, mariti non potuerunt ab initio nuptiarum misceri suis uxoribus, nec qvæ per naturam viris concessa sunt, agere. 2. *Si alter Conjugum vitam* Monasticam eligat. 3. *Ob Captivitatem.* 1.

Add. De tribus hisce jam tum supra dictum fuit, ad *Nov. 22. c. 6. c. 5. 7. & praced. c. 11.*

CAP. XIII.

Si mulier sine justa causa marito repudium miserit.

1. SI citra præfatas causas uxor marito repudium miserit, maritus dotem lucratur, nisi liberi adsint, qvibus proprietas servanda. Uxor verò ab Episcopo Civitatis in Monasterium mittatur, & substantia ejus Monasterio applicetur, nisi liberos habeat, qvibus duæ partes, vel nisi Parentes, qvibus tertia pars substantiæ solvenda, reliqvũ retinet Monasterium, modo non parentes irrationabili repudio consenserint, ubi omnia ad Monasterium spectant, 1.

dictatur insuper pœna Judici, qvi de repudio cognovit, si talem uxorem Episcopo non tradiderit, qvo in Monasterium detrudatur.

2. II. Si maritus uxori sine justa causa repudium miserit, dotem & donationem propter nuptias restituere debet, ut & ex aliis suis bonis tantum, qvanta est tertia pars donationis propter nuptias, in qvibus rebus uxor, si liberi adsint, usumfructum, si nulli, proprietatem habet, qvam dispositionem vult locum habere dissolutis rationabiliter, aut etiam irrationabiliter nuptiis.

CAP. XIV.

Si qvis uxorem suam flagellis castigaverit.

1. SI qvis propriam uxorem flagellis aut fustibus cædit, citra causam ad divortium sufficientem, matrimonium qvidem non solvitur, maritus tamen pro hac injuria etiam constante matrimonio tantum solvere tenetur, qvantum tertia pars donationis propter nuptias.

2. *Add.* Magistratibus, Parentibus, Maritis, Præceptoribus &c. jus emendandi subjectos liberos, Uxores & Discipulos competere, communiter tradunt Doctores ad *L. un. C. de emendat. propinq.* v. Brunnem. *dissertatio ad h. l. unic.* qvæ emendatio, si verba non sufficiunt, etiam ad verbera extenditur, ita tamen, ut in neutro crudelitas sit impunita Menoch. *l. 2. art. 1. qv. casu 138.* Gail. *lib. 1.*
3. *obs. 17. & lib. 1. de P. P. c. 2. n. 22.* Mynsf. *C. 5. Obs. 8.* Sigillatim de maritis tradit Carpz. *Pr. Crim. qv. 12. n. 48.* Castigare moderatè possunt uxores mariti, ob excessum tamen carcere, mulcta, & ob sævitiam, relegatione, aut fustigatione puniuntur. Leviorum autem vitiorum, propter qvæ uxor emendanda, certa tradi neqvit definitio. *Charitas multa condonabit, qvatenus fieri potest, sexus fragilitati, cætera judicabit sobrium mariti ingenium*, sunt egregia verba Ol-
4. dendorp. *Cl. 7. Action. 10. in f.* & convenienter Chrysostomus *Homil. 20. Ep. ad Eph. in princ. Vita Sociam liberorum matrem, & qva est*

causa

causa & occasio omnis lætitiæ non oportet metu & minis ligare; sed dilectione & affectione, qva nam enim voluptate fruetur maritus cum uxore habitans tanqvam cum ancilla, & non tanqvam cum libera? Quod si 5.
impiè & immodicè uxorem tractet maritus, ut præ sævitia nimia cum eo amplius esse non possit, divortium qvidem tali casu conceditur; cœterum tunc demum si maritus cautionem sufficientem de non offendendo præstare neqveat, vel uxor cautioni stare nolit. Carpz. *Pr. Crim. loco cit. in f.* de qvæst: *an liceat marito uxorem peccantem verberibus coercere.* vid. Tolet. *lib. 5. Instruct. Sacerd. c. 2 n. 2. p. 710.* Amos. *lib. 5. de Consc. c. 37. qv. 5. th. 14.*

CAP. XV.

Si quis suspicatus fuerit de aliqvo, velle eum pudori uxoris suæ illudere.

I. SI quis forsan suspicatur, aliquem velle uxoris suæ castitati illudere, & scripras contestationes tres denunciaverit, habentes testimonia trium virorum fide dignorum, & post illas tres scriptas contestationes nihilominus alium inveniat, apud uxorem suam, vel in domo sua, aut ipsius uxoris, aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis, licentia est marito propriis manibus talem perimere, nullum periculum ex hoc formidanti. 1.

II. Si verò in alio loco talem invenerit cum sua uxore loqventem adhibitis tribus testibus fide dignis convocatis, per qvos probare potest, qvod eum cum sua uxore compererit, & sic judici crimina examinanti tradere, qvi pro veritate cognoscat post tres ex scripto contestationes, an cum tali muliere sit inventus, & si hic probato adulterii crimini subjaceat, & nulla aliâ ratione qvæsitâ punire debet, & licentiam habere crimen exeqvi. 2.

§. 1. Quia verò ita comperiuntur aliqvi impii, ut & in venerandis domibus præsumant in talibus semiscere sceleribus & inibi de peccatis tractare, ubi consveverunt Deum timentes peccatorum veniam postulare, licitum est 3.

marito, utrasq; perſonas defenſori Eccleſiæ, aut aliis Clericis tradere, ut ad eorum periculum *diviſim* iſti ſerventur, donec judex cognoſcens ad Epiſcopum Civitatis mittat, qvatenus tradantur, & torqveantur ſecundum LL. qvæ interdicunt adulteros ab Eccleſiis vindicari, indeque tribus conteſtationibus oſtenſis, omnibus modis ſicut adulteri puniuntur.

4. *Nec enim debent hujusmodi perſonæ invenerabili loco munimen habere, qvem ipſi per ſcelus proprium deſpexerunt.* Omnibus igitur modis judicibus tradi, & pœnam ſuſtinere, qva digni ſunt, debent, qvi ſanctisſima loca violare præſumuntur, *qvis enim ibi delinqvit, ubi ſalutem petat?*

5. In fine generaliter diſponit, ut ſi qvis invenerit ſuam uxorem aut filiam, aut neptem, aut ſponſam in venerandis locis cum aliqvo loqventem & ſuſpicatus fuerit turpis gratia cauſæ eos colloqvi, poteſt eos tradere Defenſori, aut aliis ejus Eccleſiæ Clericis, ut ipſi ſuó periculó utrasq; perſonas tam diviſim cuſtodiant, donec judex eos accipiat, & ſecundum LL. cauſas decernat.

6. *Addit.* Qvod attinet jus mariti circa uxorem adulterinam ex *L. 4. C. ad L. Jul. de adult.* conſtat, potuiſſe non ſolum per ſe; ſed etiam per filios jusſu ejus præcedente adulterum uxoris ſuæ interimere, vilem verò ſaltem, aut infamen, eumq; domi ſuæ in turpitudine deprehenſem, nusqvam alibi. *L. 24. ff. eod.* Zœſ. *C. h.*
7. *Tit. qv. 6.* Qvod ſi qvempiam alium honeſtiorem occiderit maritus, aut uxorem in actu deprehenſam, facinus impunitum non eſt, licet ultimum ipſi ſupplicium remittatur, ob juſtum dolorem qvem temperare difficillimum eſt *L. 38. §. 8. ff. eod.* & ita mox, dolor juſtus, motusq; repentinus factum mariti relevant.
8. Sed juxta Cujac. *Comment. C. eod.* uxorem ſtatim debet dimittere, & profiteri in proximo triduo apud judicem competentem,
9. ſe talem adulterum domi ſuæ occidiſſe. Illud verò jus mariti adauxit Imperator per Novellarum hoc ipsô *Cap. fin.* & licet in ipſa turpitudine non deprehenderit, ſi tamen modò ſuſpectum habeat, & ter teſtato denunciaverit, ne cum uxore ſua verſaretur, & is repertus ſit ſpreviſſe denunciationes tales & alium in locis

ſuſpectis

ſuſpectis in textu denominatis apud uxorem deprehendat, competit marito licentia talem propriis manibus perimere impunè, qvoniam motus primus juſti doloris meretur excuſationem; Cæterum poſtqvam dolor & ira reſedit, ad factum occidendi devenire non oportet, ſed res relinqvenda eſt judici, vid. Tholoſan. *Synt. Jur. Civ. lib. 36. cap. 6. n. 6.* modò qvosdam vocaverit in teſtimonium, qvi viderint adulterum cum adultera in eodem conclavi, cum talibus indiciis, è qvibus revera colligi posſit, adulterium fuiſſe commisſum. 10.

Poſitô verò, marito LL. civiles impunitatem concedere, & liberare à pœna ordinaria, non tamen idcircò tutus eſt in foro conſcientiæ, qvoniam non jubet Lex deprehenſos occidere; ſed duntaxat ſi cæſi fuerint, pœnam non irrogat propter doloris magnitudinem. 11.

Et licet Casſiodor. quem allegat Anton. Matth. *de Crimin. ad lib. 48. Tit. 3. cap. 3.* ſcripſerit, LL. porrigere ferrum maritis, id tamen figuratè magis qvàm propriè ab eo dictum, non enim porrigunt LL. ferrum ita, ut militi, ut ſpeculatori, vel carnifici, nec jubent ſtringi; ſed ſi diſtrictum fuit, connivent, qvod NB. iis gradibus, quæ hodieque iſto jure utuntur, nempe Italis, Hiſpanis, Germanisq;, præſertim cum marito non adulterum duntaxat; ſed & adulteram occidere permittant. 12.

Taceo, cum Chriſtianismo non convenire, hominem in ejusmodi delicto deprehenſum mox mox ad gehennam dimittere, & pœnitendi tempus adimere, qvibus fundamentis communiter hoc adultericidium in foro conſcientiæ improbant præter Anton. Matth. Molina *Tr. de jur. & jur. Tr. 4. D. 7. num. 2.* Joh. de Lugo *de jur. & jur. Diſp. 10. Sect. 3. n. 52.* Lesſ. *de jur. & jur. lib. 2. cap. 9. Dub. 5. n. 16.* Valer. *differ. utr. fori rubr. Adulterum diff. 1. n. 2.* 13.

eapropter tamen injuſtæ non ſunt LL. noſtræ contrarium permittendo, non enim ea propter ſvadetur adultericidium, nec præcipitur; ſed ſi factum impunitas ſaltem datur, qvò eo magis adulteri ab hoc ſibi ſcelere caveant. Hinc Paul. Layman. *Theol. Moral. lib. 3. Tr. 3. P. 3. cap. 2. n. 4. bene dixit tunc LL. Romanas iniqvas fore, ſi necem perſonarum in adulterio deprehenſarum permitterent approbativè, non verò eſſe iniqvas, ſi illam tantum permittant negativè, pœnam homicidii ordinariam non decernendo.* vid. Dn. Chariſ. Conſiliarius Reg. Svecicus, & Conſul Stralſund. Patronus & Amicus 14.

micus honoratisſ. Disſert. erudita *de Foro Conſc. cap. 6. in Vol. 2.*
15. *Disſert. Jurid.* Dn. Strykii. Eſt igitur licitum ejusmodi præſumpto adultero, qvalis hic eſt manus violentas inferre, de qva præſumptione adulterii egregius quoque caſus eſt in *L. 34. C. ad L. Jul. de adult.* Extra qvatuor illa loca verò in textu nominata, non habet maritus facultatem occidendi, ſed ſaltem eum tradere debet judici crimina examinante, qvi pro veritate cognoſcat poſt tres ex ſcripto conteſtationes, an cum &c. vid. textum.
16. Cum etiam Eccleſia ſecundum Evangelicam veritatem domus eſſe debeat orationis, merito à profanis uſibus eſſe debet aliena, publicæ quarumlibet Societatum, & univerſitatum conciones & Conſilia, nundinarum, aliorum ſecularium negotiorum tractationes, profana colloquia confabulationes de turpi & indecenti amore, aliisq; indecoris rebus exinde amoveri debent. vid. Lancellot. *Inſtit. jur. Can. lib. 2. Tit. 20.* ne ex domo DEI oratio-
17. nis domo ſpelunca latronum fiat *Luc. 19. verſ. 46.* & ex cœtu piorum ſcortatorum vel adulterorum conciliabulum; qvem in finem rigoroſè hic procedi vult Imperator, & utrasq; perſonas defenſori Eccleſiæ tradere, vel aliis Clericis, ut *diviſim* cuſtodiantur, ſcilicet in ſeparato carcere pro utroq; ſexu *L. 3. C. de Cuſtod. & Exhibit. reor.* nam & in gravisſimis criminibus etiam mulieres ſeparatis conclavibus incarcerari notat Carpz. *P. 3. Proc. Crimin.*
18. *qv. 3. n. 40. & ſeqq.* nec hic obſtare debet, tales in Eccleſia eſſe, & apud eam aſylum qværere, qvi enim in Eccleſia ipſa vel aſylo delinqvunt, ejusdem beneficiis gaudere non debent, *c. immunitatem fin. X. de immunit. Eccleſiar.* nam fruſtra L. auxilium implorat is, qvi in Legem committit. *L. auxilium 37. ff. de minor.* & mi-
19. nimè immunitatis privilegium illum protegit, qvi ea ſpe deliquit, quo privilegiato loco mox fruatur, qvod Myler ab Ehrenbach per duo Specula ſcil. Saxon. & Svevium, *lib. 1. c. 194. §. 2.* probat, *de Jure Aſyl. C. 10. th. 23. Wer in der Kirche ichtwas übels thut, dem beſchirmet die Kirche nicht, man ſol ihn darauß ziehen, und über ihn richten, als die Schuld beſchaffen ſey.* i. e. qvisqvis in Eccleſia peccat eum Eccleſia non protegit, ſed extrahi ab illa, & pro ratione delicti judicari debet. Disſ. Diana qvem d. loco allegat *P. 4. Tr. 1. Reſol. 69.*

NOV.

NOV. CXVIII.

De heredibus ab intestato venientibus, & de agnatorum jure sublato.

CAP. I.

De Descendentium successione.

I. IN Successione ab intestato descendentes cujuscunqve sexus aut gradus fuerint, omnibus aliis ascendentibus & collateralibus præferuntur, hinc etiamsi defunct9 adhuc in patria potestate fuerit, tamen descendentes ex eo patrem excludunt in illis bonis, quæ Patri non acqviruntur, in aliis verò Patri salvus debet esse usufructus. 1.

II. Descendentes semper locum sui Patris occupant, 2. qvotocunqve etiam sint gradu, & ita per repræsentationem in stirpes succedunt, in hoc ordine enim gradum qværi non vult; sed cum filiis & filiabus ex præmortuo filio aut filia nepotes vocari sancit, nulla habita differentia inter masculos & fœminas sive suæ potestatis, sive sub potestate sint constituti.

Addit. Succesſio ab Intestato dicitur *legitima*, quia à lege da- 3. tur, & juxta Imperatorem h.l. est vel *Descendentium*, vel *Ascend.* vel *ex latere venientium.* Opponitur *Testamentaria*, qvæ tamen potior, & præfertur, cum provisio hominis faciat cessare provisionem Legis *arg. L. fin. C. de pact. Conv.* Intestatus verò decessisse multis 4. modis quis dicitur, qvi omnes videri possunt in *C. A. Tit. Si tabb. Testamenti nullæ est th. 2.* Et ordinavit Imperator hunc ordinem proximitatis (scil. ut semper proximi sibi invicem succederent) propterea, ut ipsis consulatur, & sic ad quos onus & incommodum pertinet, ad eosdem qvoqve meritò successionis commodum redundaret. *arg. L. 22. §. 3. in f. C. de furt. & l. un. §. 4. C. de Caduc. toll. L. 6 pr. ff. de jur. dot. l. 10. ff. de R. J.* & deinde, ut familiarum decus 5. hac ratione conservetur, dum facultates in familia retinentur, &

ad proximos devolvuntur *L. 22. §. 1. verſ. 1. omnibus C. de agric. & cenſit.* nam diminutio bonorum inducit qvoqve diminutionem dignitatis, ſicuti conſervatio bonorum conſervationem dignitatis & honoris inducit. Vult. *Vol. 4. Conſil. Marpurg. 54. n. 11.* quare
6. ea ſemper teſtatoris vel diſponentis eſt voluntas, ut res qvalescunq; ſive mobiles, ſive immobiles in familia conſerventur, & per earum conſervationem & retentionem, maxime ſi inſignibus familiæ antiqvis adornatæ, majorum memoria conſervetur, cum maximè luctuoſum exiſtimetur, bona familiæ majorum veſtigia memoriamqve recolentia diſtrahi ac disſipari. Beſold. *P. 6. Concil.*
7. *263. n. 59. in f.* Ubi de teſtatoris cujusdam voluntate, qua diſpoſuerat, qvod poculum certum aureum, qvod ipſe à majoribus ſuis habuerat, & alia pocula argentea deaurata, & familiæ ſuæ inſignibus adornata extra familiam transferri non debeant, conſultus reſpondit, qvod ea, licet nullam heredibus afferant utilitatem ab executoribus teſtamenti etiam heredibus conſentientibus, ne qvidem in piæ cauſæ uſus, alienare non liceat. Hœpingk. *de Jure inſign. c. 10. n. 181.* vid. Knipſchild. *de Fideicommiſſ. Famil. No-*
8. *bil. c. 5. n. 80. 81. & c. 8. n. 183.* Sumitur vero liberorum nomen hic latè, & nepotes, neptesve, & qvi ex his deſcendunt, complectitur *L. 220. ff. de V. S.* & licet poſt trinepotes propriô nomine non appellentur, *L. 10. §. 7. ff. de gradib.* tamen liberi ſunt in infinitum etiam ultra trinepotes *L. 4. & 10. §. 9. ff. de in jus voc. l. 30. C. de fideic.* qvi omnes aut legitimi & naturalis tantum, aut deniq; legitimati de qvibus in ſpecie omnibus fuſius Ddr. ad hanc materiam agunt.
9. Admittit verò Imperator & hodie ad Succesſionem liberos emancipatos cum ſuis æqvaliter, ita, ut Prætoris auxilio opus non habeant, *fine c. 1. & c. 4.* unde mirum dicit Exc. Dn. Stryk. *Tr. de Succeſſ. ab int. Diſſert. 1. c. 2. th. 4.* qvod ab hac ſententia recedere auſus fuerit Cujac. *ad h. Nov. 118.* cujus opinionem tuetur Meier. C. A. *lib. 38. tit. 6. th. 19. n. 15.* asſerendo, in *d. N.* dici qvidem, qvod ad ſuccesſionem veniant liberi tam ſui qvam emancipati; ſed tamen non addit, qvo jure, & ita ſub intelligendum eſſe, qvoad
10. emancipatos, qvod jure Prætorio ſuccedant. Quatenus verò hodie per hanc *N. C. 1.* Suorum & Emancipatorum differentia qvoad jus ſuccedendi ſit ſublata, vid. Richter. *P. 1. dec. 41.* Mynſ. *ad pr.*

pr. I. de pupillar. subst. n. 4. Rittersh. *ad Nov. P. 7. c. 4. n. 18. 19.* & latè Mantz. *de Testam. tit. 8. qv. 2. n. 90. seqq.* Sanè liberis emancipatis pupillariter substitui non posse, constat ex *pr. 1. & l. 39. ff. de V. & Pup. subst.* qvod & jure novissimo non obst. hac N. 118. verum tradunt Treutl. *disp. 2. lit. c. th. 8.* ibiq; Bachov. *in not. verb. Nec emancipatio.* Sutholt. *dissertat. 8. aph. 43.* Admittuntur qvoqve 2. liberi 11.
sine discrimine sexus hic & *L. 4. C. de lib. prater.* Nicol. de Ubaldis *Tr. de Succ. ab int. n. 15. & seqq.* Hugo Donell. *lib. 9. Comment. Jur. Civ. cap. 2.* Oliverius Textor. *Tr. de Successf. ab int. n. 3.* exceptis feudis, in qvibus fœminis regulariter locus non est *2. F. 36* Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 9. th. 8. n. 1.* vel nisi per statutum à Successione paterna extantibus masculis excludantur, qvod certô casu fieri posse tradit Mynſ. *Cent. 3. obs. 26.* & infinitis locorum statutis partim Italiæ, partim Galliæ & Germaniæ confirmat Knipsch. *de Fideicommiss. famil. Nobil. c. 8. n. 211.* ubi allegat Bodinum *de Repub. lib. 5. c. 2.* hanc Justiniani fœminini & masculini sexus exæqvationem videntem, utpote, qvi pro retinendo unius mulieris favore, in omnium mulierum favorem masculini sexus prærogativa & dignitate posthabitâ hanc exæqvationem instituit, indeqve Justiniani hanc Constitutionem multa generosæ Nobilitatis capita sepelivisse, tradit, qvamvis ta- 12.
men Imperator multorum Principum exemplo à Conjuge seductum esse dici possit, & propterea excusandum. v. Knipsch. *cit. loc.* ubi defendit successionem marium exclusis fœminis & ad varia argumenta pro fœminis allata solidè respondet, licet tamen si accurate autor relegatur ejus sententia modò collimet ad Successionem in bonis fideicommissariis familiarum, ut ab illis fœminæ & ab iis descendentes masculi excludantur, qva in re alios qvoqve Doctores habet consentientes, qvos *d. l. n. 259.* allegat. 3. Post- 13.
humi qvoqve postquam nati, Parentibus suis succedunt, qvia pro jam natis habentur, *§. 2. 8. I. de hered. quæ ab int.* qvoties de eorum commodo agitur, & modo nati sint post decursum 6. mensium & trium dierum Dn. Lyncker. *dissertat. de vinculo famil. c. 2.* menses verò non secundum calendaria, & secundum 30. dies in menses singulos sunt computandi, sicut multi JCtorum ex generalitate *L. 12. ff. de statu homin. l. 3. §. fin. ff. de suis & leg.* voluerunt per *L. 101. ff. de R. J.* sed secundum *L. 98. ff. de V. S.* qvæ mensis appellatione 14.

 28. dies

28 dies venire dicit, eamqve computationem, qvia partui favorabilior & benignior, in dubio meritò recipimus, ob perpetuam juris regulam *L. 9. L. 192. §. 1. L. 36. ff. de R. J.* De cujus recepto & observato usu Richt. *vol. 2. Conf. 46.* & Dn. Lyncker. *Annal. ad Synt. J. Civ. Struvii Ex. 3. Thes. 4.* & qvod liberi 175. dierum i. e. 24. septimanarum habiti sint legitimi, attestantur, ac favorem partus usqve adeò extendunt, ut statuere non dubitent, ne qvidem integros menses 7. reqviri; sed sufficere, si saltem primi mensis à plenilu-
15. nio inchoetur Computatio. Nec refert 4. an sint seculares, an verò religiosi, ut monachi & moniales, *L. 56. §. 1. C. de Episcop. & Cleric. Ath. Ingressi C. de SS. Eccles. Eccles.* qvi nec qvidem propter ingratitudinem, qvæ monachi professionem præcessit, successione privandi *Nov. 123. cap. 41.* id enim ibi volunt Græca verba ὑπὲρ αἰτίας πρὸ τοῦ μοναχικοῦ βίου προηκολουθηκυίας. i. e. ob causam, qvæ ante vitam monasticam intercessit, vel secuta est,
16. atqve hæc intelligenda, si monasterium sit bonorum capax, nam si monasterium sit bonorum incapax, qualis est Ordo Minoritarū, hi parentibus suis ab intestato succedere non possunt, Michael Grassus *Tr. de Success. §. Successio ab int. qv. 8.* Menoch. Mathesi.
17. *Tr. de Success. ab int. art. princ. M. 1. n. 40.* Succedunt verò descendentes patri ac matri æqvaliter in capita; Si verò cum liberis primi gradus concurrunt nepotes ex filiis primi gradus defunctis filii in capita, nepotes verò in stirpes *§. cum filius & §. & qvia placuit I. de Success. ab int.* Forster. *Tr. de Success. ab int. l. 4. c. 14. n. 1. & seqq.* & nepotes ex diversis filiis avo suo in stirpes jure repræsentationis succedunt, *§. cum filius de hered. qvæ ab int. L. 2. C. de legit. lib.* Donell.
18. *lib. 9. Comment. c. 2.* Qvod si filius avo superstes fuerit, tres sunt distincti casus, qvibus succedunt nepotes, *Primò casu* cum filius moritur ante delatam hereditatem nepos suus perinde est, ac si filius ante Patrem mortuus fuisset. *§. 2. I. de Exh. lib.* Suitas enim
19. inspicitur tempore delatæ hæreditatis ut qui tum proximus est in familia suus sit hæres. *§. 7. I. de hered. qvæ ab int. L. 1. §. 8. ff. de suis & leg.* *Altero casu* cum filius moritur delatâ, at nondum agnitâ hereditate nepos non succedit avo defuncto; sed hereditas filio delata in nepotem transmittitur jure suitatis *L. 8. C. de suis & legit.* & tum succedit nepos avo, ut extraneus non ipsô jure; sed aditione.

tione. *arg. §. 2. I. de Exhered.* *Tertio casu* Si filius agnita hereditate decesserit nepos non avo; sed patri suo succedit, confusaqve est Avi & Patris hæreditas, qvos casus notavit Excell. Dn. Coccejus *Dissertat. de Success. Nepotum sect. 2.* 21.
Et hoc jus Repræsentationis non solum locum habet qvando ex uno filio plures supersunt nepotes, cum defuncto filio superstite concurrentes; sed etiam cum è pluribus ac diversis filiis nepotes soli concurrunt, nam in linea descendenti jus repræsentationis in infinitum extenditur, nec gradus prærogativæ locus conceditur Forst. *de Success. lib. 4. c. 2. n. 6.* Borch. *Tr. de grad. Tit. de Success. dec. 21.* 22.
Et ideò pronepotes vel at nepotes cum nepotib9 concurrentibus in stirpes succedunt. Nepotum verò Parente adhuc superstite, ad Successionem avi nepotes non admittuntur, Schneidew. *rubr. de Success. filior. natur. & legitim. simul n. 3.* Oliver. Textor *Tr. de Success. ab intest. n. 2.* Donell. *lib. 9. Comm. J. C. c. 2.* vid. Dn. D. Stryk. *Dissert. 1. c. 2.* 23.

CAP. II.

De Ascendentium Successione. 1.

I. SI defunctus descendentes hæredes non relinqvat, pater autem aut mater aut alii parentes supersint, omnibus ex latere cognatis hi præponuntur, exceptis solis fratribus ex utroqve parente conjunctis defuncto.

II. Si plurimi ascendentium vivunt, præponuntur, qvi proximi gradu reperiuntur, masculi & fœminæ, sive materni sint sive paterni. 2.

III Si eundem habeant gradum, ex æqvo inter eos hereditas dividatur, ut medietatem qvidem accipiant omnes à patre ascendentes, qvanticunq; fuerint, medietatem verò reliqvam à matre ascendentes, qvanticunqve etiam sint. 3.

IV. Si cum ascendentibus inveniantur fratres aut sorores ex utrisqve parentibus defuncto conjuncti, cum proximis gradu ascendentibus vocantur, & dividenda, si pater aut mater fuerint, inter eos hereditas secundum perfona- 4.

ſonarum numerum, ut & aſcendentium & fratrum ſinguli æqvalem habeant portionem, ſic, ut uſumfructum ex filiorum aut filiarum portione hoc caſu pater ſibi vindicare non poſſit, nulla hic obſervatâ differentiâ ſive mares ſint, ſive fœminæ ſive ſuæ poteſtatis, ſive ſub poteſtate cui ſuccedunt.

5. *Addit.* Liberis & omnibus deſcendentibus extinctis turbatô mortalitatis ordine parentes ad bona eorum ratione miſerationis admittuntur in ſolatium amiſſæ prolis *L. 6. ff. de jure dot.* & duræ fortunæ *L. 4. in fin. C. ad SCt.* qvam ſucceſſionem aſcendentium XI. rationibus confirmat Valentin. Förſter. *de Succeſſ. lib.*
6. *7. num. 7.* Et ſi in pari gradu ſunt parentes, æqvaliter ſuccedunt, ſi verò in diſpari proximior gradu excludit remotiorem, ut mater avum paternum *Auth. defuncto* ibi: *Salva ſui gradus prærogativa C. ad SCt. Tertull.* non attentô, utrum parentes ſint fœ-
7. minini, an maſculini ſexus, nam ſicuti filiæ parentibus, ita patribus filiæ ſuccedunt, cum jura ſucceſſionis ſint reciproca *L. 11. C. de legitim. hered.* & meritò reprehenſus eſt mos Armeniorum tanqvam barbaricus, qvod liberorum, parentum, fratrum & reliqvis generis hereditates maſculis tribuerint, non item mulieribus, cum ambo ſexus à Deo ſint creati, & uterqve ad genera-
8. tionem conferat, idcirco juſſi ſunt deinceps Armenii Romanas ſeqvi LL. & nullum inter marem & fœminam conſtituere ſucceſſionis diſcrimen ut ſupra ad *Nov. 21.* fuit notatum, non attenta ſexus ratione, ut paulò ante fuit dictum, ut tamen ſi defunctus filius in poteſtate patris fuerit, pater bonorum adventitiorum uſumfructum retineat, mater autem in nuda proprietate acqvieſcere teneatur. *L. fin. ibi: Pater qvidem uſumfructum teneat &c. C. ad SCt. Tertull. L. 27. C. de Teſtam.* Brunnem. *ad L. 2. C. ad SCt. Tertull.* Sudholt. *Diſſert. 11. aphor. 62.* Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 38. th. 28.* Dn. Stryk. *de Succeſſ. Diſſ. 2. cap. 1. th. 26.* non
9. tamen, ſicut nepos avo ſuo in ſtirpes jure repræſentationis ſuccedit cum patruo, ita qvoqve avus cum filio ſuo nepoti in ſtirpes ſuccedit, qvippe in linea aſcendente omnis repræſentatio ceſſat, nam jus repræſentationis id exigit, ut perſona una in alterius locum tranſeat, à qva ſangvinem trahit, per derivationem enim

enim sangvinis jus simul in posteros derivatur, ut sic contra naturam foret, si pater in filii locum per repræsentationem transire vellet, Illustr. Dn. de Fuchs *Paraph. Instit. lib. 3.* Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab Intest. Diss. 2. cap. 1. th. 17.* Qvæ sub *M. 3.* in textu 10.
habentur, eodem modò illustrant Brunnem. *ad Auth. defuncto C. ad SCt. Tertull.* Dn. D. Stryk. *d. Tr.* & Hahn. ad Wesenb. *Tit. ff. de gradib.* Concurrunt verò, ut & hic tradit, cum ascendenti- 11.
bus collaterales ut 1. Sorores & fratres. 2. Fratrum & sororum liberi. Fratres & sorores germani, cum parentibus & avis hodie in capita admittuntur. *Auth. Defuncto C. ad SCt. Tertull.* & non in stirpes. Hugo Donell. *lib. 9. Commentar. Jur. Civil. cap. 3.* Burghold. *de grat. Tit. de Success. ascendent.* Michael. Grass. *de Success. §. Successio ab intest. qv. 23.* Covarruv. *Epit. Success. ab intest. n. 6.* Myns. *Cent. 6. Obs. 41.* Anton. de Rosell. *Tr. de Success. ab int. n. 80. 87.* Rolandus Passager. *Tr. de Success. ab intest.* uterini verò vel consangvinei à parentibus excluduntur, *arg. d. Auth. defunct.*
Sed fratrum & sororum liberi sive soli sint, sive adjunctos ha- 12.
beant fratres defuncti unà cum parentibus ita succedunt, ut ascendentes in utroqve casu veniant in capita; sed fratrum liberi in stirpes, modò liberi fratris sint ex illo, qvi defuncto ex utroqve parente jungebatur. *Nov. 127. cap. 1.* Cynus. Pistorin. *de Success. ab intest. P. 2. n. 8. & 9.* Myns. *Cent. 6. Obs. 41.* Oliver. Textor *Tr. de Success. ab intest. num. 77.* Exceptio est de jure Saxonico, 13.
qvo fratres defuncti germani non succedunt cum ascendentibus; sed ab his excluduntur. L. R. *lib. 1. Art. 13.* Gœdden. *Consil. 67. & 70.* Schneid. *ad Inst. de hered. quæ ab intest. Tit. de Success. par. num. 34. & seqq.* Forster. *de Success. lib. 7. cap. 9. num. 4.* Qvando 14.
autem parentes cum filiis defuncti fratribus succedunt, aut etiam cum fratrum liberis, tunc in portione ista, qvam filii è fratris sui defuncti hæreditate acqvirunt, usumfructum sibi non possunt vindicare. Borcholt. *de gradib. Tit. de Success. ascend.* Ritterhsus. *ad I. Nov. P. 7. n. 18. cap. 10.* nam & talis portio pleno jure debetur filio ut in ea sibi pater usumfructum arrogare non possit. *Auth. excipitur C. de bon. quæ lib.* vid. *Nov. 117. cap. 1.* De patre ve- 15.
rò naturali, an & ille liberis naturalibus succedat, ex horum successione dijudicandum est, cum & hic ex reciproco jure argumentum

neum & uterinum, hi & eorum liberi in bonis maternis, illi in paternis admittuntur.

VII. Si neqve fratres, neqve filios fratrum defunctus reliqverit, omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocat, secundum uniuscujusq; gradus prærogativam, ut viciniores gradu ipsi reliqvis præponantur, & si plurimi ejusdem inveniantur, secundum personarum numerum inter eos dividatur hæreditas, qvod in capita nostræ LL. appellant. 7.

Addit. Nullis igitur descendentibus vel ascendentibus reli- 8.
ctis proximus successioni locus assignatur fratribus & sororibus germanis utrinqve conjunctis, Grassus *Tr. de Success. §. Successio ab intest. p.30. n.1.* Textor *Tr. de Success. ab intest. n.88.* de jure communi verò una cum fratribus fratrum præmortuorum liberi qvoqve ad mittuntur jure repræsentationis *h. Nov. cap.3*, cui con- 9.
seqvens est, sicut frater ex utroqve parente conjunctus consangvineos & uterinos exclusisset, sic & illius præmortui filium, licet uno gradu sit remotior, excludere *h. Nov. §. reliqvi Auth. cessante C. de legit. hered.* Sed nepotes fratrum germanorum similiter excluduntur, nec enim cum patruis magnis admittuntur, 10.
nam in linea collaterali jus repræsentationis ultra fratris filios ad nepotes non extenditur. *Auth. post fratres C. de legitim.* Forster. *de Success. lib. cap. 9. n. 1.* Sudholdt. *Dissert. 11. aphor. 75.* Knipsch. *de Fideicomm. famil. Nobil. cap. 9. n. 31.* An verò de jure Saxonico 11.
fratrum liberi in stirpes cum patriis suis concurrant hic qværi solet? Et qvidem pro fratrum liberis militat Constitutio Imperii *de Anno 1521. Worm.* qvæ expresse omnibus Consvetudinibus de- 12.
rogat, & ideò etiam in multis Saxonici locis est recepta; sed Rt. Carpz. *P.3. Const. 18. def. 2.* noluisse Imperatorem Carolum V. hac in re qvicqvam juribus Saxonicis derogare, aut in foro Saxonico jus repræsentationis introducere, cui tantummodo mens & animus fuit consvetudines qvasdam speciales abrogare, & Electorem & Duces Saxoniæ contra Edictum Imperatorium protestatos fuisse, & jus Saxonicum, qvod ad Electoratum attinet, privilegiatum esse & singulare, ideoq; per consvetudinem con-

trariam in illo Edicto intelligendam esse illam, qvæ extra jus Saxonicum civile irrepserat, sicubi verò ab aliis principibus, aliisve in locis jus Saxonicum receptum, ut in ditione Magdeburg.
13. Halberstad. Ducatu Anhaltino, &c. ibi omnino obtinere debere illud Edictum Cæsareum, qvomodo testatur Sneidew. *de hered. qvæ ab intest. n.14.* ab Archi-Episcopo Magdeburg. Cardinale Alberto receptam fuisse Constitutionem Carolinam, & in Magdeb. Episcopatu contra jus Saxonicum pronunciari, vid. Hahn. ad Wesenb. *Tit. de Gradib. & Affin. Nov.15. verb. jure tamen Saxonum.* Brunnem. *C.1. Dec. 46.* Dn. D. Stryk. *Tr. de Success. ab intest. Diss.*
14. *3. cap.3. th.4.* In feudis verò receptum, ut fratres cum fratrum filiis ad ductum juris communis succedant, Berlich. *d. P.3. Conclus. 40. n. 4. 5.* qvod & extra Electoratum Saxoniæ perinde usu servari, testatur Carpz. *P.3. Const. 29. def. 1.* etiamsi in literis investituræ inserta fuerit clausula, *nach rechter Siepzahl.* Carpzov. *d. l.*
15. *defin.2.* Post fratres germanos eorumqve liberos ad successionem vocantur consangvinei & uterini fratres, eorumqve liberi. *Auth. post fratres C. de legit. hered.* hi enim parentum locum æqvè occupant, uti liberi fratrum germanorum, ita, ut omnia illa, qvæ de fratrum filiis solis, vel cum thiis concurrentibus aliàs explicant Doctores huc qvoqve commodè trahi ac applicari
16. possint. Id modò solent hic qværere, *An inter consangvineos & uterinos distinctio bonorum obtineat?* Qvod aff. sic, ut bona à patre ad defunctum devoluta frater consangvineus præcipua capiat, qvæ à matre provenerunt uterinus obtineat *h. Nov. 118.* cui nusqvam esse derogatum tradit Peretz. *C. de legit. hered. n. 4.* & multorum Doctorum autoritatibus confirmat Excell. Dn. Stryk. *de*
17. *successione ab intest. Diss.3. cap. 1. th.24.* Qvod si fratres uterini vel consangvinei cum defuncti patruo vel avunculo concurrant, patruus & avunculus per ejusmodi fratres unilaterales excluduntur, *Auth. post fratres C. de legitim. hered.* qvam assertionem
18. procedere pluribus ampliat Berlich. *P. 3. Concl. 24. n. 72.* Demum si nec fratres, nec ulli fratrum filii existant, admittuntur primum patrui & avunculi, deinde patrueles & consobrini, & conseqventer reliqvi ex transverso conjuncti, qviq; secundum gradus prærogativam, sic, ut proximi semper remotiores excludant, inde si adsit

adſit patruus, germani filius, & frater uterinus ſolus germani filius ſuccedit, cum deſcendentibus magis qvam aſcendentibus debeatur hæreditas, jure Saxonico verò omnes tres æqvaliter admittuntur conf. Sutholt. *Diſſ.2. aphor.74.* & latè Carpz. qvi *P. 3. Conſt.18.* omnes omninò qvomodo ordine ſuccedant de jure Saxonico recenſet, & ad eum Esbach, qvi gradus ex jure civili addit. Deniq; agnati & cognati in infinitum ad ſucceſſionem vocantur, qvia major ratio eſt, ut illi, qvi de cognatione ſunt vocentur, qvàm fiſcus, ut expreſſe ſtatuunt Henr. Donell. *lib.9. Comment. Jur. Civ. l.19. c.4. §. qværitur.* Förſter. *Tr. de Succeſſ. lib. 3. cap.10.* Maturin. Montan. *de hæred. ab int. vement. rubr. de Succeſſ. fratr. n.29.* Sande *lib.4. Tit.8. def.2. C. A.lib.38. Tit.7.th.17.* & nullibi agnatorum ſucceſſio ad decimũ gradum eſt reſtricta, nam in *§.ult. Inſt. de Succeſſ. Cognat.* E. gr. decimi gradus mentio fit, non verò ut cœteri gradus excludantur, & *Nov. h. cap.3.* ſine ulla reſtrictione remotiores agnatos ad ſucceſſionem vocat, uti hinc Legis generalitas non ſit reſtringenda. vid. Excell. Dn. Stryk. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſert.3. cap. 1. th.29.* facit, qvod agnatis potius, qvàm Fiſco ſucceſſuro ſit favendum, *arg. L. un. C. unde vir & uxor in fin.* Hiſce omnibus igitur non exiſtentibus prætor ante fiſcum conjugem ad ſucceſſionem admittit. *tot. tit. ff. & C. unde vir & uxor* qvæ ſucceſſio regulariter Prætoria, unico autem caſu eſt civilis, de qva ſucceſſione plenius Rittershuſ. *ad Nov. P.7. cap.17.18.* Gudelin. *de jure noviſſ. lib. 2. cap.16.* Sutholt. *Diſſ. 2. aphor.77.* circa qvam imprimis ſtatuta locorum & pacta dotalia conſiderari debent, *L. fin. C. de pact.* Gail. *lib.2. Obſ.14.* Mynſ. *Cent. 1. Obſ. 69. & Cent. 2. Obſ. 33.* Præ cœteris verò ſtatutariam ſucceſſionem ſecundum variorum locorum ſtatuta hodierna doctiſſimè propoſuit. Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ.4. & ſeqq.* Si verò nec conjux ſuperſtes ſit, hæreditatem vacantem occupat Fiſcus *t. t. C. de bon. vacant. L. uni. §. 15. C. de Caduc. toll.* Brunnem. *ad L.3. C. Comm. de Succeſſ.* Fiſcum autem aliqvando in ſucceſſione præcedit certum aliqvod *Corpus* ſive *Collegium* cujus membrum fuit defunctus, qvorum 5. referunt Imperatores *tit. C. de hæred. Decur.* qvo & pertinet clericus, cui ſuccedit Eccleſia. *L. 20. C. de Epiſc. & Cleric.* Alia exempla habentur

(margin numbers: 19. 20. 21. 22.)

in *L. 1. C. si liberal. imper. Soc.* & in *L. 3. C. de Apparit. Præf. Præt.* Moribus cives & peregrini eodem gaudent jure Succesſionis. Gudelin, *de Jure noviss. lib. 5. cap. 10. verſ. cæteroqvin.*

CAP. IV.

De Agnatorum jure in Hæreditate ſublato.

1. NUllam vult eſſe differentiam in qvacunqve ſuccesſione aut hereditate inter eos, qvi ad hereditatem vocantur, maſculos & fœminas, ſive per maſculi, ſive per fœminæ perſonam defuncto jungantur; ſed in omnibus ſuccesſionibus agnatorum cognatorumq; differentiam vacare præcipit, ita, ut omnes tam à patre qvam à matre conjuncti, ſecundum gradus proximitatem ſuccedant.

2. *Addit.* In jure cognationis erat diſcrimen inter maſculos & fœminas, nam agnati mares, licet eſſent longisſimo gradu, excludebant tamen fœminas, niſi hæ eſſent ſorores defuncti, qvod poſt L. XII. Tabb. erat introductum; Sed Prætores ulteriores agnatas fœminas vocabant ad bonorum posſesſionem inter agna-
3. tos; ſed Imperator ad L. antiqvam XII. Tabb. rem reducit, & conſtituit, ut omnes agnatæ perſonæ, ſive mares, ſive fœminæ agnationis jure ad inteſtati ſuccesſionem vocentur, v. *§. 3. I. de*
4. *Legit. agnat. Succeſſ.* Imò ulterius progresſus eſt Imperator Juſtinianus *h. C. 4.* dum æqvo jure ſuccedunt cum agnatis maribus,
5. non tantum agnatæ, qvod hic conſtituit, Imperator, & hujus æqvitatem commendat, ſed etiam cum agnatis cognati promiſcuè. *Auth. poſt fratres C. de legit. hered.* Idem qvoqve conſtituiſſe refert Esbach. *Addit. ad Carpz. P. 3. c. 18. def. 19.* in ſua Diœceſi Electorem Colonienſem Maximilianum Henricum in *Ertzſtiffts Cölniſch. R. Ordn. de An. 1663. tit. 5. §. 6. hiſce verbis; Wann keine volle oder halb bürtige Brüder oder Schweſtern, noch von denſelben Kinder im erſten Glied im Leben, ſo erbet jeder nächſter Bluts-Verwandter des Verſtorbenen Verlaſſenſchafft, ohne Unterſcheid männliches oder weibliches Stamms, es wäre die Verwandſchafft von einem Bande her, oder von beyden, auch ohne*

ohne Unterscheid, von welcher Seiten die Güter herkommen. i. e. Si non adsint fratres & sorores aut bilaterales vel unilaterales, proximo agnatus defuncti hereditati lucratur sine distinctioni sexus sive cognatio oriatur ab uno vel utroqve latere, sine quoque differentia à qvonam bona perveniant. De Jure Saxonico verò co- 6.
gnationis & agnationis differentiam haberi in proclivi est, qvippe habetur ibi ratio bonorum utensilium seu geradæ, in qvam sola soror, & rerum expeditoriarum, in qvas solus frater succedit. Berlich. *P.3. conclus.. 42. n. 4. & 5.* Dicuntur autem res expe- 7.
ditoriæ præparamenta qvædam ad expeditionem militarem pertinentia, *Heergeräthe, oder das Geräth, das zu eines Mannes Leib gehöret in einer Heerfarth.* Roschitz. *Tr. vom Heergeräth Art. 22. num. 1.* & pertinet de Jure Saxonico ad res expeditorias; *Ein Pferd gesattelt und gezäumet, der beste Harnisch zu eines Mannes Leib, ein Schwerdt, des Mannes tägliche Kleider, ein Heer-Pfuel, das ist ein Bett nechst dem besten, ein Küssen, Heer - Leilachen, ein Tisch-Tuch, zwo Zinnerne Schüsseln, ein Fisch-Tiegel, ein Handqvell, und ein Holrinck.* Carpz. *P.3. C. 38. def. 25.* Conf. Berlich. *P.3. conclus. 24. n. 6.* Finckelth. *obs. 23.* i. e. ut 8.
Matth. Coler. *decis. 103.* explicat; Viri mortui gladius, eqvus ejus optimus cum ephippio & freno, clypeus ejus, & optima armatura, vestimenta ejus qvotidiana culcitra militaris, h. e. lectus ab optimo secundus, cum pulvinari, & duobus linteamentis, mappa una, duæ patinæ, unum mantile, ahenum pro coqvendis piscibus, & climacter. Gerada, dicitur qvasi *Gerede*, h. e. res utensilis, qvam 9.
uxor in usu, possessione & custodia habet, & nihil est aliud, qvam res, quæ ad usus communes rei familiaris est destinata. Coler. *Dec. 60. n. 24. 25.* Roschitz. *Tr. de Gerada A. 10. n. 1.* Goldbeck. *de Jure Gerada c. 1. n. 1.* Beust. *Tr. de Connub. P. 2. c. 71. pr.* qvænam verò ad geradam recenseatur latè docet Berlich. *P.3. Concl. 28. & multis seqq.* Richt. *de Success. ab int. Sect. 1. memb. 1. n. 60. & seqq.* Finckelth. *Obs. 81.* Igitur hoc casu *agnationis* & *cognationis* diversitas Saxo- 10.
num jure salva est, unde licet soror non adesset proxima tamen cognata fratri præferenda esset, qvod vice versa qvoqve obtinet in rebus expeditoriis; imò & in gerada jure Saxonum soror uterina concurrit cum germana in gerada. Et frater consan- 11.
gvineus cum germano in rebus expeditoriis, qvæ prælatio qvoqve

qve obtinet in *Wergeldo* seu pecunia, qvam homicida vel alius delinqvens compositionis loco solvit, hanc enim agnati soli capiunt, unde & dici solet *das Manngeldt*. Berlich. *P. 3. Concl. 24. n. 7.*
12. vid. Dn. D. Stryk. *de Succeß. ab intest. Diss. 3. cap. 3. th. 5.* Ulterius, qvamvis in succesſione allodialium duplicitas vinculi attendatur, & consangvinei fratres per germanos excludantur. C. 3. *h. Nov.* in feudi tamen succesſione secus obtinet, & ibi agnationis ratio adhuc habetur, *2. F. 11. vers. his verò deficientibus.* unde frater germanus consangvineum in feudo non excludit, cum æqvè sanguinem à primo acqvirente trahat. Ludw. *Tr. Feud. p. 209.* nec ad jus commune confugiendum est, si vel bona saltem ratio ex jure feudali desumi potest, qvæ non tantum generalibus textus verbis in consvetudinibus feudalibus deciditur, sed & ratio prædicta svadet, qvia consangvinei etiam sunt agnati, ut germani; nec
13. obstat duplicitas vinculi, hæc enim nihil operatur, qvoties vinculum unum est impertinens, ut hoc casu maternum Gail. *lib. 2. obs. 151. num. 5.* Struv. *Synt: Juris Feud. c. 9. th. 6. n. 6.* v. Rittershus. *Partit. Jur.*
14. *Feud. lib. 1. c. 9. n. 222.* Est verò tali casu jus agnationis probandum, vel qvod agnati tales vi illius agnationis descendant ab eo stipite, qvi feudum primò acqvisivit, vel qvod ab hoc in simultaneam investituram recepti, sola enim identitas insignium, & nominis non sufficit, qvod Facultatis Juridicæ Francof. Responso declarat Excell. Dn. Stryk. *Tr. de Succeß. ab int. differt. 3. c. 2. th. 23.* at-
15. que ita in feudalibus cognationis & agnationis obtinere differentiam satis manifestum evadit, qvo casu tamen fœminæ in feudo succedunt, nec cognati erunt excludendi, si à primo acqvi-
16. rente descendant. Idem *Exerc. Juris Feudal. c. 16. qv. 10.* & cessante ratione conservandæ agnationis vocationem masculorum comprehendere non solum masculos descendentes ex masculis; sed iis deficientibus qvoq; masculos descendentes ex fœminis; item si testator habuit pro Synonimis verbum *Filios* & verbum *Descendentes*, probat Angel. Cels. *Decis. Rot. Rom. CXLI. n. 10. 11.*

CAP. V.

De Legitima Tutela liberorum, & de Matre & Avia.

Unus-

UNusqvisqve ſecundum gradum & Ordinem, qvoad 1.
hereditatem vocatur, aut ſolus, aut cum aliis, etiam functionem tutelæ ſuſcipere debet, nulla nec in hac parte differentia introducenda de agnatorum ſeu cognatorum jure; ſed omnibus ſimul ad tutelam vocan- 2.
dis, qviqve ex maſculorum, qviqve ex fœminarum prole deſcendunt, minori conjuncti, modò maſculi perfectæ ætatis ſint, & nullâ Lege tutelam ſuſcipere prohibeantur.

II. Mulierib9 qvoq; interdicit tutelæ officiū ſubire,niſi 3.
mater aut avia fuerit, his enim ſolis ſecundum hæreditatis ordinem & tutelam ſubire permittit, ſi nuptiis & auxilio SCti Vellejani renuncient, qvæ ſi obſervent, omnibus â latere cognatis qvoad tutelam præponuntur,ſolis teſtamentariis tutoribus eas præcedentibus, nam defuncti voluntas & electio præponi debet.

III. Si plurimi eundem cognationis gradum haben- 4.
tes ad tutelam vocantur, qvot ad gubernationem ſuffecerint, eligi debent, qvibus adminiſtratio committenda, tutelæ periculô omnibus imminente,qvi ad tutelam vocantur, & ſubſtantiis eorum minori ætate ſubjacentibus pro hujusmodi gubernatione.

Addit. Tutelæ deferuntur ſecundum ordinem ſucceſsio- 5.
nis ab inteſtato, qvem in hac Nov. præſcripſit Imperator, ita, ut qvi proximus eſt in commodo ſucceſsionis, proximus qvoqve ſit in onere tutelæ. *L. 10. ff. de R. I. §. 7. I. de Caput. dimin.* nec enim ferendus eſt is, qvi lucrum qvidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, niſi â Lege prohibeantur, qvales ſunt Clerici, Epiſcopi & Monachi. *L. Cyprianus C. 21. qv. 2. L. neq; apud D. 88.* Milites *L. 4. C. qvi dar. Tut. §. 14. I. de Excuſat. Tut.* Creditores & debitores ipſi pupillorum ſive minorum, *Nov. 72. cap. 1. Auth. Minoris debitor C. qvi dari.* Mulier verò etſi regulariter â 6.
tutela repellatur, *L. 1. C. qvi mulier &c.* excipitur tamen â regula mater pupillorum *L. 1. 2. 3. C. d. t. Nov. 22. cap. 46. Nov. 89. cap. 14. Nov. 94. cap. 2. Nov. 118. h. cap.* ut & pupillorum avia *h. cap. 5.* modô ob-

dò observet ea, qvæ Imperator hic injungit, nam si contra renunciationem nuptias contrahat, à tutela repellitur. *Auth. Sacramentum* C. *qvi mulier.* nisi à Principe impetraverit, ut possit esse tutrix etiam post secunda vota, ubi retinet tutelam. Brunnem.
7. *ad d. Auth. in fin.* inde ex his facilè concludere licet, ut si cum avo paterno concurrat mater, cum in successione hæc illum excludat *h. Nov. cap. 2.* etiam in tutela hanc præferri, licet moribus avum paternum illi adjungi non malè dicatur, cum enim hic ob prudentiam, qva majore pollere præsumatur, dum muliebre consilium infirmum, & contra propria commoda militare dicitur *L. 4.* C. *de Sponsal.* cur avus excluderetur, qvi nepotem nonnunqvam majore, qvam mater filium amore proseqvi dicitur, unde & C. *A. lib. 26. Tit. 4. n. 3.* Jure Civili matrem avo paterno non præfert; sed hic dignitatem sexus vincere vult. vid. Brunn.
8. *ad Auth. Matri* C. *qvi mulier.* Si verò avia materna & avia paterna tantum concurrant, utraq; si velit ad tutelam admittitur, cum utraq; sit avia unde & illud seqvitur; adscendentes in genere præferri in tutela suscipienda iis, qvi ex latere veniunt. C. *A.*
9. *d. l.* Agnatos qvod attinet, etsi jure XII. Tabb. & vi hujus *cap. 5.* omnes ad tutelam venire possint, est tamen qvidam inter eos ordo servandus, ita, ut remotioribus exclusis ad tutelam admittantur, qvi gradu sunt proximi, *§. ult. Inst. de capit. diminut. L. 9.*
10. *ff. de legit. Tut. h. Nov. cap. 5.* neqve tamen illi, qvi ob ætatis defectum fuerunt exclusi postea sunt admittendi ad tutelam, si justæ & legitimæ ætatis fuerint facti cum semel exclusi sint à tutela tum, cum tutela deferretur proximis, neqve enim minores 25. annis ad tutelam vocantur. *L. ult. ff. de Tutel. Nov. 118. cap. 5.* ubi verò ad perfectam ætatem pervenerunt, tum pupilli jam habent tutores suos legitimos, qvi à tutela non abeunt, ideoqve non
11. possunt ipsi majores facti ad tutelam admitti. Qvod si autem plures sint agnati, & omnes eodem gradu, aliqvi autem ætate confecti, ut propter illam meritò excusationem mereantur, illis inspectio cœterorum committitur, & vocantur Honorarii, qvi cœterorum actiones observant, & si opus est, tanqvam suspectos deferant, ut si meruerunt à tutela removeantur, qvod si neglexerint, etiam in hos subsidiariam actionem dari concludunt Doctores

Doctores. *arg. L. 1. ff. de Magistrat. conven. & §. 2. Instit. de Satisdat. Tutor.*

CAPUT. VI.

De Vi & Potestate hujus Constitutionis in personis & rebus.

RЕstringit Imperator illa, qvæ hactenus de Successionibus dixit, ut tantum in Orthodoxis procedant, non in hæreticis, qvoad hos enim in *Nov. 115. Cap. 3. §. 14.* verb: *omnem substantiam,* statuta confirmat, & post terminum subjicit, ex qvo Novella hæc valere debeat. 1.

NOVELLA CXIX.

Ut Sponsalitia largitas specialis sit Contractus.

CAPUT I.

Donatio propter nuptias insinuanda non est.

SPonsalitiam largitatem contractum specialem esse, & judicari, nec aliis donationibus connumerari per præsentem sancit Legem qvoniam pro ea æqvalitas dotis offertur; sive igitur insinuetur sive non, per omnia suum robur habeat, tam apud mulierem, qvàm apud virum, sive ab ipso viro, sive ab altero aliqvo mulieri detur, vel in viri personam donatio fiat, & hoc valeat, cujuscunqve qvalitatis sit donatio. 1.

Add. Sponsalitia largitas est donatio, qvam sponsus sponsæ donat intuitu nuptiarum præter arrham, Brunneman. *ad rubr. C. de donat. propter nupt.* Olim, qvæ sic data erant, nuptiis non secutis ita demum reddebantur, si cum darentur, ita esset conventum. *L. 7. C. de donat. propter nupt.* aut saltem sub expressa conditione nuptiarum data probarentur. *L. 2. C. eod.* Si verò purè & 2.

 absq;

absq; ulla nuptiarum mentione data erant, nullo casu repeti poterant. *L. 9. 10. C. eod.* In vulgari translatione ut notat Gudelin.
3. *de Jure noviss. cap. 7. vers. Sed utrum*, nomen sponsalitiæ largitatis sumptum pro donatione propter nuptias, qvæ tamen est donatio sponsi vel mariti in compensationem vel securitatem dotis facta, jure C. *per Auth. Dos data C. de donat. propter nupt.* hæc 500. solidos excedens, ut constante matrimonio fieri, ita etiam actis insinuari poterat, & debebat; sed per hanc *Nov. & Auth. inde de-*
4. *sumptam C. Eo decursum de donat. ante nupt.* constitutum, ut nullam reqvirat insinuationem propter mulierem, cui omissio insinuationis hujus non nocet, qvominus eam habeat; sed ex parte mariti desiderat insinuationem si lucrum speret ex dote, ejus enim aliter compos non fiet, qvam si donationem actis insinuari curaverit; sed per hanc Nov. insinuationem non esse neces-
5. sariam statuit, nec ex parte viri, nec ex parte mulieris, qvod tamen postea iterum emendavit, reqvirens insinuationem non ex parte mulieris; sed ex parte viri qvatenus is pro rata donationis propter nuptias lucrum sperat, vel captat ex dote, ejus enim lucri non aliter compos fiet, qvam si donationem insinuari curaverit. *Nov. 127. cap. 2.* Qvod jus ut posterius seqvendum esse
6. putant, cum constitutiones posteriores tempore, potiores sint his, qvæ ipsas præcesserunt. *L. fin. ff. de Constit. Princ.* constat tamen in Camer. Elector. Brandenb. non tam secundum *Nov 127.* qvam potius secundum hanc præsentem Nov. 119. fuisse pronunciatum & Brunnem. *ad Auth. Eo decursum Nov. 119.* per *Nov. 127.* non esse
7. mutatam probat ex Rittershusio in *Nov. P. 5. cap. 10. n. 8.* Differt verò donatio propter nuptias à sponsalitia largitate, qvod illa fiat perfecto matrimonio in dotis compensationem; sed sponsalitia largitas sub conditione subsecuti matrimonii concipitur, non tamen propter dotem; sed affectionem sponsi & sponsæ *L. 16. C. de donat. propter nupt.* maneatq; penes accipientem, ita, ut nunqvam alienari, aut revocari etiam testamento possit. *L. 8. C. eod.*

CAP. II.

Minor in Testamento Servos manumittere potest.

Licen-

Licentia est minoribus in ipso tempore, in qvo licet eis testari de alia substantia, etiam servos suos in ultimis voluntatibus manumittere, nullô eis impedimentô ætatis faciendo, cessante Lege, qvæ hoc ante prohibebat. 1.

Addit. Igitur hodie ea ætate, qva qvis testamentum facere potest, potest & libertatem relinqvere, nec enim ferendum erat eum, qvi de bonis suis disponere potest, qvod omninò magis est, nec habere facultatem servis suis rem omnium maximè favorabilem libertatem concedere, vid. Doctores ad *Tit. Inst. & C. Qvi manumitt. non poss. Auth. sed hodiè C. eod.* 2.

CAP. III.

Ut non aliter credatur instrumento, de altero instrumento faciendi mentionem, qvam si id ipsum probetur, vel alia ratione qvantitas in instrumento referente expressa probetur.

Addit. Qvia in relato instrumento potest esse vitium illud irritum reddens, sic v. gr. debitores pupilli ex inventario, qvod mentionem facit chirographi, non convincuntur. Brunnem. *ad Auth. si qvis C. de Edendo.* Fallit tamen hoc ex interpretum juris sententia. 1. Qvando instrumentum ad aliud se referens, continet orationem perfectam, vel dispositionem plenam, vel expressè ac specificè totum illud complectitur, qvod relato continetur Coler. *de Process. Exec. P. 3. cap. 1. n. 57.* Ruland. *de Commissar. P. 2. lib. 5. n. 9.* Cothman. *Vol. 1. Resp. 17. n. 67. & Vol. 3. Resp. 23. n. 42.* 2. Instrumentum ad aliud se referens, si à Principe confectum est, plenè probat sine relato. Berlich. *P. 1. Concl. 31. n. 14.* Ideoq; rescripta sive privilegia Principum, mentionem alterius alicujus instrumenti sive scripturæ facientia, fidem merentur, licet de relato non constet, nec illud producatur. Nicol. Boër. *Decis. 247. n. 3.* Camill. Borell. *Tit. de Fide instrum. n. 194.* qvod locum habere asserit Gail. *lib. 2. Obs. 1. n. 15.* in originalibus, & anti- 1. 2. 3. 4.

qvis privilegiis, qvia relatum est in referente cum omnibus suis qvalitatibus. 3. Probat referens sine relato, qvando utrumq; inter eandem personas est confectum, Matth. de Afflict. *Dec. 166.*
5. *n. 1.* 4. Et in antiqvis plenè probat Ruland. *de Commiss. cap. 35.* Hisce casibus exceptis referens nihil probat; sed relatum qvoq; in judicio produci & exhiberi oportet. Coler. *de Process. Execut. P. 3. cap. 1. num. 56.* Gilcken. *in Auth. si qvis in aliqvo num. 21. C. de Edendo.*

CAP. IV.

De Appellationibus.

1. APpellatione interpositâ si pars ante lapsum fatale eandem proseqvi velit, & per judicem stet, qvo minus hoc fiat, nullum Parti præjudicium ex lapsu fatalium contingit.

2. *Addit.* Est qvidem causa appellationis intra certum tempus introducenda, cœterum si per occupationes judicis factum sit, qvo minus eadem die compleri possit, non idcirco de peribit, nec lis extingvetur. *L. fin. §. 2.* C. *de Temp. Appell.* idqve non solum obtinet in appellatione ad Principem facta, sed & ad alios judices, ut scilicet tempus non currat appellanti, si per judicem steterit, qvo
3. minus qvis appellationem proseqvatur. Ratio in summa consistit æqvitate, cum qvia factum cuiq; suum non alteri obesse debeat, tum qvia nihil est, qvod appellanti possit imputari, qvi per judicem est impeditus vid. Peretz. C. *de Tempor. Appellat. n. 4.* & regulariter biennium ad prosecutionem appellationis indultum, cui non nocere, si fuerit impeditus, constat ex *c. 8. X. de Appellat.* Huc
4. quoque pertinet, si appellans pauper ob penuriam pecuniæ acta luere neqveat, illud ipsi non imputari, nam si pauper excusatur à lapsu fatalium, dum propter egestatem appellationem proseqvi non potuit, multò magis excusabitur, si acta primæ instantiæ ex pecuniæ defectu habere non potuit. Nicol. *Proc. P. 2. c. 13. n. 13.* Lancellott. *de attentatis. c. 12. Amph. 1. n. 62.* Ruland. *de Commissar. P. 4. lib. 8. c. 13. n. 40.* vid. *in fin. ad N. 126. c. 2.*

Cap.

CAPUT V.

De Retractionibus Sententiarum Præfecti Prætorio.

A Præfecto Pr. appellatio licita non est; si qvis se tamen gravatum sentiat, intra 10. dies remedio *Supplicationis* ipsi uti integrum est, qvod efficit, ne sententia Executioni mandari possit, nisi prius fidejussiones dignas præbuerit victrix pars tantæ qvantitatis, qvantæ fuit condemnatio, ut si post hanc retractationem modô legitimo sententia resolvatur, res ei cum augmentis legitimis restituatur. Si verò intra decendium supplicatio interposita non fuerit, citra cautionem executioni mandabitur sententia, salvô tamen jure retractationis illi servando, qvi se gravatum putaverit. 1. 2.

Add. Licet jure Justinianæo qvædam personæ excellentiores esse censeantur, qvàm ut iniqvam vel nullam sententiam proferendo quempiam gravare velint *t. t. ff. & C. non qvib. appellare non licet.* neutiqvam tamen conceptum hoc existimationis pondus in alterius injuriam vergere debet, læsis igitur per sententiam hujusmodi judicum, à qvibus appellare non licet per remedium *Supplicationis* succurritur *h. c. & l. 5. C. de precib. Imperat. offer.* Inde prohibita appellatione censetur adempta supplicatio *Auth. qvæ supplicatio C. de precib. Imp. off.* Mynſ. *C. 4. obſ. 86. & c. 6. obſ. 15.* Besold. *de Appellat. c. 2. n. 18.* adeò, ut etiamsi statutô cautum sit, ne ullô modô appelletur, supplicatio tamen concedatur, qvis enim omnibus horis æqvè sapit, aut ita accuratè justum ab injusto omni tempore discernit, ut nunqvam à tramite justitiæ vel ad dextram, vel ad sinistram declinet, inqvit Bender. *de Revis. Proœm. n. 13.* Obtinet autem supplicatio contra sententias tantum definitivas, & qvidem tum demum locum invenit, ubi appellatio vel aliud remedium ordinarium non superest. *L. Si qvis cum Auth. seqv. C. de precib. Imper. offer.* Deputat. *Abschied de Anno 1600. §. Es soll aber den Unterthanen.* Berlich. *P. 1. Concl. 60. n. 3. & seqq.* Ruland. *de Commiss.* 3. 4. 5.

6. *miss. P. 4. lib. 8. c. 14.* Non verò hoc *Supplicationis* remedium ubiq; locorum obtinet; sed in foro Saxonico præsertim Electorali, ut & in Ducatu Magdeburgensi hoc ut & *Revisionis* abrogatum est Lan-
7. ge *Isagoge ad Proc. Jur. Civil. & Saxon. c. fin. n. 92.* de jure tamen Saxonico communi, & in inferiori & superiori Lusatia, ut & in judicio aulico Imperatoris adhuc floret, & in usu est, item in omnibus aliis judiciis, à qvibus ratione eminentiæ personæ non datur appellatio, ut multis solidè & eruditè ostendit Dn. Ludovicus Gunther. Martini *Comment. for. in Ordinat. Process. judicior. Saxon. Tit. 37.*
8. *n. 6. 7. & seqq.* Illud unicum occasione hujus C. tangendum saltem videtur, *Num post decendium eidem judici, qvi sententiam tulit, Supplicatio offerri qveat?* quod sanè dubium propter, *Auth. Quæ Supplicatio* C. *de precib. Imp. offer.* Affirmativa tamen prævalere videtur, nihil enim interest, sive intra sive post decendium supplicatio offeratur, præterquam quod priori casu sententia execu-
9. tioni non mandetur, nisi dignas fidejussiones pars victrix præbuerit, de restituenda in casum retractatæ sententiæ re cum augmentis legitimis; sed posteriori casu hæc fidejussio quidem non requiratur, jus tamen supplicandi ad biennium usq; duret, sicuti Jasonem, Hostiensem & alios à se allegatos explicat Benderus *de Revis. conclus. 2.* v. Excell. Dn. Stryk. *Introd. ad pr. forens. c. 23. § 28.*

CAP. IV.

Si minor 25. annis restitutionem adversus aditionem hæreditatis petere voluerit.

1. I. Minor si ab hæreditate adita abstinere velit, creditores si præsentes fuerint, à judice citari curabit, si scil. sint in illis locis in qvibus restitutio in int. postulatur, & sic præsentibus omnibus ab hujusmodi hæreditate se minores abstineant.

2. II. Si verò omnes aut aliqvi creditorum absentes fuerint, minores hoc agere volentes, judicem locorum in quibus ipsi degunt, adire debent, ut per consvetas citatio-

nes

nes vocet creditores, qvi si intra trium mensium spatium non compareant, minores sine periculo ab hujusmodi hæreditate abscedere possunt, judex autem apud qvem agitur in int. restitutio interea curatorem bonis dabit, qvorum qvantitas publico inventario designanda.

Addit. Ratio *h. C. est in L. 39. ff. de Adopt.* quod desideras an impetrare debeas, æstimabunt judices, legatarii tamen etiam præter heredes sunt citandi, qvia & eorum interest, an heres ex testamento adierit hereditatem & putat Brunnem. vocem *Creditorum* Imperatorem paulò laxius accepisse *ad Auth. Si omnes C. Si minor ab hæredit. se abst.* quod si citandi creditores in certis locis habitent, aut domicilium non habeant, ibi locorum citatio edictalis proponenda, ubi absentes ut plurimum versari solent. Gail. *lib. 1. obs. 57.* Umm. *Disp. 5. ad Process. th. 12. n. 63.* qui si intra trimestre non com- 4. pareant, minores abstinere se hereditate possunt, ut tamen judex curatorem bonorum det, qui inventarium conficit, in qvo consignanda sunt omnia bona hæreditatis mobilia & immobilia, quoad quantitatem ex qualitatem. Mynf. *C. 6. obs. 39.* licet consultius facere videatur judex, si non soli id curatori committat; sed commissarium certum & Notarium deputet, qui id conscribat. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 1. A. 10. n. 40.* Quod si rite factum, curator po- 4. test constitui à Judice, qui bona in communem creditorum utilitatem administret, quibus quoque ad rationes obligatur, & regulariter ad cautionem Carpz. *lib. 6. Resp. 63.* modò aliàs non sit possessionatus; Hinc nec alienandi licentiam habet, nisi consentiant creditores, nec alicui creditorum, qvicqvam solvere potest, nisi prævio Magistratus decretô. Joh. Philippi *de Subhastat. cap. 4. Comm. 18. num. 29.* & demum omnia alia agere debet, quæ alii minorum curatores. vid. Ddr. *ad Tit. ff. de Curat. bon.* Brunnem. *de Concurs. c. 1. §. 11.*

CAP. VII.

De Præscriptionibus

Aliàs

De Ma-

De Mala fide possessoris res alienantis.

1. I. MAlæ fidei Possessor aut per venditionem, aut per donationem, aut aliter rem alienans, & verus Dominus hoc sciat, cœterum intra 10. annos inter præsentes, vel 20. inter absentes, litem de ea re non moveat, usucapio subsistit.

2. II. Si ignoret verus Dominus res illas sibi competere, vel alienatas esse, non valet præscriptio, nisi tricennalis, licet qvis bonâ fide possederit, sed â possessore m. f. acceperit.

3. *Addit.* Ergò Jure Novisſ. licet ego bona fide à malæ fidei possessore rem acceperim, possum tamen usucapere, si scil. 30. annis talem rem possederim, & Dominus jus suum sciverit, & alienationem factam litem tamen non moverit per 10. vel 20. annos.
4. Ast in rebus alienis mobilibus non facilè usucapio etiam quoad Possessores bonæ fidei procedit, nam qui sciens alienam rem vendidit, vel ex alia causa tradidit, furtum ejus committit, & consequenter res furtiva fit *§. 3. I. de usucap.* quæ usucapi non potest, nisi præsupponatur casus, ubi res mobilis sine vitio furtivitatis venditur à malæ fidei possessore Brunnem. *Auth. Malæfidei* C. *de Præscript. longi temp.* quæ quia loqvitur de præscriptione dominii ideò non habet locum in præscriptione actionis hypothecariæ, cui præscribi potest, licet à malæ fidei possessore rem emerim. vid. Ddr. *ad*
5. *L. Cum notissimi 7. C. de Præscr. 30. vel 40.* licet quoq; vitia possessionum à majoribus contracta durent, & successorem quoque ignorantem autoris sui culpa comitetur *L. 11. ff. de diverſ. & tempor. præscr.* tamen hoc saltem in proximo hærede intelligitur, à se inchoare usucapionis tempora volente, non verò hæredis hærede. Brunn. *d. Auth.* qui à sua persona præscriptionem rei incipere potest, potissimum si ipse in bona fide sit, & justô titulô ad se res transferatur, modo tamen ipsi vitium non inhæreat, qvare si res mobilis furtiva sit, nec triennio, nec tricennio præscribitur ejus vindicatio *§. 2. 3. I. de*

3. I. de usucap. Item si res immobilis violenter occupata, hoc vitium violentiæ rem pariter afficit, sicut vitium furti, ut eapropter semper eam vindicare possit prior Dominus sine ulla distinctione, an præsens possessor bonâ vel malâ fide possideat, *L. 8. §. 2. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Hæc tamen ita obtinent, nisi vitium furti vel violentiæ sit purgatum per reditum rei ad priorem dominum *§. 3. I. de usucapion.* qvod si verò ipse Dominus surripuerit, utpote si debitor creditori pignus aufferat, res redire debet ad illum, cui per furtum vel violentiam ablata, scil. ad creditorem. *L. 4. §. 6. 12. & 21. ff. de usucapion.* 7.

CAP. VIII.

De Absentibus & præsentibus in decennii præscriptione.

SI qvis præscriptione decennali certis annis præsens, aliis verò absens fuerit, tot anni supra decennium addendi, qvot fuit absens, qvod ad futura negotia hic restringit Imperator, in præteritis verò locum habere non vult. 1.

Add. Scilicet detrahantur anni præsentiæ à vicennio, qvod superest, dabit tempus usucapionis, e. gr. qvi 6. annis præsens fuit, reliqvo tempore absens, 14. annis opus habet. vid. *Auth. qvod si qvis* C. *de long. temp. præscr.* Præsens verò jure civili æstimatur ille, qvi in eadem provincia domicilium habet *L. fin.* C. *de præscr. long. temp.* Absentia verò è contra in *usucapione* discernitur à domicilio & habitatione, ut is absens censeatur, qvi non est in eadem provincia. In C*ontractibus & Stipulationibus* absentes interpretamur, qvi tanto adsunt intervallo, ut se invicem loqventes non exaudiant. *L. 1. L. ult. ff. de V. O. L. penult.* C. *de contrah. & committ. stip.* *In testamentis* testis absens censetur, qvi aut non audit, aut non videt testantem, *L. non speciali* C. *de Testam.* Julius clarus *lib. 3. recept sentent. §. Testamentum qv. 59.* In *judiciis & denunciationibus* est absens, qvi in judicio aut domi non est. *L. 4. §. Prætor ait ff. de damno in f. L. 62. ff. de judic. L. 5. ff. de pæn.* aut qvi qvidem domi, vel in foro est, aut in hortis; sed latitat *L. Fulcinius 7. §. illud qvibus ex causis in possess.* In *dando Procurato-*

(margin numbers: 2. beside "Scilicet detrahantur"; 3. beside "tur à domicilio"; 4. beside "aut non audit"; 5. beside "est. L. 4.")

6. *curatore* absentia censetur ea si, extra continentia sit dominus Procuratorem constituens, nam si fuerit domi in foro, in hortis, & intra continentia urbis, præsentis Procurator dicetur. *L. 1. §. f. L. 2. L. 5. L. 6. & seqq. ff. de Procurator.* Cœterum, ut ad præsen-
7. tiam in usucapione revertamur, est ea probanda ab eo, qvi usucapionem allegat, Struv. *Syntag. Jur. Civ. de Usucap. th. 17.* & habetur hic ultimus dies cœptus pro completo. *L. 6. & 7. ff. de Usu-*
8. *cap.* scil. civilis, licet non sit finitus, nec enim currit tempus à momento ad momentum, è contra naturalis dies inceptus non habetur pro completo, prout minori competit beneficium restitutionis in integrum etiam ultimo 25. ætatis die nondum completo, hic enim tempus è momento in momentum currit. *L. 3. §. 3.*
9. *ff. de Minor.* vid. Doctores *ad L. More Romano 8. ff. de feriis.* Favore tamen ultimarum voluntatum testamentum impuberis ultimo ætatis impuberis die confectum subsistit. *L. à qva ætate 5. ff. de Testament.*

CAP. IX.

De Testatore non cogendo propriâ manu nomina hæredum scribere.

1. CUm ante hanc L. testator aut manu propriâ, aut per testes nomina hæredum scribere in testamento teneretur, eapropter verò plurima testamenta destructa, testatoribus hujusmodi subtilitatem custodire non valentibus, aut forsan nolentibus scire aliqvas suam voluntatem, hic constituit Imperator, ne amplius sit necessum, ut nomen heredis ab ipso testatore scribatur, sed perinde sit, à qvocunqve scribatur, modò alias legitimam observationem in testamento testator observaverit.

2. *Addit.* Deficiente hæredis institutione testamentum non valere tralatitium in jure est, & à Doctoribus alias traditum. vid. Mantica *de Conject. ultim. volunt. lib. 4. Tit. 1.* Donell. *ad rubr. C. de hered. Instit. n. 2. & 6.* Sichard. *ad Auth. ex causa C. de lib. præterit.*
3. *n. 2.* Reqviritur autem juxta *L. 29. C. de Testam.* ut testator, si vires ad scribendum habeat, nomen *hæredis, vel hæredum* in sua subscriptio

ſcriptione, vel in qvacunq; parte teſtamenti ponat, ſin autem forſitan ex morbi acerbitate vel literarum imperitia hoc minimè facere potuerit, teſtibus teſtamenti præſentibus, nomen vel nomina heredis, vel heredum ab eo debent nuncupari, ut omninò ſciant teſtes, qvi ſint ſcripti heredes, & ita certo heredis nomine ſucceſsio procedat. Sed deciſio *h. L.* qvodammodo eſt 4.
mutata, nam permiſit Imperator teſtatori, qvi ipſe ſcribere non poteſt, & alteri teſtamentum dictat, ut poſſit nomen heredis etiam per alium ſcribere, remiſsà neceſſitate palàm nuncupandi nomen heredis, qvia ſcripta teſtamenta aliàs non forent ſecreta, & invidia metuenda eſſet teſtatori vel heredi, qvæ ratio in *Nov. h. cap. 9.* exprimitur; hodie videmus qvotidie teſtamenta, in qui- 5.
bus neq; ipſe teſtator, neq; alius nomen heredis ſcripſit; ſed unô contextu idem, qvi teſtamenti reliqvum contextum ſcripſit, nomen etiam heredis ſcripſit, vel expreſſit, de qva conſvetudine teſtatur Rittersh. *P. 6. Nov. cap. 1. n. 9.* allegatus à Bruunem. *ad Auth. & non obſervato C. de Teſtam.* Si tamen interea heredis 6.
nomen teſtatori ſcribere placet, id qvoqve efficere poteſt, pauciſſimis verbis, vel tribus tantum h. m. *Titius heres eſt. L. 1. §. 3. ff. de hered. Inſtit.* adhibitis, imò aliqvando pauciora verba, qvæqve perſe ſenſum integrum non efficiunt; ſufficiunt in heredis inſtitutione, ſi reliqva ſub intelligi poſſunt. *d. l. 1. §. 5. 6. 7. ff. eod.* imò etiam unicô verbô; Lucius *d. l. 1. §. 5. & L. 7. C. eod.* qvod de nuncupativo teſtamento videtur accipiendum, ubi minus ſcribi contingit, qvàm nuncupatur ut *L. 9. §. & ſeqq. ff. eod.* Debet au- 7.
tem in teſtamento nuncupativo hæredem inſtitutum propriô ore nominare, Michael. Graſſus *Tr. de Succeſſione §. Inſtitut. num. 1.* Dauth. *Tr. de Teſtament. rubr. de hered. Inſt. n. 31.* & etiam verbis expreſſis Idem *cap. 3.* Mantica *de Conject. ult. volunt. lib. 4. Tit. 2. n. 3.* unde ſeqvitur, nutu fieri non poſſe. Menoch. *lib. 4. Praeſ. 19.* 8.
n. 2. Sneidew. *ad §. item ſurdus I. qvibus non eſt permiſſ.* Scotan. *in Exam. Jurit. Tit. de hered. Inſtit. qv. 15.* aliud autem in legatis & fideicommiſſis, qvæ nutu relinqvi poſſunt, cum nec hic tanta deliberatio reqviratur. *L. Nutu 21. ff. de legatis 3.* Conſtat verò ex h. Nov. ut & *pr. Inſt. de emt. vend. & L. 28. C. de Teſtam.* ſubſcribentes contractui, vel teſtamento addere ſolitos manu propriâ

qvam tamen abundantem cautelam meritò dicit Excellent. Dn. Stryk. *de Cautel. Contr. Sect. 1. cap. 6. th. 15.*

CAPUT. X.

De Rebus immob. qvæ locis venerabil. pertinent.

1. ABrogat Imperator Legem priorem in *Nov. 55. Cap. 1.* qvæ non licebat Principi res ab Ecclesia ad se delatas in alios iterum transferre.

Add. Vid. supra dicta ad *Nov. 55. cap. 1.* & ad *Nov. 7. c. 2.*

Cap. XI.

De Lege Falcidia in rebus alienari prohibitis cessante.

1. SI Testator rem immobilem alicui leget; sed eam alienari prohibeat, & in familia legatarii manere præcipiat, Falcidia ex ejusmodi legato detrahi neqvit, qvoniam alienationem ejus testator ipse prohibuit, qvod tamen obtinere saltem vult in casibus nondum judiciali decretô, aut qvolibet modô legitimô decisis.

2. *Add.* Rationem aliam dat Brunnem. *ad Auth. Sed & in ea re C. ad L. Falc.* qvia detractio Falcidiæ sine alienatione vel divisione partis & totius fieri non potest, nam si hæres falcidiam detraheret utiqve pro parte detracta alienatio esset, & ita in hac specie expresse per consequentiam est prohibita detractio falcidiæ, ut & Tre-
3. bellianicæ. Aliàs nunqvam legatario vel fideicommissario qvantumvis universali permissa est deductio *L. 47. ff. ad L. Falcid.* in legato tamen ad pias causas si videlicet pia causa fuerit heres instituta, detrahitur Falcid. à legato piæ causæ facto cum privilegiatus contra privilegiatum utatur jure communi. *L. Sed & milites pr. ff. de Excusat. Tut. L. assiduis vers. in duobus C. qvi pot. in pign. L. scire uni ubi Gl. verbo ad hæredem C. de privil. dot.*

NOV.

NOV. CXX.

De Alienatione, & Emphyteusi, & aliis &c.

CAP. I.

De Alienatione & Emphyteusi rerum Ecclesiæ.

ADministratores Ecclesiæ, vel aliorum locorum vene- 1.
rabilium non possunt vendere aut donare, aut commodare, aut sub alterno dono donare, id est pari donationi remunerando, aut alio qvolibet modô alienare rem immobilem aut civilem annonam, vel rusticum mancipium, nisi ad imperialem solum domum permutatio facta, imò nec de colonis vel adscriptitiis qvid justè debet vendi, donari, vel aliô modô transferri, emphyteuses verò possunt fieri; sed non ultra filios & nepotes, & ne emphyteutæ ultra sextam redituum partem loco canonis qvid remittatur. De competentibus verò pro- 2.
astiis, certos reditus habentibus, juxta illos emphyteusis potest constitui; aliud si ipsa proastia aliqvos omninò habeant reditus, sic enim administratores Ecclesiarum canonem determinare, & juxta illum emphyteusin concedere possunt.

§. 1. Si emphyteusis ab Ecclesia constituta, ea habet 3.
intra biennium potestatem pœnitendi, & rem repetendi, vel emphyteutæ relinqvendi.

§. 2. Si Ecclesia habeat ædificia ruinosa, qvæ repara- 4.
re non possit, ea ipsa in perpetuam emphyteusin dare potest, ubi canon constituendus tertia pars redituum, qvæ ex ædibus adhuc integris percipi poterat, vel dimidietas ejus quantum si refectæ fuerint, ædes inde percipere possint.

5. *Add.* Alienationem bonorum Ecclesiasticorum hic iterum inhibet Imperator, sub qvo alienationis verbo denotatur non tantum actus, qvo plenum dominium in alium transfertur, ut est venditio, donatio, permutatio, institutio, legatum; sed & per qvem dominium utile transit, aut jus in re qværitur, ut pignus, ejusve usus diminuitur, ut ususfructus, locatio in longum tempus *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. alien.* Imò & manumissiones servorum Ecclesiæ utilium alienationis nomine venire patet *ex pr. h. D. c. 3.*
6. *& 4. X. de reb. Eccles.* Emphyteusis tamen, non ultra filios & nepotes constituitur, qvod si ultra hanc generationem permissam constituta, non in totum vitiatur; sed tantùm qvoad generationem superadditam. Mantica *de tacit. & ambig. Convention. lib.*
7. *5. tit. 5. n. 26.* v. *c. 6. §. 1. h. N.* Ratio prohibitæ alienationis est, cum ne contingat Ecclesias bonis spoliatas deseri, dum non est, unde alantur clerici, divino ministerio addicti, tum qvia non sunt domini, sed tantum administratores, & licet cum libera, non tamen ut perdant dispensando, aut aliàs temerè alienando *gl. fin. C. cum*
8. *nobis 19. de Election.* Constituitur qvoq; emphyteusis de Proastiis certos reditus habentibus, ut hic, qvalia Proastia Græce dicuntur suburbana, qvæ pulcherrimè consita à Domino non tam utilitatis, qvàm voluptatis causa habentur. Alciat. *L. 2. c. 4. παρέργ.* &
9. ulterius ex ædibus ruinosis modò hæ non possint ab Ecclesia reædificari, & reparari, qvæ conditio in *h. C. 1.* & inde desumta *Auth. Si qvas ruinas C. de SS. Eccles.* habetur. Possunt igitur ædes ruinosæ vel fundi deserti vineæ incultæ in emphyteusin dari ab Ecclesia, Monasterio, vel Academia, &c. scil. ut vel statim solvat tertiam partem pensionis, qvæ percipi poterat, vel dimidiam à die refectionis, quod notat Brunnem. *add. Auth. inf.*

CAPUT II.

Si quis usus nomine rem Ecclesiæ habere voluerit.

1. SI qvis voluerit, qvamlibet rem immobilem nomine usus accipere à majore Ecclesia, aut alia venerabili domo, non aliter accipiat, nisi mox aliam rem jure dominii

minii præbuerit, tantum habentem reditum, quantum habet res quæ ei datur, nec majoribus fisci præstationib9 gravatam, & ut non transcendat accipientis vitam, qvia hac finitâ utraq; res integra qvoad dominium & usumfructum ad eandem venerabilem domum redeat.

Add. Est hoc C. ejusdem sensus cum *Nov. 7. c. 4.* ubi vide 2.
Conf. *Auth. Hac usus præstatio C. de SS. Eccles.*

CAP. III.

Ut liceat usq; ad 30. annos res Ecclesiasticas locare.

POterunt locationes ab ipsis venerabilibus domib9 fieri 1.
modo non transcendant 30. annorum tempora.

Add. Ita de jure Novell. sed de jure Canon. Res Ecclesiæ ul- 2.
tra triennium locari non possunt *Extravag. Ambitiosè de reb. Eccles. non alien.* qvam tamen apud Romano-Catholicos in usu non esse tradunt Brunnem. *Jure Eccles. lib. 2. c. 15. §. 9.* & Zœs. *ad Jus Canon. Tit. de locat. & cond. n. 8.* nec tamen eo jure valet ad longum temp9, aut ad vitam alicujus, ne contingat fluxu temporis perire memoriam, & Ecclesiam re sua privari, qvô modo Ddr. Juris Canonici *ad tit. de Precar.* Precariam singulis quinquenniis renovan-
dam esse docent. Apud nos usu obtinuit, ut in 9. etiam annos 3.
locari possit & amplius; sed statutis solet caveri, ut pensio nonnunquam augeatur, vel alteruter aut alius conductor adhibeatur, ne de locatione longi temporis aut emphyteusi lis incidat, ut in Saxonia Electorali constitutum refert ex Carpzovio Brunneman.
loc. c. §. 9. Idem beneficium ad minorennes eorumq; prædia exten- 4.
ditur; quæ tutores & curatores non magis ad longum tempus locare, quam alienare posse decisum refert Sande *in decis. Fris. lib. 2. Tit. 9. def. ult.* *An verò Successor stare teneatur locationi Prædecessoris sui* hic quærere solent Ddr. quod N. quando scilicet is no- 5.
mine proprio & in suam utilitatem locavit fructus & reditus dignitatis suæ, beneficii, vel officii nisi in casu, qvo res non esset integra, ut si consiti sint agri, si pendeant fructus, vel inchoatus sit annus. Vallensis *ad Decret. Tit. de Locat. & Condict.* §. 6. vid. Zœs. *d. Tit.*

6. *Tit.* §. *14.* Qvod verò attinet reditus ſpirituales provenientes intra Eccleſiam, oblationes & ſimilia laicis locari non posſunt, licet aliæ res admixtæ ſint, nam eſſet ſimonia. Ex qvo apparet dicit Brunnem. *cit. loc.* §. *8.* pesſimum eſſe mercandi genus, ſi quis reditus ex nummis confesſionariis alteri locet, *wann er den Beichtſtuhl*
7. *verpachtet*, nec enim nummus confesſionarius eſt pretium emtionis venditionis, aut res locari de jure posſibilis; ſed eſt ſignum gratitudinis, prout contra Paræum plurimi Theologorum maſculè defenderunt, rationes v. apud Dedekennum *Vol. 1. Conſil. Eccleſiaſtic. P. 2. ſect. 3.* Fritſch. *in Supplem. Speidel. Beſold. p. 21.* vid. Carpz. *Juriſpr. Conſiſtor. lib. 1. tit. 7. def. 119.*

CAP. IV.

Ut liceat res Eccleſiæ immobiles pignori obligari.

1. SI Eccleſia vel aliud corpus pium ob ſupervenientem necesſitatem pecuniis egere incipiat, liceat ejus adminiſtratoribus immobilem rem aut ſupponere, aut dare in ſpeciale pignus, creditor verò posſideat eam rem, & fructus ejus colligat, eisdemqve tam in ſortem, qvam in uſuras imputet, non autem majores, qvam in qvartam partem centeſimæ i. e. 4. pro 100. & æqvant ſortem 300. menſibus. Si verò ſolverint debitum adminiſtratores, aut ex fructibus adimpleatur creditum, redeat iterum res ad venerabilem domum ex qva data eſt.

2. *Addit.* Hic concedit Imperator rem Eccleſiaſticam etiam ſpeciali pignori dare, qvod antea *Nov. 7. cap. 6.* prohibuerat, & permittit Eccleſiæ bona creditori in antichreſin dari, ut tamen fructus computentur in ſortem prius, & poſtea in uſuras con-
3. tra *L. 1. C. de Solut.* Si verò creditor ita nolit accipere, debent ejusmodi bona Eccleſiæ oppignoranda vendi; ſed præcedente 1. ſubhaſtatione, ut plus licitanti dentur, 2. juramento Abbatis cum conſenſu majoris partis Capituli coram Epiſcopo præſtito, qvo affirmabit, debitum eſſe contractum, & ex mobilibus ſolvi
4. non posſe. 3. Scripturâ interveniente, in qva ſcribatur nihil factum

ctum esse in detrimentum Ecclesiæ. vid. Brunnem. *ad Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* qvæ si fuerint omissa, potest Ecclesia vel repetere & vindicare bona oppignorata à creditore, aut si maluerit, cogere heredem ejus, qvi rem Ecclesiæ obligavit, ut eam redimat, & restituat Ecclesiæ *C. 3. & ibi Gloss. X. de pignor. & aliis caut.* teneriq; hoc casu heredem in solidum ob dolum aut culpam defuncti, qvi oppignoravit, & alienavit, docet Vallens. *ad d. Tit. Decretal. n. 5.* 5.

CAP. V.

De Emphyteusi & Hypotheca rerum Ecclesiæ.

Emphyteuses & hypothecæ ultra qvinqvennium à majore Ecclesia Constantinopol. fieri possunt, conscientia istius civitatis Episcopi & Patriarchæ, jurantibus Oeconomis & Chartulariis ejusdem Ecclesiæ, qvod non ad præscriptionem juris ejus contractus efficiatur. In aliis piis corporibus siqvidem sint Chartularii æqvali modo jurare debent præsente antistite domus venerabilis. Si non adsint Chartularii ab his, qvi præsunt piis corporibus contractus fiat inscriptis cum jurejurando, qvod non ad læsionem aut præscriptionem corporis pii contractus fiat. 1. 2.

§. 1. Oeconomi verò, Orphanotrophi, & reliqvi administratores, nec non Chartularii & parentes eorum, & filii, aliiq; qvi per genus eis, vel nuptiarum jure sunt conjuncti non possunt emphyteusin, & locationes sive hypothecas rerum ipsis domibus competentium aut per se ipsos, aut per interpositam personam accipere, qvod si factum invalidum erit, & integra ipsorum substantia post mortem eorum ipsi Ecclesiæ applicatur, cujus prædium in emphyteusin accipere volebant. 3.

Add. Prohibet §. 1. in oeconomum ejusq; cognatos ne qvidem per interpositam personam alienationes bonorum Ecclesia- 4.

sticorum fieri sub pœna hic proposita, idem in officio, qvod qvis administrat, quod nec per se, nec per aliam personam emere potest, alioqvin non tantum rem amittit; sed & in qvadruplum convenitur. *L. 46. ff. de Contrab. Emt. vend.* Prælatos tamen beneficia in
5. feudari solita ratione conscientiæ teneri magis conferre cognatis si sint idonei, & non adeò potentes, ut Ecclesiæ graves esse qveant, qvàm aliis tradit Brunneman. *ad Auth. Qvibuscunq; C. de SS. Eccles.* quod hodienum observare videntur Pontifices, qvi à multis seculis dant operam ut cognatos suos ad summas promoveant divitias, ut ad regias perveniant opes, Conring. *P. 2. Thes. Rerum-*
6. *publ. de Rep. R. Pontif. th. fin.* Qvod si verò opus habeant pecuniâ pauperes cognati, generaliter ex mutuo Prælati vel Oeconomi, Ecclesia non obligatur, nisi Conventus vel mandatum Capituli interveniat, vel pecunia à Prælato mutuo accepta in rem Ecclesiæ conversa probetur, ubi nihil facit præsumtio; sed Creditor versionem probare debet *arg. L. Civitas 27. ff. de reb. cred.* Andr. Rauchbar. *P. 1. qv. 26.* qua non probata executivè contra Ecclesiam agi neqvit. Mev. *P. 1. dec. 202.* nec hoc casu relevat Creditorem, quod in Instrumento dicatur, pecuniam in rem ejus esse versam.
7. vid. Carpz. *Lib. 2. Resp. 107. v. c. seqvens §. 3.* *Chartularios* quod attinet, de quibus hic fit mentio, dicuntur, *in L. Nulli 10. in f. C. de Numerar. actuar. & chartular. lib. 12.* & *de Canon. largitional. titulor. lib. 10.* qui de cohortalibus officiis uniuscujusq; provinciæ largitionales titulos retractabant, i. e. qui chartas & Codices earum expensionum tractabant, quæ privato Principis ærario illatæ, ma-
8. gna ex parte in largitiones insumebantur vel ut *Gl. h. C.* explicat, quæ explicatio magis hic quadrare videtur, qui scribebant Ecclesiastica acta, & erant de ipsa Ecclesia, & habebant omnia ad manus, melius, quàm alii, priorem explicationem approbat Brunneman. *ad L. 3. C. de Canone largit.* ubi à muneribus personalibus immunes pronunciat, quo muneri suo diligentius incumbere possint.

CAP. VI.

De Rebus aliarum Ecclesiarum extra Civitatem Constantinopol.

Restrin-

REstringit Imperator præcedentia ad venerabilia loca urbis Constantinopolit. circa aliàs verò Ecclesias constituit. 1.

§. 1. I. Ut res suas immobiles non tantum in temporalem; sed & perpetuam dare possint emphyteusin, cum voluntate tamen & consensu Clericorum jurantibus præsentibus Oeconomis & Administratoribus, & Chartulariis qvod ex hac ipsa emphyteusi nullum damnum Ecclesiæ debeat inferri. 2.

II. Si Ptochia sint, aut Xenones, aut Nosocomia, qvæ propriam habent administrationem, cum voluntate majoris partis ibiq; ordinatorum Clericorum, nec non Oeconomi fiat contractus. 3.

III. Qvod si apud Præpositum horum fuerit contractum, jurantibus Ordinatoribus Ecclesiarum in præsentia Episcopi à qvo præponuntur, aut ordinantur, qvod nihil ad læsionem aut præscriptionem Ecclesiarum de hujusmodi contractu efficiatur, itidem subsistit contractus. 4.

§. 2. I. His observatis Canon non minor est constituendus, qvam remissâ sextâ parte redituum rei in Emphyteusin datæ. (vid. *Nov. 7. Cap. 3. §. 1. Auth. perpetua C. de SS. Ecclesf.*) 5.

II. Si venerabilis domus publicis vel aliis debitis sit obnoxia, & ex mobilibus satisfieri neqveat, rem immobilem pignori det, ut creditor fructus inde perceptos sibi in sortem imputet, & in usuras qvadrantes. Si verò creditor ita nolit accipere, consensu majoris partis Cleri adhibitô, & actis desuper confectis illud prædium per 20. dies publicè subhastari, & postea plus offerenti vendi debet, sic tamen, ut præcisè ex pretio satisfiat creditori, alias emptor securus non erit. 6. 7.

III. Emtore nullô repertô res accuratè æstimanda, & decima parte æstimationis eidem superadditâ credito- 8.

ri in ſolutum danda, ut certo dominio poſſideat, ita tamen, ut ordinatores Eccleſiarum, & major pars ipſi deſervientium hujusmodi venditionibus conſentiant.

9. IV. Res immobilis in ſolutum danda, non per electionem creditoris detur; ſed ſecundum æqvitatem, aliud qvidem fructiferarum, aliud poſſeſſionum ſterilium ejusdem Eccleſiæ, & in reditu ejus, & in fiſcali ſolutione, & reliqvæ ordinationis.

10. §. 3. Si qvis Eccleſiæ qvid crediderit, non poteſt repetere, niſi prius probaverit, qvod in utilitates Eccleſiarum profecerint: E. nec ipſe creditor, aut hæredes ejus contra venerabilem domum aliqvam habent actionem, niſi monſtraverint, qvod in venerabilis domus utilitatibus competentibus pecuniæ profecerint; ſed contra mutuas accipientem pecunias aut heredes ejus proprias moveant actiones.

11. *Addit.* Omnes Eccleſiarum opes & facultates in pauperes fuisſe erogatas, nec alium bonorum Eccleſiaſticorum finem fuiſſe & intentionem praxis primitivæ Eccleſiæ probat, nam aurum habebat Eccleſia, non ut ſervaret; ſed ut erogaret, & ſubveniret in neceſſitatibus publicis. Auguſtinus *C. annum 12. qv. 2.* & Apoſtoli ſanè agros & prædia Eccleſiæ oblata omninò alienari & vendi voluerunt, & pretia in uſum miniſtrorum & egenorum diſtri-
12. buerunt. Poſtea verò LL. bona Eccleſiarum alienari prohibuerunt, illæq; latæ pro Eccleſiis contra Clericos, ne ipſi dilapidatis earum bonis, ea vel eorum pretia in fraudem Eccleſiarum ſibi uſurparent. M. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. c. 3. n. 11.* & ipſis Clericis majorum paſſim ordinum cura bonorum Eccleſiaſticorum demandata fuit, ne temere diminuerentur; ſed ipſis integra
13. conſervarentur, qvare cum hic in *Nov. h. c. Nov. 7.* & aliis paſſim locis ſollicitè maximè proſpiciat Imperator, ne ſine juſtis ſolennitatibus & præſcitu eorum, qvi ad id conſtituti, contractus vel actꝰ Eccleſias eorumq; bona concernentes, ſuſcipiantur, inprimis ſecundum §. *2. h. C.* ſexta pars penſionis tantum deminuatur, v. gr. quæ emphyteuſis dabat 60. hujus Canon debebat ſtatui 50. ut compenſe-

pensetur damnum, quod emphyteuta potest sustinere, qvia non sit ipsi remissio mercedis propter sterilitatem. Qvod si Ecclesia 14.
ære alieno sit obruta, nec ex mobilibus satisfieri qveat creditori, qvomodo illi occurrendum sat docet *§. 2. M. 2.* scilicet juxta *M. 3.* res in solutum danda Creditori, qua datâ si integrum æs alienum non absorbeat, suspenditur obligatio, donec ad meliorem fortunam Ecclesia pervenerit, vel donec sibi idoneum emolumentum acqvisiverit, qvô casu iterum convenienda, idoneitate tamen emolumenti judicis arbitrio prius determinata. *L. qvi bonis 6. vers. unde Ergò & L. 7. ff. de Cesfion. bonor.* In hunc qvippe finem benefi- 15.
cii dandi in solutum effectum extendere voluit Imperator, ut ab acerbiore executione omnis debitor, & per conseqvens omni digna favore Ecclesia liberetur. Cum verò & in nomina pariter ut 16.
in immobilia & mobilia fieri possit executio, & illa Ecclesiam creditori in solutum offerre posse non dubito, ita tamen, ut nec omnium optima & maximè exigibilia creditor eligat, sed & ut aliqvas non statim exigibilibus, acquiescat, modò sint vera, qvia de jure verum saltem debitorem præstare necessum habet. Brunneman. *ad L. 4. ff. de hæredit. vel act. v.* sufficit qvoqve tempore cessionis 17.
nomen fuisse idoneum, hinc non nocet Ecclesiæ, si postea debitor inidoneus fiat, nam imputet sibi Creditor, in mora exigendi & passum fuisse debitorem post cessionem labi facultatibus. Brunneman. *Cent. 1. Dec. 72.* In mutuo autem id circa Ecclesiam 18.
hic qvoqve singulare est, quod versionem & creditor, & heredes ejus in utilitatem ejus probare teneantur *arg. L. 27. ff. de reb. cred.* qvod ex variis conjecturis probari potest, qvas recenset Menoch. *de R. J. qv. lib. 2. C. 5. cas. 432.* & satis est, qvod constet, pecuniam semel fuisse versam in Ecclesiæ utilitatem, etsi perpetuo versa non manserit, licet & fortuitò perierit, anteqvam inutilitatem Ecclesiæ verteretur. Idem *n. 40. 41.* Licet qvoq; exceptio N.N. Pec. con- 19.
fessioni mutui opponi possit intra biennium tantum, *L. 14. pr. C. de N. N. p.* Ecclesia tamen perpetuò exceptionem hanc opponit, 20.
Baldus *in Autb. hoc jus porrectum n. 7. C. de SS. Eccles.* nam si versio probanda, utiq; etiam numeratio, cum sine numeratione versio esse non possit. vid. Brunnem. *Jure Eccles. lib. 2. c. 15. th. 27.* si quoque forte pro Ecclesia fœmina fidejussisset, & postea SCt. Velle-

 janum

janum opponeret, ea non audiretur, utpote qvod contra Ecclesiam locum non habet. Mev. *P.3. dec. 85.*

CAP. VII.

De Permutatione rerum Ecclesiasticarum.

1. ECclesiæ exceptâ majori Constantinopolitanâ inter se prædia sua permutare possunt, consentientibus in scriptis aut per depositiones hujusmodi contractui non solum ordinatoribus utriusqve venerabilis domus;
2. sed & ampliore parte in eis deservientium; qvæ verò ab imperiali domo in qvamlibet venerabilem domum pervenerunt, aut postea pervenerint, nullô modô vendi aut pignori supponi, aut permutari, aut omninò alienari concedit, neq; si ad alteras venerabiles domos t...e qvid egerint.

3. §. 1. Prohibet alienationem monasteriorum, & Episcopo licentiam præbet, ea vindicare & in antiqvam figuram reducere. Prædium verò fiscalibus debitis obnoxium, alienare qvovis modô licet, debitis tamen adhibitis solennitatibus. In fine repetitur prohibitio *Cap.5. §.1. h. Nov.* de re Ecclesiæ Oeconomo, vel ejus cognatis non danda in Emphyteusin.

4. *Add.* Spiritualium cum spiritualibus, & beneficiorum cum beneficiis permutatio licita est autoritate Superioris, qvia licet beneficiati de suorum beneficiorum permutatione facienda agere & tractare qveant, ipsam tamen permutationem privata autoritate facere aut concludere neqveunt, qvia talis permutatio semper labem simoniæ continet, & proinde uterq; beneficio suo permutatô privari potest, *C.5. & C. cum olim X. de rer. permutat.* qvæ etiam in Ecclesiis permutantibus procedunt, modò consen-
5. tiant illi, qvi consentire debent; Non tamen rectè permutatur beneficium cum alio jure spirituali, ut patronatus, decimarum, qvia licet hæc aliqvatenus sint spiritualia, diversi tamen ordinis à bene-

à beneficiis, ut non posſit videri eorum inter ſe permutatio lici- 6.
ta. Azor. *Inſtit. Moral. lib. 7. P. 2. cap. 29. qv. 22.* nec impedit permutationem exſpectativa gratia per Pontificem alicui concesſa, *c. 1. de Reſcr. in 6to.* cum permutans jure ſuo utatur, & exſpectativa competat ad ea, qvæ liberè vacant, adeò, ut vacans ex cauſa permutationis neutiqvam veniat conferendum illi, cui concesſa gratia; ſed illi in cujus gratiam facta reſignatio ex cauſa 7.
iſta. Id hic qværi adhuc meretur, *An in permutatione prædiorum Eccleſiaſticorum habeat locum L. 2. C. de Reſcr. Vend.* qvod regulariter N. nam in iis qvæ ſpiritualia ſunt, non habetur ratio æſtimationis, imò non poteſt defectus unius beneficii ſuppleri per pecuniam aut penſionem, ſiqvidem vera ſimonia committeretur, dato aliqvô temporali in compenſationem rei ſpiritualis ſeu defectus redituum alterius beneficii, nec pro contraria ſententia 8.
facit, in qvam inclinare videtur Pinell. *add. l. 2. P. 1. cap. 3. n. 214.* qvod enim ibi compenſatio per pretium admittatur, eſt, qvia agitur, non de Eccleſiarum permutatione, ut ſunt beneficia; ſed qvoad proprietatem, in qva qvatenus unius posſesſiones præponderant, refuſio qvantitatis licita, citra ullum vitium ad ſervandam æqvalitatem. Conſtat igitur, certô modo alienationem 9.
rerum Eccleſiaſticarum fieri posſe, ea prædia hic excipit Imperator, qvæ à munificentia ejus in Eccleſiam pervenerunt, qvæ nullô modo vendi, permutari, aut alienari concedit, nec enim leve donarium Eccleſiis offerre velle Imperator præſumitur, qvod nec in aliorum poteſtatem, qvi tali forte indigni, mox perveni- 10.
re vult, facit, qvod Imperator continuari videatur, in cujus memoriam non asſervatur, qvod ſemel SS. Eccleſiis Sacrum eſſe voluit, qvo pertinet exemplum Regis Galliarum Franciſci I. licet disſimili in caſu, cum enim aliqvando Friderico II. Comiti Palatino, à venatione reduci facto, & à pluvia madido, Rex penulam ſuam ingentis pretii donasſet, ille Abbati de Kröningen eandem iterum donavit, qvi eam proximo die poſt, ex qvo è Gallia abiit in publico foro venalem miſit, qvæ res malè ipſum Regem habuisſe fertur, teſte Huberto Thoma Leodio *lib. 7. Annalium.* atq; hic eſt unus ex 5. caſibus qvos *Gloſſ.* refert, qvo Eccleſia nullo modo alienare poteſt,

§. 1. Mo-

11. §. 1. Monasteriorum alienationem absolutè prohibet, ne revertantur in antiqvum statum secularem, per *Auth. multò magis C. de SS. Eccles.* ex hoc textu desumptam, & cum Ecclesiæ non sit proficuum, ejusmodi habere prædia, ex qvibus tributum fisco, vel census Magistratui solvendus, hanc justam esse permutationis causam tradit, *Auth. item prædium C. eod.*

CAPUT. VIII.

Si Emphyteuta Ecclesiæ per biennium in solvendo Canone cessaverit.

1. SI Conductor vel Emphyteuta rei Ecclesiasticæ eandem deterioraverit, vel Canonem intra biennium non solverit, potest Ecclesia non solum præteriti temporis Canonem, & damni restitutionem petere; sed & dejicere Emphyteutam, nulla huic de emponematis i. e. meliorationibus actione concessa; si verò dejicere eundem Ecclesia nolit, damni tamen restitutionem, & Canonis solutionem petere potest.

2. *Add.* Quadruplex pœna emphyteutæ intra biennium canonem non solventi imponitur 1. Cadit jure suo, 2. totius temporis præteriti pensionem solvit, 3. damnum resarcit, nec 4. meliorationes repetit.
3. Non verò privatur emphyteuta emphyteusi ob non solutum Canonem, si Dominus ipsius fuerit debitor, vel hoc etiam casu Ecclesia, vid. Guido Pap. *decis. 171. n. 5.* Treutl. *vol. 1. D. 25. th. 11. in fin.* compensatio enim locum habet in omnibus debitis mutuis *L. 2. ff. L. 4. C. de Compens.* Ergò etiam in Canone emphyteutico, cum is non reperiatur exceptus, in nonnullis tamen locis solutione naturali opus esse docet Christin. *Vol. 3. decis. 40.*
4. *num. 1.* Potest tamen & emphyteuta solvendo canonem post tempus elapsum ante factam Domini declarationem moram purgare Wissenb. *ad ff. Si ager vectigalis. th. 36.* quod præjudicio Facultatis JCtorum Helmstad. in emphyteusi Ecclesiastica probat Hahn. *ad Wesenb. d. t. N. 3.* verb: *Es können euch jedoch diese Länderey hierumb nicht genommen werden, &c. sondern ihr habet* hac celeri satisfactione *in dieser* Ecclesiastica Emphytheusi moram *purgiret.*

Idem

Idem in locatione si Colonus vel conductor pensionem non solvat *L. ade 3. C. loc.* & in Colonario, qui habet *das Meyer-Recht*, Mev. 5.
P. 5. dec. 348. qvem allegat Brunnem. *ad Auth. Qui rem C. de SS. Eccles.*

CAP. IX.

Ut liceat pro redemptione captivorum res immobiles Ecclesiæ alienare.

I. Ecclesia res suas in redemptionem captivorum alienare potest, modo alienatio certæ rei ei non sit interdicta, & habet Ecclesia Hierosolymitana licentiam res extra civitatem sitas vendere, non minori pretio, qvam de pensionibus ejus in L. annis colligitur, ut ex earum pretio reditus meliores emat. 1.

II. Si qvis Ecclesiæ sive in civitate, sive in provinciis steriles possessiones donaverit, vendiderit, alio modo concesserit, aut in testamento reliqverit, pro talibus rebus nullam læsionem venerabilis domus sustinebit, aut fiscalium nomine, aut alterius cujuslibet causæ gratia debet prægravari; sed possessiones in dantes & eorum heredes recurrant, & restituant de propria facultate omne damnum, qvod ex hujusmodi occasione ei contigerit. Qvod si talis in re dolus subsecutus est, & pecuniæ Ecclesiæ datæ, illas Ecclesiæ in proprium lucrum habebunt; sed steriles danti & ejus heredibus debent restitui. 2. 3.

§. 1. Nec potest Ecclesia numeratam habens pecuniam cogi, ut prædia sibi comparet. *Ratio* ne inveniantur per hanc occasionem pecunias perdere, aut eas debitis obnoxias reddere. 4.

In fine subjicit Imperator de contractu precariæ, de qva Imperator agit supra *Nov. 7. Cap. 4.*

Add. Cum captivi aliunde redimi neqveunt, aut pauperibus alimenta præstari aliter non possunt, bona Ecclesiastica alienari possunt, sunt enim animæ hominum pretiosiores auro & argen- 5.

argento, ut earum ſervandarum nomine qvævis aurea argenteave ornamenta licite diſtrahantur *C. Sacrorum 15. & C. aurum 70. c. 12.*
6. *qv. 2.* Si tamen Eccleſia res habeat, quarum alienatio certô pactô prohibita, illi pacto eſt omninò ſtandum *L. fin. C. de reb. alien. non alien.* Res verò infrugiferas ut prædia ſaxea ſabuloſa & ſterilia non vult donari Eccleſiæ, ut enim utar verbis Poëtæ *lib. 2. Georg.*

- - jejuna qvidem clivoſi glarea ruris
Vix humiles apibus caſias, roremq; miniſtrat;
Salſa autem tellus, & qva perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec manſveſcit arando,
Nec Baccho genus aut pomis ſua nomina ſervat.

7. Et cum olim hircum caprum integrum & immaculatum, & ovem integram pro ſacrificio peccati offerri ſibi voluerit juſtisſimus Deus, *Levit. IV. 23. 32.* vid. Frantzii *Schola Sacrificiorum,* & Azor. *Inſtit. moral. l. 6. c. 41. de Sacerdot. Levit. & c. 42. de veſtib. Sacerdot.* qvomodo adhuc Deo Domino placeret, ſi ſqvalidâ ſiccitate regionem, non hominem, non frugem alentem, & ſic ſedem inamœnam, in-
8. cultam, infrugiferam, & aſperam offeret? cujusmodi terram ſi Eccleſia ad culturam redigere parat, ſed laterem lavat, meritò in priſtinos posſesſores, & eorum heredes recurrat, ut reſtituant de propria facultate omne damnum, qvod ex hujusmodi occaſione contigit, perinde enim eſt nihil dare, atq; aliqvid qvod nullam affert utilitatem, & ſi Eccleſiæ qvid donatur, omninò eqvi donati dentes ſunt inſpiciendi, contra illud qvod in materia Ædilitii Edicto proferri aliàs ſolet.

CAP. X.

De Sacris vaſis Eccleſiæ cujusqve vel Oratorii.

1. VAſa Sacra Sanctisſimæ Eccleſiæ majoris, aut domus oratoriæ non aliter vendantur, aut ſupponantur, niſi pro captivorum redemptione. Si plura ſint vaſa in aliqva Eccleſiarum, nullum necesſarium uſum facientia, illasq; aggravari debitis contingat, nec aliæ res ſint, de qvibus debita reddantur Domino, posſunt vaſa Eccleſiaſtica

ſtica ſuperflua aliis Eccleſiis vendi aut conflari, & eorum pretium in debitum præberi, ne res immobiles alienentur.

Addit. Procedit & hoc C. in rerum Eccleſiæ alienatione, qvam 2.
ponit *Necesſitas* aut qvia Eccleſia ære alieno gravata, non poteſt aliter exonerari, *C. Ea enim, §. hoc jus 10. qv. 2.* ita tamen, ut & hic ſolennitates interveniant, niſi pœnis velit ſubjici ille, qvi prædia Eccleſiæ diſtrahit; Et licet qvidem alienatio ſit ex juſta cauſa, ſine tamen decreto & approbatione Superioris facta, ſaltem in foro exteriori, alienatio nullius eſt momenti, quia deeſt forma reqviſiti, qvæ dat eſſe rei Zœſ. *ad π. de reb. alien. n. 16.* Qvando verò hic 3.
dicitur, Vaſa Eccleſiæ integra ne qvidem ob necesſitatem eſſe vendenda notandum, ea prius deſtruenda & conflanda eſſe, qvo caſu non ſunt amplius ſacra, & ita non ipſa vaſa Laicis; ſed eorum materiam conflatam eſſe venditam. Brunnem. *ad Auth. Præterea C. de SS. Eccleſ.* nec enim vel mobilia vel immobilia Eccleſiarum bona 4.
temerè vel ſine cauſa alienari debent, prout jam ſupra Nov. 7. & alibi pasſim fuit dictum, itidem de pœnis hunc in finem, tam de jure Civili qvàm Canonico in alienantes & accipientes conſtitutis. *v. L. 14. cum Auth. Hoc jus porrectum C. de SS. Eccleſ. C. 52. C. 12. qv. 2. C. indigere 21. C. 12. qv. 2. C. 6. X. de reb. Eccleſ. non alien.* Moribus no- 5.
ſtris ejusmodi alienatio nulla eſt, ita tamen, ut qui fraudulenter in præjudicium Eccleſiæ aliqvid gesſit, pœna inſuper pro ratione circumſtantiarum arbitraria teneatur, Eccleſiæ qvoq; bona nulliter alienata cum omni cauſa & fructibus perceptis repetere pos- 6.
ſit. Huc faciunt verba expresſa Sereniſſ. Elect. Saxoniæ *in Decr. Synod. de An. 1624. §. Wie es aber in verbis: Bey Straff der unvermeidlichen Casſirung und Auffhebung aller Contracte, die in ſolchen Fällen nulliter, und zuwieder unſerm Geboth gemachet worden*; i. e. ſub pœna casſationis contractus, qvi in ejusmodi caſibus nulliter, & contra Edictum noſtrum fiunt. Et reqviritur circa alienationem 7.
præter Epiſcop. conſenſum, etiam Patroni, & Parochianorum conſenſus, vel eorum Deputatorum. vid. Carpzov. *lib. 2. Juriſpr. Conſiſtor. def. 316.* & Ordinatio Eccleſ. Elector. Saxon. *art. gener. 35. ſub rubr. Von denen Kirch-Vätern oder Vorſtehern der Gemeinen Kaſten, und derſelben Rechnungen*, ubi multa ſingularia huc facientia pro- 8.
Eeeee 2 ponun-

ponuntur, non hic jam dicamus de provida & ſolerta diſpenſatione bonorum Eccleſiaſticorum mobilium, qvæ partim in ærario adhuc ſunt, elocandis prudenter, nec de iis, qvæ jam à piis Chriſtianis in ornamentum Eccleſiarum ſunt conceſſa temere in profanos uſus collocandis, ut vel Creditoribus, vel aliorum neceſſitati inde ſuccurratur, de qvibus jam abunde egit Carpzov. *Juriſpr. d. l.* & Brunnem. *Jure Eccleſ. lib. 2.*

CAP. XI.

Qvibus pœnis ſubjiciuntur, qvi præſentem conſtitutionem violaverint.

1. I. QVi contrahunt cum Eccleſia contra vel præter formam hujus Conſtitutionis, reddant illam rem Eccleſiæ cum medii temporis fructibus, apud Eccleſiam verò maneat pretium, aut antidotum, qvod remunerationis gratia datum eſt, aut qvod pro permutatione, aut alia qvalibet occaſione.

2. II. Si emphyteuſis in contractum deducta, ſive Eccleſiæ, ſive aliis venerabilibus domibus vel locis eadem reddenda, & canon juxta qvem placitum eſt dare, debet præſtari ſecundum virtutem emphyteuticalium inſtrumentorum. Idem ſi donota ſit res Eccleſiæ, qvæ debet reddi cum fructibus medii temporis, & altero tanto, qvan-
3. tum valebat res ipſa. Si verò contra hæc hypothecæ dentur, creditor, qvod ei debetur, perdat, & res venerabili loco detur, tabellionibus Eccleſiæ cauſa prohibitum inſtrumentum conficientibus perpetuo exilio condemnandis.

4. III. Omnia qvæ contra antiqvas LL. ſancita ſunt, revocat & vult, ut res contra virtutem earum datæ, Eccleſiis reddantur, & de cœtero ſecundum præſentem Legem omnia fieri diſponit, vacantibus poſthac aliis Conſtitutionibus, qvæ ſuper talibus caſibus dudum ſunt locutæ.

Addit. Conf. ad hoc Cap. Brunnem. *ad Auth. Qvi res C. de SS. Eccleſ.*

NOV.

NOV. CXXI.

Ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur.

CAP. I.

Usuras ultra duplum non deberi.

CAsus Legis hic est; Demetrius Artemidoro per causam mutui 500. aureos debuit, in qvam usuras qvoqve stipulatus est, usurarum verò nomine primum persolvit 867. deinde 72. & deniqve 10. ut inde colligatur nongentorum qvadraginta novem aureorum summa; cum igitur judex in animo hæc non revolverit, qvod scil. totius accusationes eadem causa esset, voluit in sexingentos aureos sortis debitorem condemnari, petiit igitur, ut hac necessitate liberaretur, & collectô universô debitô qvingentorum 5. adhuc solveret, qvi reliqvi essent ad 1000. solidos, sic universo debito liberaretur, & fœneratitiam 600. aureorum syngrapham reciperet. 1. 2.

Addit. Ex qvo usuræ ad summam sortis excreverunt, ex procedere desinunt, neq; supra duplum exigi possunt, i. e. alterum tantum sorte amplius *L. pen. C. de. Usur.* Cumq; Antoninus Imperator statuisset, usuras diversis temporibus solutas non proficere reo seu debitori ad dupli computationem, & tunc solum ultra sortis summam usuras non exigi, qvoties tempore solutionis summa usurarum excedit sortis computationem, *L. 10. C. eod.* Justiniano visum est indistinctè usurarum solutiones, qvæ fiunt per partes diversis temporibus coacervari, & in duplum computari *h. Nov. & Nov. 138.* Excipit alio locô annuos reditus, qvi duplum sortis excedere possunt. *Nov. 160.* modò reditus consistunt in fructibus, in qvibus excessus aliqvis toleratur ob incertum fructuum proventum incertamq; æstimationem. vid. Excell. Dn. Stryk. *de Cautel. Contr. Sect. 2. cap. 8. §. 14.* Cessat autem prohibitio si debitor *huic Nov.* renunciavit Tabor. *de alt. t. P. 2. Art. 2. n. 12.* 3. 4. 5.

n. 12. & 2. si tutor usuras exegit *L. 7. §. 12. ff. de per. & admin. tut.* & 3. si fidejussor actione mandati à Principali exigit usurarum à se solutarum usuras, qvas & alias exceptiones recenset Brunn.
6. *ad L. 26. ff. de Usur.* ubi *n. 13.* dicit, & hic in Marchia usuras ultra alterum tantum exigi, qva occasione hic qværi potest, *An status Imperii in suis provinciis, ut 6. in 100. solvantur, permittere, & ita imperii Constitutionibus derogari possint?* Qvod N. Dn. Eberhard. Fabric. ad Gail. *lib. 2. Observ. 7.* cum Recessus Imperii valeant in vim contractus, & certô respectu in vim Legis, cæterum qvod pace tanti viri dixerim, cum compages imperii eô ipsô non solvatur, qvod alibi plus, alibi minus in imperio usurarum nomine sol-
7. vatur, & pro ratione hujus vel alterius territorii, modo hoc modo illud justum deputetur, unum vel alterum statum, plus vel minus usurarum nomine imponere posse, non dubitem, qvod praxis Marchiæ Brandenb. satis hactenus evicit. vid. Köppen. *Decis. qv. 22.* & in Electoratu Coloniensi publico Edicto permissum fuisse, probat Casp. Klock. *Tom. 2. Cons. 140. num. 138.* allegatus ab Fabric. *cit. loco.*

CAP. II.

De Usuris, ultra alterum tantum.

1. SAncit Imperator, ne usuræ ultra *alterum tantum* currant; sed ut cessent, si qvantitatem sortis æqvaverint, etiamsi particulariter sint solutæ.

2. *Addit.* Non solum in mutuo; sed in aliis qvoqve contractibus usuræ usq; ad alterum tantum solutæ cessant, nec eorum nomine qvid exigere licet. *L. ut nullô modô 28. C. de Usur.* nam uti accessio accessionis non est, sic nec commodi commodum, nec mercedis merces, nec deniq; pœnæ pœna esse potest. Dn. Coc-
3. cejus *Dissert. de Anatoc. Sect. 1. Diss. 19.* cumq; pariter & Civili, & Canonico juri omnis usurarius contractus tantopere sit detestabilis, ut usura animas devorare, & facultates exhaurire dicatur, *c. 1. X. de Usur. in 6to.* sanè & Judæis inter Christianos degentibus illa nimia usurarum exactio deberet esse prohibita; Cæterum majores ipsis concedit Hering. *de Fidejussor. cap. 30. n. 37. seqq.* ex ratione,

ratione, qvod ipsis non permittatur immobilia habere, aut di- 4.
gnitatibus vel officiis præesse, qvale privilegium à Carolo V. Imperatore, & fratre ejus Divo Ferdinando I. habere putantur, qvod ipsum postea sanctione Imperii Romano-Germanici permissum esse, satis liqvet ex Rec. Imp. *de Anno 1551. Francofurti*
promulgato *Tit. 20. von Juden.* Ita hodiè non sustinetur mun- 5.
dus nec regitur absq; usuris, cum charitas proximi refriguerit, & dilectio si mortua. Adeò habent LL. & mores ævum & fatum suum, ut qvod qvandoq; inhonestum visum est, deinde honestè fieri putetur vid. Meisner. *P. 3. Philosoph. Sobr. c. 6.* Heig.
P. 2. qv. 1. n. 10. Speckh. *C. 2. Clasf. 1. qv. 16. n. 24.* In usuris tamen 6.
autoritate rei judicatæ debitis usuras ultra alterum tantum admitti tradunt Illustr. Dn. de Rhetz. *Jur. Public. Lib. 3. Tit. 3. §. 5.* Berlich. *P. 1. Dec. 30.* qvando nempe debitor, qvi jam antea usuras usq; ad alterum tantum solvit, per sententiam ad solvendum condemnatus solutionem sortis retardavit. vid. Finckelth. *Obs. 40.*
Cumq; paulo supra dictum, nec accesfionis accesfionem, nec 7.
commodi esse commodum, ita nec alterius est interesse, nec hoc minus & usuras usurarum exigere est concesfum, etiam mercatoribus, nam interesse sive fructus non minus sunt accesfiones,
ut ipsæ usuræ. Carpzov. *P. 2. Const. 30. def. 29.* cum enim juxta 8.
mentem aliqvot Doctorum usuræ non ut usuræ; sed interesse debeantur, *argt. Recesf. Deputat. de An. 1600. §. so viel nun.* Richter. *P. 2. Dec. 74.* Berlich. *P. 2. Concl. 38. n. 8. verf. ideoq;* jam tum fraus Legi esset adinventa & semper sub nomine interesse usurarum usuræ peti posfent, qvamvis falli eos, qvi hodie usuras ut interesse exigi putant, doceat Carpzov. *lib. 4. Resp. 50.* C. A. *lib. 22. tit. 1. th. 24. n. 4.* & imprimis Tabor. *Tr. de Alt. T. P. 2. Art. 5. n. 3. 4. 5.*
vid. Hug. Donell. *in pecul. Tr. de Usuris cap. 4.* Distingvit circa 9.
hanc Qv. *an ultra alterum tantum usuræ plures peti posfint?* ita Finckelthaus. *Observ. 40. Aut creditor non exigit qvotannis usuras,* qvà ejus negligentia tandem ad alterum tantum usq; excreverunt, & ita sortem exæqvarunt, & tunc usuræ ultra alterum tantum peti neqveunt, qvia imputandum videtur creditori, qvod tam-
diu cesfaverit. Aut creditor percepit usuras qvotannis, vel si 10.
non percepit, debitorem tamen moram ex mora nectentem diligenter

ligenter interpellavit, & sic qvamdiu durat mutuum, tamdiu præstandæ sunt usuræ, licet ad 100. vel 1000. annos duraret obligatio: qvam sententiam ibi *n.9.* per tres rationes probat, & *n.17. seqq.* aliqvot præjudiciis Curiæ Electoralis supremæ Lipsiæ Facultatis Jurid. Lips. Scabinorum Jenens. & Hallens. confirmat.

NOV. CXXII.

Edictum Pientiss. Dn. Justin.

De

Formula Artificum.

1. IN hac Nov. qvam Cujacius ex Codice Regio inscribit *de dispositione Artificum* imponit frenum Imperator omnibus artificibus, agricolis, nautis & negotiatoribus, qvi omnes impulsi avaritiâ & lucri cupiditate inexplebili pretia rerum & mercedes in immensum auxerant, adeò, ut jam duplicia & triplicia exigerent. Constituit igitur

CAP. I.

2. NE qvis in posterum cujuscunqve disciplinæ aut artis magister, qvaliscunq; etiam negotiationis negotiator, qvaliscunqve demum agriculturæ agricola plus pretii mercedisve nomine exigat, qvam vetus consvetudo ferat, mensores itidem ædificiorum, colendæ terræ, aliorumq; onerum, nihil amplius onerariis imputent, & antiqvam illis consvetudinem conservent.

3. Et hanc Constitutionem ampliat & extendit ad omnes eos, qvi qvaliacunqve opera demandant, & aliqva redimunt, pœnâ adjectâ, ut si qvid amplius reqvirant, triplicem qvantitatem in fiscum inferre cogantur.

4. *Addit.* Omnibus votis esset optandum, hanc utilissimam Imperatoris constitutionem in civitatibus nostris à Magistratibus strictè observari, nec permitti artificibus & aliis operariis pretia laborum & operarum manuum exaggerare, & pro lubitu determiare

terminare, qvin penitus debent prohiberi inter ſe pacta componere contra inſtituta civitatis, & pœnæ imponi non tantum collegiatis artificibus; ſed & profesſorum primatibus, qvi ſubjectis ſibi artificibus ejusmodi qvid concesſerunt. Hinc ſtatuit Carolus V. Imperator in Conſtitution. Bruxellis editis, ne Civitates, 5.
Communitatis, Collegia mercatorum, aut Conſulum, aut artificum aut confratriæ conſtituerent, aut conderent edicta, vel ordinationes ad monopolia pertinentes, & revocavit jam factas ac ſimiles concesſas nullas atq; irritas declarans. Inprimis eò ſpe- 6.
ctat, ſi ſtatuant, ne qvod unus cœpit, alteri perficere liceat, potius unicuiq; qvod ab altero inchoatum eſt, ſine timore aliqvo diſpendii perficere licet, *L. un. C. de Monopol.* Igitur in Gallia 7.
qvoqve ejusmodi ſtatuta reprobari, teſtatur Pet. Rebuff. *ad Conſtitut. Regni Gall. Tr. de Magiſtr. artific. lib. 2. Art. 4. Gl. 2. num. 18.* vid. Zorer. *P. 2. qv. 18. n. 4059. Barboſa Locupl. lib. 14. cap. 39. ax. 4. 5.* ubi elegans caſus de Ephippiariis & Frænariis, ex Berlichio *Dec. 26. n. 1. ſeqq. per tot.* Ad exemplum dicti Glorioſisſimi Im- 8.
peratoris in artificia totius territorii & civitatum vigilem bonus Princeps intendit oculum, & providet, ne cariſtia irrepat, vel invaleſcente ea ita regioni proſpiciatur, ne ſubjecti plus æqvo graventur, aut præ fame tabeſcere prorſus necesſum habeant, nam ſi patri liberis & familiæ de necesſario victu proſpicere incumbit, qvantò magis id Magiſtratui communi omnium paren- 9.
ti, qvi ſubjectis ſuis recte proſpicit 1. *Diatam præſcribendo. 2 Dardanarios coërcendo & puniendo*, qvo genere hominum nihil fraudulentius, nihil iniqvius fuit, & ideo variis pœnis fraudes, calliditates, & ſtellionatus eorum pasſim puniuntur, ut relegatione, fuſtigatione, ultimo ſuppliciô, qvo modô verò pluribus proſeqvitur Excell. Dn. Stryk. *Diſ. de Dardanar. Vol. 1. c. fin.* Nam ſanè, 10.
uti Reipub. non tantum utile; ſed & lucrificum eſt, exqviſitos numerare artifices & mercatores, qvi egregiis importatis mercibus ad florem & inſigne incrementum promovent, prout Dn. Lanſius *in Orat. de German.* refert hac in re unam civitatem præ alia in Germania aliqvid præcipui habere, ita æruſcatores, dardanarii, & ſimile genus hominum annonam attemptans, lacerans, & divexans, inprimis verò & propolæ procul à civitate eli-

minandi & expellendi, qvippe à qvibus interitus & exitium Re-
11. buspublicis sæpe numerô imminere consvevit. vid. Hippolyt. à Collib. *de Incrementis urbium p. 194. 195. vom Verkauff an Weine.* & D. Becher. *Von Auff- und Abnehmen der Städte, in seinem Politischen Discurs p. 110. seqq.* Conf. & hic Autor eruditiss. *Delitiarum Biblic. P. de Anno 1695. p. 9. 10.*

Nov. CXXIII.

De Sanctiss. Episcopis amabilibus, & Reverendissimis Clericis & Monachis.

CAP. I.

De Ordinatione Episcoporum.

1. DEscribitur forma eligendi Episcopum, scil. Clerici & Primates Civitatis in tribus Personis decreta faciant propositis SS. Evangeliis, dicentes, *periculô suarum animarum, qvod neq; propter aliqvam donationem, neq; propter aliqvam promissionem, aut amicitiam, aut aliam qvamlibet causam: sed scientes eos rectæ & Catholicæ fidei, & honestæ esse vitæ, & literas nosse, qvos elegerunt, nec uxorem, nec filios aliqvos eorum habere, nec Concubinam aut filios naturales cognoscere eos habuisse, aut habere,* &c. vid. textus, & suprà *Nov. 6. cap. 1.*

2. §. 1. Hoc qvoqve decretis oportet inseri, qvod non minus qvàm 35. ætatis annos habeat eligendus Episcopus, ut ex trium personarum pro qvibus decreta facta sunt melior ordinetur electione & periculo ordinantis. Curialem verò vel officialem 15. annis in monasterio conversatum esse oportet, qvi ad Episcopatum provocatus, liber est propriâ fortunâ, ita tamen ut â Curia liberatus, qvartam partem suæ substantiæ sibi retineat, reliqvis ej9 rebus Curiæ & Fisco vindicandis.

§. 2.

§. 2. Poteſt & laicus cum aliis duobus clericis aut 3.
monachis eligi Epiſcopus, ſic tamen, ut ſi laicus eligatur, non repente Epiſcopus ordinatur; ſed primum clericis, non minus tribus menſibus connumeretur, & ita ſanctas regulas, & quotidianum Eccleſiæ miniſterium edoctus, Epiſcopus ordinetur, qvi enim alios debet docere poſt ordinationem ab aliis doceri non debet. Si non 4.
inveniantur tres perſonæ ad electionem oportunæ, poteſt & in duabus & in una perſona decretum fieri, ſic tamen ut omnes teſtationem ab Imperatore habeant, & qvidem intra ſemeſtre temporis ſpatium, in ſecus facientes pœna ſubjungitur.

Addit. Sanè cum regimen animarum ars artium ſit, ad id 5.
homines in moribꝰ & doctrinâ Infantes non ſufficere, nec affectu magis; ſed judicio potius eligi debere ab iis, qvi Deum magnopere, & Eccleſiam univerſalem curant, ſatis conſtat, & jam ſuperiori ſeculo Georgius Wicelius de religionis negotio ſententiam ſuam DD. Imperatoribus Ferdinando I. & Maximil. II. ad mandatum exponens, elegantibus verbis propoſuit, qvalia allegat Ziegler. *ad Lancellott. lib. 1. Tit. 7. §. 9.* Supra qvoqve virtutes & qvalitates Epiſcopi allegavit Imperator *Nov. 6. c. 1.* ubi *Addit.*

Ad §. 1. De Jure Canonico qvi ad Epiſcopalem dignitatem 6.
promovendus eſt, annos natus eſſe debet non minus 30. *C. cum in cunctis X. de Elect.* Zœſ. *ad decret. tit. de ætate & qualitate &c. n. 3.* cum ea ætate Dominum & baptizatum eſſe, & concionatum fuiſſe conſtet. *C. Presbyter D. 78.* Sed terminum hunc apud nos non 7.
obſervari certum eſt, nec enim vel CHRISTUS exemplo ſuo nobis regulam neceſſariam præſcribere voluit, nec Apoſtolus formam miniſtris eligendis præſcribendo, annorum numerum determinavit, quod tamen in Diaconiſſis fecit *1. Tim. V. 9.* vid. Dn. D. Stryk. *addit. ad Jus Eccleſ. lib. 1. c. 5. §. 11.* Interim, ut Ignatius 8.
Epiſt. ad Magnes. ſcriptum reliqvit; *nec contemnenda eſt Epiſcopi juventus, ſed ſecundum voluntatem Dei Patris, omnis reverentia ei tribuenda eſt, qvemadmodum facere novi Sanctos Presbyteros, non reſpicientes*

entes adeam, qva apparet, juventutem; sed ad prudentiam, qvam in DEO habent, qvandoquidem annosi continuo sapientes non sunt, nec senes possident intelligentiam, sed spiritus, qvi in hominibus est.
9. Nec nova sunt Exempla, & in ætate juvenili ob insignem scientiam, qvæ inhabitavit eos ad ardua negotia feliciter fuisse admotos, prout hic Francofurti celebratur exemplum Jacobi Segeri p.m. Ecclesiastis ad ædem, ut vocant superiorem, qvi 23. ætatis anno lingvarum fere omnium Orientalium peritus, & in lectionibus Patrum ad miraculum usq; versatus, prædicans Sacerdotis munere felicissimè fuit functus, licet tamen ad maturam vel similem ætatem non pervenerit, adeò verum est illud Bernhardi *Epist. ad*
10. *Theobald. militem; nos multos videre juniorum super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora prævenire meritis, & qvod deest ætati virtutibus compensare*, qvia juxta Apostolum, ne quis contemnat adolescentiam bonæ indolis, senectus venerabilis non ex numerô annorum; sed magis merito morum computanda.

11. *Ad* §. 2. Potest tamen & laicus in Episcopum eligi, modo tamen sanctas regulas & qvotidianum Ecclesiæ ministerium sit edoctus, alias enim Jure Canonico laicos excludi constat ex *D. 61. pr. C. 1. 3. & 51. X. de Elect. & electi pot.* apud nos hodie laici non
12. tam eliguntur, qvam postulantur, licet & de Jure Canon. Postulatio modus legitimus ad Episcopatum perveniendi sit *t. t. X. de Postulat. Prælator.* cum scil. assumitur in Episcopum, qvi ob defectum aliqvem eligi non potest, v. g. si sit minor 30. annis, aut laicus, aut jam aliud habeat beneficium. Ungep. *ad decret. de postul. Prælat. n. 7.* Corvin. *Jur. Canon. lib. 1. tit. 4.* Debet autem postula-
13. tus Episcopus duas tertias votorum habere, electus verò unam tantum tertiam, ut si 24. eligentes essent, sufficerent electo 8. vota, Postulato verò ne qvidem 12. cum duas tertias completas non habeat, qvod & ante annos 8. observatum, cum Sereniss. & Illustrissimus Dux JOSEPHUS CLEMENS per 11. vota canonicè
14. in Electorem Coloniensem esset electus, è contra Eminentissimus Cardinalis de Fürstenberg per 13. vota esset postulatus, prout constat ex literis Dn. Dn. Capitularium eligentium Archi-Capituli Coloniensis, datis ad Legatum Serenisf. Dn. Electoris Bavariæ, adjunctis libro pro communi conscripto An. 1689. sub Titulo JUSTITIA TRIUMPHANS fermè sub finem.

CAP

CAP. II.

De Accuſatoribus Epiſcoporum.

I. ACcuſatus ab aliqvo Epiſcopus de iis, qvæ ſecundum LL. aut Canones ejus impediunt ordinationem, ea differatur, donec præſente accuſatore cauſa ſit diſcusſa; Qvod ſi deficiat accuſator per tres menſes accuſationem ſuam implere, ordinaturus eum in Epiſcopum diligenter debet examinare, & ſi obnoxius inventus prohiberi ordinatio. 1. 2.

II. Si obnoxius non oſtendatur, ordinatio qvidem non impediatur, accuſator vero ſive non probaverit. ſive fugit propoſitam â ſe accuſationem, â Provincia in qva habitat, abjiciatur. 3.

III. Si qvis ante examinationem accuſatũ ordinaverit, ordinatus qvidem â Sacerdotio repellatur, qvi verò talem ordinare feſtinaverit, tam per annum â ſacro miniſterio prohibeatur, qvàm omnes ejus res Eccleſiæ vindicentur. 4.

§. 1. I. Nullus per ſuffragiũ auri, aut aliarum rerum Epiſcopus ordinetur, aliàs ipſi ſemetipſos, & dantes, & accipientes, & mediatores eorum juxta SS. ſcripturas & ſanctas regulas damnationi ſubjiciunt, & propterea qui dat, & qvi accipit, & mediator ejus factus ſacerdotii aut cleri honore removeatur, qvod verò pro hac cauſa datum eſt, Eccleſiæ illi vindicetur, cujus voluit ſacerdotium comparare. 5.

II. Si laicus forte pro hac cauſa qvid accipiat, aut mediator factus, datas res in duplum reſtituat, Eccleſiæ vindicandas, debet & hoc caſu vindicari omnis cautio, & pignorum vel fidejusſorum datio, qviqve ſuper hoc promisſionem accepit non ſolum profesſionem reddat; ſed & aliud tantum, qvantum posſesſio continet, exigatur, qvod debet Eccleſiæ dari. 6.

7. *Add.* Licet regulariter laici clericos accuſare non poſſint, tum qvod zelô juſtitiæ moveri non cenſeantur, tum qvod non deceat majores ſubjectos eſſe accuſationibus minorum ſeu inferiorum, qvô modo & in Prælatos difficilius procedit ſubditorum accuſatio, qvod contingat hos ratione correctionis, non tam juſtitiæ zelô, qvam impietatis livore & odii fomite ad accuſandum prorumpere, ſi tamen probatæ fuerint vitæ, audientur cauſa be-
8. nè examinatâ *c. 24. X. de accuſat.* Imô monachi licet alios accuſare non poſſint, audiuntur tamen contra Abbatem ſumtibus ipſis ſubminiſtratis ex reditibus monaſterii. Zœſ. & Vallenſ. *ad Tit. decretal. de Accuſat.* Surdus *de alim. Tit. 1. qv. 121. n. 1. & ſeqq.* & *Tit. 4. qv. 23. n. 39. & ſeqq.* Mynſ. *C. 6. obſ. 21.* qvin propter hæreſin, apoſtaſiam, ſimoniam, ſchiſma, vel aliud ſimile qvodpiam delictũ clericum poſſe accuſari, vel adverſus ipſum inquiri, Canoniſtæ
9. paſſim aſſerunt; Inde ob homicidium caſuale, ſi illud culpa præceſſit, clericus deponendus, *c. 3. x. de homicid. c. dilectus eod. c. fin. de Clerico percuſſ.* idem ſi clericus duellum commiſit, *c. 1. t. t. de Cleric. pign.* licet nullius mors ſit ſecuta, quod Pius IV. ſolenniter repetiit motu proprio An. 1560. Fagundez. *ad decalog. lib. 5. c. 8. n. 10.* Sed ſi ad cædem aliqvem conduxerit, licet factô non ſe-
10. cutô irregularis ſit. *c. 1. de homic. in 6to.* Et ſi eorum delictorum accuſator non adſit, Judex Eccleſiaſticus ſe inqviſitorem præbebit, nam omnium exceſſuum cognitionem, de qvibus olim Epiſcopus cognoſcebat, hodie ſpectare ad Conſiſtorium probat Brunnem.
11. *Jur. Eccleſ. lib. 2. c. 18. §. 4.* Quemadmodum autem ſi Epiſcopus accuſatus obnoxius deprehenditur, prohiberi poteſt ordinatio, ita ſi jam hac facta & durante officio ab ipſo delictum commiſſum pro ratione commiſſi vel ſuſpenſio ab officio, vel degradatio, depoſitio, aut translocatio ipſi loco pœnæ dictatur, de qvib9 paſſim Ddr. noſtri. vid. Carpz. Brunnem. Eckhard. *Paſtore Conſc.*
12. *&c.* Ulterius qvoqve ſimoniacos hic acerrimè punit Imperator, nam per ſimoniam honorem non ſuum, ſed cujus tantum eſt diſpenſator vendit, rem ſpiritualem pretio æſtimat, eoque pactô vilem facit, ſimilis Judæ, qvi CHRISTI dona vendit, unde Simoniæ delictum tam grave cenſetur, ut comparatione ejus cœtera omnia pro nihilo reputentur. *c. ult. c. 1. qv. 7. c. 32. x. de Sim.* Pretium

um juxta Canones ſolet ſtatui triplex ſcilicet 1. *Pretium muneris à manu*, ut pecunia, veſtis, eqvus, & ſimilia vendi conſveta 2. *pretium lingvæ ſive muneris à lingva* ut laus, vituperatio, item patrocinium advocati, interceſſio & commendatio apud Principem, modo ex pacto fiant, & obligationem inducant. *3. pretium eſt obſeqvii, ſive muneris ab obſeqvio*, ut miniſterium aliqvod in rebus temporalibus, qvale eſt famuli, œconomi, prout ex Canoniſtis explicat Vallenſis *ad decret. Tit. de Simonia* §. *11. n. 3.* 13. 14.

CAP. III.

Si qvis Epiſcopus ante ordinationem vel poſtea Eccleſiæ res ſuas obtulerit, & qvid pro cathedratico dari conveniat.

I. **SI, qvis Epiſcoporum ante ſuam ordinationem, ſive poſt eam voluerit proprias ſuas res aut partem earum offerre Eccleſiæ, cujus ſacerdotium accepit,** non prohibetur, & omni condemnatione & pœna liber eſſe ſancitur, qvia omni laude dignus judicatur. 1.

Ratio. Qvoniam hoc *non eſt emtio; ſed oblatio.*

II. Determinat cathedratica vel inthroniſtica, qvæ pro introitu Epiſcopus ſolvere debet, qvæ cum ſatis perſpicue in textu propoſita, in noſtris autem Eccleſiis hodiè locum non habeant, hic me non detineo; ſed ad textum ipſum me remitto. 2.

Add. Enthroniaſticum qvod ordinatus ſtatim debet perſolvere, & tradere primo Presbytero vel Archi-Diacono inter clericos Eccleſiæ, cui præficitur, dividendum, Julianus Anteceſſor, vetus Novellarum interpres vocat *Cathedraticum*, & eſt illud, qvod in ingreſſu throni ſeu cathedræ ab ordinato datur, qvamvis ſoleat aliàs Cathedraticum appellari cenſus ille, qvi in ſignum ſubjectionis, & in honorem cathedræ ſolet qvotannis Epiſcopo ab Eccleſiis ſubditis pendi. *c. 9. X. de Cenſibus.* Huic Enthroniaſtico non abſimile eſſe; dicit Gudelin. *de Jure noviſſ. lib. 6. cap. 4. circa* 3. 4.

7. *Add.* Licet regulariter laici clericos accuſare non posſint, tum qvod zelô juſtitiæ moveri non cenſeantur, tum qvod non deceat majores ſubjectos eſſe accuſationibus minorum ſeu inferiorum, qvô modo & in Prælatos difficilius procedit ſubditorum accuſatio, qvod contingat hos ratione correctionis, non tam juſtitiæ zelô, qvam impietatis livore & odii fomite ad accuſandum prorumpere, ſi tamen probatæ fuerint vitæ, audientur cauſa be-
8. nè examinatâ *c. 24. X. de accuſat.* Imô monachi licet alios accuſare non posſint, audiuntur tamen contra Abbatem ſumtibus ipſis ſubminiſtratis ex reditibus monaſterii. Zœſ. & Vallenſ. *ad Tit. decretal. de Accuſat.* Surdus *de alim. Tit. 1. qv. 121. n. 1. & ſeqq.* & *Tit. 4. qv. 23. n. 39. & ſeqq.* Mynſ. *C. 6. obſ. 21.* qvin propter hæreſin, apoſtaſiam, ſimoniam, ſchiſma, vel aliud ſimile qvodpiam delictū clericum poſſe accuſari, vel adverſus ipſum inquiri, Canoniſtæ
9. pasſim asſerunt; Inde ob homicidium caſuale, ſi illud culpa præcesſit, clericus deponendus, *c. 3. x. de homicid. c. dilectus eod. c. fin. de Clerico percuſſ.* idem ſi clericus duellum commiſit, *c. 1. t. t. de Cleric. pugn.* licet nullius mors ſit ſecuta, quod Pius IV. ſolenniter repetiit motu proprio An. 1560. Fagundez. *ad decalog. lib. 5. c. 8. n. 10.* Sed ſi ad cædem aliqvem conduxerit, licet factô non ſe-
10. cutô irregularis fit. *c. 1. de homic. in 6to.* Et ſi eorum delictorum accuſator non adſit, Judex Eccleſiaſticus ſe inqviſitorem præbebit, nam omnium excesſuum cognitionem, de qvibus olim Epiſcopus cognoſcebat, hodie ſpectare ad Conſiſtorium probat Brunnem.
11. *Jur. Eccleſ. lib. 2. c. 18. §. 4.* Quemadmodum autem ſi Epiſcopus accuſatus obnoxius deprehenditur, prohiberi poteſt ordinatio, ita ſi jam hac facta & durante officio ab ipſo delictum commisſum pro ratione commisſi vel ſuſpenſio ab officio, vel degradatio, depoſitio, aut translocatio ipſi loco pœnæ dictatur, de qvibus pasſim Ddr. noſtri. vid. Carpz. Brunnem. Eckhard. *Paſtore Conſc.*
12. *&c.* Ulterius qvoqve ſimoniacos hic acerrimè punit Imperator, nam per ſimoniam honorem non ſuum, ſed cujus tantum eſt diſpenſator vendit, rem ſpiritualem pretio æſtimat, eoque pactô vilem facit, ſimilis Judæ, qvi CHRISTI dona vendit, unde Simoniæ delictum tam grave cenſetur, ut comparatione ejus cœtera omnia pro nihilo reputentur. *c. ult. c. 1. qv. 7. c. 32. x. de Sim.* Pretium

um juxta Canones ſolet ſtatui triplex ſcilicet 1. *Pretium muneris à manu*, ut pecunia, veſtis, eqvus, & ſimilia vendi conſveta 2. *pretium lingvæ ſive muneris à lingva* ut laus, vituperatio, item patrocinium advocati, interceſſio & commendatio apud Principem, modo ex pacto fiant, & obligationem inducant. *3. pretium eſt obſeqvii, ſive muneris ab obſeqvio*, ut miniſterium aliqvod in rebus temporalibus, qvale eſt famuli, œconomi, prout ex Canoniſtis explicat Vallenſis *ad decret. Tit. de Simonia* §. *11. n. 3.* 13. 14.

CAP. III.

Si qvis Epiſcopus ante ordinationem vel poſtea Eccleſiæ res ſuas obtulerit, & qvid pro cathedratico dari conveniat.

I. SI qvis Epiſcoporum ante ſuam ordinationem, ſive poſt eam voluerit proprias ſuas res aut partem earum offerre Eccleſiæ, cujus ſacerdotium accepit, non prohibetur, & omni condemnatione & pœna liber eſſe ſancitur, qvia omni laude dignus judicatur. 1.

Ratio. Qvoniam hoc *non eſt emtio; ſed oblatio.*

II. Determinat cathedratica vel inthroniſtica, qvæ pro introitu Epiſcopus ſolvere debet, qvæ cum ſatis perſpicue in textu propoſita, in noſtris autem Eccleſiis hodiè locum non habeant, hic me non detineo; ſed ad textum ipſum me remitto. 2.

Add. Enthroniaſticum qvod ordinatus ſtatim debet perſolvere, & tradere primo Presbytero vel Archi-Diacono inter clericos Eccleſiæ, cui præficitur, dividendum, Julianus Anteceſſor, vetus Novellarum interpres vocat *Cathedraticum*, & eſt illud, qvod in ingreſſu throni ſeu cathedræ ab ordinato datur, qvamvis ſoleat aliàs Cathedraticum appellari cenſus ille, qvi in ſignum ſubjectionis, & in honorem cathedræ ſolet qvotannis Epiſcopo ab Eccleſiis ſubditis pendi. *c. 9. X. de Cenſibus.* Huic Enthroniaſtico non abſimile eſſe, dicit Gudelin. *de Jure noviſſ. lib. 6. cap. 4.* 3. 4.

circa

circa fin. Jus *Annatarum*, qvo primi anni fructus ac reditus Episcopales præstantur ab eo, qvi recens in defuncti Episcopi & Ab-
5. batis locum in vacans beneficium successerat. Pleriq; autorem hujus tributi faciunt Johan. XXII. alii Bonifacium IX. Hoc invento Pontifices in immensum auxêre cameram Papalem, dum hoc modo ad se traxerunt omnes illos proventus, qvi novis clericis primo obtigerunt annô, & consenserunt in id postulatum omnes ferè Europæ nationes exceptâ Angliâ & Galliâ. Color hujus tributi erat subsidium belli adversus Turcas seu expedi-
6. tio sacra. Cumq; hoc tributum nimis esset freqvens, & magnum cum Friderico III. Imper. & Nicolao V. Pontif. M. in concordatis de eo dispositum. vid. Vitriar. *Jur. Publ. lib. 1. Tit. 15. thes. 24.* Linck. *Diss. de Concordat. nat. German.* Illustr. Dn. de Rhetz. *Jur.*
7. *Publ. lib. 16. §. 5.* Illis annatis similes erant *Primitiæ* seu primæ fructuum obventiones Domino offerendæ ut cautum *Exod. 22.* earum nomine ad summum datur pars 40. ad minimum 20. inter qvas duas portiones plus aut minus datur, qvantum reqvirit consvetudo, vel qvantum libet ei, qvi solvit. vid. Corvin. *Jur. Canon. lib. 2. Tit. 39.*

CAP. IV.

Ut Episcopatus à servili, & adscriptitia fortuna hominem liberet.

1. I. L*Imit.* Nisi Curiales aut Officiales ordinentur, ejusmodi enim Episcopatu remoti curiæ aut officio debent restitui, ne ex tali fortuna sacerdotio fiat injuria.

2. II. Qvi ante hanc Legem ex Curiali fortuna inveniuntur Episcopi ordinati, hujusmodi quidem fortuna liberi sunt, legitimam verò partem ex propriis rebus curiæ & fisco dare debent, sic tamen ut nullam imminutionem sustineant Jura Ecclesiastica in rebus, qvæ Ecclesiis eorũ competunt, qvæqve in Episcopatu acqvisiverunt.

3. III. Si ordinatus Episcopus sub proprii Parentis potestate est, ex ipsa ordinatione, suæ sit potestatis.

Addit.

Addit. Curiæ adſcriptus vel officialis nullô modô clericus poteſt fieri, ne clero fiat injuria vel moleſtia ſi verò de facto fiat, revocetur ad priorem ſtatum, niſi curialis prius monaſticam vitam fuerit amplexus per 15. annos, nam tunc poteſt fieri clericus, qvod favore religionis placuit; ſed ſibi tantum retinet qvartam partem, reliquis Curiæ vel Fiſco applicatis. vid. *Auth. Sed neq. C. de Ep. & Cler.* Præcipuum, quod hic habetur, eſt quod dignitas Epiſcopalis liberet à patria poteſtate *Auth. Sed Epiſcopalis C. de Epiſc. & Cler.* nam qvi omnium ſpirituales Patres ſunt, qvomodo adhuc aliorum poteſtati ſubditi ſint? hinc Jure novisſimo correctus eſt *§. filiusfamilias 41. qvibus mod.* conſtitutum generaliter à Juſtiniano Imp. ut omne cingulum à curia liberare valens, eximat qvoq; ex Parentum jure, & 12. ſpecies numerantur in ultima Conſtitut. *C. de decurion. l. 10.* Ergò qvi per dignitatem è poteſtate patria abeunt, hoc qvoq; habent præcipuum; ut non amittant quicquam juris legitimi; ſed tam familiæ ad ipſos, qvàm ipſis ad familiam legitima ſimul, & naturalia jura intacta permaneant, & filii eorum poſt mortem avorum in eorum recidant poteſtatem, ac ſi contigisſet eorum Parentes, morte ſuorum Patrum, & non ex Imperiali benignitate ſuæ poteſtatis fieri. *d. Auth. Sed Epiſcopalis.* Non verò Epiſcopalis tantum dignitas; ſed & *monachismus* liberat à Jure Parentum, cum enim qvis per ingreſſum monaſterii alium nanciſcitur Patrem, Abbatem ſcilicet, à cujus eum nutu pendere oportet, prioris patris poteſtate eximitur, jura tamen ſuorum retinet, patriq; ut ſuus ſuccedit Bald. *ad L. 5. C. de Epiſc. & Cler.* Sutholt. *diſſert. 2. aph. 72.* Bachov. *ad Tr. l. 1. diſp. 2. th. 12. lit. d.* Inde contrariam ſententiam qvoq; tuentur monachismum ſcil. non liberare à P. pot. Berlich. *P. 2. Concl. 11.* Rittersh. *ad Nov. P. 1. cap. 6.* Goch. *P. 2. peric. Academ. 4. qv. 28.* De uſu Belgii ſimplex ſacerdotium patriæ poteſtatis nexum reſcindere teſtatur Gudelinus *de Jure Noviſſ. l. 1, c. 13. circa f.* Conf. infra *C. 19. h. N.* ubi expreſſè dicitur Clericum eſſe ſub patria poteſtate.

(Margin numbers: 4. at line 1; 5. at "fuerit amplexus"; 6. at "& Cler. Præcipuum"; 7. at "Conſtitut. C. de decurion."; 8. at "Non verò Epiſcopalis"; 9. at "contrariam ſententiam")

CAPUT V.

De Presbyteris & Diaconis, & Subdiaconis cognationis jure ad tutelam vel curam vocatis.

1. EPiſcopi & monachi ex nulla lege tutores aut curatores cujuscunqve ſint perſonæ; ſed Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi jure & lege cognationis tutelam aut curam hereditatis ſuſcipere permittuntur, propriô ſcil. & ſolô cognationis gradu vocati ad tutelam & curatelam, modò intra 4. menſes ex qvo ſunt vocati apud competentem judicem ſcripto declarent, adminiſtrationem talem ſe propria voluntate ſuſcepisſe, & ſi qvis eorum forſan hoc fecerit, nullum ex hoc in alia tutela aut cura præjudicium patiatur.

2. *Addit.* Idem *in Auth. Presbyteros & L.52. C. de Epiſc. & Cler.* ſicuti enim milites Seculares non ſunt avocandi à ſuis ſignis & caſtris, ita nec milites cœleſtes, ut clerici, religioſi, & cœteri miniſtri Eccleſiæ, à cultu & obſeqvio divino *c.6. c.2. qv.7. L.33. C. de Epiſc. & Cler.* omnibus enim aliis derelictis Dei Omnipotentis miniſteriis inhærere debent, *L.52. C. de Epiſc.* Facit, qvod cle-
3. ricus militans Deo, non ſe debeat implicare ſecularibus negotiis, qvod turpe ipſi & opprobrioſum eſt, *L.41. C. de Epiſc. & Cl. c.15. X. de vita & honeſt. Cler.* Atq; hæc de Epiſcopis & mona-
4. chis intellecta vult Imperator, qvos ne qvidem ad legitimam tutelam admittit, qvia tamen viduis & orphanis præſidium implorantibus protectionis auxilium ab Epiſcopis & Clericis negari non debet, *c. pervenit. 26. D. 86.* in ſubſidium ad miſerabilium
5. perſonarum tutelam & curam admitti iniqvum non eſt, horum enim curam non Magiſtratui tantum; ſed & ſacro ordini incumbere, ex præcepto Vet. Teſt. & praxi N. Teſt. ut & ex LL. Imperatorum, & decretis Pontificum, probat Brunnem. *Jur. Eccleſ. lib.1. cap.6. m.7.* & adſunt ſanè hic piæ cauſæ, in qvibus tractandis ſicuti dierum *c. utinam 11. D.76,* ita nec perſonarum diſtin-
ctio

ctio habenda est. Presbyteros verò, Diaconos & Subdiaconos 6.
ad legitimam tutelam admittit, & ex propria voluntate, inde si nolint, invitos ad eam suscipiendam non posse cogi, ex textu seqvitur, perinde sicut matris & aviæ tutelam voluntariam & extraordinariam esse, docet Eckh. *ad ff. de legit. Tutor.* cumq; hic 7.
testamentariæ & dativæ tutelæ mentio non fiat, nec hic tutores fieri dicendum videtur, cujus qvoq; sententiæ esse videtur, Rittersh. *Jur. nov. P. 8. cap. 1.* & superius dicta locum habent, licet esse tutores velint, & favori suo renunciare, est enim hoc privilegium non personæ; sed ordinis & juri prohibitivo nemo renunciare potest, nam ubi Lex expressè resistit, ibi nulla est libertas relicta, *arg. L. non dubium 5. C. de LL.*

CAP. VI.

Ut Clerici à muneribus personalibus, & negotiis secularibus abstineant.

I. EPiscopus, œconomus, aut alius cujuslibet gradus 1.
clericus, vel monachus, proprio aut Ecclesiæ nomine non debet fieri susceptor aut exactor fiscalium functionum aut conductor publicarum aut alienarum possessionum, vel curator domus, aut Procurator litis, aut fidejussor pro ejusmodi causis.

Ratio. Ne per hanc occasionem & sanctis domibus 2.
damnum fiat, & sacra ministeria impediantur.

II. Si verò Ecclesiis aut Monasteriis qvædam pos- 3.
sessiones adjacentes inveniantur, & dispensatores illarum in conductionem aut emphyteusin eas voluerint accipere, fiat hoc omnibus clericis & monachis pro his causis in ipso instrumento sub gestis monumentorum consentientibus & manifestantibus hæc pro utilitate Ecclesiarum fieri, sicqve talem conductionem & emphyteusin procedere.

III. Et ipsis Ecclesiis & aliis venerabilibus domibus 4.
dat licentiam conductiones & emphyteuses facere ad in-

vicem, & clericis propriarum Ecclesiarum possessiones conducere, & gubernare, sed cum voluntate Episcopi & oeconomi, exceptis aliis personis per aliam peculiarem legem hoc facere prohibitis.

IV. Adjungit in textu pœnam contra hæc facere qvid prohibentibus.

5. *Addit.* Qvot periculis & difficultatibus officium Ecclesiasticum sit implicatum, omnium optimè docent illi qvibus cum animæ suæ periculo illud injunctum, qvi si de illo exactam aliqvando reddere rationem satagent, profanis omnibus officiis sponte qvoqve valedicent, sibiq; ipsis commendatum habebunt
6. qvod in Jure Feudali legitur *4. F. 109. Miles Christi serviat Christo, milites Seculi serviant Seculo, & 2. F. 21. Desiit esse miles Seculi, qvi factus est miles Christi.* Sed præcipua negotia secularia apud Pontificios per proximos à latere & Cardinales Ecclesiæ administrari praxis abunde docet, qvod tam humanis qvam divinis LL. oppido contrarium, unde S. Sacerdos Abjathar, cum negotiis se secularibus immisceret, ad agrum suum relegabatur. *1. Reg. 2.* nec
7. enim alieno muneri se immiscere, Magistratibus in officio imperare, judicia dirigere, vel ipsis principum consiliis interesse convenit, Martin. Schoockius *de bonis Ecclesf. Sect. 4. cap. 2. num. 666.* multò minus sub prætextu hoc publicarum aut alienarum possessionum conductionem affectare, aut cauponariam exercere, ne sic sacra ministeria impediantur, aut ipsa apud plebem con-
8. temtui fiant. Possunt tamen interea Clerici vel Episcopi secularium negotiorum habere peritiam, ut eorum cautelâ Ecclesiæ serventur indemnes, & cuiq; necessaria pro suo modo ministrentur, ut ex *D. 39. pr. & C. Petrus Diaconus 1.* deducit Ungepaur. *ad decret. de Elect. & Cl. pot. n. 7.* in qvem finem propriarum Eccle-
9. siarum possessiones conducere cum voluntate Episcopi & oeconomi ipsis permittit hic Imperator, ita tamen, ut iisdem modis acqvirant qvibus alius, & eadem perferant onera, qvæ laicus, tri-
10. butum enim est onus fructuum, qvod fundum seqvitur, qvocunqve vadat *L. 39. §. 5. ff. de leg. 1.* non secus ac umbra seqvitur corpus, & nebula paludem. Peretz. *ad C. Tit. sine censu vel reliqv. num. 1.* hæc & similis alia peritia rerum secularium vel oeconomica-

nomicarum in clerico non improbatur, nam & aliquot Pontifices Doctores juris fuisse ex *vitis Pontificum*, qvas Platina descripsit constat, interim tamen ut Theologia & preces piorum Episcoporum prædominentur, qvamdiu enim durant preces sanctorum hominum, qvi velut murum se objiciunt, & interponunt inter Deum offensum, & gentem offendentem seu ream tamdiu stant & florent Ecclesiæ & Respublicæ. Talis murus fuit *Moyses* de qvo *Exod. 17. vers. 10. & seqq.* cum levaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amaleck, & ejusmodi murus avorum ætate fuit Lutherus, qvi precibus suis multa avertit à Germania; qvæ post ejus mortem qvæ in ipso die Concordiæ incidit magnô impetu irruerunt. 11. 12.

CAP. VII.

Ne Episcopus dicendi testimonii causa evocetur.

JUdex igitur mittat aliqvos, qvibus præsentibus SS. Evangeliis propositis veritatem dicant. 1.

Addit. Præsens *C. & Auth. Sed judex C. de Episc. & Cler. L. 7. C. eod.* declarant, & statuunt, ut judex ministros mittat coram qvibus Episcopus propositis Evangeliis veritatem edisserat; Et sanè clerici etiam in causis laicorum mediante juramentô ad testificandum compelli possunt. *arg. L. 9. C. de Testib. c. 20. c. 3. qv. 9.* nec sufficit testimonium ferre sub ea fide, qvam semel præstiterunt Ecclesiæ, vel alteri, sed revera jurare tenentur, prout sæpius pronunciatum, testatur Hahn. ad Wesenb. *Tr. de Testib. N. 5.* & probat Finckelth. *Obs. 95.* Carpz. *Dec. 77. & Jurispr. Consist. lib. 3. Def. 22.* Qvamqvam verò tradit Gail. *lib. 1. Obs. 100.* Clericum in causis laicorum ad perhibendum testimonium compelli non posse, nisi aliunde fortè veritas haberi non possit, simpliciter tamen dicit Eberhard. Fabric. *d. l.* Clericum semper, etsi alii fortè testes haberi possint, examinandum esse, cum majorem fidem possit facere, qvàm alius, præcipuè, cum inveniantur, qvi dicant, qvod 4. Sacerdotibus credendum sit plus, qvàm 6. Secularibus. Marta *Consil. 44. n. 4. & Consil. 87. n. 30. 31.* & hic illud Doctores traditum locum invenire possit, qvod scil. magis digno 2. 3. 4. 5.

non ſine cauſa magis credatur, qvam ſuam asſertionem optime defendi poſſe dicit ex iis, qvæ tradit Garpz. *P. 1. Juriſpr. For. C. 16.*
6. *def. 69.* Cœterum aliud in illis, qvæ in confesſione ipſi ſecreto ſunt dicta, illa enim non ut homo; ſed ut Dei vicarius ſcire intelligitur. *c. ſi Sacerdos X. de offic. jud. Ordin. c. 13. X. de Exceſſ. Prælat.* qvo faciunt verba B. Dn. Lutheri. *Tom. 1. Jehn. Sie hat mier nichts gebeichtet; ſondern dem Herrn Chriſto, und weil es Chriſtus heimlich hält, ſo ſol ichs auch heimlich halten, und ſtracks ſagen; ich habe nichts gehöret, hat Chriſtus was gehöret ſo ſage ers.* i. e. nihil mihi confesſa eſt; ſed Domino Chriſto, qvia verò ille occultat, & me oportet; ipſe nihil audivi, ſi Chriſtus audivit, dicat. vid. Dom.
7. Bechman. *Theol. Conſcient. Sect. 3. Tit. 1. Caſ. 4.* Illud adhuc ex textu conſtat; clericis beneficium perſonarum egregiarum ex *L. 15. ff. de. Jurejur.* competere, ita, ut teſtimonii præſtandi gratia judicem adire non teneantur; ſed judex Notarium ad id ſuſcipiendum ad eorum ædes mittere ſit obſtrictus.

CAP. IIX.

Ne propter quamlibet cauſam Epiſcopus ad ſecularem judicem trahatur.

1. NOn pro qvalibet pecuniaria vel criminali cauſa Epiſcopus ad judicem civilem aut militarem invitus citra Imperialem jusſionem eſt producendus, & judex qui tale qvid ſive ex ſcripto, ſive non ſcripto facere audet, poſt cinguli privationem 20. librarum auri pœnam exſolvat Eccleſiæ illi cujus Epiſcopus produci aut exhiberi jusſus eſt, executor qvoqve poſt privationem dignitatis & verberibus ſubdendus, & in exilium deportandus.

2. *Add.* Ex *hoc C.* conſtat, nondum in totum ſecularium judicũ poteſtate fuiſſe clerum exemtum, nam & tempore Juſtiniani Epiſcopos etiam Imperatori in temporalibus fuiſſe ſubjectos conſtat ex *L. 25. & L. 3. C. de Epiſc. & Cler.* & executionem cleri ſolo humanô & poſitivô non divinô jure niti probat Brunnem. *ad L. 25. C. d. l.*
3. aliter ſtatuit Covarruv. *Pr. qvæſt. c. 33. n. 1.* mediam eligens viam, asſerens

asserens, *divini juris* esse in iis, quæ sunt spiritualia, qvod potestas circa ea à Deo commissa sit iis, penes qvos est potestas spiritualis; *Humani vero juris* in iis, qvæ circa temporalia & crimina 4.
versantur, qvalia in primitiva Ecclesia subjecta fuisse jurisdictioni Principum certum est, & constat ex Covarruv. d. l. cui assentitur Zœs. eum allegans *ad decret. Tit. de Foro Compet. art. 1.* estq; ex *h. N. C.* desumta *Auth. Nullus Episcopus C. de Ep. & Cler.* Et sane si 5.
ob titivilitium, vel levidensem aliqvam causam, statim ad judicem qvemvis rapiendus foret sacerdos, ipse mox plebis ludibrio, & officium ejus contemptui exponeretur, & possent hic locum habere veteres rhythmi nescio à qvo conscripti;

Si agas ex Lege Diffamari,
Petasq; Pastorem citari,
Tamdiu debes incarcerari,
Donec discas deprecari,
Et ministros CHRISTI venerari.

Licet tamen negandum non sit, ob varias causas etiam invitum 6.
clericum coram laico conveniri posse, prout certo casu in reconventione vid. Exc. Dn. Stryk. *dissertat. ad L. Cum Papinianus c. 3. §. 8. vol. 11. Dispp.* ut & intuitu bonorum patrimonialium, in qvibus pro laicis habentur, nam licet actio personalis coram judice 7.
privilegiato vel in foro domicilii contra reum sit ventilata, si tamen ad solvendum vel præstandum qvid minister Ecclesiæ condemnatus, atq; hinc ad executionem in bona immobilia fuerit deventum, à judice eam ad implorationem Consistorii fieri debere tradit Lange *Isagog. ad Process. Jur. Civ. & Sax. c. 33. num. 85.*
Sic etiamsi clericus in delicto deprehendatur, & is se dicat esse 8.
clericum, & judex secularis dubitet super hac qvæstione, an clericus sit? judicis secularis est cognitio, & ideò tamdiu ab hoc detinendus. Scaccia *de Judiciis l. 1. c. 11. n. 90.* quia hæc qvæstio facti est Ziegl. *ad Lancell. lib. 3. tit. 1. §. 6.* Sicut etiam eô casu clericus à 9.
laico puniri potest, qvando in fraudem judicii secularis & metu pœnæ ob delictum antea commissum in sacrum ordinem se cooptari facit. Clarus *§. fin. qv. 36. n. 43.* ubi ad pœnas pecuniarias id restringit, qvam restrictionem tamen à judicibus secularibus non observari tradit Ziegl. *l. cit. lib. 3. c. 1. §. 9.*

CAP.

CAPUT IX.

Ne Episcopi proprias ecclesias relinquant.

1. I. INterdicit Episcopis proprias relinqvere Ecclesias & ad alias venire regiones, qvod si contigerit necessitas hoc faciendi, non nisi cum literis Patriarchæ aut Metropolitæ instructi veniant per imperialem jussionem; si & sic cujuscunqve loci Episcopus profectus fuerit, non amplius
2. unô annô suam relinqvat Ecclesiam. Episcopi in regiam civitatem (Constantin.) venientes, cujuslibet fuerint diœcesis pro omnibꝰ ire debent ad Archi-Episcopum Constantinop. & Patriarcham, & ita per eum ad Imperatoriam tranqvillitatem.

3. II. Citra hanc dispositionem proficiscentibus, vel ultra definitum unius anni tempus moram extra Ecclesiam suam facientibus, primum non ministrabuntur ipsis ab oeconomis propriæ Ecclesiæ expensæ, qvi deinde ipsos admonebunt per literas sacerdotum sub qvibus agunt, ut ad suas revertantur Ecclesias, & si differant reverti, secundum sanctas regulas debent revocari, & si sic intra definitum tempus non revertantur, ab Episcopatu expelluntor, & alii pro eis meliores ordinantor.

4. *Add.* Qvæ hic dici poterunt, jam tum supra fuere proposita ad *Nov 6. c. 2. 3.* ulterius & de fuga tempore pestis Ecclesiæ ministro permissa, & in tempore persecutionis licita, qvæ & similia huc trahi poterunt vid. Mengering. *Informat. Consc. Evang. Domin. Remin. qv. 2.* Gerhard. *Loc. Theol. de minist. Eccles.* §. *290.* Tarnov. *de Minister. Eccles. lib 3. c. 2.* Eckhardus *Pastore Conscient. Class. 1. qv. 14.* Bechman. *Theol. Consc. sect. 7. cas. 9.*

CAP.

CAPUT X.

Ut Archiepiscopi & Patriarchæ sæpius in annis singulis Concilia & Synodos celebrent.

I. UT omnis ecclesiasticus status & sacræ regulæ diligenter custodiantur, jubet, unumqvemqve Archi-Episcopum & Patriarcham & Metropolitam Episcopos sub se constitutos in eadem provincia semel aut secundò per singulos annos ad se convocare, & omnes causas subtiliter examinare, qvas Episcopi, aut Clerici aut Monachi adinvicem habent, easqve disponere, & super hoc qvicqvid extra regulas â qvacunqve persona disponitur, emendare. 1.

II. Interdicit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & 2.
Sub-Diaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi collegii aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes ac inspectatores fieri, aut ad qvodlibet spectaculorum spectandi gratia venire.

III. Si quis ex illis ejusmodi deliqverit, in tribus an- 3.
nis â ministerio prohibeatur, & in monasterium redigatur, & si in medio tempore ostenderit dignam vitii sui pœnitentiam, sacerdos sub qvo institutus est, potest minuere tempus, & eum rursus proprio reddere ministerio; sciant autem Episcopi hoc debere vindicari, qvod nisi fe- 4.
cerint, ipsi rationem Deo pro tali causa persolvent; Nullus autem Episcopus cogitur clericum aliqvem sub se constitutum de proprio clero dimittere.

Add. Ad Majestatem Civilem omnem conciliorum convo- 5.
cationem imperativam & jam olim sub Ethnicis & Christianis Impp. pertinuisse, eandemq; & hodie adhuc competere satis eô ipso ostendunt, qvod personas interdum sive ipsi, sive per alios eligant, & designent, qvot & qvi concilio interesse debeant, qvô loco,

quo tempore id sit habendum, id qvod satis praxis nostrorum temporum evincit. H. Grot. *de Imper. S. Pot. circa sacra C. 5. §. 11.* Haveman. *de Jure Episc. Tit. 5.* Conring. *de Majest. & Autor. & off. circa sacra.* Ziegler. *de Jur. Maj. lib. 1. c. 15. §. 25. & seqq.* vid. infrà ad
6. *Nov. 131. c. 1.* Potissimum verò Principes per sua Consistoria causas ecclesiasticas & personas Ecclesiis inservientes judicant, & gubernant, sicut si vel inter ipsas aut etiam cum aliis altercationes oriantur, eas qvantocyus sopiant, & decidant, nam lites clerico-
7. rum cum maximo sæpe scandalo sunt conjunctæ, & ex contentionibus eorum publico multa enascuntur mala, eaqve non ipsosmet tantum; sed totam Ecclesiam affligentia. Mev. *P. 3. dec. 217.*
8. unde licet ad transactionem alias nemo compelli possit, exceptionem tamen habet, nisi cum magno populi scandalo vel Parochiæ lis sit conjuncta. Brunnem. *Jure Eccles. lib. 3. cap. 1. §. 15.* Ulteri-
9. us interdicit Episcopis &c. lusum fortunæ, chartarum, aut taxillorum *c. pen. X. de vit. & hon. Cler.* scil. ne ad tabulas ludant, ut hic ait Imperator, *auffm Brette spielen,* de qvo lusus genere multi generis collectanea proposuit Salmasius *ad Vopisci Proculum,* ne manum Domini corporis immaculatæ hostiæ oblatricem, simul & lingvã inter Deum & hominem mediatricem hujusmodi ludicra contaminatione fœdent, imò & à ludorum inspectione, & theatricis actibus alienos hic vult Imperator & Pontifex *c. 12. & pen. X. eod.* &
10. *c. 36. de Consecrat. D. 5.* usum quoque armorum vitare debent *c. 12. X. eod.* ita, ut si intra septa monasterii, arma teneant, absq; licentia superioris, ipsô factô sint excommunicati. *Clement. Ne in agro de Statu Regular.* vid. Vallens. *ad Decret. de vita & honest. Cleric. n. 16.* si contra hæc & multa alia fecerint, in monasteria rediguntur, sc. ad tristitiam, speculationes, famem & sitim, horas canonicas, i. e.
11. ad boatus Baaliticos, aliaq; mala multa, qvibus extra monasteria carere poterant, licet tamen asserere nolim monachorum statum Justiniani tempore adeò malum & intolerabilem fuisse, nam commendat eos *Nov. 133. c. 2.* qvod suo tempore cultui divino vacaverint, sacris scripturis incubuerint & qvi ipsos allocuti, cum i-
12. psis de divinis eloqviis disputarint, probabile E. eundem ipsis iterum benefecisse, & ejusmodi loca vitæq; conditionem assignasse, ubi tranqvillè & beatè vivere potuerunt, & hodierni monachi

nachi non magis servi sunt, qvàm Papa est servorum servus, quippe qui sub hoc abjecto nomine dominus dominantium esse affectat, ut benè observat Jason. *ad L. 7. C. de precib. Imper. off.* illiqve eodem appetitu (liceat ita loqvi) titulum reverendissimorum admittunt, quo olim dum Justin. Imperator eum passim, ut ex his Novellis constat, attribuit.

Cap. XI.

Ne quis ante causæ exitum excommunicetur.

I. OMnibus Episcopis & Presbyteris interdicit, segregare aliquem à sacra communione, anteqvam causa monstretur, propter qvam hoc fieri jubeatur. 1.

II. Qvod si injustè qvis à communione est segregatus, à majore sacerdote excommunicatione solutus, sanctam mereatur communionem. Qui verò aliqvem à sancta communione segregare præsumpserit, à Sacerdote sub qvo constitutus est, separabitur, à communione, qvantò tempore ille perspexerit, ut qvod injustè fecit, justè sustineat. 2.

III. Nec propriis manibus liceat Episcopum aliqvem percutere, hoc enim extraneum sacerdoti est. 3.

IV. Si qvis Episcopus secundum ecclesiasticas regulas sacerdotio pulsus, præsumpserit ingredi civitatem, ex qva pulsus est, relinqvens locum, in qvo jussus est degere, ad monasterium in alia regione constitutum debet transferri, ut qvod in sacerdotio deliquit, degens in monasterio corrigat. 4.

Add. Per excommunicationem intelligunt Pontificii censuram ecclesiasticam, separantem hominem à communione. vid. Vallens. *ad decret. de sentent. excommunic.* §. *1.* qvæ nimis generalis est definitio, rectius describit Hulsem. *de Corrept. fraterna* §. *18. n. 131.* quod sit *censura ecclesiastica, per qvam cujusvis particularis Ec-* 5.

clesiæ membrum ob scandalosum crimen in vita, aut falsam & scandalosam professionem in fide suspenditur, vel etiam planè excluditur à communione tum interna gratiæ spiritualis, tum externa verbi & sacramentorum, nec non conversationis fraternæ, quæ Christianis tanqvam fratribus etiam extra cœtus sacros intercedit.

6. Fit autem de Jure Pontificio illa vel *justè*, vel *injustè*. Vallens. *loc. cit.* §. *2. n. fin.* qvô modo sit facta, ut Imperator hic vult, in communione nihilominus manebit, nec sanè est in arbitrio alicujus ministri, qvem ad S. Cœnam admittere velit, vel non, sæpius, enim hic affectibus iudulgetur nimium, dum secundum varios animi motus delicti reus arguitur ille, qvem tamen sua non damnat conscientia, id qvod judicio D. König. *Casib. Consc. Loco de S. Cœna Cas. 18.* firmat Dn. D. Stryk. *ad Brunnem. Jus Eccles. l. 2. c. 1. M. 3. ad* §. *12.*

7. An verò Pastor firmiter credens, aliqvem esse indignum, jubeatur tamen sacra elementa illi exhibere à superiore vel consistorio, an inqvam, debeat parere & ei dispensare sacra, qvem certò novit esse indignum, & in proposito peccandi adhuc morari, durum sibi semper nodum visum fuisse dicit Brunnem. *c. loc.* & ad Theologorum Scholas remittit. vid. Ekhardus *Pastore Conscient. class. 2. qv. 10.*

8. Nec propriis manibus debet Episcopus aliqvem percutere, nec enim est dignum, ut passim unusqvisqve Prælatus honorabiliora membra sua prout voluerit, & ei placuerit, verberibus subjiciat & dolori, ne dum incautè subdita percutit membra, ipse qvoqve debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat, vid. *C. Cum beatus Apostolus 8. D. 45.*

9. Excepto hoc verberum pœna usitata & recepta est in Jure Canon. *C. 1. X. de Calumn. c. f. D. 15.* ejusq; frequens est mentio apud Gratian. *ut in c. 1. 5. qv. 1. c. cum beatus D. 45.* ubi ait, quod Presbyteri, & Abbates non nisi pro gravioribus culpis subjacere verberibus debeant, & non nisi per clericum vel ipsum judicem clerico sint infligenda verbera *c. 24. in fin. X. de sentent. Excomm.* etiam incorrigibili. Diaz. *in Pr. cap. 125.*

10. Verbis tamen potius qvàm verberibus Clerici sunt corripiendi, leniter enim castigatus reverentiam exhibet castiganti; sed asperitatis nimiæ increpatio nec increpationem recipit nec salutem. *c. cum beatus D. 45.*

11. Inter alios modos contumaces & malos Clericos coercendi hic

hic quoque refert Imperator inclusionem in monasterio, qvod nonnunqvam pœnæ loco est pro ratione delicti, nonnunqvam etiam locum habet irregularitas, depositio, degradatio, vel translocatio, de qvibus passim canonistæ, gradus tamen in 12.
pœnis irrogandis observari solent, nec nisi crimen atrocissimum Minister Ecclesiæ de corrigendis moribus nondum admonitus mox removere ab officio debet. vid. Carpz. *lib. 3. Jurispr. Consistor. def. 112.* & *def. 118.* ubi de translocationis justitia agit. Non debet autem apud nos prohibitio suggesti, qvæ species suspensionis est, fieri à Patrono; sed ab Episcopo. Idem *lib. 1. def. 70.* vid. Dn. D. Hoppe *dissertat. de Suspens. ab Offic. Vol. 2. Dissert. Dn. Strykii.*

CAP. XII.

Qvales esse debent qvi in Clericos ordinantur.

SCil. literas sciant, & rectam viam, vitamq; habeant ho- 1.
nestam nec concubinam, aut naturales habuerint, aut habeant filios, sed castè viventes, aut uxorem legitimam, & ipsam unam & primam habentes, neq; viduam, neq; separatam à viro, neq; aliter LL. aut sacris canonibus interdictam.

Addit. Eruditum esse debere Ecclesiæ Ministrum, & gnarum 2.
controversiarum Theologicarum, articulorum fidei, Augustanæ Confessionis, & Formulæ Concordiæ Theologi & JCti nostrates accuratè satis scriptum reliqvere, è JCtis Carpz. *Jurispr. Eccles. lib. 1. def. 59. 62. & alii* Uxores qvoq; ducere non prohiben- 3.
tur, *1. Thimot. 3. vers. 2.* hic tamen singulare statuit Imperator, ut clericus viginem non viduam sibi jungat, idq; ex mente canonistarum, qvorum hæc ratio esse videtur, qvia qvi ducit viduam, ejus bigamiam probat, & bigamiæ occasionem præbet, atq; fa- 4.
cit, ut ea carnem suam in plures dividat, qvod tamen prohibitum non est; qvia Apostolus disertè maritum dicit esse liberum à lege uxoris defunctæ, ut aliam ducere possit. *Rom. 7.* & alibi *1. Corinth. 7.* à viduis secundas nuptias posse contrahi in Domino. Conf. supra *Nov. 6. cap. 4. & 5.*

CAP. XIII.

De Ætate Presbyterorum & cæterorum Clericorum.

1. PResbyter minor 35. annorum fieri non permittitur, Diaconus aut Subdiaconus non minor 25. nec Lector minor 18. annorum, Diaconissa annorum 40 vel qvæ ad secundas non venit nuptias. vid. sup. *Nov. 6. Cap. 6.*

CAP. XIV.

De Uxoribus Clericorum.

1. I. SI tempore ordinationis clerici cujuscunqve Collegii aut Ordinis qvis accusator apparuerit, *eum indignum ordinatione esse* dicens, differatur ordinatio.

2. II. Si ordinandus Diaconus non habuerit uxorem conjunctam sibi, non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus, promiserit, *posse post Ordinationem, & sine legitima uxore honestè vivere.* Episcopus verò qvi permittit, expellatur ab Episcopatu.

3. III. Si post ordinationem Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus uxorem duxerit, expellatur à clero, & curiæ civitatis illius, in qva clericus erat, cum propriis rebus tradatur; Si verò Lector secundam ducat uxorem, aut primam qvidem viduam, aut separatam à viro, aut LL. vel sacris canonibus interdictam, neqvaqvam ad alium ecclesiasticum ordinem provehatur, sed & si qvolibet modô ad majorem ordinem perducatur, expellatur eo, & priori restituatur.

Addit. Vid. suprà ad *Cap. 2. h. Nov. & Nov. 5. Cap. 8.*

CAP. XV.

Qvibus casibus Curiales Clerici ordinari possunt.

Nec

I. NEc Curialis aut Officialis clericus fieri permittitur. 1.
Ratio. Ne ex hoc venerabili clero injuria fiat.

Qvod si tales personæ in clero constituantur, qvasi 2.
non ad ordinem perducti, propriæ fortunæ restituantur, nisi qvis forte eorum monasticam vitam non minus 15. annis implevit, ubi legitimam partem curiæ & fisco dabunt, modo in clero constituti, monacho condecentem vitam impleverint.

Si verò post clericatus honorem qvis eorum uxorem 3.
duxerit, aut concubinam habuerit, curiæ & officio, cujus fortunæ subjacebat, reddatur, etiamsi maximè ejusmodi gradum Ecclesiasticum habebat, in qvo constitutus non prohibebatur sacris canonibus & LL. uxorem accipere.

II. Idem & in aliis omnibus monachis, qvi de mo- 4.
nasteriis ad qvemlibet ecclesiasticum gradum transferuntur, observari vult, etiamsi nulli fortunæ fuerint subjecti; Et generaliter sancit, nulli licere in qvolibet ecclesiastico gradu constituto, ab eo discedere, & secularem fieri, sub pœna privationis dignitatis, & traditioni curialis fortunæ propriæ civitatis. Qvi verò ante hanc legem 5.
clerici ordinati sint curiali fortuna per substitutas personas pecuniaria munera complebunt, à corporalibus autem liberi debent servari.

Addit. Ex prima parte h. Cap. desumpta est. *Auth. sed neq; C. de Episc. & Cler.* qvam supra vid. allegatam *ad cap. 4. h. Nov.* 6.

Ulterius hic prohibet, ne qvis relicto statu ecclesiastico ad 7.
seculum transeat, & auffugiat, qvod si fiat, non faciet fugâ suâ qvò minus quæsita monasterio cedant, ne malitia sua illi prosit, alteri obsit. *c. Abbates 18. qv. 2. Abbas c. fin. n. 3. de Regularib.* Interea 8.
non est prohibitum alibi professum, ad alium transire locum arctiorem, qvò tutius suam operetur salutem, petitâ tamen licentiâ superioris, cum ad evitandam contumaciam, tum, ut ille advertat, an transitus istius finis sit fundatus in charitate, an verò in temeritate, & fucatô qvodam melioris atq; arctioris vitæ colore

9. lore *c. 18. §. si verò X. de Regular.* Qvod si petitæ licentiæ non annuat Prælatus, nihilominus potest monachus transire ad alium locum, qvia satisfecit, & judicatur contradictio Prælati proterva
10. *d. c. 18.* Conf. supra *Nov. 5. c. 4. & 6. 7.* Olim qvidem monachi monasterio non adeò fuerunt alligati, qvia licuit eis stationem mutare, & vel functionem aliqvam ecclesiasticam capessere, vel aliam aliqvam professionem suscipere, & instituere, & optandum esset, plures derelinquere monasterium & aliud vitæ genus eligere, nam multò melius & Christianæ conscientiæ securius est, vitam cum Christianismo pugnans tollere, stultitiam suam
11. Deo humillimè deprecari, & vitam monasticam deserere, qvàm illam malâ conscientiâ seqvi, qvippe votum castitatis perpetuæ, & paupertatis turpissimæ partim impossibile partim dedecorosum est, & monachus castitatis votum tunc servare dicitur, qvando in sancto habitu stat ad altare. Spectant hic verba B. Dn. Lu-
12. theri *ad c. 18. Genes. T. 10. W. G. p. 400. v. Siehe nur einen Mönchen an, der entzeucht sich allem Gehorsam aller Obrigkeit, auch seiner Eltern, zeucht nicht Kinder auff, arbeitet nicht, thut keinem Menschen etwas guts, gegen die Seinen aber ist er voll Hasses und Neids, füllet und fretzet sich mit der Armen Schweiß, und ist dennoch stoltz und auffgeblasen, eben unter diesem Nahmen, daß Er arm zuseyn gelobet habe.* i. e. Intueri monachum subtrahit se Imperio Magistratus & Parentum, non educat liberos, nemini hominum inservit, ergà suos odii & invidia plenus, locupletat se pauperioris sudore, nihilominus tamen superbus, cum tamen votum paupertatis dederit. Et Au-
13. gustini *lib. de Opere Monach. ad Marcellin. c. 28. Multos hypocritas sub habitu monachorum usqveqvaq; dispersit callidissimus hostis, eo cum euntes provincias nusqvam missos, nusqvam fixos, nusqvam stantes, nusqvā sedentes, alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditantur alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant, alii parentes vel consangvineos suos in illa regione se audisse vivere, & ad eos pergere, mentiuntur, & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis.* ut loqvitur Ziegler. Hæc & similia alia
14. βδελύγματα supervenerunt, ex qvo religiosis istis interdictum, ut ex qvo religionem ingressi, nulli liceat citra reatum perjurii ei renunciare, aut statu monastico relicto aliam capessere professio-

fessionem. Cujus qvidem captivitatis autor perhibetur fuisse Benedictus monachorum Italicorum Proavus, de qvo verba Polydori Virgilii *lib. 7. c. 2. de Inventor. rer.* allegat Ziegler. *ad Lancell. lib. 1. tit. 30. §. 13.* inter cujus verba etiam hæc apparent; *Sit monachus claustro suô contentus, qvia sicut piscis sine aqva caret vita, ita sine monasterio monachus, sedeat itaq; solitarius, & taceat, qvia mundo mortuus est, Deo autem vivit, agnoscat nomen suum, μόνος enim græcè, latinè est unus, ἄχος græcè latinè est tristitia, & dolor, sive mentis ægritudo, unde dicitur monachus, i.e. unus tristis. Sedeat ergò tristis, & officio suò vacet.* 15. 16.

CAP. XVI.

Ut ordinationes gratis fiant.

I. CLericus cujuscunqve sit gradus, nihil dare debet ei à qvo ordinatur, aut alii cuilibet personæ, nisi forte consvetudine quid sit introductum, quod tamen unius anni emolumenta non debet transcendere. 1.

II. Nec Xenodochus, aut Nosocomus, aut Ptochotrophus aut alius qvilibet venerabilis domus gubernator, aut qvamcunqve ecclesiasticam sollicitudinem agens debet dare aliquid illi à qvo constituitur, aut alii cuicunqve personæ pro commissa sibi gubernatione. Repetitur pœna jam supra dictata *ad C. 2. §. 1. h. Nov.* 2.

III. Si qvis clericus cujuslibet gradus, sive gubernator cujuslibet venerabilis domus aut ante ordinationem commissam sibi gubernationis cujuscunq; sollicitudinis, aut postea, aliqvid rerum suarum offerre voluerit Ecclesiæ, in qva ordinatur, aut loco, cujus gubernationem aut sollicitudinem suscepit, non solum non hoc fieri prohibet Imperator, sed & magis invitat eos talia pro salute animæ suæ facere; illa enim solum dari prohibet, qvæ propriis qvibusdam personis præbentur, non qvæ sanctis Ecclesiis, aut aliis venerabilibus locis offeruntur. 3.

Addit. Ordinans aliqvem in clericum nihil pro ordinatio- 4.

ne accipiet, idqve propter irreverentiam, & abusum rei sacræ, ejusq; contemptum, & vilipendium. Interea tamen enthroniastica vel cathedratica, de quibus *C. 3. h. N.* non sunt prohibita, qvæ sunt juris humani, & ex consvetudine possunt introduci, ut patet ex prandiis in ingressu exhiberi solitis, qvæ etsi temeri-
5. tate præsumptuosa exigi dicat Pontifex *Extravag. 1.* consvetudo tamen ejusmodi prandia non rejicit; sed observat, & qvidem solenniter ac sumtuosè, imò & cum fastu, etiam ad æmulationem, permittentibus id ipsum religionum superioribus, imò etiam exi-
6. gentibus, *L. Extrav. §. illa duntaxat.* Apud nos ordinationes à Superintendent. vel Inspectoribus fieri notum est, & qvidem sumptibus parochianorum, qvi & ordinanti in signum gratitudinis munus aliqvod offerre solent nonnunqvam vid. Carpzov.
7. *Jurispr. Consistor. lib. 1. Tit. 14. def. 53.* Nec qvoq; committitur Simonia, cum beneficiarius acceptô beneficio ei qvi contulit, sponte qvid offert, modo nulla pactio præcesserit, *c. 18. X. de delict.* & videtur hic donatio præsumenda esse Panormit. *d. c. 18.* Interea
8. tamen & apud Protestantes & Romano-Cathol. licitum est bona sua Ecclesiæ, in qva ordinatur offerre, aut donare, vel si non omnia, tamen partem eorum, nam hoc ipso Ecclesia locupletior fit, qvod ipsum uti raró fit, ita vix qvoq; præsumitur, multorum enim ordinandorum mores ita sunt comparati, ut divitias ab *Ecclesia sperent potius,* quàm ut in eam conferant, & eò
9. respicit Reinking. *lib. 1. Axiom. 19. Es haben sich mehr Leute gefunden, die sich mehr umb den Rock Christi, als umb seinen Leichnam bekümmert.* Plures semper inventi, qvi de tunica CHRISTI fuere sollicitì, qvâm de sancto ipsius corpore.

CAP. XVII.

Quomodo servus ordinari possit aut adscriptit.

1. I. SI servus sciente & non contradicente domino in clero ordinatus fuerit, eô ipsô liber & ingenuus erit; sed si ignorante dominô fiat ordinatio, licet domino intra spacium unius anni & servilem probare fortu-

fortunam, & suum servum recipere. Sive verò servus 2.
sciente domino, sive insciente, eo qvod in clero constitutus est, liber factus ecclesiasticum ministerium reliqverit, & ad secularem vitam transierit, domino suo ad servitium tradatur;

II. Adscriptitii in ipsis possessionibus, qvarum sunt 3.
adscriptitii, etiam clerici præter voluntatem domini fieri permittuntur, modò tamen impositam agriculturam adimpleant clerici facti.

Addit. v. *Auth. Si servus C. de Episc. & Cleric. & Auth. Adscriptitios C. eod.* qvæ vult, ut clerici facti alium surrogent agricolam, & 4.
substituant, qvia ita dominus lædi non videtur. v. *integram D. 54. Juris Canon. & Tit. Decret. de servis ordin. vel non ordin.*

CAP. XIIX.

De Ædificatoribus Ecclesiarum.

I. SI qvis Oratorii domum fabricaverit, & voluerit in 1.
ea ordinare clericos aut ipse, aut ejus heredes, si expensas ipsis clericis ministrant & dignos denominant, hi debent ordinari, si sint indigni, Episcopus qvoscunqve putaverit meliores, ordinari procuret.

II. Sancit clericos suis Ecclesiis obsecundare, & omne 2.
eis competens ecclesiasticum ministerium adimplere, reqvirente hoc uniuscujusq; civitatis Episcopo, & cujuscunqve ordinis ecclesiastici Primatibus, qvod si non custodiant, regulari multæ subdantur.

Add. Per *h. Nov. C. 18.* dicit Finckelth. *de Jure Patron. c. 1. n. 3.* 3.
Jus Patronatus nec ipsum Imperatorem Justinianum latuisse, licet ab initio angustis inclusum fuerit limitibus, & ejus neqve in Digestis, neq; in Codice; sed tantum in paucis Novellis fiat mentio, ut in *Nov. 5. c. 1. N. 57. c. 2. N. 67. c. 1. & 2. Nov. 123. c. 18. Nov. 131. c. 7.* Finckelth. *n. 11.* Multis tamen ante Justinianum Imperato- 4.
rem annis jam tum Patronorum rationem fuisse habitam in Ecclesia probat Excell. Dn. Stryk. *Addit. ad Brunnem. Jus Ecclesi. ad lib. 2. c. 8.*

5. *2. c. 8. ad* §. *1.* Constat hic verò per ædificationem Ecclesiæ Jus Patronatus acqviri. Finckelth. *d. l. c. 4. n. 74.* Brunnem. *Jur. Eccles. lib. 2. c. 8. th. 6.* & separatim sufficere, sic, ut fundatio, & dotatio non simul copulativè reqvirantur. Idem *d. l.* Idem in re ædificatio-
6. ne, modò Patronus, qvi Ecclesiam fundaverat, eam reficere nolit, nam si velit, alius ad hanc refectionem non admittendus; sed si nolit, ejus jus per hanc negligentiam exspirat. Idem Dn. Stryk. *Annotat. ad Jus Eccl. Brunnem. ad* §. *6. d. l.*

CAP. XIX.

Ut omnes Clerici res suas in sua Potestate habeant.

1. SUb nomine *clerici* intelliguntur Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, Cantores, & Lectores, qvi res qvolibet modò ad eorum dominium venientes sub sua habent potestate ad similitudinem peculii castrensis, de qvibus & donare, & testari possunt, licet sub parentum sint potestate, sic tamen, ut horum filii, aut his non existentibus, parentes eorum legitimam partem ferant.

2. *Addit.* Constat ex *hoc Cap.* clericum esse sub patria potestate (vid. supr. *Cap. 5. h. Nov.*) qvod si hoc etiam habebit peculium; Est verò illud triplex, vel enim constat ex propriis bonis clericorum, sive ea patrimonialia sint, sive qvasi patrimonialia, qvæ clericis ab amicis & cognatis obvenerunt, qvæqve suâ industriâ & labore acqvisiverunt, vel ex bonis Ecclesiæ vel ex bonis intuitu Ecclesiæ acqvisitis. Dessel. *Erotem. Jur. Can. de pecul.*
3. *Cler.* Zœs. & Vallens. *eod. Tit.* ubi tamen notandum non omnia bona, qvæ in clericorum dominium perveniunt, qvasi castrensi peculio esse accensenda, atq; de illis liberam disponendi facultatem sortiri, prout sunt bona materna, qvæ aliàs ad ipsos perve-
4. nissent, licet in clericum cooptati non fuissent, cœterum de bonis, qvæ dum in clericatu sunt, & occasione ejus acqvisivere, qvod intelligo de clericis filiis familias Protestantium, de qvibus verum, ut qvod ex officio Sacerdotali acqvirunt suum faciant, qvoad
5. proprietatem & usumfructum, liberrimeq; de illo testari qveant, modò

modò tamen liberis legitimam relinqvant, vel his non existentibus, parentibus suis, *hic & Auth. Presbyteros, C. de Episc. & Cler.* Nam de jure Pontificio clerici bonorum, eorumq; fructuum intuitu Ecclesiæ acqvisitorum sunt saltem usuarii, i.e. tantum inde possunt sumere, qvantum necessarium est ad commodam sui sustentationem, reliqvum verò ex lege non solum charitatis, sed 6.
& justitiæ erogandum in pios usus, & pauperum, juxta illud D. Hieronymi: *Tibi ô Sacerdos vivere de altari, non luxuriari permittitur*, referente Gratiano *D. 44. pr.* Idemq; apertius *D. 42. pr. Aliena capere convincitur, qvi ultra necessaria sibi retinere probatur.*
Contrariam verò sententiam, nempe clericos fructuum & pro- 7.
ventuum omnium, qvos ex beneficiis suis percipiunt sive sint distributiones, sive fructus alii, esse absolutè dominos, non solum qvoad partem congruæ sustentationi necessariam; sed & qvoad redundantem, tradit Vallens. *ad Decret. Tit. de pecul. Cler. §. 5.* & 8.
defendit Zœs. *eod. tit. n. 3.* licet tamen de illis testamentum condere posse non tradant, qvousqve autem illa facultas testandi competat, tradunt Canonistæ communiter *ad Tit. de Testam.*

CAP. XX.

Qvibus pœnis subjiciantur Clerici qvi falsum tulerint testimonium.

PResbyteri & Diaconi si falsum testimonium in causa 1.
pecuniaria dixerint, per triennium à ministerio separati, in monasterium detrudendi; in criminalibus clero nudati, legitimis pœnis subjiciendi; Reliqvi omnes in aliis etiam ordinibus ecclesiasticis constituti, si falsum testimonium cujuslibet causæ, sive pecuniariæ sive criminalis dixisse convincantur, non solum ecclesiastico officio debent repelli, sed etiam verberibus subdi.

Addit. Presbyteros, Diaconos, Canonicos regulares, & ali- 2.
os religiosos testes esse posse in causis civilibus & criminalibus dubium non habet, licet enim arceantur à negotiis secularibus, veluti judicandi munere, tutela, procuratione, & similibus aliis actibus atq; officiis civilibus & forensibus. *C. Monachi 16. qv. 1.*

 c. 2.

um consolator, Job. 29. Sedere quippe circumstante exercitu, vigor est ac disciplina regiminis, mœrentium verò corda consolari ministerium pietatis. *d. c. 9. Def. 45.* Cavendum tamen, ut citra 12.
mortis aut mutilationis periculum verbera infligantur, & ne in vindictam sangvinis transire videantur. *c. 4. X. de raptor.* Quanquam si casu & ex post facto sangvinis sequeretur effusio, non 13.
per hoc incurratur irregularitas, quia ea non contrahitur, nisi morte vel membri mutilatione. vid Vallens. *ad Decr. de Panis.*

CAP. XXI.

Ut Clerici apud proprium conveniantur Episcopum.

I. SI qvis contra clericum aut monachum, aut diaconissam &c. actionem aliqvam habeat, prius adeat Episcopum, cui unusqvisqve subjectus, cujus sententiæ, si partes acqvieverint, judex loci eandem debet exeqvi. 1.

II. Si qvis litigantium intra 10. dies judicatis contradicat, judex loci causam examinet, & si judicium recte factum invenerit, per sententiam propriam confirmet, & executioni propriæ tradat, qvæ judicata sint, nec liceat secundo in tali causa victo appellare. 2.

III. Si judicis sententia contraria fuerit illis, qvæ ab Episcopo sunt judicata, locum habebit appellatio contra sententiam judicis, & si Princeps Episcopo causam delegaverit, ad ipsum Principem appellandum. 3.

§. 1. Si de crimine conveniatur, Episcopus inqvisita veritate degradare eundem, secundum regulas ecclesiasticas, & judici seculari tradere debet; si verò prius civilem judicem adeat accusator, & crimen per legitimam examinationem potuerit probare, Episcopo loci gesta monumentorum palam faciat, ex qvibus si agnoscatur, proposita crimina commisisse eum, Episcopus secundum regulas eum honore sive gradu, qvem habet, separet; sed 4.

judex

5. judex ultionem ei inferat LL. congruentem. Si verò E-
piſcopus putaverit, geſta non juſte confecta, liceat ei qvi-
dem accuſatam perſonam nudare honore ita tamen, ut ea
legitimè cuſtodiatur, & ad Imperatorem tam ab Epiſcopo,
qvam à judice cauſa referatur.

6. §. 2. Si qvis pro pecuniaria cauſa contra aliqvem, vel
aliqvam dictarum perſonarum habeat actionem & Epi-
ſcopus inter eas judicare diſtulerit, actor civilem judicem
adire poteſt, ita tamen, ut accuſata perſona nullô modô
fidejusſorem dare compellatur; ſed ſolam cautionem ſine
jurejurando cum hypotheca rerum ſuarum exponere.
Sed ſi criminalis cauſa contra aliqvam harum perſona-
7. rum ſub legitima cautione accuſatio fiat. Si Eccleſiaſtica
cauſa eſt, nullam communionem judices civiles circa ta-
lem examinationem habeant; ſed Epiſcopus cauſæ finem
imponat.

8. *Add.* Qvæ ad hoc C. dici merentur jam tum ſuprà ad *Nov. 79.
c. 1.* fuerunt propoſita, illud hic modò additur, judicem civilem
eccleſiaſtici ſententiam, ſi litigans contradicat, examinare, & con-
firmare, vel reformare poſſe, ita tamen, ut uterqve judex tam civi-
lis, qvàm eccleſiaſticus ſine affectu procedat, maximè verò hic, ad
qvem gravis eſt admonitio in *c. 1. de Sentent. in 6to.* qvam hic tran-
9. ſcribo; *Caveant judices eccleſiaſtici, & prudenter intendant, ut in cau-
ſarum proceſſibus nil vindicet odium, vel favor uſurpet, timor exulet,
præmium aut exſpectatio præmii juſtitiam non evertat; ſed ſtateram ge-
ſtent in manibus, lances appendant æqvô libramine, ut in omnibus, quæ in
cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis & ferendis ſententiis
præ oculis habeant ſolum DEUM illius imitantes exemplum, qvi quere-
las populi tabernaculum ingresſus ad Dominum referebat, ut ſecundum
10. ejus Imperium judicaret. Si qvis autem Judex eccleſiaſticus ordinari-
us, aut etiam delegatus, famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor hono-
ris contra conſcientiam, & contra juſtitiam in gravamen partis alteri-
us in judicio qvicqvam fecerit per gratiam, vel per ſordes, ab executio-
ne officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti,
11. quam læſerit, nihilominus condemnandus.* Ulterius & judicata pro-
priæ

priæ tradat executioni, nec ſecundam appellationem concedat, qvæ & in Conſiſtoriis noſtris vix admittitur, niſi ponatur fuiſſe cauſam à delegato judice ſeu Commisſario deciſam, & ab hoc ad Conſiſtorium, à Conſiſtorio verò ſecunda vice ad Principem fuisſe appellatum. Ultra Principem Evangelicum verò non appel- 12.
latur, licet ab eo Principe detur aliàs in civilibus ad Cameram appellatio non tamen in ſpiritualibus. v. Brunneman. *Jure Eccleſ. lib. 3. c. 10. §. 17.* De criminibus ab eccleſiaſticis commisſis itidem dictum ad *Nov. 79. c. 1. & Nov. 83. præf. & c. 1.* Saltem paucis ad- 13.
dendum de degradatione reali ipſius clerici, ſi crimen commiſiſſe probatum, quam realem vel actualem ſolus facit Epiſcopo & complures alii *C. degradatio §. Clericus X. de pœn. in 6to.* reqviritur etiam præſentia aliorum Epiſcoporum vel ſaltem Abbatum, aut Prælatorum, prout ſancitum eſt à Concilio Tridentino, *ſesſ. 13. c. 4.* ſi incorrigibilis exiſtit Epiſcopus, excommunicatur, & creſcente 14.
contumacia anathematizatur, & ſi poſtea in profundum malorũ venerit, cum Eccleſia non habeat amplius, qvod agat, à ſeculari judice damnatur *c. cum non ab homine X. de judic.* Gradus qvoqve 15.
pœnarum jure civili eſſe indictos patet ex *L. 2. §. 2. ff. de his qvi not. inf. l. 8. pr. ff. de pœn.* Formam degradationis qvod attinet, eam deſcribit Zœſ. *ad decr. Tit. de Pœnis. n. 11.* Reus veſtibus ſacris indu- 16.
tus, portans inſtrumenta, ſeu ornamenta ſacra, ut vaſa, librum, aliaqve ad ordinem illum, à qvo degradandus, ſpectantia, ac ſi ſolenniter in eo miniſtrare deberet, præſentatur publicè Epiſcopo, ab eoq; iis omnibus exuitur, inchoando ab eo, qvod ultimo datum, aut traditum, usq; ad primam veſtem, qvæ data in primæ tonſuræ collatione. Deinde raditur & tondetur ejus caput, ne veſti- 17.
gia appareant clericatus *c. 2. X. de pœn. in 6to.* Adduntur verba oppoſita illis, qvæ in collatione ordinum alias proferri ſolent, hæc ſcilicet; *Autoritate DEI Omnipotentis, PATRIS, FILII, & SPIRITUS S. ac noſtra tibi aufferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus & exuimus te omni ordine, & privilegio clericali.* Ratio ve- 18.
rò cur ſic de crimine condemnatus, ordine exutus, & poſtea curiæ ſeculari tanqvam abjectum & profanatum membrum pro facienda executione traditur, introducta fuerit, illa eſt, ne clericus in clericatu ob ordinis reverentiam turpiter moriatur, & qvia judex ec-

clesiasticus sangvinis pœnam agitare neqvit. *c. Prelatus de homicid. in 6to, C. in Clericis, C. in sententia Ne Cleric. vel Monach. secul. negot,*
19. Julius Char. *§. fin. qu. 36. vers. qua omni.* Adhæc sciendum est, aliam adhuc esse degradationem, sive exauctorationem, qvæ in militibus & Doctoribus delinqventibus antiqvitus observari consveverat, nam priusqvam punirentur, recingebantur, h. e. militaribus insignibus, & Doctorali cingulo privabantur & exuebantur, qvia nemo in dignitate mori debet *gloss. sing. in l. omnes verb. omissionem C. de Episc. & Cler.* Petr. de Ravenna *Singul. 312. incis. mori.* Sic
20. legitur apud Herodianum *in vita Severi* qvô pactô milites Pertinacis à Severo recincti & exautorati sint, præcepit enim suis militibus, ut recingerent milites Pertinacis, & zonis ac vestimentis exutos militaribus nudos dimitterent, qvam tamen exauctorandi solennitatem in desvetudinem abiisse refert Gail. *lib. 1. de P. P. c. 1. n. 29.*
21. De Doctore notandum, si semel degradatus, sive privatus gradu Doctoratus, qvod iterum Doctor creari neqveat. Balduin. *in L. 2. C. de Libertat. & eor.* Felinus. *num. 91. X. de Constitut.*
22. Walther. *de Privileg. Doctor. p. 582. 583.* Id pertinet adhuc ad h. C. h. N. *An Sacerdos in testem productus in civili causa juramentum testium præstare cogatur?* qvod A. qvia clerici nullibi excepti leguntur, & tota substantia depositionis testium in juramento consistit Gail. *lib. 1. obs. 101.* Et in specie de clericis juraturis disponitur *c. 51. X. de Testib.* ubi habetur, qvod nullius testimonio, *quantumcunq; religiosus existat* nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium credi debeat. vid. Rittershus. *ad Nov. P. 1. c. 7. n. 5.* in eo tantum potior est Episcoporum causa, qvod non tactis; sed saltem propositis S. S. Evangeliis jusjurandum jurent. vid. Finckelth. *obs. 9.*

CAP. XXII.

Ut Episcopi apud proprium conveniantur metropolitanum, & ut cavere pro lite non teneantur.

1. I. IGitur metropolita cum aliis Episcopis de sua Synodo causam examinet & judicet, & si non rata habuerit utraqve pars, qvæ judicata sunt, Patriarchæ diœceseo

ſeos illius inter eos audiat, & determinet illa, qvæ eccleſiaſticis canonibus & legibus conſonant, nemine ejus ſententiæ contradicere valente. Idem obſervetur, ſi â clero, aut alio qvocunqve aditio contra Epiſcopum fiat propter qvamlibet cauſam apud Metropolitam.

II. Si Epiſcopus contra Metropolitam agat, Patriar- 2.
cha cauſam judicet; Cœterum hic omnes judices nullam fidejusſionem, aut cautionem pro lite exigant, ſic tamen ut ſtudeant illatis ſibi cauſis ſemetipſos abſolvere.

Addit. Metropolitæ & Patriarchæ qvinam ſint, ſuis locis ſupra 3.
fuit explicatum. Qvemadmodum verò judex ſecularis ſecundũ LL. Civiles, vel ſecundum acta & probata judicare debet, *pr. I. de Officio jud. L. Illicitas 6. §. 1. ff. de offic. præſid.* nec à præſcripta in jure pœna recedere *L. 1. ff. ad SCt. Turpill.* ita & hi judices ut eccleſiaſtici debent ſecundum canones judicare, nec à pœnis per eos ſtatutis recedere. *c. 1. de Conſtit. c. 1. X. de ſent. & re judic.* niſi cauſa ſubſit, qvia tum permisſum eſt utriq; pœnam vel augere, vel minue- 4.
re, vel etiam prorſus remittere *c. f. X. de transact. l. 3. & 4. C. Ex qvib. C. infam.* pro varietate ſcil. circumſtantiarum, cauſæ, perſonæ, loci temporis, quantitatis, qvalitatis, & eventus *L. 18. ff. & arg. l. 11. §. 1. ff. de Pœnis,* ulterius id videant, ne ullam fidejusſionem aut cau- 5.
tionem pro lite accipiant, inprimis â religioſis, qvi fidejubere non posſunt, quia velle aut nolle non habent, niſi autoritate ſuperioris, cui voluntatem ſuam ſubjecerunt *c. penult. X. de fidejusſor.* non enim decet clericos vacare fidejusſionibus, ne ſecularibus ſe im- 6.
miſceant, & â divinis abſtrahantur *t. t. X. Ne Clerici vel Monachi ſecular.* qvô modo dicitur *c. 1. X. de fidejusſor.* tales â clero eſſe abjiciendos, cautionem tamen cum hypotheca rerum ſuarum ſine jurejurando facere permittit *c. præced. 21. h. N. §. 2.* & maximè ſi criminalis cauſa adverſus eccleſiaſticam perſonam ventiletur *d. §. 2. cap. 21.*

CAP. XXIII.

Ut Oeconomi & ſimiles apud proprium Epiſcopum conveniantur.

1. I. OEconomi & Xenodochi, Nosocomi, Ptochotrophi, & aliorum venerabilium locorum gubernatores, aliiqve omnes clerici pro creditis sibi gubernationibus apud proprium Episcopum, cui subjacent, debent conveniri, coram eo rationem suæ gubernationis facere, & exigere, qvod apparet deberi venerabilibus locis. Si
2. verò ab eo se gravari putent, ad Metropolitam appellare licebit, & ab hoc ad Patriarcham, nec enim conceditur prædictis personis antè examinationem & exactionem debiti proprios Episcopos declinare, & ad alia venire judicia.
3. II. Si qvis Ecclesiasticorum, cui aliqva dispensatio credita est, ante rationum expositionem & debitorum solutionem sit mortuus, ejus heredes simili modô & rationibus & exactionibus debent subjacere.
4. *Add.* Sicuti in civilibus litigare coram judice incompetente est litigare coram homine privato, qvi jus dicendi potestatem non habet Zanger. *de Except. P. 2. cap. 1. n. 1.* ita qvoqve se res habet in Ecclesiasticis, ubi Imperator qvemcunqve coram judice competente conveniri vult, & sicuti jure civili ad superiorem omissô intermediô appellare per saltum non licet. *L. 21. ff. de Appellat.* ne confundantur jurisdictiones *L. nemo C. de jurisd. omn. jud.* ut ne qvidem ad Imperatorem seu Principem omissô mediô
5. appellare liceat. *L. Imperatores ff. de Appellat.* Ita qvoqve hic gradatim fieri appellationem velle videtur Imperator, qvod tamen Jure canonico non convenit, nam juxta hoc ad summum Pontificem immediatè, omissis intermediis judicibus appellare licet. *C. 7. I. 34. 54. X. de Appellat.* prout & ad legatum de latere in provincia sibi decreta existentem *c. 1. de Offic leg.* & ibi Panormit. qvia gerit vices Papæ, & concurrit cum qvolibet ordinario. Ra-
6. tio diversitatis inter jus civile & canonicum est, qvod non privative uti Princeps laicus; sed cumulativè cum inferioribus communicaverit suam jurisdictionem Pontifex, ut etiam in prima instantia coram eo lis inchoari à qvocunqve possit cum sit omnium Christianorum ordinarius judex. Zœs. *ad Decret. de appellat.*
7. *n. 2.* vid. Ziegler. ad Lancellott. *lib. Tit. 17. §. 14.* Rationem, cur

Princeps

Princeps privativè jurisdictionem suam concesserit, allegat hanc Zœs. *ad ff. de Appellat. n. 17.* ne multitudine negotiorum obruatur in freqventibus pro Republ. occupationibus. *L. 32. C. de Appell.* & ne inferiorum judicum autoritas in contemptum abeat. Ulterius qvoqve vult Imperator hæredes administratorum ad red- 8.
ditionem rationum adstringi, & sanè justum est, si inchoatum sit judicium cum defuncto, teneri de omnibus respondere, de quibus tenebatur defunctus, etiam de levi culpa, qvid si verò lis non sit inchoata tantum dolum & latam culpam præstari *arg. L. 1. C. de her. tutor.* v. *l. 4. §. 1. ff. de fidej. Tut. L. 4. ff. de Magistrat. conven.* conf. Hæser. *de ration. redd. loco 1. n. 125.* & Jacobi Döplers. *P. 2. des getreuen Rechnungs-Beambten*, qvi inter alia etiam tradit, *wie der Hospital, Kirch- und Allmosen Kasten, Vormundschafft, und Dorffs-Rechnungen pflegen eingerichtet, abgehöret, und darüber qvittiret zu werden.*

CAP. XXIV.

Ut Episcopi illic ubi deliqverint, conveniantur.

Episcopi vel clerici delinqventes Constantinopoli re- 1.
perti, ibi possunt conveniri, si pro ipso negotio litis contestatio in provincia facta, ibi qvoqve lis debet compleri; Si verò lis nondum inchoata est, apud Præfectum Prætorio Orientis, aut apud judices delegatos.

Addit. Et clerici delinqventes, modo lis contestata ubi 2.
reperiuntur sunt puniendi, reatus enim criminis omne privilegium excludit *L. 1. C. ubi Senat.* unde vulgare dictum, *ubi te invenio, ibi te judico,* nec distingvitur, unde sint, licet non sint in- 3.
de, ubi accusantur; sed alibi habeant domicilium. vid. Sande *lib. 1. Dec. Fris. Tit. 1. Def. 6.* Cœterum qvia Episcopi judicium sangvinarium non est *c. 5. X. ne clerici vel monachi secularibus &c. c. 30. c. 23. qv. 8.* Weber. *de Consistor. c. 27. Sect. 26.* & tanta nonnunqvam est hominum malitia, ut gladius spiritualis secando modo non sufficiat, aliqvando solet ad reqvisitionem judicis ecclesiastici sententiam exeqvi judex secularis, qvod Doctores vocant

 BRA-

BRACHIUM JUDICIS SECULARIS INVOCARE. Qvod qvi-
4. dem receptum eſt 1. ubi reus pœna ſangvinis afficiendus, Scipio Gentil. *de Jurisdict.* Doctores communiter. 2. Ubi reus laicus à judice eccleſiaſtico in cauſâ civili eſt condemnatus, neqve ipſe ad qvæcunqve remedia tentata, ſententiæ parere voluit eccleſiaſticæ; hujus enim bona cum pro executione aufferre, vel eum in carcerem detrudere neqveat, facilè apparet, opus eſſe auxilio ſecularis. Decian. *Tr. Crim. lib. 4. c. 26. n. 15.* Greven. *lib. 1. Concl.*
5. *115. n. 10.* ſcil. ubi de reſtitutione rei ſecularis actum eſt, ſic enim ſecularis judex rectè poteſt implorari. Aliud eſt, ſi de rei eccleſiaſticæ reſtitutione ageretur, qvô caſu prius ſuperior judex eccleſiaſticus reqvirendus, & demum in ſubſidium ad ſecularem eſt deveniendum. Menoch. *remed. recup. posſesſ. 3. n. 360.*
6. 3. Non omnis judex brachium ſeculare invocare poteſt, neqve enim delegatus Eccleſiaſticus poteſt, qvod ſimpliciter procedere putat Mindan. *de Procesſ. 65. m. 6.* Limit. tamen in delegato Papæ vel Principis *c. ſanè & c. ſignificaſti X. de officio & pot. judic. deleg. & c. Paſtoralis §. præterea X. de offic. judic. ordin.* & in terminis Mynſing. *Dec. 1. Reſp. 6. n. 6.* vid. Ruland. *Tr. de invocat. brach. ſec.*
7. & Gail. *lib. 1. Obſ. 115.* Qvid verò in primo caſu necesſum ſit brachium ſeculare invocare pro adminiſtranda juſtitia, ſi cauſa ſangvinem humanum concernat, non ſatis apparet præſuppoſitâ ſententia Dn. Thomaſii Antecesſoris Hall. *in Tract. von dem Recht Evangeliſcher Fürſten in Theologiſchen Streitigkeiten, Poſit. 5. §. 12.*
8. qva ſatis juſtè defenditur, Principem qvoqve per Conſiſtoria pœnam ſangvinis dictare, nec enim conſtat, qvid inde Conſiſtoriis decedat, qvomodo eorum membra exinde profanentur, aut ſangvinem ſitire dici posſint, & ne hoc de Pontificum ſanctitate diceretur, potius immurationem per qvam homines ſæpè ad de-
9. ſperationem adiguntur, qvam pœnam ſangvinis de hoc maluerunt, ut adeò mirum ſit tot magni nominis Doctores, qvos inter & Proteſtantium aliqvos, hac in re jus canonicum, ejusq; Ddr. cum veteres tum recentiores fuisſe ſecutos. vid. Dn. Thomas. *d. l. integra Poſitio 5.*

CAP.

CAP. XXV.

De Apocrisiariis.

HI neqve pro suis Episcopis, neqve pro causa Ecclesiæ, aut pro debito publico aut privato ullô modo debent conveniri, nisi 1. ab Episcopis suis habeant mandatum, vel 2. ab oeconomo, aut 3. alios conveniant; sic enim illis, qvi ab eis conveniuntur, dat licentiam, si qvam habent contra Ecclesiam obligationem, aut contra Episcopos, eam proponere. Qvod si & in aliqvibus causis vel actionibus semet ipsos obligaverint, tempore qvo respondent, conventionem sustinere obstricti sunt. 1.

Addit. Apocrisiarii sunt, qvi res Ecclesiæ agunt *Gloss ad h. cap.* qvi sicuti alias privatorum Procuratores sine mandato non admittuntur, ita nec hi sine Episcopi mandato, qvi si actores sint de expensis & reconventione cavere non tenentur, *arg. 39. §. 1. ff. de Procurat.* per reconventionem autem eidem judici iterum subjiciuntur. *L. cum Papinianus. 14. C. de Sentent.* 2.

CAP. XXVI.

Ne Episcopi legationis tempore conveniantur.

ERgo qvi putat, eos sibi habere obligatos, conveniat, ex qvo in provinciam reversi, ut tamen interea actori non currat præscriptio. 1.

Addit. Communiter hoc extendere solent si & ante legationem contraxerint, qvod & sic durante legatione molestari non possint. *L. 2. §. 4. ff. de judic.* Qvod si verò tempore legationis se obligavit legatus, statim conveniri potest, nam daretur aliàs potestas legatis sub hac specie res alienas domum auferendi, *L. 25. ff. de Judic.* vid. infra *ad Cap. 43. h. Nov.* si qvoqve alios conveniat. tunc & ibidem reconveniri potest, etiam durante legatione, non qvasi ab omnibus aliis convenire posset; sed tantum ab eo qvem convenit, nisi alios ex Lege Aqvilia vel injuriam 2. 3. 4.

riarum actione conveniat, sic enim reconveniri non potest, ne in potestate cujusq; sit, pulsando legatum eum subjicere jurisdictioni. vid. Brunnem. *ad C. 2. & 3. ff. de judic.* Qvod si nimis diu absens sit, & interea adversario tempus ad agendum præterlabatur & sic actio præscripta videatur, præscriptio non nocet, dum non volenti agere, non currat præscriptio. *L. 2. C. de Annal. Exc.* & ubi jus aufert agendi potestatem, temporalis præscriptio non currit. *Gl. h. C.*

CAP. XXVII.

Ut Monachi per Procuratorem se defendant, & de qvantitate sportularum.

1. Clericus vel monachus, & monasteria, vel ascetria, si ob pecuniariam causam conveniantur, monasterio non debent abstrahi, sed Procurator ab eis ordinari, 2. qvi pro causa respondeat. Monachi autem possunt vel per se, vel per Procuratorem monasterii causas agere, ita, ut si judex vel executor prævaricetur, cingulo spolietur, & pœna 50. librarum auri plectatur, executor qvoq; super hoc verberetur, & in exilium mittatur, judice vindictam differente, Episcopus ad scientiam Imperatoris referat.

3. *Addit.* Sicuti in causa civili nemo invitus ex domo sua debet extrahi, cum domus unicuique sua tutissimum sit receptaculum, *L. plerid; 18. ff. de in jus voc.* ita multò minus monachi, vel monastriæ monasterio abstrahendæ, cum Deo & rebus sacris se 4. semel consecraverint hisq; solis, relictis, qvæ ad seculum pertinent, vacare debeant; Et cum monachi solitariam vitam degere profiteantur, à forensi strepitu ac litigiis summoveri omninò convenit, nisi monasterii exigat necessitas vel utilitas, & Abbatis accedat imperium, qvibus casibus ad procurationis officium accedere minimè prohibentur *Clement. 3. X. ne Cleric. vel Monach.* qvod & velle videtur Imperator hic in textu, dum per se monasterii causas agere posse concedit.

CAP.

CAP. XXVIII.

De modo ſportularum in perſona Clericorum.

I. DEterminatur qvantitas ſportularum à clericis in judiciis ſolvendarum, nempe non amplius 4. ſiliqvis dare permittit. 1.

II. Qvod ſi ex Imperatoris jusſione, aut ad judicem, aut Patriarcham misſus executor in alias Provincias admonitionem offerat alicui clericorum, non ultra unum ſolidum accipiat. Si omnes canonici unius Eccleſiæ fu- 2. 3.
erint admoniti, unam & ſolam perſonam pro omnibus ſportulas dare ſancit.

III. Epiſcopus pro rebus Eccleſiæ ſuæ nullam exactionem moleſtiamq; ſportularum ſuſtineat; & ſi contra Eccleſiam actiones proponantur, œconomi ſuſcipiant, aut illi, qvi in cauſam eam ſunt ordinati, qviq; contra hæc exigere ſportulas præſumſerit, in duplum qvod accepit reddere compellatur, & ſiqvidem militat, cingulum perdat, ſi verò clericus fuerit, à clero removeatur. 4.

Addit. Hodie Clerici in judiciis litigantes, perinde ut laici ſportulas ſolvunt. Siliqva qvid importet, ſupra ex Alex. ab Alex. *lib. 2. c. 20. & lib. 4. c. 24. geneal. dier.* ſatis eſt explicatum. 5.

CAP. XXIX.

Ne Clerici mulieres ſuper inductas in propriis domibus habeant, Epiſcopi verò nullas.

PResbyteris, Diaconis & Subdiaconis in domibus ſaltem licet habere matrem, ſororem, aut filiam, & alias perſonas, qvæ omnem effugiunt ſuſpicionem. Si qvis verò absqve hac obſervatione mulierem in ſua do- 1.

mo habet, qvæ suscipionem ipsi inferre potest, & semel & secundò à suo Episcopo, aut à suis clericis admonitus, ne cum tali muliere habitaret, eamq; sua domo ejicere noluerit, Episcopus ejus secundum ecclesiasticos canones de clero eum amoveat, curiæ civitatis, cujus erat clericus, tradendo.

2. II. Episcopum verò nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare permittit, qvod si non custodiat, Episcopatu projiciatur, ipse enim se ostendit indignum sacerdotio.

3. *Add.* Vetuerunt & interdixerunt canones non solum matrimonium, ac matrimonii usum prout supra assertum ad *Nov. 5. cap. 1.* sed & qvamlibet periculosam ac suspectam cum mulieribus cohabitationem, præterqvam cum avia, matertera, amita, matre, sorore, filia, nepte, & qvæcunq; ex familia sunt domestica necessitate, veluti ancillæ, & pedisseqvæ *c. 14. c. 26. D. 81. & c. interdixit D. 32.* Exceptionis ratio est, qvia in illis personis naturale

4. fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari. *c. 9. X. de Cohabitat. Clr.* qvod & dicendum de aliis provectioris ætatis fœminis, modo honestæ sint, & omnem excludant suspicionem. Qvod si &

5. tales de incontinentia & lubrica vita sint suspectæ, non licebit clericis cum eis cohabitare, qvia instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedisseqvis earundem *c. 1. X. eod.* nam & thamar à fratre suo oppressa & corrupta fuit. *2. Reg. 13.* unde de D. Augustino legitur, qvod ne cum sorore qvidem habitare voluerit, dicens: *Qvæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. C. legitur 25. D. 81.* Episcopi verò nullam o-

6. mninò ad cohabitandum admittere debent mulierem aut possunt *hic & Nov. 5. cap. 3.* vocat Justinianus Imperator in textu Græco talem mulierem ἐπείσακτον, qvam scil. clerici secum non sobolis nec libidinis gratiâ; sed pietatis studio ac prætextu habebant, v. Ziegler. ad Lancell. *lib. 1. Tit. 12. §. 9.* qvare autem strictius Epi-

7. scopis prohibita sit mulierum conversatio, qvam cæteris religiosis, rationem canonistæ proferunt *statum perfectionis in qvo tales sunt.* vid. Hostiensis in summa *Tit. 10. de cohabitat. Cler.*

CAP.

CAP. XXX.

Ge Diaconissis.

ET has nullô modô cum viro, ex qvo poteſt inhone- 1.
ſtæ vitæ emergere ſuſpicio habitare permittit, qvod
ſi non obſervent, ſacerdos ſub qvo ſubjacent, admoneat ut omnibus modis talem virum ejiciant è domo ſua, qvod ſi agere diſtulerint, eccleſiaſtico miniſterio, & propriis emolumentis alienatæ monaſterio tradantur, & ibi
omni ſuæ vitæ tempore degant, rebus earum, ſiqvidem 2.
filios habeant, inter ſe & illos juxta numerum perſonarum dividendis, ut competentem ipſi mulieri partem monaſterium accipiens, eam alat, & regat; ſi autem non ha- 3.
buerit filios, omnis ejus ſubſtantia inter monaſterium, ubi mittitur, & Eccleſiam, in qva prius erat conſtituta, æqvâ portione dividatur.

Addit. Erant Diaconisſæ mulieres, qvibus cura pauperum, 4.
peregrinorum, ægrorum, viatorum, aliaq; pietatis officia commendabantur. Brunneman. *ad L. 9. C. de Episc. & Cler.* Hæ igitur 5.
non cum maritis vivere debebant, perinde ſicut clerici & religioſi non cum mulieribus, nam & caſtitatis obſervatio præcipuum ipſarum debebat eſſe debitum, & ſi non major, non tamen minor; ſed æqvalis ipſarum eſſe oportebat caſtitas, Medeæ Euripidis ad inſtar, *pudicitia me delectat, pulcherrimum donum Deorum.* conf. dicta ſuperius *ad Nov. 3. cap. 1.*

CAP. XXXI.

De his qvi in Eccleſia Epiſcopo aut alijs Clericis injuriam inferunt.

TAle qvid faciens jubetur verbera ſuſtinere, & in exi- 1.
lium mitti, qvod ſi ſacra miniſteria conturbaverit, aut celebrari prohibuerit, capitaliter punitur; Si in-
juriam ſolum fecerit, verberibus exilioqve tradatur; Si 2.

etiam litaniam concusserit, capitale periculum sustinebit, & vindicare debent non solum civiles; sed etiam militares judices.

Addit. Jure Pontificio si qvis in clericum aut religiosum vi-
3. olentas manus injecerit, excommunicatur ipsô factô. *C. si qvis svadente diabolo 17. qv. 4. c. 5. cum simul. in fin. de Sentent. excomm.* & in eum, qvi Cardinalem hostiliter insecutus percusserit, velluti in reum læsæ Maj. advertitur. *c. felicis de pœnis in 6to.* Qvi autem in Episcopum hæc perpetraverit, iisdem ferè pœnis coerce-
4. tur. *Clem. 1. de pœnis c. un. X. eod. in 6to.* Apud Protestantes itidem malitia illa atq; audacia, qvando verbis importunis & injuriosis Ecclesiæ ministris atq; concionatoribus vel palam in suggestu stantibus aut aliàs sacra tractantibus & ministrantibus insistitur, iis contradicitur, aut sacra alio modo turbantur, & impediuntur, coercetur, & punitur, qvapropter in ejusmodi non tan-
5. tum deprecatione publica; sed etiam pro re nata & varietate circumstantiarum arbitraria relegationis & fustigationis, qvandoq; etiam gladii pœnâ animadvertitur, qvæ tamen certa præsupponit reqvisita 1. si offendatur non verbis tantummodo, sed etiam verberibus vi & facto minister verbi divini, & qvidem 2. in loco Ecclesiæ, eo præprimis 3. tempore, qvo tractat & administrat cultum divinum, & 4 per hoc sacra turbentur. Bald. *ad L. 10. cum*
6. *Auth. sed novo jure C. de Episc. & Cler.* Qvapropter ob aggressionem & vulnerationem personæ religiosæ inter tractatus sacros tam invasori, qvam mandatariis & auxiliatoribus gladii pœnam à Scabinis Lipsiens. dictatam, refert Coler. *P. 1. Dec. 178. n. 1. 4.* Deficientibus autem 4. reqvisitis prædictis, vel uno tantum, ne-
7. qvaqvam tam rigorosè in turbatores sacrorum animadvertendum erit; sed sufficit pœna arbitraria Finckelth. *Obs 72. n. 5.* Carpzov.
8. *lib. 3. Jurispr. Consist. def. 95.* Notandum hic verò 1. illatam clerico injuriam haberi pro atroce *L. 4. C. de injur.* qvæ injuriæ atrocitas dignoscitur ex persona, loco, tempore, *L. 7. §. ult. ff. de in-*
9. *jur. §. 9. I. eod.* nam qvalitas personæ & habitus sive vestitus facit injuriam vel atrociorem vel leviorem. Brunnem. *ad. d. l. 4. C. de injur.* Et ipsos gentiles habuisse hanc injurium atrocem probat Idem *ad Auth. sed novo jure C. de Episc. & Cler.* 2. Licet alia injuria

ria ad delicta privata referatur, *pr. I. qvib. med. obligat. ex delict.* 10.
injuriam tamen clero illatam esse publicum crimen, qvemlibet posse accusare, & judicem ex officio debere inqvirere. Idem *ad L. 10. de Episc. & Cler.*

CAP. XXXII.

Ne laici faciant litanias sine Episcopo, & Clericis, & crucibus.

QValis enim est litania, in qva sacerdotes non inve- 1.
niuntur, & solennes orationes faciunt; sed & ipsæ honorandæ cruces non alibi nisi invenerabilibus locis debent reponi, & si qvando opus vocaverit ad litanias celebrandas, ipsas sanctas cruces accipiant, qui consvetè eas portare solent, & cum Episcopo & clericis litanias celebrare, custodientibus locorum Episcopis, aut etiam eorum clericis, & per loca judicibus.

Add. Litaniæ sunt rogationes sive preces publicæ & solennes, 2.
pro communi salute Christianorum, & conservanda Religione Christiana institutæ, qvæ ut apud Protestantes introductæ & institutæ, ita in Ecclesiis Christianis meritò retinentur, & utinam in frequentiore Christianorum cœtu i. e. finitâ concione haberentur.
Dicuntur qvoq; Litaniæ rogationes sive publici processus, qvod 3.
observavit Cujac. adducens *Nov. 67. c. 1.* Hæreticis diu noctuqve Litanias aliaqve exercitia interdicit Imperator in *L. 3. C. de hæretic.* vid. de Litaniis Rittershus. *Nov. P. 1. cap. 5. per tot.* & Otto *in der*
Krancken-Postill, ubi tradit; *die Litaney ist uhralt, wie auß Justiniano,* 4.
Tertulliano und Cypriano wissend, aber ungewiß wer es am ersten auffgesetzet. Litania est per antiqva, prout ex Justiniano, Tertulliano & Cypriano constat, sed incertum, uter eam primum confecit.
Aliqvi existimant An. Chr. 468. Cum Viennæ in Gallia 5.
insignis terræ motus existeret, qvo ipso Ecclesiæ & domus innumerabiels solo æqvabantur; lupi & animalia alia fera maximè homines invaderent, & neci darent, & aliæ infandæ calamitates iram domini denunciarent, Viennensem Episcopum in Gallia Litaniam & preces communes instituisse habendas diebus ali-

qvot ante ascensionem Domini, qva de re etiam refert Sigebertus Gemblacensis in Chron. Conf. Polydorus, Virgilius *de Inventorib. rer. lib. 6. c. 11.* & Mart. Bohem. *im Kirchen-Kalender Conc. 6.*

CAPUT XXXIII.

Transcribitur hic in Græco totum primum Caput *Nov. 5.* suprà.

CAP. XXXIV.

Ut Abbas non tam antiqvitate qvam bona existimatione censendus sit & eligendus.

Vid. supra ad *Nov 5. c. 1. 2.*

CAP. XXXV.

De Monachis non statim vestiendis.

Idem argumentum tractavit supra ad *Nov. 5. c. 2.*

CAP. XXXVI.

Ut Monachi in uno conclavi habitent.

Et hoc supra ad *C. 3. d. Nov. 5.*

CAP. XXXVII.

Conditionem nuptiarum vel liberorum non extare, si qvis Monasterium ingrediatur.

1\. I. SI qvis legavit mulieri fundum, ut in dotem haberet, vel filio familias, ut haberet in donationem propter nuptias, & rogavit, ut si nuptias non contrahat, nec liberos suscipiat, restituat fratri, mulier verò ingrediatur religionem, qv. *An fideicommisso sit locus?* Resp. N: nam conditio hæc non debet esse impedimento vitæ religiosiori; sed potius pronon adjecta habenda, E. hoc casu retinet dotem legatam, ita ut monasterium pro filia habeatur, nec dubium, qvin Imperator favore religionis hoc ipsum constituerit.

2\. II. Si in redemptionem captivorum aut egentium alimenta sub prædictis conditionibus substitutio aut restitutio fiat, conditio formaliter est implenda.

Ratio

Ratio. Qvia privilegiatus concurrens cum alio privilegiato 3. utitur jure communi, imò nisi etiam testator expreſsè vel tacitè prohibeat, ne bona illa acqvirantur monaſterio. vid. Brunnem. *ad Auth. Niſi rogati C. ad SC. Treb.*

Add. Prius membrum h. C. declarat Richt. *ad d. Auth. n. 12.* 4. modò ingresſus legitimè fiat 1. à majore 16 annis. 2. ſponte. 3 ut poſt annum probationis ſe ſolenni voto ad LL. monaſticas obligaverit. Ulterius & ex hoc textu deducitur, teſtatorem ita diſpo- 5. nere poſſe, ut ſuccedant filii & deſcendentes hæredis ſui, excluſâ Eccleſiâ & Monaſteriô, qvod propter ingresſum hæredis aliàs ſuccederet, excluſô ipſô ſubſtituto Menoch. *lib. 4. præſ. 83.* ſum- 6. mus enim, ſingularis, ac penè incredibilis eſt amor, benevolentia, ac affectio Patris erga filium *L. cum multa 7. C. de bon. qvæ lib. L. Si unqvam 8. C. de revoc. donat.* ut magis præſumendum ſit, Patrem voluisſe filium ſubſtitutum præferri Eccleſiæ, qvam minus diligit. Idem *n. 37. d. Præſ.*

CAP. XXXIIX.

Ut qvi monaſteria ingrediuntur, ſe ſuaqve dedicent monaſterio.

I. SI qva mulier aut vir monaſticam elegerit vitam, & 1. intraverit monaſterium, liberis non extantibus, monaſterio qvod ingreditur, bona ejus competunt.

II. Si talis perſona liberos habeat, nec anteqvam in- 2. tret monaſterium de bonis ſuis fecerit diſpoſitionem, nec legitimam partem filiis deputaverit, etiam ſic liceat ei, ex qvo monaſterium ingresſus ſuam facultatem inter proprios filios dividere, ſic tamen, ut nulli filiorum ſuorum minuat legitimam partem, qvamq; partem non dederit liberis, ea monaſterio competat.

III. Si omnem ſubſtantiam inter filios dividere volu- 3. erit, propriâ ſuâ perſonâ filiis connumeratâ, unam ſibi partem omnibus modis retineat, qvæ juri monaſterii competat.

IV. Si

4. IV. Si in monasterio degens moriatur, anteqvam inter filios suos proprias res distribuat, legitimam hi partem percipiant, reliqva verò substantiæ pars monasterio competat,

5. *Add.* Monasterio bonorum capaci quale est Benedictinorum, Cisterciens. & aliud, omnia professi bona acqviruntur, nam seqvitur accessorium suum principale, nisi ante de iis disposuerit, qvod ipsi licet, sive de ingressu in monasterium, cogitaverit, sive
6. non Zoes. *ad decr. tit. de testam. n. 15.* aut nisi per statuta provinciarum positum sit impedimentum; non permittentia bonorum immobilium delationem ad monasteria qvalia justa pronunciat Idem *ad decr. de Succeß. ab int. n. 10.* qvô casu ad agnatos bona devolvuntur, ut & qvando est ordo bonorum incapax idem *de Regular. & transeunt. ad Relig. n. 25.*

7. Regulariter filio Pater debet legitimam non qvousq; vivit; sed post mortem, est enim secundum tempus computanda, & non bonorum, sed hereditatis qvota est habenda. Brunnem. *ad L. 6. C. de inoff. T. vers. sed in illis casibus.* Exceptus est casus in *h. C. 38.*
8. si pater monasterium ingressus & 2. si filius sit orthodoxæ religionis Pater verò anabaptista Carpzov. *P. 3. C. 12. def. 10.* tantum enim abest, ut hujus farinæ homines LL. beneficio digni judicari debeant, ut potius è gremio Reipubl. Romano German. sint e-
9. jiciendi. Nec facit exemplum, quod dissentientes ex *Luc. XV. 12.* ubi filius petit substantiam suam à patre, allegant, omnes enim judices veritatem & LL. & justitiæ vestigia seqvi debent, non exempla. *L. Nemo 13. C. de Sentent. & interloc. ann. judic.* v. Esbach.
10. *ad Carpz. d. l.* & Guelich. *Obs. ad Mynf. Cent. 4. obs. 25.* Qvodsi verò Pater legitimam inter liberos dividit, eandem non minuat, nec oneret iis *L. 32. C. de Inoff. T.* sed sibi qvoq; partem retineat, qvo se mortuo & monasterium aliqvid post mortem acqvirat, qvod secundum Jura Canonica tamen accipi puto, si nulli sint cognati, vel agnati post fratrum, sororumve liberos *c. 1. & fin. X. de Suc-*
11. *ceß. ab int.* aliud in bonis intuitu Ecclesiæ acqvisitis, in qvibus succedit Ecclesia exclusis omnibus etiam sangvine conjunctissimis. v. Dessel. *Erotemat. Jur. Can. de Succeß. ab int. qv. 2. 3.* Zoes. *eod.* & alii passim.

CAP.

CAP. XXXIX.

Ut solutis sponsalibus per monasterii ingressum simplæ tantum arrhæ reddantur.

SPonsus monasterium intrans, recipit arrhas, qvas dedit, si matrimonium non contraheret, si sponsa monasticam vitam elegerit, etiam solummodo reddit, qvæ similiter arrharum nomine accepit, pœna utriqve parti remissa. 1.

Addit. Qvæ de personis desponsatis hic dicuntur, etiam ad conjugatas extenduntur, sic, ut nec maritus donationem propter nuptias, nec uxor dotem amittat; Qvi verò non ingreditur monasterium, sed in seculo manet, lucrum id lucratur, qvod in casum mortis in pactis dotalibus ipsi fuerat promissum, qvod etiam de lucro statutario intelligunt, unde colligunt regulam: *Qvod mors civilis æqvipolleat naturali*, qvæ tamen certô modô limittatur, vid. Brunnem. *ad L. 56. C. de Episc. & Cler.* & dicta confirmat subseqvens. Cap. 40. 2. 3.

CAP. XL.

Si vir aut uxor ingrediantur monasterium.

MAtrimonium per ingressum in monasterium solvitur, & maritus ingrediens restituit uxori dotem, & qvod eidem in casu mortis ex donatione propter nuptias promissum, sicut è contrario uxor ingrediens tantundem ex dote restituit, & unusqvisqve citra damnum suis fruatur rebus, nisi fortè sponsus sponsæ, aut sponsa sponso, aut maritus uxori, aut uxor marito aliqvid donare aut cedere voluerit tempore separationis. 1.

Addit. De jure Pontificio ingressus in monasterium solvit matrimonium, non obstat de illo jure esse Sacramentum, qvippe repræsentat unionem Christi cum Ecclesia tantum per grati- 2.

3. am, non etiam per charitatem & naturæ conformitatem, ideoq; cum illa sit dissolubilis per peccatum mortale, etiam matrimonium, unionem illam repræsentans, dissolubile erit, & imperfectum sacramentum. Non obstat ulterius, *qvos Deus conjunxit,*
4. *homo non separet* siqvidem intelligitur de matrimonio consummato, non autem de rato tantum. Vallens. *ad Decret. Tit. de Divortiis* §. *1. n. 1.* nam juxta hunc & alios Pontificios, matrimonium aliud *est verum seu legitimum, & non ratum* per qvod intelligunt, conju-
5. gium infidelium, aliud *ratum, & non legitimum*, qvale est fidelium sine consensu parentum contractum, aliud *ratum & legitimum*, qvale est conjugium solenne. vid. Vallens. *d. l.* Brunnem. *Paratit. ad Wesenbec. Tit. de R. N. qu. 3.* Ziegler. ad Lancell. *lib. 2. Tit. 16. §. 4.*

CAP. XLI.

Ne liceat parentibus exheredare filios, qvi ingrediuntur monasteria, velut ingratos.

1. Ampliat hoc Cap. Imperator, ut non liceat parentibus vitam monasticam eligentes filios ex monasteriis abstrahere.

2. *Addit.* Præterqvam enim qvod hæc causa inter *14. Nov. 115. cap. 3.* non habeatur, etiam hanc dant Pontificii, qvod ad frugem melioris & perfectioris vitæ transeant, qvi monachismum amplectuntur, qvam tamen perfectionem merè esse cerebrinam, & Deo odiosam rectè tradit Ziegler. ad Lancell. *lib. 2. Tit. 16. §. 3.*
3. Qvod de liberis non abstrahendis à monasterio hic tradit, id intelligit Lancell. *lib. 1. Tit. 30. §. 3. Instit. Jur. Can.* si in grandiori ætate adolescentes servire Deo elegerint, (vid. Vallens. *ad Decr. Tit. de Regular. §. 3. n. 1.*) aliud verò si impubes fuerit monaste-
4. rium ingressus, ubi patrem intra annum & illud votum revocare posse asserit, in qvo contradicentem habet Zieglerum, & qvidem meritò, cum enim pater deprehendit ipsum vota illa tria, *obedientiæ, paupertatis, & castitatis*, & qvidem in perpetuum. *c. 6. in fin. X. de Statu monachor.* qvibus monachi se obstringere tenentur

nentur, servare non posse, satius est eum mox ab ejusmodi genere vitæ abstrahere, qvam in damnabili, & peccatis contaminata relinqvere, & meritò hic patria potestas potior esse debet, utpote in lege divina fundata, qvam in devota vita monastica nullibi fundata & veluti traditio humana abjicienda. 5.

CAP. XLII.

De Monacho Monasterium deserente.

I. SI monachus monasterium suum reliqverit, & in aliud ingrediatur, qvascunqve res tempore, qvo monasterium dereliqvit, habet, illæ monasterio, in qvod ab innitio ingressus est, competunt. 1.

II. Providebunt Episcopi, ut nec monachi, nec monachæ civitatis circumeant; sed si qvod necessarium habuerint responsum, per proprios responsarios agant, inq; suis maneant monasteriis. 2.

III. Si monachus relictô monasteriô secularem vitam elegerit, honore privatus in aliud monasterium detrudendus; qvod si iterum derelinqvat, Præses provinciæ eundem detinere, & cohorti suæ adscribere potest. 3.

CAP. XLIII.

De Raptoribus Sanctimonialium.

I. SI qvis monialem rapuerit, vel corruperit, una cum participibus talis sceleris capitale periculum sustinebit, talis verò mulier, ubicunq; est, cum propriis rebus in monasterio recondi, in qvo cautius custodiri possit, ut non rursus in eodem crimine reperiatur; si Diaconissa fuerit, & filias habuerit legitimos, legitima pars de bonis ejus liberis ipsius debet dari. 1.

II. Si intra unum annum, postqvam cognoscitur tale facinus commisisse tales res juribus Ecclesiarum non vindicentur, omnibus modis Comes privatarum eas fisco 2.

assignabit, & locorum judex negligens easdem res vindicare dignitate privabitur, & mulcta qvinq; librarum auri plectatur.

3. *Add.* Ejusmodi severæ constitutionis hæc est ratio, qvod stuprum monialis & incestum, & adulterium, & stuprum & sacrilegium in se comprehendat ob violatam rem sacram ratione voti, qvo Deo se mancipant tales virgines, hæcq; ipsa crimina jam tum per se mortis pœnam inferunt *L.38.ff.ad L.Jul.de adult.* Jure
4. Pontificio in foro contentioso punitur ejusmodi sacrilegus pœna depositionis ab ordine, & amissionis beneficiorum, si clericus est, & monasterio perpetuo ad pœnitentiam peragendam includitur, laicus verò excommunicatur. *c.si qvis Episcopus &c. si qva mona-*
5. *charum 27.qv.1.* Olim vestales, qvæ ad tempus diis virginitatem voverant, virgis cædebantur, ad necem usq; deinde lege sancitum est, vivas defodi. Dionysius Halicarnass. *lib.1. Antiqvit. Rom.* & Pomponius Lætus *de Sacerdot. Roman.* ubi de vestalibus agit,
6. scribit; Vestalem ob incestum pœnas hoc modô luisse: Vincta efferebatur in sandapila per medium forum usq; ad portam Collinam, ibi tumulus impudicarum Vestalium inter muros eminet, in qvo est parva caverna subterranea, ad qvam per foramen scalis descenditur, in qva est stratus lectulus, & lucerna ardens,
7. & panis, lac, oleum, ne fame intereat. Deponitur hæc vestalis, capite velato in supplicium ducitur; Pontifex cum arcana qvædã pronunciavit, cum sacerdotibus terga vertit, & statim vestalis in cavernam demittitur, inde fossa tellure repletur, usqve ad operculum, ea die silentium & mœstitia in tota urbe est. vid. pluribus
8. Alexand. ab Alexand. *lib.5.genial.dierum c.12.ad f.* Mitius *de Jure Novell.* punitur, ut ex textu patet. Illud hic singulare, adhuc hereditatem monialis intra annum debere peti sub pœna aliàs Judici negligenti infligenda, cum tamen aliàs ad 30. annos hereditatis petitio instituatur, *arg. L. Sicut 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

CAP. XLIV.

Ne liceat laicis & scenicis uti monachi schemate.

Hinc

HInc si qvis utatur tali schemate aut imitetur aut illudat in qvocunqve Ecclesiastica disciplina, corporalia supplicia sustineat, & exilio tradatur, providente huic rei non solum locorum Episcopo, & clericis qvi sub eis sunt; sed & militaribus civilibusqve judicibus, & qvæ sub eis sunt, officiis, & locorum defensoribus providentibus. 1.

Add. Ne Ordo Monachalis ludibrio in theatris exponeretur, severam & pœnalem hanc Constitutionem edidit Imperator idemq; qvod hic constituit, jam tum olim de monialibus erat constitutum *L. 4. C. de Episc. audient.* Prout verò clericorum vestitus ipsis ab aliis non clericis relinqvendus, ita é contrario ipsi clerici vestitum & habitum suum deponere non debent, aut vulgatis vestibus in publicum prodire, qva de re dispositum *in Clement. 2. de vita & honest. Cleric.* Quod si qvis alienam vestem in ipsius contemtum imitetur, injuriarum actioni locus est Berlich. *P. 5. Concl. 50. n. 101.* cui qvoqve locus est, si qvis veste lugubri ad invidiam alicujus utatur, *L. 15. §. 27. ff. de injur.* idem obtinet, si quis vestem sordidam alicujus nomine in publico habeat, capillumve submittat, qvi tamen nullâ cognatione, vel affinitate junctus. *L. 39. ff. de injur.* modò tamen talis vestitus in invidiam alterius adhibeatur, ut adeò constare debeat de animo injuriandi, qvi ex solis vestibus non colligitur cum res per se illicita non sit. Probatur verò hic animus, si vel id dixerit, se tali veste in gratiam alterius uti, vel si ex gestibus aliis vel circumstantiis appareat. V. de hac materia pluribus Excell. Dn. Stryh. *Dissert. de Jure Vestiar. r. 6. vol. 2. Disp.* Qvod si verò temerè alio vestitu sibi non competente utatur, interea quoque lædatur præter spem ab alio vel in corpore, vel aliàs est qvod sibi imputet, non igitur hoc casu injuriarum actionem adversus lædentem instituere potest talis enim quisque, qvalis eum demonstrat habitus, præsumendus est *c. si judex de sentent. Excommun. in 8to.* Hinc si qvis rustico habitu vestitus in loco aliqvo compareat, & verberibus afficiatur, etiamsi Nobilis, non potest postea injuriam, quasi Nobili illata esset, reputare, qvare enim veste sibi non competente fuit usus? 2. 3. 4. 5. 6. 7.

8. Ex qua causa Vasallus si Dominum suum inter homines nauci repertum verberet ignarus, non amittit feudum Brunnem. *ad L. 15. in fin. ff. de injur.* Et virgo habitu meretricio incedens corrupta præsumitur Menoch. *L. 6. præsumpt. 89. n. 5.* Ex vestitu enim
9. præsumitur hominis qvalitas. Brunnem. *ad d. L. 15.* Si modo aliàs qvis homo ille sit, non constet, injuria enim non vestibus minuitur; sed ignorantia justa ex tali vestium genere orta. vid. Dn. Stryk. *prælaud. Dissert. c. 6. n. 33. & seqq.*

NOV. CXXIV.

De Litigatoribus.

CAPUT I.

De Juramento à Litigantibus præsente judice præstando.

1. I. QVoties apud judices vel administratores, lites aut appellationes examinantur, præ omnibus principales litigantium personæ in præsentia judicum, tangentes Sacra Evangelia jurabunt, qvod nihil judicibus aut patrocinii causâ, vel alii cujuscunq; personæ qvolibet modo dederint, aut promiserint, aut postea velint dare vel per se, vel per aliam qvamcunq; mediam personam, exceptis iis, qvæ propriis Advocatis pro patrocinio præstant, aliisq; personis, qvibus LL. dari disposuerunt; Atqvi hæc in sacro Consistorio observari vult, qvando lites inferuntur, ut sub præsentia sacri Senatus juramenta dicta præstentur.

2. II. Si aliqvi litigantium ad judices venire neqveunt, præsentes qvidem juramentum præstabunt; sed ad absentes dirigantur aliqvi cum adversa parte, ut præsentibus il-
3. lis memoratum juramentum præbeatur. Si verò mulier fuerit, qvæ propter honestatem vitæ extraneis viris se monstrare non consvevit, tunc & absente adversario ex officio

officio missi suscipiant juramentum; qvod si abesse partes in aliis locis contingat, absens in provincia, in qva degit, jusjurandum sub gestis monumentorum apud judicem provinciæ præbebit, hoc generaliter observando, ut si qvis litigantium absens vel præsens hujusmodi jusjurandum præbere noluerit hoc manifestetur judici, ut per ejus sententiam actor cadat actione, reus autem pro confesso habeatur.

Addit. Turpissima sanè res est, si judex venalem habeat justitiam, & aliorum jurgia suam putat esse prædam. *L. 3. C. ad L. Jul. repet.* qvod illâ L. Julia repetund. & Nov. hac satis est prohibium; pertinet autem illa L. Julia repetundarum non ad judices tantum; sed etiam ad omnes illos, qvi in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel qvo officio alio, munere, ministeriove publico sunt, *L. 1. ff. d. Tit.* nec proinde qvod Officiali licet, id etiam licere debet judici in respectu ad litigantes. Hodie non tam hoc juramentum præstant litigantes, qvam potius, sub initium litis juramentum calumniæ cum actor, tum reus, ille, qvod non calumniandi animo litem moveat, sed qvod existimet, bono jure causam suam niti. Hic, se ideò ad contradicendum venire, cum putet, se bona instantia uti, & qvidem de jure civili, ipsæ personæ litigantium principales hoc præstant, non procuratores in earum animam, qvod tamen de jure canonico & communi jam introductum. *c. ult. de jurejur. cal. in 6to. R. Noviss.* licet optet Brunneman. *Proc. Civ. cap. 15. n. 7.* ut jus civile in usum reduceretur. Licet autem hoc juramento calumniæ litigatoris calumnia aliqvo modo reprimatur, tamen, cum sit saltem credulitatis, eo ipsô turpitudo, qvod judicem non corruperit, satis non detegitur, hinc optimè in Consistorio sacri Senatus adhuc præstaretur juramentum, judici nihil fuisse datum, nec aliunde nosse judicem, qvàm qvod in præsente causa litem dirimere debeat. Sed nullus judicum jam vult ne qvidem videri socius furum, nec se justificare impium pro muneribus, aut justitiam anferre ab eo, omnes jam sunt viri boni, & justitiam sine labe administrant; Ergò qvid secundum ipsorum sententiam hoc juramento opus? Ulterius & in hoc Cap. firmat Imperator

(Margin numbers: 4. at "Turpissima"; 5. at "potius"; 6. at "Licet autem"; 7. at "videri"; 8. at "Ulterius".)

perator privilegium egregiarum personarum, ut non teneantur in judicio juramentum præstare; sed domi coram Notario, vel Officiale à judice misso, qvales autem sint personæ egregiæ passim tradunt Doctores. vid. Ummius *ad Proc. judic. Disp. 14. th. 10.* Bartoll. *ad L. 1. C. de Advoc. diversar. judic.* & Advocatos inter egregias personas referens. Conf. *L. ad personas egregias 15. ff. de jurej.*
9. Si personæ in locis remotis & longinqvis degant, forma juramenti per literas reqvisitoriales (*Compaß-Brieffe*) judici illius loci, sub cujus jurisdictione juraturus degit, mitti potest, ut is juramentum recipiat, & juraturum in locum judicii citari, & ab eodem juramentum publicè præstari faciat. Berlich. *P. 1. Dec. 117. n. 8.* Donell. *lib. 24. Comm. Jur. Civ. c. 22.* qvo etiam inclinat Anton. Fab. *lib. 4. C. def. 31. Tit. 1.* & duobus præjudicatis illustrat Dn. Heroldt. *Isagog. ad Proc. Jur. Civ. & Saxon. Langen C. 45. n. 57.*
10. Idem dicendum, si juraturus morbo, vel alio gravi & legitimô impedimento detineatur, ut ad judicium venire non possit. *L. 15. ff. de jurejur.* Hisce casibus omnibus si v. gr. persona sit egregia, absens, ob morbum, vel aliud simile impedimentum in judicio comparere non possit, impensis impediti juramentum domum est transmittendum, cum dignitas & nobilitas, morbus, aut absentia alicujus alteri non debeat esse detrimento. Menoch. *lib.*
11. *2. A. J. qv. casu 228.* De illis, qvi vel morbô, vel senecture ad judicium venire prohibentur, agit Obrecht; *de Jurejur. Calumn. c. 9. n. 10.* vid. Speckh. *qvæst. Jurid. cent. 2. Class. 4. qv. 23.*

CAP. II.

Si Pœnitentia ductus Litigator personam cui aliqvid dedit, proferat.

1. I. SI qvis litigatorum dixerit, se alicui dedisse, aut promisisse, & declaraverit personam, ipse qvidem in eventu litis veniam meretur, qvi verò accepit, aut promissionem suscepit, idq; probetur, si causa pecuniaria sit, & facto ipso qvid datum sit, triplum; sed si qvid promissum, duplum â Comite rerum privatarum exigatur,
2. & utroqve casu dignitatem, qva fulget, amittat. Si autem

tem criminalis ſit accuſatio, confiſcationem propriæ ſubſtantiæ patiatur, & in exilium mittatur, cum propter acceptionem alienum crimen in ſe transponi feſtinaverit.

II. Si datum aut promiſſum litigator probare neqviverit, juret perſona qvæ datum aut promiſſum dicitur ſuſcepisſe, qvod neqve per ſe neqve per aliam perſonam, aut acceperit, aut promisſionem habuerit, qvô juramentô præſtitô ipſe qvidem ſit liber, litigator verò probare non valens in pecuniaria cauſa litis æſtimationem ſufferat, ejusq; eventum ſuſtineat, cauſaq; apud competentem judicem juxta ordinem LL. terminetur. 3.

III. Si â litigatore manifeſtetur perſona, qvæ refutaverit jusjurandum, tam in criminalibus, qvàm pecuniariis cauſis, pœnis in *C. 1.* expresſis ſubjaceat, & ſi qvis litigantium juraverit, non dedisſe, aut non promiſisſe; ſed intra 10. menſes poſt prolatam ſententiam numerandos oſtendatur dedisſe, dictæ pœnæ & contra dantes, & contra accipientes habeant locum. 4.

IV. In cauſis, qvæ per tutores aut curatores aguntur, juramenta qvidem ipſi præſtent, ſi qva verò memoratarum pœnarum locum habuerit per talia juramenta, hanc tutores aut curatores ſuſtineant, ut nullum præjudicium exinde generetur illis, qui ſub tutela vel cura ſunt. 5.

CAP. III.

De illicitis ſportulis prohibendis.

I. PRohibet Imperator, ne ſportularum nomine amplius qvid exigatur, qvàm LL determinatum, licet Imperatoriam proferant jusſionem, ſub pœna qvadrupli, ſic, ut ſimplum damnum pasſo reddatur, triplum verò inferatur ærario; Si civilis aut militaris judex ſive interpelletur, ſeu qvolibet modô neglexerit læſum 1.

Nnnnn vindi-

vindicare, ex ipsius substantia qvadruplum exigatur.

2. II. Competentes judices, si cognoverint aliqvos ex suis officiis executores nomine sportularum contra LL. aliqvid exigere, & hoc vindicare neglexerint exactis nihil amplius exigentibus, qvàm LL. constitutum est dare tenentur, & licentiam habent resistendi exactoribus.

3. *Add.* Imperator introduxit condictionem ex lege ob majores sportulas contra ministros publicos vel præsidentes officiis publicis in triplum ejus damni, quod reus inde accepit, simplo tamen, in qvo damnum passus est, in ipso triplo connumeran-
4. do. Hancq; constitutionem Imperatoris hactenus desideratam, utpote Græcam ex Basilicis restituit Cujacius *lib. 12. obs. c. 21.* Fit quoq; ejus mentio *§. 33. inf. I. de action.* Cum hodie verò de con-
5. svetudine salaria viatoribus & nunciis publicis præstentur non respectu qvantitatis in libello petitæ, sed juxta distantiam & longitudinem itineris idcirco hoc C. & *§. 24. Inst. de actionib.* in qvo hæc actio fundata est, ab usu recessit.

6. Ulterius hic qvoq; traditur exactori injusto resisti posse, nam si executor non bona fide; sed injustè & iniqvè sententiam exeqvatur, hic ad instar privati redigitur, eiq; armis & convocatis vicinis & amicis resisti posse docet post Menoch. *lib. 2. A. I. 1. qv. C. 4. cas. 378.* aliosqve à se adductos Berlich. *P. 1. Concl. 81.* & ju-
7. dici de facto resistere licitum esse, qvoties ordine juris non servato contra nos resve nostras procedit generaliter tradunt *arg. L. 5. C. de injur. L. 32. ff. de injur. c. 7. de restitut. spol.* Mev. *P. 4. dec. 369.*
8. quod tamen nemini svadendum, nisi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, & nisi exactor exeqvatur extra territorium, vel non ostendat literas suæ commissionis, vel non gerat solita insignia vel nisi periculum sit in mora, & damnum immineat irreparabile. Brunnem. *C. de Executor. & Exactor. n. 15.* Nec saltem
9. ipse cui executio fit injustè se opponere potest; sed & tertius se opponere potest executioni contra condemnatum institutæ propter suum interesse *L. 15. §. 4. ff. de Re judic. L. 57. ff. de R. V.* si hoc summatim, & intra breve tempus semiplenè saltem probare velit, alioqvin non est audiendus, multò minus si præsumtio malitiæ contra intervenientem militet. *c. 6. de restitut.* minimè verò si

tertius

tertius prohibeat condemnato, ne pareat, v.g. Præfectus subjecto. Mev. *P.3. dec. 160.* Sic uxor constante matrimonio contra creditores mariti executionem petentes potest se opponere vergente marito ad inopiam & petere, ut qvia maritus onera matrimonii non fert, assignetur sibi portio pro alimentis ex *L. ubi adhuc 29. C. de jure dot.* Tesaur. *decis. 208.* Negusantz. *de Pignor. P. V. M. 1. n. 29.* 10.

CAP. IV.

Ne judex aliqvos ad transigendum compellat.

I. Confirmat Imperator *L. 2. C. de Mandat. Princip.* ne judices suis sententiis inscribant, *se mandato Principis jussisse aliqvem in jus duci aut exhiberi, aut aliqvid diversum judicari ab iis, qvæ apud ipsos fiunt.* 1.

II. Referendariis injungit, ne ab aliqvo fidejussionem exigant, vel ad transactionem cum adversario ineundam cogant, & si qvis coactus hoc fecerit, nullum inde præjudicium sentiat; sed resarciendum ei damnum â referendario, qvi insuper dignitate debet privari. 2.

Add. Constat ex hisce Privilegium alleganti non credi, nisi de originali indubitanter constet, illudq; proferri & exhiberi possit Cothm. *Vol. 3. Respons. 21. n. 197.* Græv. *lib. 2. Concl. Practicab. 1. n. 17. 18.* idq; per se sit firmum & validum, nulloq; vitiô vel defectu laboret, cum privilegii per se invalidi nulla sit confirmatio, etsi ab eo fuerit profecta, qui ab initio privilegia dare potuit, Mynsi. *Resp. 42. n. 1.* Wesenbec. *Consil. 135. n. 40. 41.* Græv. *d. Concl. 1. n. 32.* Eqvidem licet prima judicum cura sit, ut litem per transactionem sopiant & concordiam partibus svadeant, non tamen ea imperari debet, & partes ad transigendum cogi, *L. 3. §. tametsi. L. diem. §. stari ff. de recept. arb.* v. Carpzov. *P. 3. D. 220. n. 18.* nisi subsit timor, ne ad arma deveniant, aut dissensio sit inter partes insignes, unde Respublicâ turbari possit, vel si lis sit de alimentis, aut ministri Ecclesiarum inter se lites & altercationes foveant, Mev. *P. 3. dec. 217.* possunt & ad transactionem partes compelli, si lis diu 3. 4. 5.

duravit, & adeò intricata est, ut de facili expediri non possit
6. Gail. *lib. 2. de P. F. c. 18. n. 9.* Nec mirum, qvem ad transigendum cogi posse, cum & in aliis negotiis ex singularibus causis consensus imperari partesq; ad contrahendum cogi possint, prout de emtione venditione, locatione & conductione refert Carpzov. *lib. 1. Resp. 42. 59.* Imò & prorsus vi dominii eminentis ad bona sua linqvenda. Grot. *lib. 3. de J. B. & P. c. 20. n. 10.* Joh. Frid. Hornius *de Civitate lib. 2. c. 4.*

NOV. CXXV.

Ut Judices non expectent sacras jussiones, sed quæ videntur eis decernant.

CAP. UNIC.

I.

1. PRohibet Imperator, ne ad Principem judices faciant relationes, sed ut ipsi per se justitiam pronuncient, & siqvidem partes cessaverint in iis, qvæ decreta sunt, executioni tradant sententiam secundum LL. virtutem.
2. Si qvis verò putaverit ex prolata sententia se læsum appellatione legitima potest uti, sic secundum ordinem LL. definitum sententia debet examinari, & perfectum recipere terminum.
3. II. Si duo vel plures fuerint judices, & aliqva inter eos emerserit dissonantia, unusqvisqve secundum qvod ipsi videtur, dabit suam sententiam.
4. *Add.* Per hanc Nov. corrigitur *Tit. C. de Relat.* & multæ LL. *ff. de Appellat. & Relat.* item *Nov. 82. c. 18. fin. pr. N. 113. c. 1. in f. princ.* nam consulere debebant judices Principem, & qværere qvid sit pronunciandum *L. 1. C. de Relat. & L. 22. 26. ff. de Appellat.* qvod hic non, nam per se ipsos hic judices vult sententiam pronunciare, pro luce enim sapientiæ suæ ita judicaturos esse confidit, ut relatione opus non sit.
5. Quilibet judicum si plures dati sint, suam proferat sententiam, qvando uni ex pluribus de re non liqvet, cœteri autem consentiunt, plurium sententia obtinet *lib. 30.*

76. *ff.*

76. ff. de re judic. idem in arbitris *L. 17. §. fin. ff. de arbitr.* si & præsente & dissentiente tertio duo concludunt. *d. l. 30.* Qvod si prorsus inter se discrepent; ejus valet sententia, qvæ minorem in summam condemnat, qvæ pro libertate, *L. 122. ff. de R. J.* pia causa, alimentis, vel pro reo militat. *L. 125. ff. de R. J.* vel qvæ ætati & imprudentiæ succurrit. *L. 108. ff. eod.* vid. Carpz. *P. 1. D. 82. n. 30. & seqq.* Qvod si LL. & rationes juris æqvè prægnantes utrinqve militent, nec aliud circumstantiæ ob possessionem, causæ favorem, aut odium, ob qvalitatem justam personarum svadeant, rem controversam pro rata inter litigantes dividant judices, *arg. L. 7. §. 7. ff. de A. R. D.* vel ad transactionem partes inducant. 6.

NOV. CXXVI.

EXEMPLUM SACRÆ FORMÆ

De Appellationibus.

CAP. I.

Sententia Appellationis cujus nomine ferenda.

INjungit Præfecto Prætorio, & Qvæstori Palatii, ut sententiam appellationis non nomine Imperatoris; sed propriô ferant. 1.

Addit. Ratio est in *L. 32. pr. C. de Appellat.* Ne Imperatoris occupationibus, qvibus pro utilitate mundi à singulorum nonnunqvam negotiis avocatur, aliena defraudari commoda videantur. Et ex hoc textu deducit Salycetus, si appellatur ad Principem à sententia *spectabilium* cognoscere Præfectum & qvæstorem, si à sententia *Clarissimorum* præfectum tantum, & à *delegato*, ad delegantem & ideò à delegato Imperatoris ad Imperatorem, & à delegato Papæ ad Papam potest appellari. Gail. *lib. 1. Obs. 121.* Beuter. *de Appellat. C. 8.* nam appellatio simpliciter interposita, nullaq; judicis ad qvem mentione facta, vel ingenere ad qvem vis competentem judicem facta, censetur ad proximè superiorem intermediô non omissô gradatim esse facta, & valet, ac sustinet: Scaccia *de Appellat. qv. 7. n. 4. 12.* Felin. *ad C. inter cætera* 2. 3.

tera n.1. X. de Appellat. Lancell. *de attent. P.2.c.12. limit.15. n.226.*

4. prout autem olim instatu rei Romanæ Qvæstor & Præfectus Prætorio nomine proprio acta appellationis expedierunt, ita in judiciis appellationis Senatus eorum in aliqvib9 locis ea proprio & nomine suo expediunt, qvamvis tamen & in multis inprimis arduis causis sub nomine Illustrissimi soleant pronunciare, qvod praxis;passim probat.

CAP. II.

Introducta Appellatione qvid faciendum judici.

1. I. APPellatione intra fatalia introducta, judex sine dilatione examinatis actis sententiam ferre debet. Unâ verò parte contumace existente judex lapsis fatalibus, & lapsô tempore reparationis h.e. tribus mensibus, causam alterâ parte absente examinare, & sententiam priorem prout ex actis apparuerit, vel emendare, vel confirmare, non verò ex solo temporis lapsu sententia prior amplius confirmare debet.

2. II. Siqvidem rectè probatam sententiam invenerit, eam confirmet, si qvid verò in ea per negligentiam omissum, id corrigat, & legitimam edat sententiam; Ex qvo verò semel appellationis causa inter eos dies, qvi appellationis causa præfiniti sunt, sive ab una sive ab utraq; parte introducta, intra biennii cursum, firmitatem de cœtero capiat sententia, sive una sive utraqve parte præsente. Habeat igitur unaqvæqve cognitio suum diem præscriptum.

3. *Add.* De jure communi fatale *introducendæ* non est certum; sed judicis arbitrio relictum *L.5. C. de Appellat. C.50.57. X. eod.* In Camera Imperiali est semestre spacium, nisi judex à qvo brevius præfixisset tempus, Gail. *lib.1. Obs.150.* qvippe hoc semestre per Rec. Imp. *de Ao. 1654. §. So dann 61.* eatenus limitatum & cautum est, ut intra 4. menses priores parti adversæ ad minimum

mum processus insinuentur, duo verè reliqvi comparitioni & re-
productioni asserventur. Differt autem fatale *introducenda* à fa- 4.
tali *interponendæ* appellationis, qvod illud non à tempore scientiæ; sed interpositæ appellationis currere incipiat, & utrumq; sit continuum, & possint hæc fatalia expressò partium consensu prorogari. Guelich. ad Mynſ. *Cent. 6. Obſ. 12.* Sicut autem judex tan- 5.
tum ex causis prægnantibus fatalia ad duos vel tres menses prorogare potest, per R. I. *de A. 1654 §. 62.* sic nec partibus permissum volunt illa fatalia citra causam prorogare, ne lites protelentur in infinitum. Bachov. ad Treutler. *Vol. 2. Disp. 33. th. ult. lit. H. & I.* Arum. *lib. 2. Dec. 11. n. 46.* Solent autem judices tempus fa- 6.
talium accuratè observare, iis enim non observatis vel neglectis, secunda instantia tota corruit, si justa sunt, pronunciare solet hoc modô: *Daß die eingewandte Appellation in ihren formalibus zu Recht beständig, und zu gebührender Justification anhero erwachsen*, i. e. introductam appellationem in formalibus suis de jure subsistere, & ad justificationem adjudicium hoc pervenisse. In Foro
Saxonico introducenda est appellatio intra mensem, à die, qvo 7.
Apostoli dati fuere, qvod tempus si appellans neglexerit, appellatio pro deserta habetur. Coler. *de Proc. Exec. cap. 8. n. 51.* Nicol.
Proc. P. 2. cap. 7. n. 4. Tempus autem appellationis finiendæ, cui 8.
hic Imperator in textu *& Auth. & qvi, & L. ult. C. §. illud de temp. appellat.* biennium præscribit ob multitudinem causarum in Camera Imperiali non attenditur, si verò coram judice inferiore observatum non fuerit, appellatio in Camera non recipitur.
Guelich. *d. l.* Confirmatâ sententiâ prioris instantiæ causa ad ju- 9.
dicem à qvo est remittenda *c. 59. X. de Appellat.* qvod fit vel *verbaliter* vel *actualiter*, & qvidem hoc modô, si judici à qvo sententia appellationis communicatur, qvod tamen non fit, nisi remissoriales specialiter vel ab appellante, vel ab appellato petantur, ut docet Filog. *P. 1. Gener. §. 21.* Si qvidem verò judex ap- 10.
pellationis, benè appellatum; sed malè judicatum pronunciaverit, causa tota ad judicem appellationis devolvitur, nec locum habet remissio; sed ipsemet porrò de causa principali cognoscere debet, qvod ampl. Doctores. licet judex in parte solum sententiam reformaret. Mynſ. *Cent. 4. Obſ. 6.* vid. Carpz. *P. 1. C. 20. def.*

11. *def. 26.* Illud, licet extra propositam materiam videatur, addendum, in appellationis instantia judicandum secundum LL. & statuta primæ instantiæ, scil. qvoad punctum deductionis gravaminum unde appellantur, & processum in prima instantia ventilatum, & omnia, qvæ inde dependent. Carpz. *lib.3 Resp. 221.* v. *suprà ad Nov. 116. cap. 2.*

CAP. III.

De Suscipienda appellatione à judice prioris Inst.

1. JUdices appellationem intra fatalia oblatam, & LL. non interdictam suscipere debent; sed acta prioris instantiæ intra 30. dies edere debent, ut ea pro suo auxilio com-
2. petenti possint partes insinuare Magistratui. Qvod si qvis judicum hoc facere supersederit, sententia qvidem transit in rem judicatam; sed omne damnum, qvod per causam non editorum actorum litigator sustinuerit, ex propriis facultatibus ei resarcire compellatur, & fisco Imperiali denarum librarum auri pœnam inferre.

3. *Addit.* Qvando & qvo tempore de jure Civili & Camerali acta edi & produci debeant docet h. *C. 3. R. I. de Aò. 1654. §. So dan soln.* Röding. *π. Camer. lib. 1. Tit. 25.* Denais. *Jure Cam. Tit. 2.*
4. *& 5.* In Electoratu Saxon. sufficit in ipso demum termino justificandæ appellationis acta offerri aut produci. *Churfl. Sächsische Appellations-Ordnung §. nachdem sichs aber.* Berlich. *Concl. 167.* Carpz. *Resp. 118. n. 8. & seqq.* & hunc in finem Compulsoriales ad judicem
5. à qvo dantur, Gail. *lib. 1. Obs. 134.* Hisce datis qvando nihilominus judex est negligens in edendis actis, datur mandatum sine clausula, qvod & si non curet, & porrò sit contumax, decernuntur arctiores compulsoriales, in qvibus citatur ad audiendum, se incidisse in pœnam primo mandato insertam, & iterum jube-
6. tur edere sub pœna banni. Gail. *lib. 1. Obs. 134 n. 3.* De jure civili qvomodo puniatur hic ex textu patet, cujus sumptibus petenda docet Mev. *P. 6. Dec. 91.* Dum verò judici necessitas edendi incumbit, facilè constat, omninò integra edi debere, scil. qvæ ad

ad litem pertinent, & semel pars actorum reddita fuerunt, nam defectus in editis actis facit processus, qvasi alio non audito nullitatem. Mev. *P. 2. Dec. 62.* Qvod si verò acta integra deperdita, aut combusta fuerint, de integro & novo causam coram superiore tractandam esse, tradunt Gail. *lib. 1. Obs. 134. n. 21.* Mynf. *Cent. 1. Obs. 11. & C. 2. Obs. 16.* Beust. *ad L. admonendi 31, ff. de jurejur. n. 814.* Carpz. *lib. 3. Resp. 19. n. 18. & seqq.* & in *Proc. Tit. 18. Artic. 5. n. 92. & seqq.* Parte verò actorum tantum omissâ ex actis privatis defectum suppleri posse, tradit Carpz. *dd. loc.* Pro integris verò habentur acta, si tam judex superior, qvàm inferior intelligere possit, qvid ex iis desit. Mev. *P. 6. Dec. 271. n. 2. 3.* 7. 8.

NOV. CXXVII.

CAPUT I.

Ut fratrum filii succedant etiam ascendentibus Primi gradus extantibus.

TAntam igitur accipiant portionem, qvantam ipsorum futurus erat pater accipere, si vixisset. Sancit verò hoc de illis fratris filiis, qvorum pater ex utroq; parente jungebatur defuncto, ita, ut ordinem eundem habeant, ac si cum solis fratribus patruis suis essent vocati 1.

Addit. Putant aliqvi per hoc caput correctum esse *Cap. 3. Nov. 118.* suprà ubi videri possunt, qvæ hic dici poterant. 2.

CAP. II.

Qvando donatio propter nuptias insinuationi subjaceat.

DOnatio propter nuptias 500. solidos excedens à marito, vel alio pro hoc donationem faciente, insinuanda, qvod si non factum, uxori qvidem non præjudicat, qvo minus partem conventam ex donatione propter nuptias petere possit; Qvod si verò per pacta dotalia concedatur viro actio dotis, nullam habet actionem, si donatio ut dictum actis monumentorum non fuit in- 1. 2.

ſinuata, nam viris habentibus poteſtatem inſinuare donationes, & pro non inſinuatis periculum mulieribus imminere, ineptum viſum fuit Imperatori.

3. *Addit.* Per hoc *cap. Nov. 119. c. 1.* ſupra eſſe correctam aliqvi volunt, ſed contrarium probat Brunnem. *ad Auth. Eo decurſum C. de donat. propt. nupt.* prout & ſupra *circa fin. d. Nov. 119. cap. 1.* fuit notatum.

4. Notat autem hoc loco Matth. Steph. *n. 2.* falſum eſſe Ddr. brocardicum; *Contractus non debere claudicare*, hic enim eſſe exemplũ, ubi ex parte valida eſt donatio, ex parte irrita, & ideò matrimoniô ſolutô mulieri qvidem donationem ante nupt. ſive ex toto, ſive ex parte, ſecundum qvod caſus tulerit, ſine ullo obſtaculo competere, marito verò dotis retentionem ſive ex parte, ſive in totum, ſecundum eventus qvalitatem nullô modô concedi, per rationem in fine textus hic allegatam.

CAP. III.

Ut mulier, qvæ ad ſecundas non tranſit nuptias tantum habeat, qvantum unus filiorum.

1. SCilicet, illa præter uſumfructum donationis propter nuptias etiam in proprietate portionem filialem accipiat, qvod non ſolum valere debet in matribus; ſed etiam patribus, & aliis aſcendentibus, ad ſecundas nuptias non venientibus.

2. *Add.* Per hoc Cap. correctum eſt ſupra *cap. 1. Nov. 98.* qvam vide, & videtur ex *hoc Cap.* deſumta eſſe *Auth. Si tamen C. de ſecund. nupt.* Cum igitur parentes ex dote vel donatione propt. nupt. pleno jure portionem filialem capiant, & de illa liberrimè diſponere poſſe extra dubium eſt, qvod ſecus in iis, in qvibus tantum uſusfructus competit.

CAP. IV.

Matrimonium ſine cauſa diſſolvendum non eſſe.

Et

ET nulla hic debet esse differentia qvantum ad pœnam 1.
inter virum & mulierem hoc præsumentes; sed iisdem pœnis ambo debent esse subditi, in delicto enim æqvali proximas eis imminere pœnas justum putavit Imperator.

Addit. Per *hoc Cap.* correctum est *cap. 13. Nov. 117.* nec enim 2.
ex totidem causis licitum est dissolvere matrimonium prout supra *Nov. 22.* præscriptum, multo minus licita est transactio contra matrimonium, si fortè pater puellæ certam pecuniæ summam promittat, ut juvenis ab actione obtentu matrimonii contra filiam instituta desistat, vel contra propter indissolubile vinculum matrimonii, Vinnius *de Transact. C. 4. n. 12.* & *regula 1. Jur. Can. Omnis res per quæcunq; causas nascitur, per easdem etiam dissolvitur.* in ma- 3.
trimonio exceptionem habet, qvod dissolvere in potestate partium non est, ne qvidem licet in prohibito gradu contractum, ac altera pars dissentiat. Mev. *P. 3. Dec. 399.* sed hic recurrendum ad Consistorium, cum ut mox dictum, nec hic valeat transactio, nec compromissum. Treutler. *P. 1. D. 7. Obs. 4. lit. A.* Borell. *de Compromiss. §. 2. Gl. 1. n. 95.* Porrò Imperator sive qvid à mare sive 4.
à fœmina contra matrimonium fuerit tentatum, æqvali pœnæ subjicit, æqvalia enim æqvalibus sunt tribuenda, & cum uterq; conjugum ad fidem conjugalem servandam teneatur, si mulier temerè & sine causa divortium qværat, eadem pœnâ qvâ maritus affici meretur, nam pœna nullô habito respectu commensurari debet delictô. Menoch. *lib. 2. A. J. qu. cas. 288. n. 42.* Carpz. *Pr. Cr. P. 1. qu. 13. & 39.* ad qvod Imperatorem movit, non qvod aug- 5.
mentis pœnarum delectetur, nihil enim ipsi tam gratum est, qvam humanitas; sed ut metu pœnæ eos, qvi ad peccandum proclives sunt à peccando arceat. *L. fin. C. de Episc. & Cleric.* Nonnunqvam verò pœnam mitigari, vel temperari in fœminis latis- 6.
simè aliàs à Doctoribus deductum est, imprimis à multijugæ eruditionis JCto Tiraqvello *in Tr. de pœnis tempor.* Exemplum quo- 7.
que est *in Art. 124. C. Crim.* ubi Imperator marem proditorem jubet punire dissectione in 4. partes. *§. 1. I. de publ. judic.* & si fœmina fuerit, quæ hoc delictum commiserit, in aquam projicere, & ibidem suffocare. Conf. *L. 1. ff. de Pœnis.*

NOV. XXVIII.

De Collatoribus.

1. Agitur hac Novellâ de Officio *Collatorum* & *Susceptorum*, qvibus in Provinciis tributa & annonas militibus solvere erat injunctum, & præscribitur hic per aliqvot capita ipsis, qvô modô, qvibus anni temporibus, & qvorum periculo publica tributa sint exigenda. Repetuntur hic insuper per aliqvot C. plurima de qvibus jam tum supra ad *N. 8. & N. 17. c. 8.* fuit dictum.
2. Hodiè modus contribuendi longe alius est, nam tributorum indictio ad regalia spectat, licet eorum distributionem statibus provincialibus haud raro relinqvant Principes, præcipue ubi Comitia Provincialia habentur. vid. Illustr. Dn. de Rhetz *Jur. Publ. lib. 2 tit. 2. §. 4.* Excell. Dn. Stryk. *Dissertat. de Statib. Provincial. C. 4.*
3. Et variant genera contributionum, alia sunt enim *patrimonialia*, qvæ prædiis pro ratione fructuum imponuntur juxta *L. forma 4. ff. de Censib.* quæ iterum sunt vel *ordinaria*, quæ regulariter ex fundo præstantur, vel *extraordinaria*, qvæ tempore necessitatis indici solent, qvo refertur collecta Turcica.
4. Alia qvoqve sunt *personalia*, qvæ in singula subditorum capita indicuntur, unde & nomen assumserunt capitationis, *Kopfgeld*, ubi nulla facultatum, aliqva tamen ætatis habetur ratio, & æqvabiliter indicitur.
5. Præter hæc & similia tributa est etiam *die Reichssteuer, Landsteuer, Kreyßsteuer, Fräuleinsteuer, Abzug, und Nachsteuer, Leibsteuer, Bettb- Boden-Zinß, Fruchtgeld, Berggeld, Schlägelschatz, Forstgeld, Mastgeld, Lastgeld, Soldatengeld, Weinkauff, Erbzinß, Pfluggeld, Trifftgeld, Zehenden vom Fleisch, Wein, Korn, Erbsen, Flachß, Kraut, Viehschatz, Accisß, Simpelgeld, Hufenzinß,* collecta Imperialis, Provincialis, Circularis, fœminarū illustrium, detractionis, urbeda, &c. & aliæ innumerabiles species de qvibus latissimè Klock. *de Contribut.* & alii passim Ddr. tradidere.

CAP. XV.

De Mensura & Ponderibus.

1. Vult eos qvi tributa exigunt publica justis ponderibus & mensuris uti, ne tributarii lædantur; Si autem collatores

latores putent se gravari sive in mensuris, sive in ponderibus, poterat â magistratibus hic denominatis accipere & ejusmodi mensuras & pondera in uniuscujusq; civitatis Ecclesia servari, ut juxta ea, & gravamen collatorum, & fiscalium illatio, & militares, & aliæ fiant expensæ.

Add. De hac materia integer tractatus Myler. ab Ehrenbach *de Metrologia* videri & conferri potest. 2.

CAP. XX.

De loci servatore constituendo.

PRohibet judices civiles & militares in civitatibus & castris *loci servatores* in commissis sibi provinciis facere, ex qvo in provinciam accesserint, & in qvantum in ea administrant, in qvem finem ipsi judici constituenti, & fieri præsumenti V. auri librarum pœnam constituit. 1.
Anteqvam verò judices in provincias veniant, possunt *Loci Servatorem* constituere, qui omnia ad usq; ejus præsentiam potest agere, qvæ ipsi judices possunt facere, citra novissimum tamen supplicium, aut membri incisionem; Si qvis etiam ex judicibus secundum jussionem Imperatoriam in aliam regionem mittatur, liceat ei per similem modum Loci Servatorem suum facere. 2.

Addit. Per loci-servatorem Vicarius intelligitur, subseqventibus temporibus appellatus *Vitzthum* vel vice Dominus, de cujus nomine habent ut & officio Besold. *Thes. Pr.* & Speidel. *in Spec. Jurid. sub hac voce.* Non poterant igitur judices ejusmodi Vicarios constituere, qvi jurisdictionem exercerent, nam jurisdictionem suam in alium transferre atq; à se abdicare nemo potest *L. pen. ff. de Offic. Præsid.* qvippe hac translatione constitueret Magistratum, qvod solius est supremæ potestatis, Vultejus *ad L. 3. C. de jurisdict.* Scipio Gentilis *lib. 2. de jurisdict. c. 26.* nec rectè videtur statuere Busius *in L. 1. §. 1. n. 2. & 4. de Offic. ejus cui* dicens, & illum, cui mandata est jurisdictio Magistratum esse, non enim qvævis juris dieundi potestas Magistratum facit; sed ea tan- 3. 4. 5.

tum in qva qvis principem obtinet, locum, qvam suo jure, non alieno mandato exercet, ut rectè Donell. *lib. 17. Canon. Jur. Civil.*
6. *cap. 7.* Ergo qvi utitur aliena jurisdictione, eam alteri utendam dare non magis potest, qvàm rem sibi commodatam alteri commodare
7. *fac. L. Nemo plus 45. ff. de R. J.* Hinc vulgatum illud, delegatum subdelegare non posse, cujus qvidem regulæ exceptiones aliqvot recensentur à Costalio *in L. ult. ff. de Offic. ejus cui* sed qvæ natæ sunt ex errore confundentium delegationem jurisdictionis cum datione judicum. vid. Vinnius *de Jurisdict. c. 8.* Duos mo-
8. do casus hic excipit Imperator, sic ut Vicarius tamen capitale supplicium irrogare non possit, hoc enim Imperatori & præfecto Prætorio competebat, qvod notum ex illa Trajani generosissima voce ad præfectum præt. Sabuzanum directa; cum gladiū, qvo eum accingi oportebat, nudum porrigeret; *Accipe gladium, qvem pro me, si benè, atq; ratione imperavero, distringes, sin minus, eo ad interitum meum utere.* Sextus Aurelius Victor *de Trajano.* Ipsi
9. verò Imperatores pugionem ad merum Imperium ostentandum gestare soliti; Hinc Tacitus *lib. 3. Historiar.* de Vitellio dicit *solutum à latere pugionem Consuli in concione reddidisse tanqvam jus vitæ & necis in cives.* Non solus igitur gladius; sed & pugio meri im-
10. perii fuit index. Qvare C. Cæsar (Caligulam intelligit Scipio Gentilis *de Jurisd. lib. 3. c. 2.*) duos habuisse libros dicitur, qvorū alteri *gladius* alteri *pugio* nomen fecerint, in utroqve annotati ii,
11. qvos occidere constituerat. Gladium igitur præfectus prætorio ferebat, pugionem ipse Princeps, plane prout apud Thebanos olim Magistratus sive Archon hastam semper ferebat; fortè & Magistratibus olim prælatus gladius, huc illud Apostoli trahi posset, *non sine causa Magistratum gladium ferre.* vid. Scipio Gentil. *d. loco.*

CAP. XXI.

De inqvisitione delictorum instituenda.

1. JUbet omnes judices tam militares, quàm civiles *per se* reqvirere eos, qvi latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum,

rerum, aut fœminarum, aut alia qvælibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferre, nec pro his causis aliqvid accipere consvetudinis nomine, ut omnes collatores illæsi serventur, nec enim pro talibus causis in provinciis aliis à judicibus debent ordinari, qvi maleficos examinent, ne per tales occasiones ampliores violentiæ inferantur provincialibus. Pœnam in secus facientes adjungit Imperator.

Add. Accusator propter delictum aut injuriam sibi suisq; illatam ad accusandum compelli non potest, qvia unusqvisq; dominus est propriæ famæ & bonorum fortunæ, non tamen ut illam prolubitu aliis prostituat, hæc verò ut in fraudem Reipub. abliguriat, cujus potius interest divites qvàm pauperes habere cives. *L. un. C. ut nemo invitus ag. art. 214. C.C.* verb: *Auch in diesen oder andern dergleichen Fällen zu klagen nicht genöthiget werden.* nec in his neq; aliis in casibus accusandum quis cogi potest. Idem dispositum reperitur in *Land-Recht art. 62. l. 1. ibi: Man soll niemand zwingen zu einer Klage.* Sed judex ex officio & ut dicitur in textu *per se* ad inquisitionem & delictorum punitionem procedere debet, homicidas enim, sacrilegos & similis fortunæ homines punire, non est effusio sangvinis; sed LL. ministerium. *C. Homicidas c. 33. qv. 5.* & inqvisitionem de Jure Divino, Canonico, Civili, Novissimo Imperii Romano Germ. & Jure consvetudinario licitam ac probatam esse probat Brunneman. *Proc. inqvisit. c. 1. n. 5. & seqq.* vid. *C. Crim. A. 214.* verb. *Und wo der Beschädigte nicht peinlich klagen wolte, so soll dennoch die Obrigkeit den Thäter nichts destoweniger &c.* i.e. si læsus criminaliter accusare nollet, magistratus tamen nihilominus in reum inqvirere &c. Reusner. *lib. 1. decis. 25. num. 30.* Heig. *P. 1. qv. 39. n. 24.* Vasqv. *Illustr. Controv. c. 15. n. 1. 2.* Carpzov. *Pr. Crim. P. 3. qv. 103. n. 52. & qv. 104. n. 50. seqq.* Cardin. Lugo *de Just. & J. Disp. 38. sect. 1. n. 4.* & Processus Inqvisit. hodiè de consvetudine est remedium ordinarium in utroqve foro, & per hoc C. constitutum, ut magistratus quorumcunque criminum reos *per se* inquirant, nec amplius ea in re irenarchorum & latrunculatorum, stationariorum, aliorumve, qvibus arma provincialibus detrahere liceret, operâ uterentur. Steph. *ad h. N. n. 12.* Brunnem. *Proc. Inqvis.*

Margin numbers: 2. 3. 4. 5.

6. *quis. c. 1. n. 9.* Cæterum dum vult Imperator in provinciis non alios ordinari, qui examinent aliqvos, illud ferè convenire videtur cum eo qvod Imperator in *C. Crim. art. 1.* disponit, cum dicit sæpè Nobiles aliqvos qvibus jurisdictio criminalis competit, recusasse
7. judiciis præsidere propter nobilitatẽ suam, qvô ipso plurima delicta mansisse impunita, qvod cum nullibi sanè fundatum, aut in jure provisum sit, qvod scilicet tractatio judiciorum criminalium splendorem nobilitatis obscuret, eam qvoq; opinionem non esse attendendam *d. A.* indicare voluit, Clasenius *d. A. 1.* hisce Renati Choppini verbis *L. 2. de privileg. nobilit. c. 33. p. 179.* ita exprimit;
8. *Qvando Nobiles judiciis criminalibus assident, & ipsi de vita & sangvine, fama & fortunis subditorum judicare sciunt hoc ipsis in summum decus gloriæ cedit, volunt enim cæteris superiores esse, & ad imperandum & judicandum se natos esse fatentur non obscurè, ideò tantum abest, ut illorum dignitati qvicqvam detrahat, si de sangvine & vita judicent, ut potius illud in augmentum gloriæ & honoris illis cedat.* Firma vero
9. licet sententia sit, inqvisitionem à judice esse faciendam, caveat tamen, ne in qvævis leviora crimina eadem fiat, nam ab hoc abstinere tutius arbitrantur JCti. Damhud. *Pr. Crib. c. 8. n. 6. 7.* Cothm.
10. *Vol. 3. Resp. 29. n. 123.* Pro hisce enim delictis magis marsupia inqviruntur, qvàm delicta & Deus avaros perdit judices dicente Oldekop. *Observ. Criminal. Tit. 2. Obs. 1.* & deinde, ut simulac constat, delictum esse commissum, illico inqvirat, cum magna celeritate & diligentia in personam delinqventis, ut subornationes & deterritiones evitentur. Oldekop. *Obs. 12.*

CAP. XXII.

De non gravandis Angariis collatoribus.

1. HOc non faciant judices aut officia eorum, si qvando de civitate ad civitatem veniant; sed ex deputatis sibi de fisco annonis expensas faciant.

Add. vid. supra *ad Nov. 17. cap. 9.*

NOV.

NOV. CXXIX.

De Samaritis.

PRÆFATIO.

SAmaritas pridem atroces & elatos contra Chriſtianos, 1.
& in omnium noviſſimam velut ſuperbiam excedentes, plurimis qvidem afflixit pœnis Imperator, ſed unâ maximè; qvod neq; teſtamenta ipſi poſſint conſcribere, nec defuncti abſq; teſtamento, cognatis qvi ab inteſtato vocantur, hereditatem transmittere, niſi ad hereditatem ex utraq; cauſa vocatos, rectæ Chriſtianorum fidei eſſe contingeret. Interdixit etiam legata dare, & donationes 2.
ſcribere, aut in ſuis rebus aliqvas omninò alienationes ponere, niſi perſona percipiens forte eſſet orthodoxâ fide. Licet verò lege generali hæc comprehenderit, tamen ſubtilitatem eam, qvam in literis reſervavit, non etiam in operibus ſe reſervaſſe ſcribit, nec enim fiſcum, nec aliqvam publici partem ex his qvicqvam accipere paſſus eſt, licet expreſſim lex daret.

Addit. Peſſima Samaritanorum ſecta erat, ab Idololatris 3.
non multum differens, nec enim qvid adoraret, ſciebat. *Joh. 4. v. 22.* inde qvamvis non plane ethnici fuerint, non majoris tamen æſtimarunt, ac ſi integri & abſoluti eſſent ethnici. Poſt Samaritanum orantem non dicebant *Amen*, nec hemiſiclos ab ipſis 4.
recipiebant, nec utebantur ipſorum cibis, ſi acetum aut vinum ipſorum commixta fuiſſent, nec comedebant cum illis ſecundum illud: *Ne comedat qviſpiam bucellam Samaritani.* vid. Joh. Henrici Othonis *Lexicon Rabin. Philolog. ſub voc. Samaritani.* & qvæ de illis diſſeruit *in Exercit. Antimorin.* Joh. Henricus Hottingerus, ubi itidem tractat de eorum origine, religione, bellis, & ritibus. Conf. itidem Petrus Cunæus *de Republ. Hebr. lib. 2. cap. 16.* vid. & Matth Steph. ad h. Nov. ubi præter alia dicit, ipſos miſſionem Spiritus S. Apoſtolis factam negaſſe. Conf. ſupra dicta *ad Nov. 45. Præfat.* Tanta crudelitate in eos ſæviiſſe dicitur Pilatus ut 5.

ferè omnes interfecerit, qvapropter à Vitellio Præfecto Syriæ, apud qvem superstites gravissimam qverelam detulerunt, & Pontium Pilatum Romam citarunt, ut coram Tiberio Cæsare causam suam defenderet, ut refert autor eruditiss. *Deliciarum Bibl. ad A.*
6. *1698. pag. 242.* Hosce igitur Imperator Justinianus intestabiles fecerat, jura legitimarum hereditatum, & rerum suarum administrationem ademerat. *L. 17. §. 1. C. de heret.*

CAP. I.

Samaritanis beneficia antea indulta restituit.

1. QVia verò Episcopus Cæsariensis Sergius justas petitiones pro eis fecerat; testimonium perhibens meliores eos factos insuper qvietem futuro tempore promittebat, ad præsentem rediit legem Imperator, & restituit ipsis factionem testamenti, potestatem legata dare & accipere, facultatem contrahendi, & donationes scri-
2. bendi. Qvi enim testari dedit, & de omni dispensare substantia, qvomodo de particulari dispensatione negaret; Cœterum, qvod hic dat Imperator, illud iterum ipsis infra *Nov. 144.* adimit Justinus Imperator, Justiniani Successor.

CAP. II.

De Differentia ratione successs. inter Chr. & Samaritas.

1. I. MEliora sectantibus privilegium præstat Imperator, nam si qvis Samaritanorum sine testamentis moriatur, & filios ad Deum discretos reliqverit, soli vocantur ad hereditatem hujusmodi, qvi rectam Christianorum allegant fidem, aliis qvi ipso qvo defunctus detinentur errore, exclusis.

2. II. Atqvi hæc non de solis tantum filiis dicit; sed & de aliis cognatis ex qvacunq; sint linea, ut si recta sectentur, & illis qvi non proxima colunt, præponantur, qvid si

omne;

s

omnes unius fidei Christianæ sint, & gradum accipiant, ad unam hereditatem habent vocationem.

Nec enim his qvi ex longiore gradu sunt, & à pro- 3.
ximioribus excluduntur, licet meliora sectentur, prælationem aut privilegium ante proximos dat.

CAP. III.

De Conversis Samaritis ad Christianam fidem.

I. HIsce suas restituit portiones, non secus, ac si rectæ 1.
religionis extitissent, ita tamen, ut solis medii temporis fructibus priventur. Si qvis eorum testamentum scripsit, valet id, qvantum ad religionem. Si
verò pater, aut qvis descendentium aut ascendentium sit 2.
conscribens testamenta, si ad hereditatem vocati omnes ejusdem qvo pater sunt erroris, his non relinqvat ultra duas bonorum suorum uncias, reliqvis ad eos qvi rectè colunt, deferrendis.

II. Si qvis forte Christianus ipsis reliqverit legata, 3.
& pœnitentiam agere maluerint, æqvaliter iisdem cum eis frui possunt, sicut in successione ab intestato antea decrevit. Ad duas qvoq; uncias usq; relinqvit & descendentibus & ascendentibus qverelam de inofficioso.

Addit. Præterqvam qvod conversio ad fidem Christianam, 4.
ipsis conversis plurima & insignia beneficia, maximè qvod in Ecclesiæ gremio constituti omnium beneficiorum Christianorum reddantur participes, & aliqvando una cum ipsis post hanc vitam Deum à facie ad faciem intuemur eà qva in æternum antea e-
rant abjecti, ita & aliorum bonorum hujus mundi capaces red- 5.
duntur, dum antea enim erant viles, ab omnibus exclusi dignitatibus, & Christianorum conversatione indigni, qvippe Panor-
mit. *in c. 1. X. de Judæis* refert; Judæo scholari non esse de rigore 6.
juris permittendum, ut cum Christianis scholas freqventet, cum ibi amicitia intima contrahatur, & periculum sit, ne judices ex

aſtutia Judæorum ſubvertantur, aliud eſt ſi ad Chriſtianam fi-
7. dem converſi. Ulterius Judæus filius ad fidem converſus liberatur patria poteſtate, & ſui juris fit in iis, qvæ tendunt in patris commodum, Spiritus enim S. vocatio omnia ſolvit vincula, & ubi Spiritus Dei, ibi libertas eſt. *c. duæ 19. qv. 2.* & ubi conjux Judaica tranſit ad fidem Chriſtianam, marito in judaica ſuperſtiti-
8. one manente, proles ſeqvitur conditionem matris ejusq; religionem. *c. Judei p. 8. qvæſt. 1. & c. ex literis tuis X. de converſ. infidel.* qvod in Judaismo hæſitantibus longè aliter ſe habebat, dum utriqve patri & matri jugum ſervitutis durisſimè inherebat cervici. Tantum ſcil. operatur pœnitentia, cujus in textu hic exem-
9. plum profert Imperator. Si tamen Samaritanus, aut alius infidelis delictum commiſit, licet ad fidem converſus, nihilominus tamen pœnam fori externi ad vindictam publicam luere & Reip. ſatisfactionem dare tenetur, Barboſa *ad C. gaudemus X. de divort.* cum nemo pœnitentiâ ſuâ deſinat eſſe nocens, *L. 17. §. 1. ff. de Æd. Edict. L. 65. ff. de fort.* nec flagitium obliteretur pœnitentia. *L. 3.*
10. *C. de Apoſtat.* Facit, qvod Deus tunc demum delinqventi in totum remittat, cum is juſtitiæ humanæ ſatisfecerit, & pœnam delicto debitam ſolverit. Et textus in *C. pen. de heret.* pœnam hæreticis planè non remittit, eamq; qvando de alio caſu loqvitur, potius imponit. Poſſe tamen principem ex juſta cauſa aggratiari converſum de delicto non dubitatur, ſi tale ſit, qvod à Principe, qvoad pœnam remitti poteſt. Conf. Excell. Dn. Stryk. in pereruditа *Diſſert. de Intereſſe controverſ. cap. 2. th. 12.* ubi de Turca captivo baptizato agit, an maneat Chriſtianorum ſervus, & *th. 13.* num talis ad collegia opificum ſit admittendus &c.

CAP. IV.

De aliis actibus inter vivos & mortis C. Samarit. conceſſis.

1. Concedit itidem ipſis donationes dare, & accipere, & legata relinqvere, & libertatibus ſervos honorare, contrahere qvoq; ad invicem, lege pridem poſita, nihil prohibente, ſic, ut nec fiſcum, nec aliam omnem publici

blici partem, ad ipſorum hereditatis & ſubſtantias aliqvod participium habere deſideret, atq; hæc dicit non in futuris ſolum; ſed ut neq; in præteritis, fiſcus, aut alter omnium ipſorum ſubſtantias perſcrutetur, dum enim in futuris clementiam dedit, de præteritis ſubtilem tractationem habere non vult.

Addit. Notandum neq; hic in Samaritanos, nec ſupra *c.42.* 2.
ubi ad *c.3.* de hæreticis fuit actum, capitali ſupplicio inſurgere Imperatorem, nec enim CHRISTUS ipſe Salvator hæreticos exterminari, & perimi vult, *Matth.13.29.* nec Apoſtolus de vita tollendos monet *ad Tit.3,10.* cum qvod hæreſis ſit crimen merè Eccleſiaſticum, tum qvod ipſe Salvator *Luc.9,54.* Diſcipulis Samaritas qvod Dominum Salvatorem ſuſcipere nollent, atq; ob id perdere volentibus reſponderet; *Neſcitis, cujus Spiritus eſtis, Filius Hominis non venit animas perdere; ſed ſalvare.* Ergò cum primitiva Eccle- 3.
ſia eos non perſecuta ſit ferrô & igne, ipſe Salvator Sanctisſimus eis pepercerit, & meritò Imperator hic eos dimittit impunitos, & beneficia juris olim ademta ipſis clementisſimè reſtituit, non obſtante, qvod hæretici non beneficium; ſed pœnam mereantur 4.
L.7. C. de heret. Imperator qvippe clementiâ ſuâ ad mitiorem ſententiam provocat, ut erroribus pravis relictis in viam deducantur, & Chriſtianam eligant religionem & vitam, perinde ſicut nec judæos lædimus ſub prætextu hæreſis eorum, atqve ſuperſtitionis, & plurima in illis toleramus, ne converſionem eorum im- 5.
pediamus, qvippe injuriis fiunt alieniores à fide Chriſtiana, & inimicos juvare, non lædere jubemur. Inde & hic ſatius forte putavit Imperator ſinere potius creſcere zizania, qvàm ut ſimul cum eis triticum eradicetur. vid. infra *Nov.144.*

NOVELLA CXXX.

De tranſitu militum.

CAP. I.

Qvomodo milites debeant tranſire.

NOV. XXVIII.

De Collatoribus.

1. AGitur hac Novellâ de Officio *Collatorum* & *Susceptorum*, qvibus in Provinciis tributa & annonas militibus solvere erat injunctum, & præscribitur hic per aliqvot capita ipsis, qvô modô, qvibus anni temporibus, & qvorum periculo publica tributa sint exigenda. Repetuntur hic insuper per aliqvot C. plurima de qvibus jam tum supra ad *N. 8. & N. 17. c. 8.* fuit dictum.
2. Hodiè modus contribuendi longe alius est, nam tributorum indictio ad regalia spectat, licet eorum distributionem statibus provincialibus haud rarò relinqvant Principes, præcipue ubi Comitia Provincialia habentur. vid. Illustr. Dn. de Rhetz *Jur. Publ. lib. 2 tit. 2. §. 4.* Excell. Dn. Stryk. *Dissertat. de Statib. Provincial. C. 4.*
3. Et variant genera contributionum, alia sunt enim *patrimonialia*, qvæ prædiis pro ratione fructuum imponuntur juxta *L. forma 4. ff. de Censib.* quæ iterum sunt vel *ordinaria*, quæ regulariter ex fundo præstantur, vel *extraordinaria*, qvæ tempore necessitatis indici solent, qvo refertur collecta Turcica.
4. Alia qvoqve sunt *personalia*, qvæ in singula subditorum capita indicuntur, unde & nomen assumserunt caputationis, *Kopfgeld*, ubi nulla facultatum, aliqva tamen ætatis habetur ratio, & æqvabiliter indicitur.
5. Præter hæc & similia tributa est etiam *die Reichssteuer, Landsteuer, Kreyßsteuer, Fräuleinsteuer, Abzug, und Nachsteuer, Leibsteuer, Bettb - Boden-Zinß, Fruchtgeld, Berggeld, Schlägelschatz, Forstgeld, Mastgeld, Lastgeld, Soldatengeld, Weinkauff, Erbzinß, Pfluggeld, Trifftgeld, Zehenden vom Fleisch, Wein, Korn, Erbsen, Flachß, Kraut, Viehschatz, Accis, Simpelgeld, Unfenzinß*, collecta Imperialis, Provincialis, Circularis, fœminarũ illustrium, detractionis, urbeda, &c. & aliæ innumerabiles species de qvibus latissimè Klock. *de Contribut.* & alii passim Ddr. tradidere.

CAP. XV.

De Mensura & Ponderibus.

1. VUlt eos qvi tributa exigunt publica justis ponderibus & mensuris uti, ne tributarii lædantur; Si autem collatores

latores putent se gravari sive in mensuris, sive in ponderibus, poterat à magistratibus hic denominatis accipere & ejusmodi mensuras & pondera in uniuscujusq; civitatis Ecclesia servari, ut juxta ea, & gravamen collatorum, & fiscalium illatio, & militares, & aliæ fiant expensæ.

Add. De hac materia integer tractatus Myler. ab Ehrenbach *de Metrologia* videri & conferri potest. 2.

CAP. XX.

De loci servatore constituendo.

PRohibet judices civiles & militares in civitatibus & castris *loci servatores* in commissis sibi provinciis facere, ex qvo in provinciam accesserint, & in qvantum in ea administrant, in qvem finem ipsi judici constituenti, & fieri præsumenti V. auri librarum pœnam constituit. 1.
Anteqvam verò judices in provincias veniant, possunt *Loci Servatorem* constituere, qui omnia ad usq; ejus præsentiam potest agere, qvæ ipsi judices possunt facere, citra novissimum tamen supplicium, aut membri incisionem; Si qvis etiam ex judicibus secundum jussionem Imperatoriam in aliam regionem mittatur, liceat ei per similem modum Loci Servatorem suum facere. 2.

Addit. Per loci servatorem Vicarius intelligitur, subseqventibus temporibus appellatus *Virzthum* vel vice Dominus, de cujus nomine habent ut & officio Besold. *Thes. Pr.* & Speidel. *in Spec. Jurid. sub hac voce.* 3. Non poterant igitur judices ejusmodi Vicarios constituere, qvi jurisdictionem exercerent, nam jurisdictionem suam in alium transferre atq; à se abdicare nemo potest *L. pen. ff. de Offic. Præsid.* qvippe hac translatione constitueret Magistratum, qvod solius est supremæ potestatis, Vultejus *ad L. 3. C. de jurisdict.* Scipio Gentilis *lib. 2. de jurisdict. c. 26.* nec rectè videtur statuere Bussius *in L. 1. §. 1. n. 2. & 4. de Offic. ejus cui* dicens, illum, cui mandata est jurisdictio Magistratum esse, non enim qvævis juris dicundi potestas Magistratum facit; sed ea tan- 4. 5.

tum in qva qvis principem obtinet, locum, qvam suo jure, non alieno mandato exercet, ut rectè Donell. *lib. 17. Canon. Jur. Civil.*
6. *cap. 7.* Ergo qvi utitur aliena jurisdictione, eam alteri utendam dare non magis potest, qvàm rem sibi commodatam alteri com-
7. modare *fac. L. Nemo plus 45. ff. de R. J.* Hinc vulgatum illud, delegatum subdelegare non posse, cujus qvidem regulæ exceptiones aliqvot recensentur à Costalio *in L. ult. ff. de Offic. ejus cui* sed qvæ natæ sunt ex errore confundentium delegationem jurisdictionis cum datione judicum. vid. Vinnius *de Jurisdict. c. 8.* Duos mo-
8. do casus hic excipit Imperator, sic ut Vicarius tamen capitale supplicium irrogare non possit, hoc enim Imperatori & præfecto Prætorio competebat, qvod notum ex illa Trajani generosissima voce ad præfectum præt. Sabuzanum directa; cum gladiũ, qvo eum accingi oportebat, nudum porrigeret; *Accipe gladium, qvem pro me, si benè, atq; ratione imperavero, distringes, sin minus, eo ad interitum meum utere.* Sextus Aurelius Victor *de Trajano.* Ipsi
9. verò Imperatores pugionem ad merum Imperium ostentandum gestare soliti; Hinc Tacitus *lib. 3. Historiar.* de Vitellio dicit *solutum à latere pugionem Consuli in concione reddidisse tanqvam jus vitæ & necis in cives.* Non solus igitur gladius; sed & pugio meri im-
10. perii fuit index. Qvare C. Cæsar (Caligulam intelligit Scipio Gentilis *de Jurisd. lib. 3. c. 2.*) duos habuisse libros dicitur, qvorũ alteri *gladius* alteri *pugio* nomen fecerint, in utroqve annotati ii,
11. qvos occidere constituerat. Gladium igitur præfectus prætorio ferebat, pugionem ipse Princeps, plane prout apud Thebanos olim Magistratus sive Archon hastam semper ferebat; fortè & Magistratibus olim prælatus gladius, huc illud Apostoli trahi posset, *non sine causa Magistratum gladium ferre.* vid. Scipio Gentil. *d. loco.*

CAP. XXI.

De inqvisitione delictorum instituenda.

1. JUbet omnes judices tam militares, quàm civiles *per se* reqvirere eos, qvi latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum,

rerum, aut fœminarum, aut alia qvælibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferre, nec pro his causis aliqvid accipere consvetudinis nomine, ut omnes collatores illæsi serventur, nec enim pro talibus causis in provinciis aliis à judicibus debent ordinari, qvi maleficos examinent, ne per tales occasiones ampliores violentiæ inferantur provincialibus. Pœnam in secus facientes adjungit Imperator.

Add. Accusator propter delictum aut injuriam sibi suisq; illatam ad accusandum compelli non potest, qvia unusqvisq; dominus est propriæ famæ & bonorum fortunæ, non tamen ut illam prolubitu aliis prostituat, hæc verò ut in fraudem Reipub. abliguriat, cujus potius interest divites qvàm pauperes habere cives. *L. un. C. ut nemo invitus ag. art. 214. C. C.* verb: *Auch in diesen oder andern dergleichen Fällen zu klagen nicht genöthiget werden.* nec in his neq; aliis in casibus accusandum quis cogi potest. Idem dispositum reperitur in *Land-Recht art. 62. l. 1. ibi: Man soll niemand zwingen zu einer Klage.* Sed judex ex officio & ut dicitur in textu *per se* ad inquisitionem & delictorum punitionem procedere debet, homicidas enim, sacrilegos & similis fortunæ homines punire, non est effusio sangvinis; sed LL. ministerium. *C. Homicidas c. 33. qv. 5.* & inqvisitionem de Jure Divino, Canonico, Civili, Novissimo Imperii Romano Germ. & Jure consvetudinario licitam ac probatam esse probat Brunneman. *Proc. inqvisit. c. 1. n. 5. & seqq.* vid. *C. Crim. A. 214.* verb. *Und wo der Beschädigte nicht peinlich klagen wolte, so soll dennoch die Obrigkeit den Thäter nichts destoweniger &c.* i. e. si læsus criminaliter accusare nollet, magistratus tamen nihilominus in reum inqvirere &c. Reusner. *lib. 1. decis. 25. num. 30.* Heig. *P. 1. qv. 39. n. 24.* Vasqv. *Illustr. Controv. c. 15. n. 1. 2.* Carpzov. *Pr. Crim. P. 3. qv. 103. n. 52. & qv. 104. n. 50. seqq.* Cardin. Lugo *de Just. & J. Disp. 38. sect. 1. n. 4.* & Processus Inqvisit. hodiè de consvetudine est remedium ordinarium in utroqve foro, & per hoc C. constitutum, ut magistratus quorumcunque criminum reos *per se* inquirant, nec amplius ea in re irenarchorum & latrunculatorum, stationariorum, aliorumve, qvibus arma provincialibus detrahere liceret, operâ uterentur. Steph. *ad h. N. n. 12.* Brunnem. *Proc. Inqvis.*

Margin numbers: 2 (beside "Add. Accusator…"), 3 (beside "…in textu per se"), 4 (beside "qv. 5. & inqvisitionem…"), 5 (beside "Disp. 38. … de consvetudine").

6. *qvis. c. 1. n. 9.* Cœterum dum vult Imperator in provinciis non alios ordinari, qui examinent aliqvos, illud ferè convenire videtur cum eo qvod Imperator in *C. Crim. art. 1.* disponit, cum dicit sæpè Nobiles aliqvos qvibus jurisdictio criminalis competit, recusasse
7. judiciis præsidere propter nobilitatē suam, qvô ipso plurima delicta mansisse impunita, qvod cum nullibi sanè fundatum, aut in jure provisum sit, qvod scilicet tractatio judiciorum criminalium splendorem nobilitatis obscuret, eam qvoq; opinionem non esse attendendam *d. A.* indicare voluit, Clasenius *d. A. 1.* hisce Renati Choppini verbis *L. 2. de privileg. nobilit. c. 33. p. 179.* ita exprimit;
8. *Qvando Nobiles judiciis criminalibus assident, & ipsi de vita & sangvine, fama & fortunis subditorum judicare sciunt hoc ipsis in summum decus gloriæ cedit, volunt enim cœteris superiores esse, & ad imperandum & judicandum se natos esse fatentur non obscurè, ideò tantum abest, ut illorum dignitati qvicqvam detrabat, si de sangvine & vita judicent, ut potius illud in augmentum gloriæ & honoris illis cedat.* Firma vero
9. licet sententia sit, inqvisitionem à judice esse faciendam, caveat tamen, ne in qvævis leviora crimina eadem fiat, nam ab hoc abstinere tutius arbitrantur JCti. Damhud. *Pr. Crib. c. 8. n. 6. 7.* Cothm.
10. *Vol. 3. Resp. 29. n. 123.* Pro hisce enim delictis magis marsupia inqviruntur, qvàm delicta & Deus avaros perdit judices dicente Oldekop. *Observ. Criminal. Tit. 2. Obs. 1.* & deinde, ut simulac constat, delictum esse commissum, illico inqvirat, cum magna celeritate & diligentia in personam delinqventis, ut subornationes & deterritiones evitentur. Oldekop. *Obs. 12.*

CAP. XXII.

De non gravandis Angariis collatoribus.

1. HOc non faciant judices aut officia eorum, si qvando de civitate ad civitatem veniant; sed ex deputatis sibi de fisco annonis expensas faciant.

Add. vid. supra *ad Nov. 17. cap. 9.*

NOV.

NOV. CXXIX.

De Samaritis.

PRÆFATIO.

SAmaritas pridem atroces & elatos contra Chriſtianos, 1.
& in omnium noviſſimam velut ſuperbiam exceden-
tes, plurimis qvidem afflixit pœnis Imperator, ſed u-
nâ maximè; qvod neq; teſtamenta ipſi poſſint conſcribere,
nec defuncti absq; teſtamento, cognatis qvi ab inteſtato
vocantur, hereditatem transmittere, niſi ad hereditatem
ex utraq; cauſa vocatos, rectæ Chriſtianorum fidei eſſe
contingeret. Interdixit etiam legata dare, & donationes 2.
ſcribere, aut in ſuis rebus aliqvas omninò alienationes
ponere, niſi perſona percipiens forte eſſet orthodoxâ fide.
Licet verò lege generali hæc comprehenderit, tamen
ſubtilitatem eam, qvam in literis reſervavit, non etiam in
operibus ſe reſervaſſe ſcribit, nec enim fiſcum, nec ali-
qvam publici partem ex his qvicqvam accipere paſſus eſt,
licet expresſim lex daret.

Addit. Peſſima Samaritanorum ſecta erat, ab Idololatris 3.
non multum differens, nec enim qvid adoraret, ſciebat. *Joh. 4.
v. 22.* inde qvamvis non plane ethnici fuerint, non majoris ta-
men æſtimarunt, ac ſi integri & abſoluti eſſent ethnici. Poſt Sa-
maritanum orantem non dicebant *Amen*, nec hemiſiclos ab ipſis 4.
recipiebant, nec utebantur ipſorum cibis, ſi acetum aut vinum
ipſorum commixta fuiſſent, nec comedebant cum illis ſecundum
illud: *Ne comedat qvispiam bucellam Samaritani.* vid. Joh. Henrici
Othonis *Lexicon. Rabin. Philolog. ſub voc. Samaritani.* & qvæ de il-
lis diſſeruit *in Exercit. Antimorin.* Joh. Henricus Hottingerus, u-
bi itidem tractat de eorum origine, religione, bellis, & ritibus.
Conf. itidem Petrus Cunæus *de Republ. Hebr. lib. 2. cap. 16.* vid. &
Matth. Steph. ad h. Nov. ubi præter alia dicit, ipſos miſſionem
Spiritus S. Apoſtolis factam negaſſe. Conf. ſupra dicta *ad Nov.
45. Præfat.* Tanta crudelitate in eos ſæviiſſe dicitur Pilatus ut
fere 5.

ferè omnes interfecerit, qvapropter à Vitellio Præfecto Syriæ, apud qvem superstites gravissimam qverelam detulerunt, & Pontium Pilatum Romam citarunt, ut coram Tiberio Cæsare causam suam defenderet, ut refert autor eruditiss. *Deliciarum Bibl. ad A.*
6. *1698. pag. 242.* Hosce igitur Imperator Justinianus intestabiles fecerat, jura legitimarum hereditatum, & rerum suarum administrationem ademerat. *L. 17. §. 1. C. de haret.*

CAP. I.

Samaritanis beneficia antea indulta restituit.

1. QVia verò Episcopus Cæsariensis Sergius justas petitiones pro eis fecerat; testimonium perhibens meliores eos factos insuper qvietem futuro tempore promittebat, ad præsentem rediit legem Imperator, & restituit ipsis factionem testamenti, potestatem legata dare & accipere, facultatem contrahendi, & donationes scribendi.
2. Qvi enim testari dedit, & de omni dispensare substantia, qvomodo de particulari dispensatione negaret; Cœterum, qvod hic dat Imperator, illud iterum ipsis infra *Nov. 144.* adimit Justinus Imperator, Justiniani Successor.

CAP. II.

De Differentia ratione success. inter Chr. & Samaritas.

1. I. MEliora sectantibus privilegium præstat Imperator, nam si qvis Samaritanorum sine testamentis moriatur, & filios ad Deum discretos reliqverit, soli vocantur ad hereditatem hujusmodi, qvi rectam Christianorum allegant fidem, aliis qvi ipso qvo defunctus detinentur errore, exclusis.
2. II. Atqvi hæc non de solis tantum filiis dicit; sed & de aliis cognatis ex qvacunq; sint linea, ut si recta sectentur, & illis qvi non proxima colunt, præponantur, qvid si

omne;

S

omnes unius fidei Christianæ sint, & gradum accipiant, ad unam hereditatem habent vocationem.

Nec enim his qvi ex longiore gradu sunt, & à pro- 3.
ximioribus excluduntur, licet meliora sectentur, prælationem aut privilegium ante proximos dat.

CAP. III.

De Conversis Samaritis ad Christianam fidem.

I. Hisce suas restituit portiones, non secus, ac si rectæ 1.
religionis extitissent, ita tamen, ut solis medii temporis fructibus priventur. Si qvis eorum testamentum scripsit, valet id, qvantum ad religionem. Si
verò pater, aut qvis descendentium aut ascendentium sit 2.
conscribens testamenta, si ad hereditatem vocati omnes ejusdem qvo pater sunt erroris, his non relinqvat ultra duas bonorum suorum uncias, reliqvis ad eos qvi rectè colunt, deferrendis.

II. Si qvis forte Christianus ipsis reliqverit legata, 3.
& pœnitentiam agere maluerint, æqvaliter iisdem cum eis frui possunt, sicut in successione ab intestato antea decrevit. Ad duas qvoq; uncias usq; relinqvit & descendentibus & ascendentibus qverelam de inofficioso.

Addit. Præterqvam qvod conversio ad fidem Christianam, 4.
ipsis conversis plurima & insignia beneficia, maximè qvod in Ecclesiæ gremio constituti omnium beneficiorum Christianorum reddantur participes, & aliqvando una cum ipsis post hanc vitam Deum à facie ad faciem intuemur eà qva in æternum antea erant abjecti, ita & aliorum bonorum hujus mundi capaces red- 5.
duntur, dum antea enim erant viles, ab omnibus exclusi dignitatibus, & Christianorum conversatione indigni, qvippe Panormit. *in c. 1. X. de Judæis* refert; Judæo scholari non esse de rigore 6.
juris permittendum, ut cum Christianis scholas freqventet, cum ibi amicitia intima contrahatur, & periculum sit, ne judices ex

blici partem, ad ipſorum hereditatis & ſubſtantias aliqvod participium habere deſideret, atq; hæc dicit non in futuris ſolum; ſed ut neq; in præteritis, fiſcus, aut alter omnium ipſorum ſubſtantias perſcrutetur, dum enim in futuris clementiam dedit, de præteritis ſubtilem tractationem habere non vult.

Addit. Notandum neq; hic in Samaritanos, nec ſupra *c. 42.* 2.
ubi ad *c. 3.* de hæreticis fuit actum, capitali ſupplicio inſurgere Imperatorem, nec enim CHRISTUS ipſe Salvator hæreticos exterminari, & perimi vult, *Matth. 13. 29.* nec Apoſtolus de vita tollendos monet *ad Tit. 3, 10.* cum qvod hæreſis ſit crimen merè Eccleſiaſticum, tum qvod ipſe Salvator *Luc. 9, 54.* Diſcipulis Samaritas qvod Dominum Salvatorem ſuſcipere nollent, atq; ob id perdere volentibus reſponderet; *Neſcitis, cujus Spiritus eſtis, Filius Hominis*
non venit animas perdere; ſed ſalvare. Ergò cum primitiva Eccle- 3.
ſia eos non perſecuta ſit ferrô & igne, ipſe Salvator Sanctiſſimus eis pepercerit, & meritò Imperator hic eos dimittit impunitos, & beneficia juris olim ademta ipſis clementisſimè reſtituit, non obſtante, qvod hæretici non beneficium; ſed pœnam mereantur
L. 7. C. de haret. Imperator qvippe clementiâ ſuâ ad mitiorem ſen- 4.
tentiam provocat, ut erroribus pravis relictis in viam deducantur, & Chriſtianam eligant religionem & vitam, perinde ſicut nec Judæos lædimus ſub prætextu hæreſis eorum, atqve ſuperſti-
tionis, & plurima in illis toleramus, ne converſionem eorum im- 5.
pediamus, qvippe injuriis fiunt alieniores à fide Chriſtiana, & inimicos juvare, non lædere jubemur. Inde & hic ſatius forte putavit Imperator ſinere potius creſcere zizania, qvàm ut ſimul cum eis triticum eradicetur. vid. infra *Nov. 144.*

NOVELLA CXXX.

De tranſitu militum.

CAP. I.

Qvomodo milites debeant tranſire.

1. QVoties transitus judicum & exercituum fit, delegatores simul i. e. Commissarii adesse exercitui debent, qvi eisdem de alimentis prospiciant, præparationem expensarum faciant, utq; in unamqvamq; provinciam exercit9 ascendentes inculpabiliter conversentur; Optiones verò cujusvis numeri. i. e. erogationes annonæ militaris species in provinciis acceptas, i. e. cujusvis gene-
2. ris annonas, militibus erogare, & insuper provincialibus recauta dare debent i. e. apochas ratione eorum, qvæ pro militibus accepere comites & delegati suo periculô, ut & diasostæ, nec ullô modô milites â Provincialibus gratis annonas accipere debent, ut undiqve illæsi & indemnes custodiantur subjecti.

3. *Add.* Cum nemo teneatur propriis militare stipendiis, *c. cum ex offic. de præscript. Speculat. tit. de salar.* §. 1. *n.* 6. *inf.* idcirco ille, qvi bellum gerit, sedulo militibus de stipendiis prospicere debet, ne sub prætextu qværendi victus fiant prædatores. Hunc in finem apud Romanos cuilibet exercitui aderant delegati, qvibus cura hæc erat demandata, habebat & tribunos militum, qvi castris & legionibus præerant, imperium in milites habebant, exercituiq;
4. & summæ rerum præerant; Alex. ab Alex. *lib. 6. Genial. dier. c. 18.* qvi sine dubio alios sub se constitutus habuerunt, qvibus hæc cura demandata fuit, apud nos solent appellari *die Proviant-Commissarien*, qvi militibus sæpe in castris existentibus vel extra eadem de necessariis vitæ subsidiis prospiciunt, licet illo casu maximam in partem mercatores castrenses, vulgò *die Marqvetenter*, etiam juxta illorum dispositionem bella seqvuntur, qvi neces-
5. saria victus comporant. Utinam autem qvod transitum militum attinet, secundum hanc constitutionem, qvam Speidel. *in Specul. Jurid.* voc: *Durchzug der Völcker*, auream vocat, viveretur, non ita provinciales sine distinctu læderentur, inter alia qvoqve fuit ordinatum in Comitiis Ratisbonens. de Ao. 1641. *Daß im durchziben wieder der Käyserlichen Maj. oder derselben Generals-Personen Ordonantz, wann anders die nothwendige Lebensmittel bey dem nächsten Weg fortzukommen, verhanden, einige Abwege nicht genommen, noch*

in

in Verschonungen eines, der andere Stand beschweret, oder ruiniret werden solle. i. e. transeundo adversus Cæsareæ Maj. ejusq; Imperatorum bellicorum ordinationem dum necessaria vitæ subsidia adsunt, extra viam non commeari, nec connivendo, unum vel alterum statum in damnum conjici debere. Cœterum nec hæc 6. observatio semper æquè strictè fuit observata, ideoq; in Instr.P. *c. ult. §. qvoties autem 9.* nova hæc invenitur dispositio: *Qvoties milites qvavis occasione, aut qvocunq; tempore per aliorum territoria & fines aliqvis ducere velit, transitus hujusmodi instituatur ejus, ad qvem teanseuntes milites pertinent, sumptu, atq; adeò sine maleficio, damno, & noxa eorum, qvorum per territoria ducuntur, ac deniq; omninò observentur, qva de conservatione Pacis Publ. Imperii Constitutiones decernunt, & ordinant.* Eadem ferè sunt, qvæ de Valerio Aureli- 7. ano refert Vopiscus: *Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat; uvam nullus auferat, segetem nemo deterat; Olium, sal, lignum, nemo exigat; annona sua sit contentus, de præda hostis, non de lacrymis provincialium habeat &c.* vid. *Königliche Frantzösische Kriegs-Ordinantz Art. 20.* adjuncta corpori Juris militaris Hoieri. Huncque 8. militibus ita timori fuisse, idem refert, ut sub eo, posteaquam semel cum ingenti severitate castrensia correxerat, nemo peccaverit. Debent verò hi delegati subjectis annonas solventibus 9. recautas vel quietantias suo periculo dare, qvales debent continere nomen solventis, diem, nomen Consulis, mentem, & ex qva causa solvatur, & summam seu qvantitatem tributi, ut qvid solutum sit, manifestò appareat. *L. 1. C. vers. hoc etiam de Apoch. Publ.* Licet hodiè in apochis tantum debitoris & exactoris no- 10. men, annus, mensis, & dies, nec non causa reqviratur. Nec verò militibus facultatem exigendi concedere, aliàs Præses hoc concedens punitur in duplum ministri hæc militibus committentes, deportantur, curialis quoque id permittens ad tempus relegandus. *L. 7. C. de Exactor. tribut.* vid. Tabor. *Tr. de Metatis.* Excell. Dn. Stryk. *de Transitu militum.* & Dn. Fritsch. *de Militari Transitu,* item Baierus *an & qvatenus transitus pro exercitu &c.*

Cap.

CAP. II.

Ne milites tergiversentur in accipiendo qvid qvævis provincia profert.

1. NOn igitur alias species qværant, qvæ in ipsa regione non inveniuntur, ne damnum inferatur collatoribus.

Addit. Vetus sane dictum Poëtæ est;

- - *Non omnis fert omnia tellus.*

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,

2. hoc stante creditor miles non qvod ipsi placet, & jure summo forte petere potest ipsi statim dari debet; sed id qvod regio fert, & minima præstatione se subjectos liberare posse, existimarem, *arg. L. Nummis 75. ff. de leg. 3.* ita frumentum est bonum, melius, optimum, *L. 75. ff. de V. O L. 62. ff. mand.* Si verò nulla qvalitas
3. expressa sit, debetur positivus gradus, *L. 4 ff. de trit. vino.* Menoch. *lib. 4. præs. 151. n. 4.* qvia recipit functionem in genere per solutionem generis non speciei *L. 1. §. 2. ff. de O. & A. pr. I. qvib. mod. re contrah. obl.* qvomodo æstimatio ejus fiat vid Hottom. *qv. Ill. 16.*
4. Qvod si utrumqve concurrat, & *qvantitatis*, & *qvalitatis* ille omnium optimus est proventus prout indicat Virgilius *1. Georg.*

Illa seges demum votis respondet avari

Agricolæ, bis qvæ solem, bis frigora sensit;

Illius immensæ ruperunt horrea messes.

5. Hic enim est finis agriculturæ, nempe fructuum perceptio, qvæ qvo largior & uberior, eò ditiorem & beatiorem se prædicat utplurimum agricola, cum eò melius exinde se alere possit, nam propterea agrum serit, ut exinde alatur. *1. Cor. 9, 7. 2. Tim. 2, 6.* Conf. hic *lit. C. de Salgamo Hospit. non præst.* sub qvo nomine com-
6. prehendit Peretz *h. t. C. n. 2.* esculenta, qvæ ad victum, & usum Patrisfamil. asservantur, ut oleum, sal, piper. & alia ad condiendos cibos necessaria.

CAP. III.

De compensat unius cum altero circa erogat. annonarum.

Qva

I. QVæ â Provincialibus in milites ſunt collata, â fiſca- 1.
libus contributionibus ſunt deducenda; qvod ſi plu-
res ſpecies militibus erogatæ, qvàm alioqvin ſolent con-
tribui, ipſis hoc reſarciendum ex univerſo corpore tri-
butorum iſtius Provinciæ.

II. Si non habeat ipſa Provincia ſufficientia ad expen- 2.
ſam factam, illis ſatisfiet ex generali menſa Præfecti
Prætorio, aut ex futuris contributionibus deducendum,
& ſic compenſatio facienda, periculo Præfecti Prætorio
ſingularum provincialium, tributorum, & judicum, &
obſeqventium eis officiorum, & omnium eorum, qvi fi-
ſcalia tractant.

Add. Ne nimiis oneribus ſubditi graventur, ſi qvid in mili- 3.
tes erogarunt, id iterum compenſatur cum eo, qvod nomine
collectarum poſtea ſolvendum, & ſi ex certis prædiis annonas
ſolvere obſtricti, ſi hæc non ſufficiant, ex aliis ab eodem debito-
re poſſesſis prædiis peti injuſtum non eſt, nam *L. ult. C. de exact.
tributor.* de posſesſionibus generaliter loqvitur, nec ad eas pos- 4.
ſesſiones, ex qvibus collecta debetur, commodè reſtringi poteſt.
Carpzov. *lib. 4. Reſp. 78.* Licet qvoq; immunitatem â collectis ritè 5.
qvis acceperit, non tamen extendi debet ad illa, qvæ ob publicam
& ſummam necesſitatem, & alendum exercitum inducuntur, nam
omnes tenentur pro modo facultatum, qvippe de illis tempore
privilegii non fuit cogitatum. vid R. I. *de Anno 1542. §. und dieweil
nun dieſer Auſſchlag.* item *Anno 1544. §. und nemlich ſollen alle &c.* vid.
Gail. *lib. 2. obſ. 52. n. 26.* Mynſ. *C. 4. obſ. 70. n. 6.* Klock. *C. 16. Sect. 1. n.
109. & Sect. 2. n. 97. 99.* Unde nec posſesſiones Principis, nec præ- 6.
dia incorporata fiſco eximi ab illis oneribus, qvæ pro publica ne-
cesſitate indicuntur traditur *ad L. fin. C. de Collator. Fiſc. L. ad In-
ſtructiones C. de S.S. Eccleſ.* Klock. *de Contribut. c. 9. n. 69.* Dum verò
periculo Præf. Præt. & omnium eorum, qvi fiſcalia tractant, com- 7.
penſatio ſubditis facienda igitur, ſi aliqvi eorum in exſolvendis
annonis moroſi ſint, aut aliàs ſuo factô officiales in damnum
& periculum conjicere tentent, non dubitarem, qvin illi â con-
tumacibus debitoribus pignora licitè capere & diſtrahere, ſicq;

Qq qqq ſolutio-

solutionem extorqvere possint. *L. 1. C. si propter publicas pravitat. L. Edicto. C. si adversus Fiscum.* Klock. *de Contribut. c. 18. n. 44.*
8. Nam officiales negligentes tenentur de proprio reficere ac resarcire, si debitores auffugerint, vel decoxerint, qvod consuluit in specie Menoch. *Consil. 245. n. 66.* qvia id qvod usitatum est non præstiterunt, neq; providerunt, qvod providere potuerunt Cravetta *Consil. 353.*
9. *num. 18.* Cœterum in nullo tenentur hi officiales si plures anni fuerint steriles & calamitosi, militumq; concursu vario subditi ad extremam inopiam sint redacti, ut annonas & similia onera suf-
10. ferre non potuerint. Hæc enim sterilitas, & calamitas improvisa summa ratione efficit, ne fuerint obligati adeoqve non sunt in culpa, & de non exactis non tenentur, ut in Curia regia Neapolitana decisum fuisse refert Francisc. Viv. *decis. Neapol. lib. 2. dec. 264.* Huc facit qvod inanis & nulla sit actio, qvam inopia debitoris excludit *L. 6. ff. de dolo malo c. olim nobis X. de restit. spoliat.* & qvi non habet, qvod reddat, ejus periculo nihil est. *L. 12. ff. de Furt.*

CAP. IV.

1. PRohibet Imperator, ne ullus Præfectus militaris occasione transitus aliqvid â Provincialibus exigat sub pœna dupli.

2. *Add.* Nam milites suis annonis contenti, non debent expilare provincias; sed defendere. *L. 3. C. de erogat. milit. ann.* qvod sibi dictum putent, non milites solum proprii, & qvi inferiores sunt numero; sed & qvi in superiore sunt, ut Duces, Præfecti, Capitanei, &c. neq; enim jus habent Duces, ut venalem efficiant transitum, & simul populum unum hospitio gravent, & ab alte-
3. ro corradant pretia. Notatu digna sunt hac de re verba Joach. Burgeri olim Sacr. Cæs. Maj. in militia Commissarii & Auditoris qvæ refert. *Cent. 2. Observ. Jurid. milit. 49.* & huc transcribere pla-
4. cuit; *Dergleichen Schindt- und Schabereyen sind bey diesen lang gewehrten Teutschen Kriegen heuffig vorgangen, so gar auch, daß viele Generalen und Officier sich darüber kein Gewissen mehr gemacht haben, inmaßen ich selbst erfahren, als für 14. Jahren einer gewißen Armade in certa functione beygewohnet, daß eine wolbekante Generals person, (deßen Nahmen ich billig honoris causa verschone) 8000. Rthl. bekommen, damit sie mit ihro Unterhabenden damahls nach dem Land von Meissen*

Meissen avancirenden Armada ein gewisses Fürstenthum vorbeygegangen, und mit abfoderung der Provianten verschonet haben, auff solche weiß können die HH. Generalen bald reich werden. i. e. Ejusmodi deprædationes & divexatones subjectorum in diuturno bello Germanico plurimæ fuerunt, sic, ut Imperatores bellici, & officiales illas facere abundè non sint veriti, siqvidem ipse expertus sum, cum exercitui ante 14. annos in certa functione interessem, certum Ducem bellicum (cujus nomini honoris causa parco) 8000. Imperiales accepisse, modo præteriret Principatum cum exercitu, & ex actione annonarum parceret, hoc certo modo mox sibi divitias Duces bellici acqvirere poterunt. Olim qvidem in- 9.
terdum loco annonæ ob justas causas pretium dabatur; sed certa ac publicâ statutâ qvantitate, qvæ dicebatur ADÆRATIO, qvam nec miles, nec Dux immutare poterant sub pœna *L. 13. C. de erogat. milit. ann.* cœterum hoc hodie in abusum trahitur.

CAP. V.

De Judice renuente facere recauta.

SI qvis judicum, militum, aut optionum recauta ex- 1.
pensarum Provincialibus dare noluerit, Collatores acta vel coram judice, vel Episcopo illius loci conficere debent, illisqve conscribere, qvot scil. sumtus impensi, & qvis Ducum recauta dare detrectarit, qvibus actis exhibitis, perinde Provinciales ab aliis tributis deductionem facere non prohibentur.

Add. Si creditor sibi debitum à debitore accepit, ab apo- 2.
chæ datione se liberare neqvit, cum qvod ipsi non nocet, alteri verò scil. debitori prodest, concedere oporteat ob regulam in summa fundatam æqvitate. *L. 2. §. 5. ff. de aqua & aqv. pl.* qvia si creditor apocham dare recuset, & à judice ad id cogi posse du- 3.
bium non est, modo solutionem factam debitor probet *arg. L. 25. ff. de probat.* qvod si etiam semel hanc deberet, utiq; si exactor publicus fuerit, & nomine publico pecuniam acceperit, postea except. N. N. pec. opponere non potest, *L. 11. C. de Susceptor.*

4. Licet autem in privatis causis creditor debitorem ad antapocham compellere possit, ne præscriptionem opponere possit, aut solutionem canonis aut usurarum negare debitor, vel ipsius hæres. Brunneman. *ad L. 19. C. de fide instrum.* id tamen in publicis
5. necessum non est, cum obligatio ad annonas & stipendia militaria necessaria sit, nec præscribatur, nisi immemoriale tempus accedat, ut Doctores communiter probant ad *L. comperit. 6. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

CAP. VI.

Præfecti Militares ne simulate transitum instituant.

1. PRæfecti militares præmittere aliqvos ad illa loca debent, per qvæ transire necessum habent, ut debita subsidia præparari possint; Ad alia verò loca, per quæ non transeunt, non debent sic mittere, qvasi per ea transire vellent, nec eô nomine qvicqvam exigere, qvod si fecerint, id provincialibus qvidem â tributis deducendum; sed Præfecti militares duplum præstare debent, Prometatores verò supplicium & exilium sustinebunt.

2. *Addit.* Placet hoc C. illustrare itidem verbis Burgeri *C. 2. d. O. 49.* supra allegatâ: *Sie sollen nicht auff die Seitenschicken, blinde Qvartier machen, und unter dem Schein, als wann sie an einem oder dem andern Ort logiren müsten, den Unterthanen Geld abpreßen, welches bey dem jüngsten Teutschen Kriegen leyder gantz gemein gewesen, wodurch Land und Leut dergestalt devastirt, und enerviret worden.*

3. Non debent ex obliqvo Prometatores ordinare, & fingere ac si metata facere vellent, saltem, ut â Provincialibus extorqveant pecuniam, qvod in tricennali bello passim practicatum, ut & regiones inde maximam in partem devastatæ.

CAP. VII.

De Pœna judicum cum Diasostis colludentium.

Si ju-

SI judices Provinciarum colludant cum diasostis i. e. pro- 1.
visoribus exercitus, expensas non præparaverint, &
ex hoc per diversas civitates & villas copias perduxerint, dignitate debent privari, & bonis publicatis cum obedientibus eis officiis subdi, Provincialibus tamen & hoc à tributis deducendum.

CAP. VIII.

QVæ de transitu militum hactenus dicta, non tantum 1.
in militibus Imperatoris; sed & in illis, qvi ab extranea Republ. mittuntur, locum habent.

Addit. Præsupposito transitum militum ad innoxias perti- 2.
nere utilitates, si transiens cautionem de servanda indemnitate forte præstet, injustum bellum non moveat, nec hostes meos secum ducat, Grot. *lib. 2. de J. B. & Pac. cap. 2.* is per cujus provinciam petitur, transituro omnia præstabit, qvæ ab ipso si opus haberet, prætendere possit, E. si judices & diasostæ hoc casu colluderent, illumq; cujus auspiciis bellum geritur, defraudarint, qvid
magis dehonestaret Dominum territorii? Ergo si magna vis fru- 3.
menti vel plura vini plaustra donata sint Magistratui officii intuitu qvid justius est, qvàm hæc talia specie esculentorum & poculentorum data, acqvirenti extorqvere, eundemq; criminis repetundarum, vel barratariæ, ut vocant reum postulare? Conf.
Dn. Textor *Synopsi Jur. Gent. cap. 12. n. 32. & seqq.* Turpiter sanè 4.
hic uterq; facit, & diasosti, qvi dant, & judices provinciarum, qvi accipiunt, si hi copiis suo die non solvant, culpâ non carent,
& ob negligentiam suam tenentur. In fraudem autem facere 5.
videri eum, qvi non fecit, qvod debuit facere responsum est, *in L. 4. ff. qva infr. credit. L. 121. ff. de R. I.* & dolus in eo est, qvi exigere supersedit. *L. 9. §. 4. ff. ad Exhib.*

CAP. IX.

Ne Milites authenticas habitationes pro metatis accipiant.

SCilicet primarias ædium habitationes non occupent, in 1.
qvibus alias ipsi ædium Domini habitant; sed has iis-

dem relinqvant, & in aliis dictis cœnaculis metata accipiant.

2. *Addit*. Inter onera civilia reputatur, qvod subditi militibus hospitia præbere teneantur, Besold. *Consil. 118. n. 52.* Princeps enim jure superioritatis gratis hospitia designare potest, omnesqve ejus Imperio subjecti parere necessum habent, nisi qvi singulariter exempti reperiuntur, ut sunt inprimis Artium Profes-
3. sores, LL. Doctores, Medici, item Advocati, eorumq; uxores, hi enim ab hospitum susceptione, aliisq; muneribus publicis immunes pronunciantur, in *L. Medicos 6. C. de Professor.* Besold. *in disc. de Privileg. Studiosor.* Klock. *de Contribut. 56. & seq.* In hospitatione
4. militum verò hæc moderatio adhibenda, ne primarias ædium partes milites inhabitent; sed in cœnaculis, qvæ sunt altiora loca domus, ad qvæ scalis aut cochleis ascenditur, qvæ incolebant tenuiores, & inqvilini, inde *Cœnacularius* Ulpiano *L. 11. §. 5. ff. de*
5. *pignor. act* vid. Calvin. in Lexico *voc. cœnacula.* Domus igitur in tres partes distribuatur, primæ Domino ædium, qvam elegerit, relinqvatur, nam æqvum est, ut ipsi, qvi emit, vel hereditario jure accepit, aut suis sumtibus extruxit, primum serviant ædes; secundam accipiat miles, qvam ipse elegit miles, & tertia Domino serviat, illustris verò miles mediam domus partem possideat. vid. Brunnem. *ad tit. C. de metat. & Epidemet.* & Capyc. *decis. 42.*

NOV. CXXXI.

De Ecclesiasticis titulis, & Privilegiis, aliisq; capitulis.

1. *Addit*. Utplurimum *Tituli* in Jure Canonico significant bona pro titulo clericis assignata, sive ad necessariam sustentationem clericorum destinata; non enim admittebantur in clerum nisi in certa Ecclesia essent adscripti, totq; tantum in Ecclesia instituebantur, qvot nutriri poterant. *c. 4. X. de Institut. c. fin. x. de*
2. *V. S.* Inde ab Ecclesia in cujus albo descripti erant clerici, ejus Ecclesiæ & tituli esse dicebantur, atq; hinc bona ratione tituli assignata, vocantur *Tituli.* Ziegl. *ad Lancellot. lib. 1. Tit. 14. ad §. 2.* Præterea cessante olim communi clericorum vita & cohabitatione re-

ne reditus sive proventus Ecclesiastici in 4. partes dividi cœpe- 3.
runt, qvarum *una* pro mensa sive sustentatione Episcopi relicta erat, *altera* ad Ecclesiæ fabricam deputata, *tertia* eleemosynis in pauperes ac peregrinos destinata, *quarta* mensæ capituli relicta, ut ea inter clericos sive canonicos pro singulorum meritis dispensaretur, cujus qvadripartitæ divisionis mentio fit in *Concilio Roman. 2. sub Sylvestro 1. c. 4. ep. 3. qv. 2. & in epist. Gelasii* ad Episcopos per Lucaniam, quæ refertur *c. qvatuor eod. qv.* & apud Baron. *Anno 494. n. 24.* item *in Epist. Gregorii I. ad Aug. Resp. ad 1. & 2. & lib. 3. ep. 2.* ad Gregorium Maximianum, & refertur in *C. Cognovimus 12. qv. 2.* Hæc igitur est origo sive institutio Ecclesiasticorum bo- 4.
norum & beneficiorum, jus tributum Episcopo, aliisqve clericis propter officium & obligationem suam, percipiendi certam portionem redituum ex Ecclesiæ prædiis &c. Layman. *Theolog. morali lib. 4. tract. 2. c. 2. n. 3.*

CAP. I.

De Qvatuor Sanctis Conciliis.

Confirmantur Canones IV. Conciliorum oecumeni 1.
corum, scil. (1.) *Nicæni*, (2.) *Constantinopolitani*, (3.) *Ephesini*, (4.) *Chalcedonensis*, & vult prædictarum 4. Synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipi, ac regulas sicut LL. observari.

Addit. Concilia aliqvi derivant à concalando, i. e. convo- 2.
cando, ut sint qvasi convocatio aut convocatus cœtus ad consultandum de rebus propositis. Qvod igitur Politicis sunt Comitia, qvæ de rebus civilibus celebrantur, illud Ecclesiasticis ob res ad Ecclesiam pertinentes convenientibus sunt Concilia, qvæ alio nomine etiam Synodi dicuntur, vid. Micrælius *Synt. Histor. Eccles. pr. m. 407. 408.* vid. Grotius. *de Imper. Summ. Pot. circa sacra C. 7.*
Conciliorum oecumenicorum 4. hic recenset Imperator, qvorum 3.
(1.) *Nicenum* celebratum A. C. 325. ab Imperatore Constantino M. indictum, ob qvas causas celebratum refert Micr. *d. l. p. m. 549.* (2.) *Constantinopolit.* A. C. 381. ab Imp. Theodosio M. convocatum, & ab Episcopis 150. celebratum. Causa ejus Indicendi fue- 4.
runt *Macedoniani* cum reliqvis Arianorum errores asserentes, tum

tum inprimis Deitatem Spiritus S. ex professo impugnantes unde
& πνευματομάχοι dicti. vid. Georg. Horn. *Ecclef. p. m. 139.* (3.)
5. *Ephesinum* A. C. 431. à Theodosio II. Imperatore coactum, hic cum
Cyrillus acriter Nestorium perstringeret, ac Mariam θεοτόκον esse
& dicendam assereret, Nestorius in conventu surgens, dixit; *Ego
bimestrem aliqvem, aut trimestrem Deum non dixerim*, proinde *puri
6. sunt sangvinis vestri, & posthac ad vos non veniam.* His dictis cum
6. Episcopis egressus est, ac à Synodo secessionem fecit. Alterâ
die citatus per tres Episcopos à Cyrillo ut compareret, Nestorius abfuit, cumq; tertium citatus non compareret; sed insuper
Synodum contumeliis afficeret, à 318. Episcopis condemnatus,&
7. Episcopatu fuit dejectus. Relegatus insuper ab Imperatore
Theodosio in extremam Ægyptum, ibidem à terra absorptus, periit miserè, alii lingva à vermibus erosa inter lamentabiles despera-
8. tiones obiisse tradunt. Horn. *Histor. Ecclef. p. m. 250.* (4.) *Calcedonense* A. C 451. à Marciano Imperatore indictum, & à 630. Episcopis celebratum, ab ipso Imperatore & ejus uxore Pulcheria
cohonestatum. Occasionem præbuerunt præter Nestorianos
Eutychiani & eorum Patronus Dioscorus Episcopus Alexandrinus
9. Micræl. *cit. loc. pag. 552.* Præter alia hic decretum fuit: *Mariam
non tantum Christiparam; sed & Deiparam dicendam.* Nihilominus tamen Eutychiana hæresis in Ægypto, Palæstina, & oriente
extirpari non potuit; sed diu postea duravit, & in gravissimas
10. lanienas ac odia erupit. Horn. *d. l. p. m. 218.* Præter hæc 4. universalia Concilia, Græci addunt alia tria *Constantinopolit. II. Constantinopolit. III. & Nicænum II.* qvæ tamen ab omnibus non fuerunt
agnita, præsertim cum de Nicæno II. constet, multos id fovisse errores idololatricos, propter qvos nec septimum, nec universale
dici debere, pronunciatum deinceps in Synodo Francofurtensi,
uti referunt Centuriatores Magdeburgenses, teste Ziegler. ad
11. Lancell. *lib. 1. Tit. 3. §. 3.* Licet verò dictarum 4. Synodorum
dogmata ut S. Scripturam accipi, & regulas sicut LL. observari
hic jubeat Imperator, non tamen in pari gradu hæc consistere,
12. rectè monet Ziegler. *d. l.* Scripturæ enim. ut θεοπνεύστη propter
semet ipsam credimus; sed conciliorum Decretis non item, nisi
ea, qvæ credenda, vel facienda aut omittenda proponunt, per
Scripturas Sacras probare possint, qvæ enim in Scriptura dicuntur

tur, à nulla alia revelatione dependent; sed qvæ in Conciliis definiuntur dependent à revelatione superiori. Nec verò Conciliorum judicium simpliciter est necessarium, potuit enim Ecclesia per annos 300. hæreses refutare sine Conciliis fatente ipso Bellarmino *lib. 1. de Conciliis cap. 2.* Scripturæ verò necessitas est *hypothetica* positâ scil. divina voluntate & ordinatione, nostraq; post lapsum indigentia, ubi sanè est judex seu potius vox summi ac infallibilis judicis Spiritus Sanctus & norma, qvam judex inferior in dijudicandis fidei atq; religionis controversiis; unicè respicere, & juxta qvam de illis sententiam ferre debet, qvatenus verò Ecclesia conservata fuit per multa secula, anteqvam scribendi initium DEUS ipse faceret, *absoluta* Scripturæ necessitas non fuit, qvod argumentum latius Theologi passim tractarunt. vid. Dn. Qvenstedt p. m. Theolog. *System. Theolog. cap. 4. Sect. 2. qv. 1.* Ob dictam rationem Scripturæ potior est necessitas, qvàm Conciliorum, siqvidem & illa omni ferè tempore lites non tam suffocarunt, qvam potius accenderunt, notum est illud Gregorii Nazianzeni *Ep. 42. ad Procop.* judicium: *Ego, si vera scribere oportet*, inqvit, *ita animô sum affectus, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, qvoniam nullius Concilii finem lætum, faustumq; vidi.* Qvicqvid verò horum sit licet Concilia cum *Universalia* tum *Particularia* insignem suum olim habuerint usum & effectum, & adhuc hodie habere possint, œcumenicum tamen per ambitionem Romanæ Ecclesiæ ulterius sperare non licet. Imò nec potest hodie Imperator ut olim, indicere œcumenicum, angustia Imperii exclusus à cogendis ex omnibus orbis partibus Episcopis. Vicini Reges non accedent, vocati invidia gloriæ, nec si accesserint, unius Imperatoris erit Synodus; sed stabit autoritate omnium Principum, à qvibus missi Patres. Utcunqve verò omnes Christiani Reges fuerint congregati, intra Europam tamen necessum erit consistere. Ex Asia & Africa nemo advolabit. vid. Henniges *Tr. de Imperat. pot. circa sacra cap. 5. §. 13.* Interea cuilibet Principi S. in sua regione summum circa religionem jus hodiè competit, qvi non saltem Synodos & Concilia conventis convocatis ad ea Theologis suis celebrat; sed & in iis vel ipse, vel per alium cui id mandavit, præsidet, & subortas de religione controversias,

& articolos fidei, ne in nervum erumpant, & pacem publ. turbent, decidit, de qvo argumento passim à Doctoribus latè fuit traditum, novissimè qvoqve à Dn. Thomasio Antecessore Hall. celeberrimo *vom Recht Evangelischer Fürsten, in Theolog. Streitigkeiten* qvem vide imprimis *Posit. 11.*

CAP. II.

De ordine sedendi Patriarcharũ.

1. INter Ecclesiasticas personas primum locum concedit Imperator sanctissimo Papæ Romano, secundum ArchiEpiscopo Constantinopolitano.

2. *Addit.* Pontificem R. Primatum non accepisse à Justiniano Imperatore primitùs; sed jam tribus ante ipsum seculis eundem habuisse annalium monumenta accuratius inspicienti verosimile
3. fit. Nam prioribus seculis in primitiva Ecclesia IV. Episcopi Metropolitani fuere, ut Episcopus *Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus*, qvibus demum accessit *Constantinopolit.* Æqua-
4. lem hi in diœcesibus suis, qvæ ad plures alias se extenderunt, habuerunt potestatem, ita tamen, ut inter illos primus semper esset Romanus Episcopus, qvem & cœteri reverenter coluerunt,
5. ejusq; consilium semper in arduis requisiverunt. Cum verò Constantinopoli residere cœpissent Imperatores ejus Episcopus Romani Episcopi autoritatem impugnare; sibiq; arrogare cœpit, ubi non leves alternationes ab utraq; parte motæ donec tandem Episcopus Romanus pristinæ autoritati & primatui restitu-
6. tus. An verò Papa qvoqve Vicarius CHRISTI & Petri Apostoli successor sit in Ecclesia Romana, non est hujus loci qvæstio, sed ut Theologica Theologis meritò decidenda relinqvitur. De Primatu Petri *supra Nov. 3. c. 1.* aliqva sunt leviter tacta. Cum ve-
7. rò ratione dignitatis & ordinis primatum ante cœteros Episcopos accepisset Pontifex, etiam ratione potestatis & bonorum prior esse voluit, & cum Impp. Germanici dogmatibus ejus se maximè opponerent, nullum populum magis qvam Germanos affli-
8. xit; Et licet masculè se ipsi opposuerunt Impp. tanta tamen Henrici IV. Imperatoris tempore contigit mutatio ut Pontifices, qvi erant antea subditi, Imperatores cœperint fieri, adeoq; totus sta-
tus

tus inversò ordine sit mutatus, qva de re passim Politici & Historici tractant vid. Conring. *P. 2. Thesaur. Rerump. de Republ. Rom. Pontif. Tit. 22.*

CAP. III.

De Archi-Episcopo primæ Justinianæ.

DIsponit hic, qvinam Episcopi sub jurisdictione Archi-Episcopi Pannoniæ, ut patriam suam ad Archi-Episcopatum extulit, esse debeant, vid. supra *ad Nov. 11.* 1.

Addit. Qvemadmodum vero tempore Justiniani Archi-Episcopatus Pannoniensis suos habuit Episcopos suffraganeos, ita nostris temporibus Archi-Episcopatus Germaniæ passim eos nominare potuerunt; sicuti enim Pontifici immediatè subsunt Patriarchæ, his Archi-Episcopi, ita Archi-Episcopi jurisdictionem in Episcopos exercent, licet tamen non in omnes, nam qvidam immediatè subsunt Pontifici, ut Bambergensis, qvi immedetatem à Benedicto VIII. Papa impetravit. vid. Limn. *J. Publ. tom. 5. addit. ad lib. 4. c. 7. p. 250.* Subfuerunt autem *Archi-Episcopo Magdeburg.* olim Misnensis, Merseburgensis, Naumburgensis, Brandenb. Havelbergensis. *Salisburgensi*, Ratisbon. Passaviensis, Tridentinus, Frisingensis, Brixiensis, Gurcensis &c. *Bremensi* Lubecensis, Ratzeburgensis, Schwerinensis, Lebusiensis, *Vesontino* Basiliensis, Lausanensis, & Beliensis, qvi tamen omnes ferè hodie partim secularisati partim sub ditionem aliorum transierunt, ut docet Illustrator Vitriarii *Jure Publ. lib. 1. tit. 15.* Conf. Dn. Coccejus *Jur. Publ. c. 18. § 37. Exegesi.* 2. 3. 4. 5.

CAP. IV.

De Episcopo Carthaginensi.

OMnia privilegia vel solatia, qvæ ex Imperiali munificentia aut alio qvolibet modo Sanctissimis Ecclesiis, aut aliis venerabilibus domibus sunt collata, etiam dat & confirmat Episcopo Carthaginensi Imperator in Ecclesias & Episcopos munificentissimus. 1.

CAP. V.

De Privilegiis Possessionum Ecclesiasticarum.

1. Concedit Imperator Ecclesiis libertatem à muneribus sordidis, ut & ab extraordinariis collectis; Si tamen itineris sternendi, aut Pontium ædificii, vel reparationis opus fuerit, ad instar aliorum possessorum ejusmodi opus & SS. Ecclesiæ & venerabilis domus complere debent, si possessiones habeant in illa civitate, ubi sit opus.

2. Qvod si Curialis rem ad Ecclesiam transferat, eandem liberam à lucrativa descriptione præstet.

3. *Addit.* A muneribus personalibus sosdidis & extraordinariis, v. gr. angariis, parangariis Ecclesiam debere esse immunem itidem constat ex *L. 5. C. de SS. Eccles.* non item ab ordinariis, i. e. à statis tributis & vectigalibus *arg. Nov. 37.* qvin & olim si qvæ munera ad tempus causa belli vel alterius necessitatis alicujus subortæ indicerentur, nec perpetuam certamq; formam præstationis haberent, non omninò immunes habitæ fuerunt Ecclesiæ, qvia saltem si plaustris, aut mancipiis, aut aliis ejusmodi expeditionis causa esset opus munus cum aliis subire sunt coactæ. *L. 10.*
4. *L. 11. C. de SS. Eccles.* Sic & Ecclesia non est immunis ab his, qvæ respiciunt communem utilitatem & ita conferre debet pro excubiis civitatis, & ligatur iis statutis, qvæ saluti publicæ provident pro aëris salubritate, Brunnem. *ad L. 11. C. de SS. Eccles.* Idem si in ædificationem vel refectionem itinerum, aut pontium sum-
5. ptus esset faciendus *L. 7. C. eod. & h. cap.* Hisce & aliqvot nonnullis oneribus exceptis Ecclesia se subducere neqvit, inprimis si salus & utilitas publica versetur, qvæ sanè favori Ecclesiæ præjudicat. Aliàs extant non paucæ in eam rem constitutiones, a-
6. cribus pœnis plectentes illos, qvi Ecclesias earumve personas, ullis muneribus & exactionibus onerare ausi fuerunt, de qvibus *in c. 4. X. de immunit. Eccles.* Conf. Gudelin. *de Jure novissim. lib. 6. cap. 13.* Qvando verò Decurio res suas immobiles in alium trans-
7. ferebat titulô lucrativô universali vel singulari, possessor solvere tene-

tenebatur Curiæ 4. filiqvas *L. un. C. de imponenda lucrat. descript.*
à qvo onere & lucrativorum inscriptione eximuntur pietatis cau- 8.
sa res Ecclesiis, piisve locis deputatæ, ex Constitutione Justinia-
ni *in L. 22. C. de SS. Eccles.* ubi ratio: *Cur enim non facimus discrimen inter res divinas & humanas? & qvare non competens prærogativa cælesti favori conservetur?*

CAP. VI.

De Præscriptione XL. annorum ad venerabilia loca pertinente.

PRæscriptiones temporales 10. 20. & 30. annorum qvo- 1.
ad Ecclesias usq; ad 40. annos hic extenduntur, qvod & ad legata & hereditates piis causis relictas hic extenditur.

Addit. Ad Cap. hoc dicenda vid supra ad *Nov. 111. Cap. 1.* 2.
& Nov. 9.

CAP. VII.

De Ædificatione Ecclesiarum.

SI qvis voluerit fabricare Oratorium aut Monasterium, 1.
fabrica non aliter inchoanda, nisi loci Episcopus ibi fecerit orationem, & venerabilem fixerit crucem.
Qvod si semel cœperit aut novam ædificare basilicam, 2.
aut veterem renovare, modis omnibus compellatur ab Episcopo & œconomis ejus & civili judice eam explere, qvi si distulerit, hoc moriente heredes ejus opus inchoatum adimpleant.

Addit. Oratorium vel Monasterium novum ædificaturus 3.
certis conditionibus id faciat, 1. ut adsit justa causa, ad qvam etiam potest referri illa, qvando qvis ex devotione fidei & pietatis novum extollit templum, modo qvæstus spes absit. *c. 10. de Consecr. D. 1.* 2. Ut causæ cognitio interveniat, qvæ nulli alii quam Episcopo, ad qvem aliàs omnis piarum causarum cura competit, spectat. 3. Ut eorum, qvorum interest, ut novum tem-

plum exſtruatur, vel non adhibeatur conſenſus. *c. 3. X. de Eccleſ. non alien. c. 51. c. 16. qv. 1.* Ad Ceremonialia & ſolennitates referunt autem Pontificii orationem Epiſcopi, qvam ut maximè neceſſariam in omnibus actibus, & Proteſtantes meritò retinent,
4. faciunt hanc in rem egregia verba Chryſoſtomi *lib. 2. de Orando DEUM T. 1. p. 120. D.* quemadmodum civitas, qvæ muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium, propterea, qvod abſit prorſus id, qvo fuerat hoſtium incurſus arcendus, ſic & animam non munitam precibus diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni ſcelerum genere implet. Ad animam autem precibus munitam non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, qvam illi deprecatio adminiſtrat. Crucem verò qvod artinet, qvia Pontificii ejus ſignatio-
5. nem habent pro medio ἐνεργητικῷ atq; per illud rei ſignatæ meritum CHRISTI, & majorem ſanctitatem applicare, eamq; à Diaboli inſidiis & inſultibus tutam præſtare intendunt, non poſſunt hoc ſigno crucis, niſi malè & ſuperſtitiosè uti judicante Ziegler. *ad Lancell. lib. 2. tit. 18. §. 9.* Hæc & ſimilia alia uti nihil niſi ſuper-
6. ſtitionem redolent, ita meritò abominabilia piis, qvæ nullibi in ſacris mandata, & licet qvidem non prohibita, juſtius tamen & omittimus inde & eodem pretio habemus, qvo in textu & *Gloſſ. A. 7. §. 2. & A. 9. Weichb. Saxon.* habentur; *Huc usq; obſervavi, ubi foralia, & civitates noviter fundantur, qvod ſigatur crux in teſtimonium pacis, qvodq; ibi cernatur municipalis pax, appendaturq; Imperatoris ſignum, ut appareat, de voluntate ejus id eſſe factum.* Confer. *Nov. 5. c. 1.*

CAP. VIII.

Ne in Proaſtiis, vel Domibus, vel Fundis, vel privatis locis Sacra Miniſteria fiant.

1. SI tale qvid fiat, jubet Imperator domum, aut ſuburbanum aut prædium ubi tale qvid delinqvitur, loci iſtius Eccleſiæ vindicari per Epiſcopum & Oeconomum ejus, & civilem judicem locorum. Si verò neſciente lo-
2. corum

corum domino, conductores, aut emphyteutæ contrarium qvid exerceri permiserint, dominus qvidem loci nullum præjudicium aut dispendium sustinebit; sed qvi hoc fecerint, aut fieri permiserint, ex provincia ubi hoc commissum, expelli, & res eorum Ecclesiæ vindicari debent.

Addit. Qvæ ad h. Cap. dicenda vid. supra *ad Nov. 58.*

CAP. IX

Ut Legatum Deo relictum, illi Ecclesiæ deputetur ubi Testator Domicilium habet.

I. SI qvis in nomine magni DEI, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI hereditatem aut legatum reliqverit, Ecclesia loci illius, in qvod testator domicilium habet, id accipiat. 1.

II. Si qvis unum Sanctorum heredem scripserit, aut legatum ei reliqverit, & non specialiter nominaverit locum, in qvo est venerabilis domus, inveniantur verò in eodem loco aut civitate plura ejusdem Sancti oratoria, illi magis domui, qvæ pauperior est, qvod relictum, præbeatur. 2.

III. Si non est in civitate basilica nominati Sancti, inveniatur autem in territorio ejus, illi detur. 3.

IV. Qvod si neq; in territorio ejus reperitur hujusmodi domus, Ecclesiæ civitatis, in qva testator habuit domicilium, qvod relictum est, præbeatur. 4.

Addit. Qvæ in textu hic satis clarè proponuntur, etiam ferè explicantur *in L. fin. pr. C. de SS. Eccles.* Idem obtinet, siqvid relictum sit Angelo, vel Sancto cuidam, seu ædi, qvæ sacra ipsi est, & si plures sint ædes istius Sancti nomini dicatæ, testator verò non explicuerit, concedendum est illi templo, sub qvo habitavit testator, vid. *J. 1. d. l. C.* 5.

CAP.

CAP. X.

Si qvis Oratorium ædificari jusserit.

1. I. SI qvis ædificationem Oratorii, aut Xenodochii, aut ptochii, aut orphanotrophii, aut nosocomii, in ultima voluntate fieri disposuerit, Oratorium intra 5. annos compleri jubet providentia Episcopi loci, & civilis judicis, Xenodochium verò, aut ptochium, aut alia vene-
2. rabilis domus intra unum annum.

II. Si intra annum non fecerint hæredes xenodochium, aut per aliam à testatore fieri dispositam, jubentur aut domum comparare, aut locare, ubi possint, qvæ jussa sunt adimpleri, donec hujusmodi domus venerabilis ex-
3. pleatur. Et si ipse testatur decreverit, qvi debeant xenodochi fieri, aut alii tales gubernatores, sive heredibus suis hujusmodi electionem commiserit, omnibus modis heredes, qvæ eis demandata sunt, debent adimplere, locorum Episcopo inspiciente, an rectè procedat gubernatio, & si invenerit non utiles existentes rectores, alios pro illis surrogare, ipsi integrum est.

4. *Addit.* Templa olim qvoqve sunt appellata *Oratoria*, à primaria actione qvæ ibi peragebatur, Chladnis *Inventario Templ. C. 1. Sect. 1. qv. 6.* qvamvis Canonistæ propriè Oratorium dicant parvum cubiculum, qvandoqve ab Ecclesia benedictum, in privatorum domibus, ubi aliqvando accedente consensu Episcopi sacra celebrantur. *C.33. de Consecr. D.1. & C.34.35. D.1.* Finchelth.
5. *de Jure Patron. C.2. n.33.* 2. *Martyria*, vel qvod fovendi zeli gratia ad martyrum loca Christiani convenerint, Linck *de jurib. templor. C.1. n.18.* vel qvod in memoriam martyrum fuerint erecta, Chaldnis *d.l.* qva de re insignem locum ex August. *L. 22. de Civit. Dei c.18.* allegat Linck. *d.l.* 3. *Basilica* sub Constantino M. qvod
6. in honorem Regis omnium Regum fuerint extructa; Basilicæ verò qvibusdam interpretibus dicitur à *Basilico* Imperatore Græco, qvi

qvi primus curavit, ſe in Eccleſia ſepeliri, & à nonnullis vocatur Eccleſia non conſecrata. Lambet. *de Jur. Patron. lib. 1. Artic. 10. qv. 11. pr. part. 1. n. 2.* Rectius tamen aliis Baſilica idem eſt, qvod templum, qvia ibidem βασιλεῖ, ſive Regi omnium Deo cultus, & Sacrificia offeruntur. vid. Linck. *d. l. n. 15.* De diſtinctione templorum multa & notatu digna refert Chladnis. *d. l. Sect. 2. qv. 25.* Tempus intra qvod Oratorium extrui debet præſcribit qvidem 6.
hic Imperator, qvod tamen apud nos non eſt certum & determinatum, & pro ratione ſumtuum, & pro diligentia operariorum & artificum, modo ejus ſtructura promovetur, modò negligitur, qvod tamen ne fiat, Princeps ipſe patriæ pater præcavere debet, dum novit, proſpera rite & gnaviter Deum colentibus, multa mala verò negligentibus evenire; Erat autem de jure Canonico circa exſtructionem neceſſum 1. ut Epiſcopus diœceſanus locum 7.
inſpiceret, & examinaret, an ad evectionem templi congruus ac utilis esſet, ne forte ſpeluncæ illicitæ, & non orthodoxæ Eccleſiæ ædificarentur. *c. 28. c. 16. qv. 7.* item an Eccleſia inconſpicuo & editiori loco exſtructa, à commerciis ementium & vendentium remota, & à ſordidorum opificum ſtrepitu & fœtore ſit immunis, Schönborn. *lib. 1. Polit. c. 14.* Hoen. *diſput. Polit. 2. th. 8.* 2. Ut Epiſcopus manus ad cœlum extenderet, & per orationem locum 8.
Deo conſecraret, ut ſic bonum & decens fundamentum ponatur *c. 13. de Conſecr. D. 1.* Apud Proteſtantes Principis vel Conſiſtorii autoritas hodiè reqviritur, qvâ neglectâ templum ædificatum immunitate Eccleſiaſtica gaudere neqvit. *c. 10. 18. qv. 2. c. 8. de Conſecr. D. 1.* Quare ſicut de Jure Canonico ædificium absqve 9.
autoritate & conſenſu Epiſcopi extructum pro nullo habendum, claudendum, vel ad uſus humanos convertendum eſſe aſſerit Felinus *in c. ſignificavit n. 2. X. de teſtib.* ita qvoqve hæc ad neglectam ſuperioris autoritatem qvoad Principes A. C. addictos applicari poſſunt. Mund. *Vol. 1. Conſil. 18. n. 192.* Cœterum poſitô tempus certum ad extructionem Xenodochii reqviri, ſi intra illud ea non 10.
adimpleatur, heredes de alia æde pauperibus providere debent, ut interea ipſis commorandi ſpacium ſit, ſi maximè defunctus teſtator ſic ordinaverit, ſi autem non conſtet, an emere an conducere alias ædes voluerit, in dubio potius conducere voluisſe præ-

ſumitur, cum in dubio cenſeatur gravare heredem, qvàm minimum fieri poteſt. *arg. L.9. ff. de R.J.* Finckelth. *obſ.121.n.9.* Pantſchm. *lib. 2. qv. 6. n. 40.* niſi favor Eccleſiarum, vel pauperum aliud exi-
11. gat. Sicut qvoq; alias Proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis, *L. ult. C. de Pact. conv.* ita qvoq; hic teſtatore de Proviſoribus Hoſpitalium proſpiciente ceſſat Magiſtratûs diſpoſitio, ejus enim voluntas eſt una & ſola, quæ facit, qvod in teſtamento ſcriptum valet. *L. 12. §. 1. ff. de leg. 1. L. 35. §. 3. ff. de hered. inſtit.* & ut infert ex verbo *veſtigia* Baldus *in L. 5. C. de heredib. inſt.* Lex ita qvaſi è veſtigio valet poſt mortem teſtatoris voluntas ſit legitima *L. 23. §. 1. inf. C. de legat.* qvod in caſu favorabili Eccleſiæ, &
12. pauperum omninò præſumitur. Qvod ſi heredes, non qvod ſui eſt officii, faciant, nec idoneos Xenodochos aut Proviſores eligant, non prohibetur Epiſcopus virtuoſiores in eorum locum ſurrogare, aut apud Proteſtantes clerici vel ſacerdotes obſtricti ſunt tempeſtivè id Magiſtratui denunciare, illi enim Patres miſerabilium perſonarum, qvibus in promptu eſſe debet peculiaris afflictorum index, pauperum, viduarum, & orphanorum, *ein Armen-Regiſter*, præſertim verò occultorum pauperum, *der Hauß-Armen*, ut ſingulis ſolatio & auxilio adeſſe poſſint. vid. Brunn. *Jur. Eccleſ. lib. 1. c. 6. memb. 7. th. 5.*

CAP. XI.

Ut legata pro redemptione captivorum relicta præſtentur ab Epiſcopo.

1. I. SI qvis pro redemptione captivorum aut alimentis pauperum hereditatem aut legatum reliqverit in rebus mobilibus aut immobilibus, ſive ſemel, ſive annale, debet is omnibus modis ſecundum teſtatoris voluntatem, qvibus id facere juſſum eſt, compleri.

II. Qvod ſi ſpecialiter dixerit, qvomodo Pauperibus
2. reliqverit Epiſcopus civitatis in qva teſtator habuit domicilium percipiat easdem res, & ejus civitatis pauperibus eroget. Et ſi pro redemtione captivorum qvid relictum, nec teſtator nominatim dixerit, per qvem fieri opor-

oporteat captivorum redemtionem, & sic locorum Episcopus, ejusdemq; œconomus accipiat, & hujusmodi pium opus impleat, licet præcipue à testatoribus aut donatoribus interdictum sit eis habere adhoc aliqvod participium.

III. Si qui hoc facere jussi sunt, semel & secundo à 3.
locorum œconomo, aut ejus œconomis per publicas personas admoniti distulerint adimplere, qvæ disposita sunt, amittant omne lucrum eis relictum ab eo, qvi hos perceperit & locorum Episcopi omnes res omnibus piis causis distributas cum fructibus & augmentis medii temporis, & prædicto lucro, debent vindicare, & si scientes, qvæ testator disposuit neglexerint adimplere, pro his omnibus rationem DEO persolvant,

IV. Qvod si ipse loci Episcopus reliqverit qvid eorũ, 4.
quæ modo dicta sunt, metropolita hæc omnia exigat, & compleat, & cuilibet sit licentia hujusmodi movere qvæstionem, & studere, ut modis omnibus causæ piæ compleantur.

Addit. Præter alia legata maximè qvoq; favorabile est id 5.
qvod pro redemtione captivorum relictum est, ita ut ipsis Canonistis unanimiter statuentibus aurea vasa sacra superflua hunc in finem distrahi possint, utpote cum animæ hominum in captivitate detentæ colluctantes interea cum diabolo & barbaris hominibus multò sint pretiosiores, qvàm ut postponi debeant auro & argento. Sicut autem mox in C. præcedente dictum clerici 6.
miserabilium personarum sunt procuratores, in hoc & similibus aliis legatis ad pias causas erogandis solliciti sunto, ut piæ testatoris voluntati qvamprimum satisfiat, & si nullus executor ultimæ voluntatis sit ordinatus, ipsi intra annum, si nullum tempus adjectum, executionem faciant, & miserabiliorem miserabili in erogando præferant vid. Zoes. *ad decret. de Testam. & ultim. volunt. n. fin.* & qvia pauperum magnus in jure favor est, legatum ipsis relictum non uni conferant; sed per plures distribuant, 7.
Mynſ. *c. 5. obs. 67.* Hahn. *ad Wesenb. ff. de legat. 2. N. 2. verb. in secundo.*

do. Mantica *de conjecturis ultim. volunt. lib. 8. tit. 15. n. 18.* Dissentit Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. D. 13. th. 2. lit. D.* inprimis si magnæ qvantitatis sit legatum, qvia testator pauperum inopiam sublevare, non verò ex pauperibus divites reddere voluisse præsumitur. Harpr. *ad Instit. §. 25. n. 5. de Legatis.* Cumq; solennitas juris civi-
8. lis in relictis ad pias causas servanda non sit, Clarus *recept. sentent. lib. 3. §. testamentum qv. 6. n. 1.* hocq; testamentum ad pias causas factum sine testibus in foro exteriori effectum suum sortiatur, Antonius Merenda *lib. 4. Controvers. Jur. c. 16.* Fachin. *lib. 4. Controv. Jur. c. 3.* etiam legata ad pias causas possunt præstari non aditâ, vel repudiatâ hereditate, quia aditio hereditatis ex testamento est solennitas juris Civilis, qvæ in relictis ad pias causas
9. observari non debet. Abbas *in C. Relatum est 8. de Testam. n. 6.* Qvod si hæres hæc & similia legata præstare distulerit, & postea convictus sit, dupli præstatione oneratur *§ fin. I. de obligat. qva & qvasi Contr. §. 23. I. in f. de Action.* Episcopus autem pro his omnibus, ut
10. hic Imperator ait, rationem Deo persolvat, nam si ipsius officium interpellare divites, ut pauperibus succurrant, & thesauros sibi in cœlo colligant, qvantò magis ipsi incumbit, si hi propriô motu per testamenta aut aliam ultimam voluntatem piis causis succurrunt, operam dare, ut liberalis collatio facta exitum sortiatur, & erogatio eò citius fiat?

CAP. XII.

Ut in piis Legatis cesset Falcidia.

1. I. SI hæres qvæ ad pias causas relicta sunt, non impleverit, dicens relictam substantiam sibi non sufficere, nullâ falcidiâ detracta integrum legatum præstabit. Debet verò legatum ad pias causas intra 6. menses
2. ab insinuatione testamenti numerandos omnibus modis præberi, qvibus relictum est. Si distulerit præbere, &
3. fructus & usuræ, & omne legitimum exigatur augmentum à tempore mortis ejus, qvi hoc reliqvit.
4. II. Si annale legatum alicui venerabili domui relinqvatur, si qvi illud dare jussi sunt, vel locus, ex qvo debet

bet præstari, in ipsa provincia aut vicina fuerit, nullô modô legatum debet alienari. Si verò loca aut personæ longius fuerint, licet illis, qvibus hoc relictum, si pars obligata consentit, permutare legatum, & pro eo reditus idoneos percipere; Potest tamen & legatarius vendere legatum, & non minus pro pretio percipere, qvam ex tali legato intra 25. annos colligitur, sic tamen, ut tale pretium ad utilitatem Ecclesiæ, cui legatum tale relictum est, proficiat. 5.

Addit. Unô casu de legatis piis falcidiam non detrahi, tradit Joh. à Sande *Dec. Fris. lib. 4. Tit. 7. def. 10.* si scilicet in iis præstandis hæres moram commiserit vel dolô malô affirmaverit, patrimonii, vires non sufficere, qvalis casus in *hoc cap. h. Nov.* proponitur, ex qva perperam intellecta, dicit, *Irnerium* non rectè concepisse *Auth. similiter C. ad L. Falcid.* qvæ ait, *Falcidia* cessat in his, qvæ ad pias causas relicta sunt. Hancq; sententiam ex hoc *C. 12. & d. Auth.* tanqvam æqvam & in praxi receptam defendunt Gail. *lib. Obs. 119. n. 7.* Hahn ad Wesenb. *ad L. Falcid. n. 8.* Zœs. *ad ff. n. 45.* Harpr. *ad §. fin. Inst. ad L. Falcid. n. 17.* Gudelin. *de jur. noviss. lib. 6. c. 13. C. A. L. 35. Tit. 2. th. 6.* Duas exceptiones facit Brunneman *ad Auth. Similiter* 1. nisi pia causa fuerit instituta, nam sic pia causa una contra aliam utitur jure commune. Tiraqvell. *de piæ caus. privil. 26.* 2. Nisi incertum sit, an perventurum sit legatum ad piam causam ob conditionem incertam. vid. de hac qv. An cesset Falcid. in legatis piis. Peretz. *C. h. tit. n. fin.* Loca immobilia ad pios usus destinata vel legata sunt inalienabilia, nisi illi cui debentur sint nimis remota, aut alia utiliora per permutationem, aut alium contractum pro iis comparare possit, qvo casu contractum licitum esse, nec distractionem impediri, sicuti jam supra suô locô fuit dictum, ita hic me ulterius non detineo. Et si legatum Ecclesiæ sit venditum, pretium tamen inde redactum debetur Ecclesiæ, nam res, qvæ surrogatur in locum alterius ejusdem est effectus cum re illa, in cujus locum est surrogata. *L. 10. §. 2. ff. si qvis caution. L. 28. Titiæ ff. de condit. & demonstr.* nisi ratio diversa appareat surrogati & principalis, prout hoc ali- 6. 7. 8. 9.

as Doctores passim declarant. vid. Bartol. *L. 1. ff. si quis Testam.* Berlich. *P. 2. Concl. 13. n. 11. 12.* Ulterius qvoqve hoc in textu nota-
10. bile, qvod legatum ad pias causas statim à tempore mortis testatoris debeatur, cum alias saltem legatum ex die agniti & petiti legati debeatur. Carpz. *P. 2. Const. 30. def. 21.* & interea heres possidet bonæ fide, cum nesciat an legatarius velit legatum agnoscere, vel repudiare.

CAP. XIII.

Ut de iis qvæ post Episcopatum acqvisiverint Episcopi, testari non possint.

1. I. EPiscopi res mobiles, aut immobiles, seseq; moventes, qvæcunqve post Episcopatum qvoqvô modô acceperunt, in proprios cognatos, aut alias qvascunq; personas transferre prohibentur. Exceptio est in
2. captivorum redemtione, egentium pabulis, aut aliis piis causis, aut utilitate propriæ Ecclesiæ, qvibus expendere licentiam habeant, & qvicqvid ex hujusmodi rebus post obitum eorum in facultatibus remanserit, hoc Ecclesiis, qvarum habent sacerdotium, competat. *Nam in illis solummodo rebus licentiam alienandi aut relinqvendi qvibus voluerint, habeant, qvas ante Episcopatum, ut proprias habuerunt.*

II. Qvæ post Episcopatum ex cognatis, qvibus ad
3. qvartum usq; gradum ab intestato succedere possunt ad ipsos sunt devolutæ, in illis dispositio neqvaqvam valet, qvod & sic observari vult Imperator in orphanotrophis, ptochotrophis, nosocomis, & xenodochis &c. in rebus, qvæ tempore propriæ administrationis ad eos pervenerunt.

III. Si qvis Episcopus, aut Clericus, aut alius cujusli-
4. bet gradus minister, aut Diaconissæ Ecclesiæ moriantur sine testamentis, & legitimis successoribus, bonum successio competat Ecclesiæ, in qva constituti fuerunt.

Addit. Emendatur per hoc *Cap. & Auth. licentiam C. de Episc.*
5. *& Cler. L. 34. C. eod.* & conceditur Episcopo eademum, qvæ ante Epi-

Episcopatum probatus fuerit habuisse, vel qvæ à cognatis usq; ad qvartum gradum acqvisivit, transmittendi ultimâ voluntate in qvemcunqve voluerit. Circa hæc enim, cum ab Ecclesia non 5. pervenerint; sed vel à cognatis, vel aliunde liberum arbitrium disponendi ipsis meritò relinqvendum, maximè cum sint patrimonialia, de qvibus & qvasi patrimonialibus testamentum facere possunt. *C. 9. 12. X. de Testam. & ult. volunt.* In Ecclesiis nostris 6. clerici liberam de bonis suis licentiam habent, nisi qvod qui in ptochotrophiis vitam finiunt, non soleat concedi, ut de bonis suis testentur. Brunnem. *Jur. Eccles. lib. 2. cap. 12. in fin.* sed ipsorum bona acqviruntur ipsi ptochotrophio. Ecclesiis itidem jus 7. succedendi ab intestato competit, si qvis clericus aut Diaconissa ab intestato mortua, nullosq; proximos aut cognatos reliqverit, quod Zœs. *ad Decret. de Testam. n. 3.* propterea introductum putat, ut Ecclesiastici ab insatiabili opes congerendi cupiditate arceantur, & in vita liberalitatem erga pauperes exercere studeant, suaq; in usus pios potius convertant, & expendant, quam avarè multa acumulata non sine scandalo relinqvant; Et Ecclesiam præferri fisco in bonis clerici, ut & Academiam fisco in bonis studiosi deduxit Excellent. Dn. Stryk. *Tract. de Success. ab Intest. Dissertat. 5. thes. 39.*

CAP. XIV.

Ne Hæretici ab Ecclesiis vel privatis res immobiles qvoqvo titulo accipiant, & ne speluncam fidei suæ ædificent.

I. SI qvid verò hæreticus pro tali causa præbuerit, id amittatur, & hujusmodi res venerabili loco à qvo 1. sunt datæ, vindicentur, Rector autem domus, qvi ipsas res dedit hæretico, omni gubernatione removeatur, & in monasterio recludatur, uno anno à S. Communione segregetur, cum hæreticis prodiderit Christianos.

II. Si orthodoxus possessionem habens in qva est S. 2. Ecclesia alienaverit, aut reliqverit, aut per emphyteusin, aut

aut per conductionem, aut per qvamlibet gubernationem hanc dederit Judæo, Samaritano, Ariano, aut alii hæretico, Ecclesia ejusdem vici hujusmodi alienationes proprietatem vindicet.

3. III. Si qvis hæreticorum, qvos inter connumerat Nestorianos, Acephalos, & Eutychianistas, præsumserit speluncam suæ incredulitatis ædificare, aut Judæi novam Synagogam constituere, Ecclesiæ locorum ædificia suæ proprietati defendant.

4. IV. Si qvis per emphyteusin aut conductionem, aut etiam per qvamcunq; aliam gubernationem dederit possessionem privatæ hujusmodi personæ, si dominus possessionis ejus scivit, hæretico se committere rem suam, omnes reditus illius temporis, qvod in contractu transiit, Ecclesiæ civitatis istius, sub qva possessio sita, debent vindicari, qvod si Dominus possessionis ignoraret, hæretico se bona sua commisisse, ipse propter ignorantiam suam indemnis servabitur, hæreticus vero in utroqve casu expelli de possessionibus, & ejus substantia fisco applicari debet.

5. *Addit.* Hæretici non favore; sed odio digni sunt, & licet ferro funibus, igne, aliisq; diris modis perseqvi eos, neqve fas, neq; consultum sit, cum plus damni aliqvando subita coërcitio in Rempubl. attulerit, qvàm commodi, & ipsâ immaturâ medicinâ morbus fit exasperatus, non tamen in pari cum Christianis civibus conditione sunt habendi, sed à civilibus negotiis aliisq; actibus qvibus cives communiter fruuntur meritò arcendi, de quibus, jam supra ad *Nov. 42. cap. 3.* fuit actum; Conf. infra *Nov. 144.* Hic ulterius Imperator prohibet ne possessiones ab Ecclesiis or-
6. thodoxis vel titulo locati, vel emphyteuses accipiant, vel incredulitatis suæ speluncas ædificent, nam omnia ipsis loca sunt adimenda, sive sub *Ecclesiarum* nomine teneantur, sive *Diaconica* appellentur, vel etiam *Decanica* sive in privatis ædibus vel locis hujusmodi cœtibus copiam præbere videantur, & ejusmodi ædes vel

vel loca privata Ecclesiæ Catholicæ debent vindicari. *L. cuncti 3. C. de haret.* Et qvamvis videatur dici posse ædificare licere hæreticis, & constituere novas Synagogas Judæis, cum expresse hic 7.
non prohibeantur: sed moneantur tantum Ecclesiæ proprietates suas defendere œconomi, qvod & cum exstructione novarum ædium fieri possit, rubrica tamen hujus Capitis contrarium satis evincit, & dum res immobiles in regione per contractum ad ipsos transferri non vult, multo minus ipsis concedere Ecclesias in quibus ad promovendam suam superstitionem & idololatriam conveniunt, licet autem judæis Synagogas novas prohibitu ex- 8.
truere prohibitum sit, antiqvas tamen si fortè corruerint, vel ruinam minitentur, fulcire & reædificare concessum est *L. fin. C. de jud. & c. 7. X. eod.* qvin & concedit ipsis Ziegler. *dissertat. de Judæis C. 3. §. 4.* ædificationem novarum si veteres synagogæ penitus collapsæ aut incendiô sint consumtæ, eô ipse enim dicit, qvo Judæi sunt recepti, tacitè etiam pactum initum videtur, synagogam illis fore salvam, qvippe sine qva judæus non potest esse Judæus, E. qvod semel placuit, amplius displicere non debet, imò & ubivis ubi habitare ipsis concediur, Synagogam extruendi licentiam impetrasse tradit *eodem §. sub f.* debet autem in ædificatione Synagogæ certa forma observari, ita, ut nova Synago- 9.
ga judaica, in novam fabricam citra principis permissum non surgat, veterem verò fulciendi licentia sit, *L. fin. §. ult. C. de jud.* non autem, ut eam exaltent, aut ampliorem, aut pretiosiorem faciant, qvàm antea fuit *c. 7. X. de Judæis.* Springer. *de Jure ædificii p. 88.*

CAP. XV.

Ut Orphanotrophi sint tutoribus similes, & ad instar eorum inventarium conficiant.

ITa tamen, ut etiam sine satisdatione conveniant, & con- 1.
veniantur de rebus orphanotrophiis, & ipsis propriis orphanis competentibus. Res autem competentes alicui 2.
orphanorum præsentibus publicis Notariis aut judicialiter in civitate, & in provinciis apud earum judices, aut lo-

corum defensores accipiant, & custodiant, & si necessarium putaverint, etiam alienare, & pretia exinde reducta orphanis conservare, aut alias res pro illis emere debent, nec subjicere tutelaribus, aut curatoriis rationibus, servari autem vult orphanotrophio Civitatis Constantinopol. & Oratoriis aut Xenonibus sub ejus gubernatione constitutis, aut venerabilibus domibus omnia privilegia, qvæcunq; habet major Ecclesia Constantinopolitana.

Addit. Convenit cùm hoc *C. L.32. C. de Episc. & Cler.* Non
3. tenentur enim orphanotrophi ad satisdationem sive in judicio conveniantur, sive ipsi conveniant alios, cum ut loqvitur Brunnem. *add. l.32.* benè sperandum de illis, qvi propter timorem DEI parentibus atq; substantiis destitutos sustentare, atq; velut affectione paterna educare festinant ipsis autem orphanis pupillis ad redditionem rationum non tenentur cum patrum loco sint, licet Episcopo sint obligati, adeoque ad instar tutorum ad confectionem inventarii tenentur, *L. Tutor. 7. ff. de peric. & administr. tut.* cum sit fundamentum rationum reddendarum, & omnes illi id exhibere cogantur, qvi res alienas vel communes
4. possident. Mev. *P. 2. decis. 20.* Cum verò Patres sint, lex qvoq; piam de ipsis præsumptionem habet pro vidè & paternè ipsos bona orphanorum administraturos, ne damnum patiantur, inde non hic legitur circa alienationem bonorum immobilium eos ad decretum vel rescriptum impetrandum esse obstrictos, prout aliàs tutores; *t. l. ff. & C. de rebus eorum qvi sub* saltem, ut pretia rerum venditarum ipsis conservent, aut aliàs res pro illis emant.

NOV. CXXXII.

De interdictis collegiis hæreticorũ.

PRÆFATIO.

1. I. PRimum esse & maximum bonum omnibus hominibus credit Imperator, veræ & immaculatæ Christianorum fidei rectam confessionem, ut hæc per omnia

omnia roboretur, & omnes terrarum orbis ſacerdotes ad concordiam copulentur, & immaculatam Chriſtianorũ confesſionem prædicent, omnemq; occaſionem, qvæ ab hæreticis invenitur auferant.

II. Qvoniam verò hæretici neqve Dei cogitant timorem, nec interminatas pœnas ipſis ex LL. ſeveritate conſiderant, diaboli verò opus implent, & qvosdam ſimplicium ſanctæ fidei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ membra ſeducunt, adulteras collectas, & adultera baptiſmata latenter faciunt, pietatis exiſtimavit Imperator, per præſens edictum eos monere, qvi tales ſunt, ut ab hæretica ejusmodi veſania recedant, nec aliorum animas per ſimplicitatem perdant, ſed magis ad S. DEI Eccleſiam, in qva recta prædicantur dogmata concurrant, & omnes hæreſes cum Principibus ſuis anathematizentur. 2.

Add. Fidei Confesſionem de illa rogatum qvemvis Chriſtianorum edere teneri inter Chriſtianos expeditum eſt, modô is qvi rogat, rem ſeriam agat, in loco ac tempore competente. 3.
1. Petr. 3, 15. Nam ut cuivis tentatori, præſertim empectæ reſpondeat, necesſum non eſt. *Proverb. 26, 6.* Bald. *Caſ. Conſc. lib. 2, c. 1. caſ. 13.* Et ſane facta confesſione fidei, diſtingvuntur filii DEI à filiis diaboli, filii lucis à filiis tenebrarum, per ipſam renaſcimur in baptiſmate, ut ſalutem æternam impetramus, ſicut ſcriptum eſt *Marc. 16, 16. Qvi crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit.* Non incongruum erit hic allegare verba reſponſoria confesſionis fidei, ſi non omnia tamen aliqva & præcipua laudatisſimæ & pientisſimæ memoriæ Electoris Saxoniæ Divi JOHANNIS FRIDERICI, qvæ ut vinctus Domini CAROLI V. Imperatoris Legatis dedit, cum ipſi Anno 1548. die 5. Julii libellum INTERIM obtrudere affectarent, ubi inter alia ſic reſpondit; *Wenn ich nun das INTERIM vor Gottſeelig und Chriſtlich annehmen ſolte, ſo müſte ich die Augſpurgiſche Confesſion, und was ich bißhero vom Evangelio Chriſti gehalten und gegläubet, in vielen tröſtlichen Articuln, an denen die Seeligkeit gelegen, wieder mein eigen Gewiſſen bedächtig und vorſetzlich leugnen und verdammen, und mit dem Munde das billigen, das ich in* 4.

 meinem

meinem Hertzen und Gewissen dafür halte, daß es der Göttlichen Schrifft gantz und gar zu wieder währe. Ey GOtt im Himmel, das wolt deinen Nahmen jämmerlich gemißbraucht, und grausahm gelästert heissen, und davor zu achten seyn, daß ich dich droben in der hohen Majestät, und die Weltliche Obrigkeit hienieden auff Erden mit gefärbten Worten betriegen, und umbführen wollen; welches doch ich mit meiner Seelen theur, und allzutheuer würde bezahlen müssen. Denn das ist die Sünde recht in dem Heil. Geist, davon Christus dräuet, daß sie weder in dieser noch in jener Welt, das ist, in Ewigkeit nimmermehr solle vergeben werden. vid. Joh. Georg. Wilcken *im Sächsischen Nepote Zuschr. pag. 76.* Conf. & Confessio fidei gloriosissimæ memoriæ Electoris Brandenb. Dn JOH. GEORGII *de Anno 1575.*
5. Ut verò de ejusmodi fidei confessione accuratius constet, meritò jubet hæreticorum conventicula cessare, qvibus aliàs diaboli opus impletur & promovetur, & nonnunquam boni aliàs Christiani ad vesanam hæresin traducuntur, insimul tumultus & perfidiæ occasio reperitur, qvod & prohibent Arcadius & Honorius Impp. *L. 15. C. de Episc. & Cleric.* domum in qva habita proscribentes, metuendum enim est, ne hæreses & illicita dogmata publicè damnata & prohibita, in vulgus disseminentur privatim & clanculum doceantur à Magistris infectis.
6. Qvamobrem Gratianus Valentin. & Theodosius Cæsares *in L. 2. C. de hæretic. Omnes,* inqviunt *vetitæ LL. Divinis & Imperialibus Constitutionibus hæreses perpetuò qviescant, nemo ulterius conetur, qvæ repererit profana præcepta vel docere, vel discere. Neq; antistites eorundem audeant fidem insinuare, qvam non habent, nec ministros creare, qui non sunt.* & rursus *in L. Cuncti 3. C. eod.* ubi qvoqve nocturni cœtus sub prætextu religionis & litaniarum prohibentur. facit & *Nov. 37. de Ecclesiis constitutis in Africa. Nulla omnino hæresis domum aut locum orationis habeto* & in *C. 12. X. de hæreticis* occulta illa conventicula prohibentur, ubi & laici officium prædicationes sibi usurpant.

NOV. CXXXIII.

Quomodo oporteat monachos vivere.

Novella

NOvella hac vitam ac converſationem monachorum prolixius deſcribit, ſcilicet ſunt illi asſignati ad vitam ſpeculativam, ut DEUM colant, orent, invocent, & divina perſcrutentur, ut conveniant omnes monachi in una habitatione, diſcant ſcientias & literas ſacras, comedant, & in uno dormitorio dormiant, ne ſpeculatione vitæ & conſvetudinis mores eorum corrumpantur, ex Joachimo Stephani ipſius Frater Matth. Steph. *ad h. Nov. n. 2. & ſeqq.* 1.
Hæc & ſimilia omnia, cum ad Eccleſias Proteſtantium non ſpectent, & jam in variis Novellis ſupra ſint propoſitæ, me amore brevitatis remitto ſupra ad *Nov. 5. Nov. 79. 123. c. 33. & ſeqq.* 2.

NOV. CXXXIV.

Ut nulli judicum liceat habere loci ſervatorem.

CAPUT I.

Ne ulli Magiſtratuum liceat conſtituere Vicarios.

I. HOc ita extendit, ut neq; in creditis provinciis habere liceat, excepta Hosdruma & Meſopotamia, & ſi necesſitas vocaverit, in allis locis tempore expeditionis pro nutrimento ipſis deſtinato. 1.

II. Extendit, ut nec Magiſtri militum, neq; Duces in provinciis, in qvibus adminiſtrare juſſi ſunt, Vicarios, aut biocolytas aut latronum expulſores habeant. 2.

III. Qvod ſi contigerit, necesſitate exigente, ſive Magiſtros militum, ſive Duces, deſtinari per Imperatoriam juſſionem ad alia loca, Vicarii debent conſtitui, ut tamen non liceat civili aut militari judici circumire provinciam 3.

ſine cauſa neceſſaria, ut tamen, ſi qva neceſſitas hoc fieri jubeat, expenſis propriis hoc tam judices, qvam officiales ipſorum faciat, nec enim angariis aut epidemeticis aut alio aliqvo diſpendio gerere debent ſubjectis, nec conſvetudines nominare, aut qværere, qvas forſan injuſtè in proprium lucrum adinvenerunt. *Malè enim adinventa, malaq; conſvetudines neq; ex longo tempore, neq; ex longa conſvetudine confirmantur*. Pænam in contrafacientes ſubjungit.

4. *Addit*. Vicarius eſt, cui ille qvi eum conſtituit, omne jus ſuum tradidit Beſoldus *de Proceſſ. judic. C. 2. lit. X.* differt à delegato, nam à vicarii ſedentia non appellatur ad eum, qvi vicarium conſtituit; ſed ad utriusq; ſuperiorem, v. gr. ab Epiſcopi alicujus vicario, non, ad ipſum deinde Epiſcopum; ſed ad Archi-Epiſcopum appellatur, à delegati verò ſententia appellatur ad delegantem. Beſold. *d. l.* poſſunt & ejusmodi vicarii qvoqve appellari *Ephori*, de qvibus multis agit Speidel. *Specul. Jurid.* voc. *Stände*,
5. *Land-Stände*. Licet igitur tales non facile à judicibus ordinariis conſtituendi, pro utilitate tamen Reipubl. receptum eſt, ut judices aliis jurisdictionem mandent, vel ut alii à Principe aut Præfecto Prætorio conſtituantur, qvi vice mortuorum vel abſentium judicent. *L. 1. C. de Offic. ejus qvi vicem alicujus &c.* qvos inter magna eſt differentia, nam illi, qvibus mandata eſt jurisdictio, proprium nihil habent; ſed ejus, qvi mandavit, jurisdictione utuntur, *L. 213. ff. de Offic. PCS. L. 3. ff. de Offic. ejus. L 16. ff. de Jurisdict.*
6. Sed qvi vicem alicujus judicis obtinent, propriam conſeqvuntur, & habent jurisdictionem, atq; eandem autoritatem, qvam judex cujus locum tuentur, qvo fit, ut tutores dare, decreta facere, alienationes bonorum minoris, emancipationibus, adoptionibus autoritatem interponere poſſint, non ſecus ac ipſe judex ordinarius *L. 1. C. de Offic. ejus qvi vicem* qvæ tamen omnia illi, qvibus mandata eſt jurisdictio, non conſeqvuntur. vid. Peretz. *C. ad*
7. *Tit. de Offic. ejus qvi vicem alieni jus judicis &c.* Ratio verò, cur Imperator non temerè vicarios in judicum locum ſurrogari vult hæc fortè eſt, cum horum induſtriam elegerit & fidem, qvæ ſæpè numero in vicariis exigua & lubrica, unde facilè contingere poteſt, tribu-

tribunalia non ſine ingenti juſtitiæ jactura magnum pati diſpendium, qvæ tamen inviolata conſervari, publicè intereſt. Nec verò ſi necesſitas aliqva immineat, judices per provincias iter facere hoc non ſuſcipiant ſumtibus ſubditorum, qvos multo minus angariare convenit, ſiqvidem angariarum & parangariarum præſtationes pro ſubiectionis ſpecie habentur, & ad regalia referuntur, & ſic ſubditi proprio motu ſibi arrogare non poſſunt. *2. F. 56.* Beſold. *lib. 1. Pol. cap. 4. n. 44.* nec qvoq; ad conſvetudinem provocare, in ejusmodi caſibus ſubjectos ad ſervitia præſtanda obligatos fuiſſe *Die Unterthanen hätten mit Wägen, Pferden und andern fahren müſſen*, cum Imperatore hic dicente *malè adinventa malaq; conſvetudines &c.* non itidem obſtante, qvod provocet ad conſvetudinem in aliis locis vigentem, dum in hoc ita moris non fuit unqvam, Pacian. *Conſil. 5. n. 49.* ſi enim de conſvetudinis actibus qværitur, debent eſſe geſti in hoc loco. Mev. *P. 5. Dec. 3.* 8.
Qvamqvam itidem teſtes deponant, ſemper ita moris in regione fuiſſe, ut ſubjecti plauſtris, curribus & eqvis ſervitia præſtent, nec audiviſſe aliter unqvam factum fuiſſe, & qvod communis ſit opinio & fama ſemper ſic fuiſſe, ſi tamen alii teſtes adſint, qui contrarium probent, ſe noſſe contrarium, & quod judicibus parangarias exigentibus ſit contradictum, nec ipſis præſtitas ſervitutes, hiſce plus fidei eſſe tribuendum, non obſtante, magis & plus credi duobus teſtibus affirmantibus, qvam X. aut C. negantibus de qvo aliàs Doctores vid. Balbus *de præſcript. P. 2. P. 3. pr. in 6. qv. n. 24. 27.* tamen quia hic de ſervitute agitur, quæ non præſumitur; ſed impoſitam eſſe probandum eſt, cum ſit facti, qvod agatur de regalibus Principum, qvæ 40. annis præſcribuntur *L. Omnes C. de præſcr. 30. vel 40. annor.* & teſtes adſint contrarium deponentes, puto hiſce in caſu favorabili deponentibus majorem eſſe ad tribuendam fidem. 9.
Hinc qvando judices contrarium ſcientes, nihilominus ſibi arrogarunt id qvod prohibitum, eoque per longisſimum uſi à pœna non excuſantur, nec enim malè adinventa ex longo tempore, vel ex longa conſvetudine confirmantur, & hac occaſione ſolent hic Ddr qværere *an mala conſvetudo à pœna excuſet?* & negatur juxta iſtud Germanorum proverbium: *Was 100. Jahr unrecht geweſen iſt, das iſt keine Stunde recht.* ſit licet, 10.
ante

ante 100. annos hoc aut alio loco die Sabbathi nundinæ sint institutæ, & adhuc habeantur, non tamen propterea rectè, nam DEUS T.O.M. omnium supremus Legislator non modo ante 100. annos; sed plures quam mille in monte Synai Legem hanc tulit: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, qvi ipsis nundinis non sanctificatur; sed profanatur. Sed omnes malæ consvetudines plerumq; ortum ex bonis capiunt, perinde sicut ex angelis dæmones facti, & modo è virginibus fiunt meretrices. Treutler. *Vol. 1. Disp. 1. th. 9. lit. A.* docet, nam si aliquo in loco freqventes sint blasphemiæ, deprehensus in illis, & ad pœnam tractus, pœnam non evitat, si probet ibi aliquos freqventer blasphemasse impunè, imò gravius delinqventem puniendum censet, *per C. 32. qv. 7.* ejusmodi enim consvetudo rectæ rationi non est consentanea,
11. qvin imò contra jus Divinum & Naturale Creatori, à qvo tot beneficiis singulis diebus ac momentis accumulatur bono improbe maledicere, & sanctissimum ejus nomen blasphemare, facit qvod consvetudo vetus verbo Dei contraria nihil aliud sit, qvàm vetus error, qvod si verò judex, (ut ad priorem casum revertar) communem errorem seqvatur, qvo servitia subjectorum justè exigi & præstari putat, non est in dolo licet injustâ ratione ductus consvetudinem valere credat, & sic à pœna est immunes. *arg. L. Barbarius Philippus 3. ff. de Officio Præf.*

CAP. II.

De destinato in Provinciam, & aliis nonnullis.

1. I. PRovinciarum Rectores sic conversari jubet, aut res gubernare, ne sit necessum ad Provincias aliqvem destinari, ob res qvæ debent gubernari, aut de qvibus qvæstio instituitur. Qvod si opus fuerit, occasione publicarum exactionum, aut qvarumlibet emergentium qverelarum aliqvos in Provincias transmitti, hi neqve ordinem, neqve nomen vicarii debent habere.

2. II. Destinatus in Provinciam nullum subjectis inferat dispendium, creditum sibi opus adimpleat, in qvo judex

dex Provinciæ eum & ejus opus adjuvet. Et ſi forte contra ipſum judicem accuſatum ſit transmisſus, provinciale officium ipſi obediat. Qvemadmodum enim prohibet 3.
Imperator loci Servatores vel Vicarios fieri, ita ſi fiant, omne periculum judices Provinciarum & eorum officium habere vult, ut ſollicitudinem faciant tam publicarum exactionum, qvam locorum qvietem, & ut omnis injuſtitia & læſio ſuſpendatur.

III. In qvibus Provinciis ſunt aut judices, aut ex- 4.
actores rerum fiſcalium, & adjutorio aliqvo opus habuerint, judices Provinciarum, & officia eorum omne eis ſolatium & ſtudium conferant, ut ſine impedimento fiſcalium exactio procedat. Et omnes, qvæ motæ fuerint ſive civiles ſive criminales cauſæ, & competentes Provinciarum judices ipſi inqvirant, proprio periculo diſcutiant, & legitimum eis finem imponant.

IV. Provinciarum judices mox futuri, dignitatem 5.
hanc ſive præſentes ſive abſentes ſint, ſuſcipiant, & cautionem faciant pro inferendis pecuniis tam præfecturæ, qvàm aliis dignitatibus, & licet non caveant, habebuntur tamen non ſecus ac ſi cautionem interpoſuisſent, ipſeqve & eorum officia affecta ſunto dignitatibus, qvibus tenentur ad cautionem.

Add. Omnibus qvidem votis eſſet exoptandum, ut rerum 6.
ſummæ à Principe præfecti ſemper & ſine reprehenſione, qvod ſui eſt officii, facerent; cœterum qvia omnes qvoq; in minimis labimur, Principem Vicarium DEI, qvantum fieri poteſt, Deum qvoq; in hoc imitari, & adveniam proclivem eſſe oportet, ſicqve vitia emendare, ne emendatio magis obſit, qvàm proſit; ſic poſito, Præfectum eſſe ſuperbum, juſtum tamen & integrum, incorruptum, & fidum Principi, expedit potius disſimulari cauſam, 7.
vel ſi ſuperbia tanta, ut dominatum affectet, & omnia pro lubitu tractare velit, ut ad tempus avocetur, cauſa aliqva ejusmodi avocationis prætendatur, & alter in locum ejus ſufficiatur, qvi ta-

men non ut Vicarius; sed ut caput provinciæ præsit, qvod & in præsente C. Imperator ordinat. Si tamen crimen sit, qvod noceat valdè publico, Judex Provinciæ & officiales ejus fideles manus subministrent, ut ejusmodi Magistratus deponatur, & post depositionem, & inqvisitionem puniatur, ut ita omnis injustitia & læsio suspendatur. Unam qvoq; jurisdictionem per aliam
8. juvandam esse satis ex *M.3.h.C.* constat, & aliàs probatur ex *c.1. X. de offic. judic. ordin.* hunc enim in finem introductæ sunt literæ rogatoriales, seu juris subsidiales *die Bitt-Brieffe*, in Camera *Hülff-Brieff* appellatæ, qvibus Magistratus loci decernit ad illum Magistratum, sub qvo res est sita, pro executione facienda. *fac. L. 15. §. 1. ff. de re judic.* Tabor. *tr. peculiari de judic. offic.* vid. Wehner. *Obs.*
9. *Pr. voc. Hülff-Brieffe*, Mynf. *C. 3. obs. 68. & Resp. 6. n. 3. & seqq.* Qvæ ultimo loco hujus C. dicuntur Provinciarum judices circa officii initium ad cautionem teneri, cum moribus nostris alicubi, scilicet in Saxonia conveniunt, maximè in Ducatus Merseburg. administratione, ubi nemo ferè ad officium licet exiguum admittitur, nisi sit possessionatus, ut si perfidus existat, inqve rationum redditione deficiat, regressus adversus ipsum institui possit.

CAP. III.

Ne judices ea qvæ Juris Gentium sunt denegent.

1. I. INterdicit omnibus judicibus tam civilibus, qvàm militaribus, & eorum officiis, ne occasione vilium lucrorum, prohibeant testamenta facere, facta insinuare, nuptias aliqvas facere, aut super donationibus nuptialibus monumenta componere, aut prohibere, ne defunctorum corpora sepulturæ tradantur, aut rerum descriptio
2. fiat &c. Hinc si qvidam hujusmodi odibilem rem in qvolibet Reipubl. loco agere præsumpserit, aut illi ministrare, qvi hoc facere præsumpserit, dignitate privatus, in exilium mittatur, & dispendium de substantia eveniens, læsis in duplum restituatur, non tamen sublato legis auxiliô.

II. Con-

II. Concedit licentiam Epiſcopis & civitatum pri- 3.
matibus hujusmodi qvid prohibere, & ſtudere, ut hæc omnia ſine impedimento, & ſine diſpendio ſecundum LL. virtutem procedant, & de his Imperatori nuncient.

III. Appellationes, qvæ ſecundum LL. offeruntur, 4.
vult judices ſuſcipere, & eos qvi ſpecialiter audiunt, ſive majores ſive minores ſint, litigantibus acta ſine dilatione edere, ut qvæſtio legitima de his procedat; nec appellatione pendente, exactionem fieri, aut poſſeſſiones rerum transferri vult, donec definitum ſuper ea judicium.

Addit. Qvæ Princeps ipſe prohibere non poteſt, neq; aliis 5.
prohibere ſolet, multo minus ſubjecti & judices inferiores poſſunt, ad qvæ cum referantur teſtamenti factio, nuptiarum celebratio, ſepultura mortuorum, qvæq; alia ſunt, ad jus Gentium pertinentia, conſtat prohibitionem hic ceſſare. Maul. *Tr. de ultim.*
volunt. tit. 1. n. 7. Conceditur tamen Provinciarum judicibus hic 6.
LL. auxilium, & defenſio, qvid ſi enim qvis teſtamentum condere prohibitus, vel ob ætatem, ſtatum ſuum, vel aliam cauſam, & nuptias contracturus jam cum alia ſponſalia iniit, aut nimia cognatione vel affinitate junctam ducere affectet, prohibitioni locum eſſe qvis dubitaret?

CAP. IV.

Ut nemo ex alterius delicto teneatur.

I. QVandoqvidem adulteria, aut raptus mulierum, 1.
aut homicidia, vel alia qvælibet crimina in provinciis committi contingit, omnia ſecundum LL. judices vindicare debent, & ipſos peccantes tenere, non alios pro id comprehendere, aut damnum eorum vicis inferre. Sed neq; pignorationes faciant propter peccan- 2.
tem, aut vindictam criminis proprii lucri cauſa inferant, aut delinqventium res proprium lucrum faciant. Nam 3.
ex legibus reos qvidem pœnas ſuſtinere vult, damno ve-

rò exinde subjectis, aut lucrum ex eo judicibus, aut eorum hominibus vel officialibus fieri nullatenus concedit, ne propter rerum desiderium inveniantur injustè aliqvos castigantes, & sic peccantes vendere.

4. II. Si qvid horum fiat, ipse Provinciæ judex omne exinde eveniens damnum læsis modebitur, & suppliciis subjectus, exilio tradetur & consiliarius ejus simile sustinebit supplicium, si factis â judice contra LL. consentiat in
5. scriptis; Officiales verò & omnes, qvi circa hoc propter proprium lucrum obsecundant non solum damna compellentur læsis restituere; sed & exilio tradentur.

6. *Addit.* Magistratus & judices cujuscunq; generis delicta investigare, delinqventes undiq; conqvirere, eosq; legitimis coërcere pœnis debent, *L. 13. pr. ff. de Offic. Præsid. Num. 35. Deut. 17. Rom. 13.* qvod insuper Reipubl. utilitas flagitat, cujus cura Magistratui est commissa. *L. 3. ff. de Officio Præfect. vigil.* nisi enim delicta punirentur, & delinqvendi audacia coerceretur, paulatim Reipubl. malis hominibus repleta, pessundaretur, & funditus deleretur *L. 20. § fin. ff. de fidejuss.* Hinc Cicer. *de Natura Deorum*:
7. Nulla domus nec Respubl. stare potest, si in ea nec rectè factis præmia existunt, nec supplicia peccatis vid. Seneca *de Clem. l. 1. c. 22. & lib. 1. de Ira C. 6.* Et jure Canonico *C. qvanto de sentent. Ex-*
8. *comm.* & *C. petens de homicid.* Negligens punire delinqventem, dicitur ejus fautor, qvi enim deserit obviare perversis cum possit, ipsemet consentit, & dissimulans scelera ansam delinqvendi præbet *c. 23. qv. 4.* nam negligentia in non puniendo satis arguit approbationem. Bartol. *C. de his qvib. ut indign.* Videant tamen judices, ne ulterius progrediatur pœna, qvàm reperiatur delictum, ubi enim nulla noxia est, ibi qvoqve nulla pœna esse debet *L. 22. C. de pœn.* & delicta suos autores tenere debent, nec filius pro patre conveniri, (licet pater contraxerit debitum ob alimenta filii *arg. L. 13. C. si cert. pet.*) sive sit debitum ex causa publica, sive privata *L. 2. & 4. C. Ne filius pro patre* nihil enim iniqvius inquit Seneca *lib. 2. de ira cap. 34.* quam aliqvem heredem odii paterni
9. fieri. Excipitur crimen perduellionis *L. qvisqvis 5. C. ad L. Jul. Maj.*

Maj. C. 24. A. B. Excipiuntur qvoq; ſtatuta, qvibus cavetur, ut pœnas pecuniarias alii pro aliis ſolvant, pœnis enim corporalibus alium pro alio ſubjici non poſſe, omnes fatentur. Ant. Matth. *de Crimin. ad lib. 48. Tit. 17. n. 3.* ubi ſimul addit, quid de ejusmodi ſtatutis, juxta qvæ alter pro altero tenetur, ſit habendum. Etſi 10.
qvoq; pœnæ delinquentium regulariter morte extinguantur, nec heredes pro eadem exactione conveniri queant, aliud tamen qvando pecuniaria pœna venit imponenda, ſic enim eadem ab hæredibus poteſt exigi. *L. 22. ff. ad SCt. Syllan. L. 20. ff. de Accuſat. L. 14. ff. de Public.* Bartol. *in L. 1. ff. de privat. delict.* qvam doctrinam communiter receptam teſtatur Hartm. Piſtor *qv. 35. num. 5.* Salycett. *L. 1. C. Si reus vel Accuſ. mort. fuerit.* Tiraqvell. *L. ſi unqvam 8. C. n. 169. C. de revoc. donat.* ubi tradit, actionem pœnalem tali caſu tranſire in hæredes tam activè qvàm paſſivè, qvod & confirmat Roſenthal. *de feudis cap. 10. qv. 40. n. 41.* inquiens, hoc caſu ſententiam hæredi non imponere pœnam; ſed delinqventi impoſitam retrò fuiſſe declaret, qvod & teſtantur Fulgoſ. *Conſil. 24.* Socin. *lib. 3. Conſil. 66.* Afflict. *Deciſ. 55.* Quia tunc non agitur 11.
ad impoſitionem pœnæ; ſed ad pœnam à judice impoſitam exigendam, & ideò meritò tranſit ad hæredes, licet nihil ad eum perveneri. Vasqv. *lib. 3. C. 96. n. 22. Illuſtr. Controv.* Gail. *lib. 1. de P. P. cap. 3. & cap. 20. n. 13.* ubi tradit, quando delictum venit purgandum per actionem deſcendentem ex contractu, qvod tunc tranſeat contra hæredem. Sicuti autem in criminalibus alter pro 12.
altero luere non debet, ita nec in civilibus, inde nec judex, ut ſibi lucrum faciat alium pro alio pignorare debet, eſt enim ſic in dolo præſumto, quoniam facit rem illicitam, à jure communi, & conſtitutionibus Imperii prohibitam. Gail. *lib. de pignor. cap. 11. n. 7.* pœnam in contra facientes ſubjungit.

CAP. V.

Ut rei criminum edictis legitimis evocentur.

I. **SI delinqvens latuerit, aut reliqverit provinciam illam in qva deliqvit, legitimis edictis à judice evocabitur,** 1.

 &

& si non obediat, adversus ipsum procedi debet, sicut LL. definitum est.

2. II. Si cognoscatur, in alia ipsum provincia degere, judex provinciæ ubi deliqvit, scribat ad illius judicem, in qva delinqvens persona degit, ut periculo suo & officii delinqventem comprehendat, & ad judicem Provinciæ in qva peccavit, transmittat, ut suppliciis legitimis subjiciatur.

3. III. Si judex qvi publicam epistolam suscepit, hoc facere neglexerit, & officium qvoq; imperata neglexerit, judex tres auri libras, & officium ejus alias tres pro pœna inferat; ulterius judex & officium ejus transmissionem delinqventis negligens, convictus, dignitate spoliatus in exilium mittitur.

4. *Addit.* Contra delinqventem absentem per inqvisitionem specialem licet non procedatur, Brunnem. *Proc. Inqvisit. c. 8. M. 6. n. 1.* Summaria tamen inqvisitio pro informatione judicis semper necessaria, ut constet an justè gravatus sit absens de crimine, an non, literis igitur reqvisitorialibus est citandus, ad qvas si reus non compareat, significatur ipsi bona esse annotata, qvo factô si intra annum compareat bona annotata fisco nondum acqvisita, recuperat, *L. 1. C. de reqvir. reis.* Si intra annum non adsit, nec absentiæ justas causas alleget, bona in fiscum coguntur, & seqvitur
5. infamia. Ideoq; si postea accedat judicem, & innocentiam suam cupiat defendere, non auditur, qvoad bona semel confiscata, hæc enim ei non propter delictum ipsum; sed propter contu-
6. maciam ablata; utut ergò ratione delicti innocentiam probet, à contumacia tamen non liberatur, interim tamen qvoad pœnam criminis personæ infligendam semper auditur, nec enim defensioni principali terminus peremtorius statui potest, vid. Brunnem.
7. *c. loc. n. 2.* Qvod si constet, delinqventem in alieno territorio latitare de jure civili qvidem judex ejus tenebatur eundem ad supplicium tradere & remittere ad locum ubi deliqverat, *L. solent 7. ff. de Custod. & Exhibit. reor. hoc c. 5.* qvod hodiè præcisè necessarium non est, cum remissiones ulterius non sint necessitatis; sed

urba-

urbanitatis, nisi aliter convenerit, vel judex remittendo alteri sit gratificatus, qvo nomine dari solent literæ reversales. vid. Brunneman. *Proc. inqvisit. C. 3. n. 10. & Cent. 4. dec. 52.* Besold. *P. 3. Consf. 131.* Ziegler. *de Jurib. maj. c. 29. th. 32. 33.* Carpz. *Pr. Crim. qv. 110. n. 54.*
nam generali qvadam consvetudine à jure remissionum est re- 8.
cessum, Wesenb. *tit. tot. ff. de Judic.* Covarruv. *Pr. qv. c. 11. n. 10.* atq; hanc esse commune J U. Ddr. opinionem, & sic qvoq; servari omni die pronunciat Clas. *lib. 5. §. fin. qv. 39.* hancqve consvetudinem subsistere & valere dicit ne delicta maneant impunita, Damhoud. *Pr. Crim. c. 35. f.* Gail. *lib. 1. de P. P. c. 16. n. 30. 31.* Idq; propte- 9.
rea est introductum, qvia jurisdictiones jam factæ sunt patrimoniales, & magis circa eas zelotypi sunt præsertim Germaniæ sta-
tus, qvam Itali propter uxores suas. Solet tamen plerumqve in 10.
Germania in atrocioribus delictis fieri remissio, idq; sub literis
reversalibus, ut paulò suprà dictum. Gail. d. l. In Electoratu Sa- 11.
xonico remissionem necessariò fieri testatur Constit. Electoral. *Tit. Daß man die Ubelthäter die in den Aemptern verbrochen, und entweichen, wieder in die Aempter soll folgen lassen.* Qvod si remissiones alicubi obtinent freqventiores sunt inter pares, aut minores ad majorem, non è contra *und liefern die Fürsten nicht bald einen von Adel einen Maleficanten.*

CAP. VI.

Ut Judex compleat, qvod decessori mandatum est.

I. SI contigerit, jussionem Imperatoriam in scriptis ad 1.
aliqvem judicem fieri, ille verò interea ab administratione qviescat, is qvi post eum dignitatem suscipit, accipiat eam, & insinuet, & si privata est causa, im-
pleat eam; Si verò publicum respiciat, inqvirat eam, & 2.
siqvidem fiscus non lædatur, qvæ in causa comprehensa sunt, adimpleat, nihil verò omninò agat, si ad læsionem fisci spectet; sed de ea renunciet, & secundam jussionem Principis exspectet;

II. Quod si aliqvot præcepta cujuslibet judicis ema- 3.
narint,

narint, & prius qvam insinuata, aut præcepta, eum dignitate removeri contigerit, sic qvi factus fuerit judex si legitime facta ejusmodi præcepta suscipiat & exeqvatur, si verò contra legem, aut contra Publicum sint, pro non scriptis habeantur.

4. *Addit.* Judex, cui rescriptum executioni dare mandatum est, ante omnia cognoscat, 1. An cum utilitate publica rescriptum pugnet, 2. an per mendacium, vel veritate suppressa fuerit impetratum. 3. An jus tertii lædat, & 4. An juri repugnet, qvibus casibus meritò rejicitur, nec admittitur. *L. 7. & fin. C. si contra jus vel*
5. *utilit. publ.* qvin imò, si existimet, Principem seriò rem aliqvam contra utilitatem publicam, vel tertii jus lædentem velle, jussionem ejus secundum expectet judex forsan enim ex iracundiæ calore motus iniqvi qvid mandavit, ut adeò fulminatori ejusmodi obedire non debeat judex. Anton. Gomez. *tom. 3. variar. resolut. c. 13. circa fin.* nam qvæ deliberandi moram exigunt, non sunt præcipitanda, & qvi nimium properat, serius absolvit, facit *L. Si vindicari 20. C. de Pœnis.* judices verò successores in officio, qvod antecessor inchoavit, absolvere debent, modo non repugnet publico, eadem enim causa, & judicium idem, qvod antea fuit, permanet *L. Proponebatur 76. ff. de judic.* hinc cum nulla contingat qvoad universitatem mors, vel mutatio, ex iisdem actis successor ferre sententiam potest, nec litis reassumtione opus est,
6. Maurit. *Disp. de citat. ad reassum. th. 16.* Qvod in Camera hodiè eò minus dubii habere videtur, postqvam per *R. I. de An. 1654. §. 94.* constitutum, ut mandato expressè inseratur clausula *für uns und unsere Erben*, v. Fabric. *ad Mynſ. Cent. 1. obſ. 85.* & Ertl. *de Jurib. Princ. Exercit. 64.*

CAP. VII.

Ne qvis creditor filium debitoris pro debito retinere præsumat.

1. JUbet, ut si qvis hujusmodi aliqvid deliqverit, non solum debito cadat, sed tandem aliam qvantitatem, adjiciat dandam ei qvi retentus est ab eo, aut parentibus ejus, & de

& de hinc corporalibus pœnis à loci Judice subdatur, qvod personam liberam pro debito retinere præsumserit, aut locare, aut pignorare.

Add. Desumpta est ex *hac Nov. Auth. Imò à debito C. de O. & Act.* 2.
qvæ corrigit pravam consvetudinem, qvæ Justiniani tempore invaluerat, dum ob debitum paternum liberi vinculis detinebantur qvod, ut juri minus consonum meritò abrogat, nemo enim ex alterius debito vel delicto debet teneri *L. 1. & 2. C. ne filius pro patre.* & dum triplex pœna hoc nomine constituta observat Brunnem. *add. Auth.* regulam: Qvoties plures pœnæ junguntur, unam per aliam non tolli.

CAP. VIII.

De Intercessionibus Mulierum.

UXor debito à marito contracto consentiens, sive se, 1.
sive bona sua pro eodem obligans, sive semel, sive multoties hujusmodi aliqvid pro eadem re fiat, sive privatum sive publicum sit debitum, ita valebit, ac si non esset scriptum, nisi manifestè probetur, qvod pecuniæ in propriam ipsius mulieris utilitatem expensæ sint.

Addit. Non verò sufficit, mulierem id in instrumento esse 2.
confessam, nisi coram judice in actis confiteatur, pecuniam versam suam in utilitatem, qvia præsentia judicis omnem doli præsumtionem excludit. Igitur si qva mulier crediti instrumento consentiat pro marito, vel cum eo pro alio se obliget, etiamsi sæpius iterata sit obligatio, ipsô jure non valet, ita, ut opus non sit aliqva exceptione. *Auth. si qva mulier C. ad SCt. Vellejan.* Qvoni- 3.
am enim facilius mulier adducitur, ut pro viro suo intercedat, qvam ut pro extraneo se obliget, ideo plenius uxori succurrendum putavit Justinianus. At dices objicit Peretz. *C. ad SCt. Vellej. n. 15.* nihil eum novi introduxisse, cum jam antea ab Imperatori- 4.
bus cautum fuerit, mulierem, qvæ se pro, vel cum marito obligavit, conveniri non posse ob SCti Vellejani beneficium *in L. 1. C. Ne uxor pro marit.* Nam dicendum, Justinianum sua Constitutione novissima voluisse, ipso jure nullam ex tali intercessione

obligationem oriri, & actum ſcriptumq; haberi pro non ſcripto aut facto; cum antea jure Cod. valida eſſet obligatio; ſed tamen qvæ exceptione infirmari potuerit. Peretz. *d. l.* vid. Sande *lib. 3. def. 20. Tit. 10.* In Marchia uxor jurato in judicio renunciare debet, aut coram Notario & teſtibus prævià certioratione. Brunneman *Paratitl. ad Weſenb. ad SCt. Vellej. qv. 13.* v. & *ad L. 17. ff. eod.*

5. Plures alii ſunt caſus qvibus mulier ex fidejusſione ſua obligatur, qvos hiſce verſibus incluſos recenſent;

Caſibus in ſenis mulier ſpondendo tenetur,
1. Pro libertate, 2. pro dote, 3. renunciet, 4. & ſi
Decipiat, 5. pretium capiat, 6. caveatq; ſecundò.

De qvibus cum pasſim Doctores *ad ff. & C.* latisſimè ſcripſerint, non eſt, qvod me hic pluribus detineam.

CAP. IX.

Ne mulieres in carceribus includantur.

1. I. Nulla mulier pro qvalibet re includatur, aut cuſtodiatur; ſed ſi pro fiſcalibus debitis aut privatis conveniatur, aut per virum ſuum, aut per ſe, aut per qvam voluerit perſonam, legitimè reſpondeat, & rem

2. transigat. Si verò vidua ſit, aut non à principio viro conjuncta, poteſt aut per ſe, aut per qvos voluerit propria jura ſecundum legem proponere. Judices majores contra hæc qvid facere præſumentes pœnæ 20. auri librarum, ſi minores ſint 10. auri librarum pœnæ debent ſubjacere, & obedientes in ejusmodi cauſis dignitate ſpoliari, pœnis ſubjicere, & in exilium deſtinari.

3. Licet & mulier in reſpondendo contumax, non tamen ſic includenda; ſed legitimè contra eandem procedendum.

4. II. In criminali cauſa fidejusſoriæ, vel in ſubſidium juratoriæ cautioni committenda, ſi juraverit, non poſſe ſe dare fidejusſorem. Si gravisſimum crimen inveniatur, in qvo accuſatur, in monaſterium mittatur, aut mulieri-

bus

bus tradatur, per qvas publicè & liberè custodiatur, donec causa ejus manifestetur, ubi procedant in eam, qvæ LL. sunt definita. Nullam igitur mulierem sive pro pecunia 5.
fiscali, sive privata causa, aut pro criminali qvolibet modo aut in carcerem mitti concedit, aut à viris custodiri, ne per hujusmodi occasiones inveniantur circa castitatem injuriata.

III. Monestriam aut Ascetriam per nullam actionem trahi concedit de monasteriis propriis aut ascetriis. 6.

Add. Carcer, qvi debitoribus pro custodia, donec solvant, 7.
assignatur, nihil aut parum cum iis de qvibus aliàs Ddr. ad *Tit. ff. & C. de Custod. & Exhib.* tractant, habet commune, qvia nec subterraneus, nec opacus est, ut hominum noxiorum, nec pœnæ loco imponitur, nec ad pœnam, vel pœnitentiam tendit; sed eò tantum fine imponitur, ut tantisper hæreat reus in locis pro carcere deputatis, donec satisfaciat creditori. Doctores hunc carcerem tœdialem vocant. vid. Speckhan. *Cent. 1. qv. 19. in f.* nec pertinet ad merum imperium, tradit de hujusmodi carcere Struv. *de Vind. privata C. 2. aphor. 37.* extraneum creditorem petere 8.
non posse, ut in eum debitor conjiciatur, nisi eo in loco, ex qvo est oriundus, similis carcer sit in usu, vel creditor à suo judice literas reversales afferat, hujus loci creditoribus aliquando simile jus contra debitores illius loci statutum iri. Pronunciat verò Im- 9.
perator ab ejusmodi carcere immunes mulieres, ne ipsarum pudicitia deprehendatur contumeliis affici, licet, ut hic subjicit, contumax existat, imò & extendit ad causam criminalem, & consentit Excell. Dn. Stryk. *Dissert. de Carcere ad Custod. Vol. 1. Diss. 4. cap. 2. n. 4.* nec hodiè, si crimen non sit adeò atrox, & mulier ho- 10.
nesta aut nobilis, judicem mandare posse, ut cum dedecore ad se adducta statim incarceres detrudatur; sed debere vel domum dare pro carcere, vel sub idonea fidejussore relaxare. Cœterum 11.
in atrocibus & gravissimis delictis mulier honesta conclavibus publicis incarcerari omninò potest, per ea qvæ uberius deducit Carpz. *Pr. Crimin. P. 3. qv. 111. n. 40. & seqq.* Brunneman. *ad L. 3. & Auth. hodie C. de Custod.* & Farinac. *lib. 1. Tit. 4. qv. 27. n. 52.*

CAP. X.

Qvæ sit mulieris adulteræ pœna.

1. I. COnfirmat hic pœnas adulterii ab Imperatore Constantino in *L. 30. C. ad L. Jul. de Adult.* dictatas, si adulterii crimen probetur, sic, ut qvi mediatores in hoc crimine fuerunt, similibus subjiciantur pœnis. Uxor verò adulteri si qvam habet dotem & donationem propter nuptias retinet reliqva verò substantia, siqvidem sint ascendentes aut descendentes usqve ad tertium gradum accipiant secundum ordines & gradus, si hujusmodi non sunt, fisco applicantur.

2. II. Adultera verò mulier competentibus vulneribus subacta in monasterium debet mitti, & si qvidem intra biennium eam recipere vir suus voluerit, potestatem hanc ei damus, nullum ex copulatione metuens periculum. Si verò
3. prædictum tempus transierit, aut vir priusqvam recipiat mulierem, moriatur, tonderi debet, & cogi monachiũ habitum accipere, & habitare in ipso monasterio in omni vitæ propriæ tempore, & si habeat descendentes, duas ipsius bonorum partes accipiant secundum LL. ordinem divisas, reliqva pars tertia monasterio, in qvod mittitur, dari
4. debet. Si descendentes non fuerint; sed ascendentes adsint, non consentientes hujusmodi iniqvitati, 4. uncias juxta LL. divisas accipiant, 8 verò monasterium in qvo
5. includitur. Si nec descendentes, nec ascendentes habeat, aut hi consenserint ejus iniqvitati, omnem ejus substantiam accipiat monasterium illi conservandam, ut per omnes casus viro pacta dotalibus instrumentis illata serventur.

6. *Add.* De adulterii pœna civili & criminali jam tum satis supra ad *Nov. 117. C. 8.* dictum est, illud hic ex *hoc C.* & notatu & miratu satis dignum est, Imperatorem adulteræ mitiorem pœnam nimirũm detrusionem in carcerem dictare, marito verò capitalem, ita tamen in fœmina locum habet hæc pœna detrusionis, si maritus innocens

innocens intra biennium eam recipere velit, *b. C. 10.* Qva in parte sanè mirari licet, qvare Imperator pœnam hujus criminis mulieribus mitigaverit, cum eo severior esse debuerit, qvo hoc delictum in sexu fœminino turpius, atq; freqventius, magisq; perniciosum privatim & publicè, ob eam qvæ conseqvitur liberorum incertitudinem & confusionem familiarum Wesenb. *ad ff. ad L. Jul. de Adulter. n. 19.* Imò qvod adulterium ob sobolis incertitudinem & falsi partus suppositionem longè gravius sit in uxore, tradit qvoq; Speckhan. *Cent. 2. qv. Jur. class. 2. qv. 7. n. 40. & Cent. 3. class. 1. qv. 8.* Hujusq; L. Sanctio verbis Gellii convenit *in noct. lib. Attic.* qvi ita veteri jur. scriptum ex Marci Catonis oratione refert, in adulterio tuam uxorem si deprehendisses sine judicio impunè necares, illa te, si adulterares digito non auderet contingere, neq; jus est. Palæottus *de noth. & spur. c. 42. n. 3.* Cæterum qvod Constitutionem hanc attinet, placet hic de ea apponere judicium summi JCti Antonii Matth. *de Criminib. ad lib. 48. tit. 3. c. 2. n. 2.* Sic enim inqvit; *Qvamvis ad fragilitatem sexus respexisse videatur, qva plerumq; fit, ut non tam sponte, qvam blanditiis atq; auro adulterorum corruptæ peccent, tamen ratio ad relevanda earum peccata sufficiens non est. Præterqvam enim, qvod multæ ultrò procaces sunt, & sollicitant potius, qvàm sollicitantur, etiam ad fæditatem illam, & incommoda, qvæ mulieris peccatum aut comitantur, aut seqvuntur Legislatorem respicere oportuit. Sunt enim hæc, incesta seminum confusio, suppositio adulterinorum, veneficia, insidiæ, cædes, corruptela morum, probrum totius civitatis, qvorum incommodorum respectu, gravius etiam mulieris, qvàm viri peccatum videri debet. Non potuit Ergò adultero cæso adultera pœna capitali honestè subduci, inprimis cum Divina qvoq; Lex utrumq; sexum eadem pœnâ affici jubeat. Deut. 20. v. 22.* Non sine causa igitur suspicari licet Theodoram Justiniani conjugem, hujus constitutionis esse autorem, qvod sanè audenter affirmat Joh. Bodinus *lib. 1. de Repub. c. 3.* *Theodora*, inqvit, Justiniani uxor, qvæ fasces Imperii marito, stupido sanè ac illiterato Principi ademerat, cum omnia beneficia fœminis adversus maritos tribueret, eas etiam adulterii pœna liberavit, infamiæ notam reliqvit. Matth. *d. loc. 3.* Cum verò adulterii crimen reliqvis criminibus longè fœdius sit & detestabilius, totam familiam conspurcet, at-

7.
8.
9.
10.
11.

qve ipſam terram anathemate qvodam ac piaculo polluat Brunnem. *Conſil. 110. n. 4. & ſeqq.* inde in Saxonia pœna adulterii exaſperata, & non tantùm maritus, verùm etiam uxor, cum qva adulterium commisſum, pœna gladii punitur ob violationem fidei Conjugalis, ad qvam ſervandam fœmina æqvè eſt obligata, atqve maritus, neqve eô jure attenditur ſexus fragilitas, qvippe qvæ in delectis Jure Divino ac Naturali prohibitis excuſare non poteſt. Carpzov. *Pr. Crim. qv. 55. per tot.* Extra forum Saxonicum
12. autem de conſvetudine (qvorundam locorum moribus exceptis) adhuc hodiè non pœna mortis; ſed mitiori affici adulteras, defendunt, traduntq; Hahn. *ad Weſenb. ad L. Jul. de adult. n. 19.* Mev. *ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 6. Art. 2. n. 2.* Struv. *ad ff. Exerc. 49. th. 30.* Martini *Jurispr. Crimin. diſſ. 3. c. 4. n. 38.*

CAP. XI.

Pœna injuſti repudii.

1. I. CONfirmat Imperator *Nov. 117. c. 8. 9. & 10.* qvod ne conſenſu, nec ex ulla alia cauſa ibi non enarrata ſolvi matrimonium debeat; ſi tamen hoc fecerint vir & uxor in monaſterium perpetuò detruduntur, & ratione bonorum diviſio & adjudicatio fit ſecundum diſpoſitionem Capitis præced. Additur, Patrem rerum filii in poteſtate poſiti non debere habere uſumfructum.

2. II. Si verò ii, qvi matrimonium ſolvere præſumſerunt, iterum ſibi conjungi voluerint, priusqvam in monaſterium mittantur, hoc facere ipſis licentiam dat, pœnas remittit & propria habere bona concedit, & ita adinvicem vivere tanqvam ſi nihil delictum fuiſſet. Unô verò volente matrimonium revocare, ſi non conſentiat alia perſona, contra eum, qvi voluerit, teneant pœnæ.

3. *Addit.* Deſumta eſt ex hoc *C. auth. idem C. de bon. qva lib.* ex qva pronunciant Ddr. ſi Pater divortat ab uxore ſine cauſa, & in bonis filii, in qvibus habuit uſumfructum, eundem amittat, qvod ea ſimul tranſeant ad monaſterium, ſi illud ſit bonorum capax.
4. De cætero verò revocat pœnam, ſi ſibi conjungi iterum voluerint,

rint, nam S. Princeps per viam gratiæ partibus pœnam remittere potest. Carpz. *Pr. Crim. qv. 150.* Peregrinus *de Jure fisci lib. 5. c. 2. n. 1.* non verò judex pœnam à se semel in sententia dictam revocat *L. 18. C. de Pœnis.* cum ipsius non sit pœnam mutare. Farinac. *Pr. Crim. qv. 17. n. 61.* Porrò qvoq; hic exemplum est, ubi pœniten- 5.
tia tollit pœnam, qvod contra *L. 65. ff. de furtis.* aliud exemplum est in *L. 3. C. de hæreticis* ubi liberi resipiscentes ab errore paterno parentibus possunt succedere, tanta est etenim DEI T. O. M. misericordia, & erga nos pietas, ut nos omni scelere coinqvinatos redeuntes tandem benignè excipiat, nam scriptum est *Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur, & vivat.* E. non qvi 6.
peccaverit; sed qvi in peccatis perseveraverit, odibilis & abominabilis Deo est. Augustinus *Sermone 58. de Tempore Tit. 10.*

CAP. XII.

Si qvis eam duxerit in uxorem, qvam constante matrimonio adulterio polluit.

Accusatus de adulterio, si à pœna absolvatur, postea 1.
verò cum eadem muliere turpiter conversetur, vel cum ea matrimonium contrahat, ejusmodi matrimonium non valet, & si auffugerit, omnis judex habet licentiam, & eum comprehendere, & post tormenta ultimis suppliciis subjicere, nullâ aliâ excusatione, aut probatione facienda, mulierem verò castigatam & detrusam monasterio immittere, ibiq; manere in omne propriæ vitæ tempus, qvoad bona verò observari dispositionem capitis præced. X.

Add. Hodie licitum est eam, quam quis vivente uxore 2.
suæ adulteriô polluit, post mortem uxoris matrimonio sibi jungere, modo 1. fidem de matrimonio post mortem conjugis adhuc viventis contrahendo sibi invicem non dederint *c. significavit 2. c. veniens 7. & c. fin. X. de eo qvi duxit in matrim.* oportet itaq; da- 3.
tam esse fidem, & intervenisse verum adulterium ante mortem conjugis, nam solum adulterium non obstat matrimonio contrahendo

3. trahendo *c. 6. X. eod.* Ideoq; si qvæ errore ducta cum alieno marito tanqvam cœlibe contraxerit, non prohibetur defunctâ uxore illius in novum matrimonium convenire, *c. 1. 7. X. eod.* secus si adulterium tantum intercesserit, nullô contractu matrimoniali aut sponsalitio admixtô. *c. 5. & 6. X. eod* & 2. alter alterius vitæ non
4. struxerit insidias, sic, ut ipsa machinatio mortis alterius conjugis suum sortita sit effectum; debet etiam uterq; ad eam concurrere saltem consiliô aut mandatô ad mortem cooperando, nam ratihabitio non sufficit, cum ad actum non concurrat. Zœs. *ad decr. de eo qvi duxit in uxorem*, sicut concurrunt consilium, jussio, vel auxilium. Alioqvin si nec consilium, nec jussio concurrat. (ut
5. qvia alter interficiens jam omninò fuerit determinatus ad interficiendum, nec consiliô animosior factus, aut mandatum antè occisionem revocatum,) hæc qvoqve non sufficiunt. Vallens. *eo*
6. *Tit. n. 1.* hisce duobus casibus exceptis Jus Canonicum, & mores hodierni hujusmodi matrimonium concedunt, imò B. Lutherus in libro *vom Ehelichen Leben P. 1. sub causa sexta Tom. 2. Altenburg.* exemplo Davidis, qvi Bathsebam, cum qva adulterium commiserat, ejusq; mariti Uriæ necem procuraverat, probat, nullum crimen matrimonium contrahendum impedire; Licet enim Deus adulterium & homicidium Davidi per Nathanem exprobrari fecerit, *2. Sam. 12.* matrimonium tamen ejus cum Bathseba contractum post pœnitentiam factam adeò non aversatus est, ut & filium ex eo natum Salomonem præ omnibus aliis filiis ex aliis matrimoniis natis dilexerit & successorem in Regno destinaverit. *1. Reg. 1. v. 11.* junctô *cap. 3. v. 6. 7.* vid. Bruckner. *Decis. Jur. matrimon. cap. 17. in fin.*

CAP. XIII.

De Pœnarum omnium moderatione.

1. I. QVia Imperatorem oportet humani generis infirmitatem protegere, corporales pœnas secundum aliqvas partes imminuendo, interdicit alterutras manus aut pedes abscindi, aut hujusmodi inferri supplicia,

ci, per qvæ articuli disſolvuntur, qvia membrorum disſo utio gravior eſt utriusq; manus abscisſione. Inde jubet siqvidem tale qvid delinqvatur, unde LL. mortem delinqventibus inferunt, eum juxta LL. virtutem ſuſtinere pænas. Qvod ſi tale fuerit crimen, qvod morte dignum non 2.
eſt, ipſe aut caſtigetur aut in exilium mittatur; ſi verò criminis qvalitas membri abſcisſionem fieri exigat, una ſolum manus abſcindatur. Sed pro furto non vult aliqvod membrum abſcindi, aut mori furem; ſed aliter eum caſtigari. Fures vocant, qvi occultè & ſine armis delinqvunt; qvi verò violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut ſine armis, in domibus, aut itineribus, aut in mari, eos pænis legalibus ſubdi jubet.

II. Ut & pœnæ pecuniariæ fiant mediocres, ſancit, 3.
eos, qvi in criminalibus accuſantur, in qvibus LL. mortem aut proſcriptionem definiunt, ſi convincantur, aut condemnentur, eorum bona judicibus aut ipſorum officiis non cedere lucro, nec fiſco applicari; ſed deſcendentibus aut aſcendentibus usq; ad tertium gradum relinqvi & mulieres condemnati dotem & donat. propter nuptias accipere; ſi nullam intulerit dotem, definitam à lege partem è bo- 4.
nis condemnati percepturas, ſive liberos habeant, ſive non, nullis verò prorſus hæredibus relictis, fiſco condemnati bona ſociari. In crimine Majeſtatis verò condemnatis veteres LL. ſervari jubet.

Addit. Qvandoqvidem juxta iſtud Saluſtii illis candida & 5.
læta omnia obtigerunt, qvi benignitate ac clementiâ imperium temperavere, nec gravisſime ſemper à civibus exegere ſupplicia; ſed tempus iræ dederunt, orbi qvietem, ſeculo pacem ſuo, ita & hic meritò Imperator humani generis protegit infirmitatem, & incognita vel prohibita ſupplicii genera in nocentes ſtatui vetat. Sunt verò alias nominatim ſupplicia vetita; *Ne qvis in crucem tol-* 6.
latur, qvod reverentia crucis ſalutiferæ conſtituiſſe Conſtantin. M. narrant in ejus vita Nicephorus & Aurelius Victor. *Ne qvis ſecuri*

6. *curi vel telo perimatur. L. 8. §. 1. ff. de pœnis.* Itaq; Caracalla, cum audivisset Papinianum securi percussum, in qvem animadverti jusserat, respondet; *Gladio te exeqvi oportuit jussum meum.* Sveton. *in Ner. Ne qvis fustibus aut virgis cadatur ad necem usq; L. 8. §. nec ea qvidem ff. de pœn.* cum priscis temporibus capitalis criminis damnati, ad palum delegati, ad necem cæderentur, mox securi ferirentur. *Ne qvis tormentis enecetur, neve pœna causa torqveatur d. l. 8. l. 7. ff. de qvæst. Ne qvis veneno perimatur d. l. 8. §. 1. ff. de pœnis.* aut *inedia l. 10. ff. de interd. & releg.* aut de saxo præcipitetur *L. 25. §. 1. ff. de pœnis.* qvæ proditorum & hostium publicorum olim pœna
7. fuit. vid. Anton. Matth. *de Crim. ad lib. 48. Tit. 18.* Licet autem pro furto membrum aliqvid abscindi non ordinet Imperator *h. l.* aliud tamen placuit Imperatori Carolo V. *Art. 159. Constit. Crimin.* ne tam facilè iterum ad furandum procedat, & in perjuro *Art. 108.* ne amplius pejeret. Tabor. *in Racemat. pag. 49.* licet tamen
8. neutrum pœnæ genus apud nos in usu sit; Positô tamen manus amputationis pœnam alicubi adhuc obtinere, ea solet reo abscindi, qvæ est debilior, & qva magis poterit carere. Julius Clarus
9. *lib. 5. Sentent. qv. 69. n. 4.* Qvando verò unam saltem reus manum habet, ea amputanda non est, licet Neapolitani contrarium statuerint. Thomas Grammaticus *Dec. 94. n. 1. 2. 3. 4.* qvin potius hæc pœna in aliam commutanda est, qvam qvoqve ut mitiorem sententiam probat Clarus *d. qvæst. 69. n. 5.* Covarruv. *variar. resolut. lib. 2. c. 9. n. 5.* Hartm. Pistor. *Obs. 188.* Pro illustratione pœnæ amputationis manus. Conf. Speckh. *Cent. 1. qv. Juris 86.* Adhæc solent
10. Doctores ad *h. Cap. ult. Nov.* qvæstionem tractare, *An præter crimen læsæ Majestatis, in qvo confiscatio bonorum obtinet. L. 5. C. ad L. Jul. Majest. C. 24. A. B. dentur casus aliqvot alii in qvibus confiscatio illa locum habeat?* Resp. Tractat hanc qvæstionem egregiè Antonius Matth. *de Crim. ad lib. 48. Tit. 18. cap. 2.* ut & Excell. Dn. Stryk. in
11. *Diss. de Dardanar. cap. 6. n. 7. & seqq.* Et sanè bonorum confiscationem non habere locum, nisi lex jubeat vel S. Princeps concludat Peregrinus *de Jure Fisci lib. 4. Tit. 1. n. 169.* qvia in pœnis strictissime proceditur, & regula illa locum habet: *Omissum habetur pro amisso.* Decius *Vol. 2. Consil. 56. n. 66.* Hincq; dicitur, judicem non posse contra dispositionem *Auth. bona damnatorum* publicare bona,

bona, & si aliter fiat, sententiam nullam esse. Dec. *Consil. 252. n. 5.* qvod hodierno jure regulariter bona non publicentur; sed certis personis reserventur, ac sententia bona publicans pro nulla debeat haberi. Peregr. *d. tit. 1. n. 4. 7.* Unde cum in Constitutio- 12.
ne Carolina *Art. pen. §. item an etzlichen Orten*, extra casum læsæ Majestatis confiscatio bonorum interdicta sit, ac contrarias consvetudines tanqvam corruptelas & irrationabiles absurditates & scandala foventes publica quemlibet Magistratum è judiciis eliminare, abrogare, ac æterna oblivione sepelire jubeat Carolus V. Imperator, imò etiam suâ autoritate illas abroget, annihilet, & aboleat, ne unqvam in usum redeant, dicendum seqvitur, nec status Imperii de novo confiscationes in casibus jure non expressis introducere posse, qva de re pluribus agit Besold. *P. 3. Cons. 93.*
Hinc sagarum convictarum & condemnatarum bona non con- 13.
fiscari, nec hæredibus adimi debere pluribus comprobat Besold. *Consil. 95.* & paulò ante laudatus Dn. Stryke *d. l. n. 20.* arripit sententiam Carpzovii tali facta qvæstionis propositæ decisione. *Confiscatio bonorum hodie in damnatis ad ultimum supplicium solô Crimine Majestatis excepto cessat, si cognati adsint, in aliis verò causis, ubi capitale non est supplicium, si expressa sit hæc pœna confiscationis adhuc hodiè obtinet.* Conf. Finckelth. *obs. 43. n. 21. & seqq.* & Brunneman. *cap. 2. dec. 43.* Secus verò in capitalibus, in qvibus abrogata con- 14.
fiscatio, sufficientissimè enim pœna exæqvasse delictum videtur, si morte huic satisfactum, ut ita bonorum publicatio faciliùs possit remitti, qvod tamen in crimine perduellionis singulari gaudet ratione vid. Dn. Stryk. *d. l.* In casibus verò ubi confiscatio de ju- 15.
re permittitur, in eam non veniunt *lucrum mariti dotale legitima liberorum*, item *bona alienare prohibita*, & *fideicommisso subjecta*. vid. Besold. *Consil. 95. & 153.* Et generaliter ea, qvæ nec transeunt in 16.
hæredem extraneum, nec transeunt in fiscum, vel ab eo vindicari possunt. Gail. *de P. P. lib. 2. c. 14. n. 3.* Clarus *in §. fin. qv. 87. num. 7.* Gometz. *Variar. Resolut. tom. 2. c. 15. Tit. de Servitut. n. 18.* Farinac. *lib. 1. tit. 3. qv. 25. n. 51.*

NOV. CXXXV.

Ne qvis cogatur bonis cedere.

CAP. I.

1. I. SAncit, ut nemini Magistratuum liceat rei causa necessitatem cessionis bonorum alicui eorum inferre, qvi propter pecunias publicas forte, aut etiam privatas conveniuntur, aut contumeliis aliqvot, ac prætextibus uti, perinde qvasi dum corporis supplicium ipsi remittitur, rerum suarum amissionem capessere potius maluerit, qvam cum inopiæ jugo ad mortem usqve premi opprobriô ignominiæ; jurare tamen debet, qvod aurum non habeat reliqvum, unde æris alieni faciat supplementum.

2. II. Creditoribus competit potestas vel ex hereditate, vel cognatorum donatione in rebus mobilibus, in qvarum possessione nondum constitutus est debitor, competere tamen ipsi videntur, vindicandi bona hujusmodi debitoris, vel exigendi nomina ejus, salvis tamen illis, qvæ ab uxore revera illata esse probabuntur.

3. *Add.* Ex plurium sententia hanc Nov. non esse authenticam, cum non reperiatur in autographo Græco tradit Eckholtz. *Comm. ad ff. de Cess. bonor. §. 3.* unde eam fidem non mereri dicit Bachov. *not. ad Wesenb. eod. N. 6.* neqve usu receptam, ut testatur Gudelin. *de Jure Nov. l. 4. c. 16.* posset tamen hoc justè introduci, ne Administrator pecuniæ publicæ; si fortè per casum ex furto violento subtracta, aut alio modo citra suam culpam ea ablata bonis cedere cogatur, & ignominioso vitæ jugo, & ignominiæ opprobrio se subdere, facti enim infamia communiter laborare dicuntur, *Nov. 4. c. 3. ibi: cum injuria, & affectu acerbô.* Quare in
4. religione judicis situm erit, perpendere causas, ob qvas qvis intendit, bonorum suorum cessionem facere, vel detentionem carceris meretur, nam casus repentini, vis major, incursus latronum
5. & cætera fortuita digna sunt, qvibus releventur debitores. Hinc est, qvod Imper. hic voluerit debitorem, qvi non suâ culpâ; sed fortunæ novercantis vitio in calamitatem & inopiam incidit liberari â carceris molestia & corporis cruciatibus, etiam sine miserabili auxiliô cessionis, modò juraverit, se non esse solvendo, qvid

qvid tamen ulterius hac in parte creditoribus concesserit Imperator satis patet ex *M. 2. h. C.* licet enim bonis ipse cedere coga- 6.
tur, non tamen ab obligatione, qva creditoribus tenebatur, liberatur debitor; sed cum ad meliorem fortunam reversus, ad satisfactionem est obstrictus, licet tamen eo casu, beneficium competentiæ indulserit Imperator *§. fin. I. de action.* inhumanum enim erat, spoliatum fortunis suis in solidum damnari inqvit *d. loc.*

NOVELLA CXXXVI.

De Argentariorum contractibus.

CAP. I.

Quomodo ab argentario debitores conveniendi.

SI Argentarii mutuam alicui pecuniam crediderint, & 1.
vel constitutæ pecuniæ reos, vel fidejussores, vel mandatores in eam rem acceperint, ordinem in conveniendo observare debent, nisi speciale pactum adjectū, ut creditori licentia sit, tam principalem debitorem, qvam mandatorem & fidejussorem, & constitutæ pecuniæ reum conveniendi, nam propter ingens studium, qvod ar- 2.
gentarii circa publicos contractus adhibent, ejusmodi pacta admittit, cum non videantur esse contra *Legem pen. C. de pactis dum unicuiq; integrum est, his, qvæ ipsi à lege data & concessa sunt, renunciare.* Proinde sicubi tale pactum fiat, 3.
licitum ipsis esto, tam principalem debitorem, qvam mandatorem & fidejussorem, atqve alias personas convenire.

Add. Argentarii erant, qvi olim mensam argentariam in foro vel tabernis publicis exercebant, publicâ in id autoritate con- 4.
stituti, ut non solum ipsimet pecunias suas alii fœnori darent, verum etiam tanqvam proxenetæ qvidam aliis pecuniam suam fœnerari volentibus operam præstarent, eamq; ob causam pecunia apud illos deponi solebat, ut eam fœnori exponerent. Et hoc 5.

 erat

erat illorum munus principale, qvod plerumq; obibant ipsi. vid.
6. Eckholtz. *Comm. ad ff. tit. de edendo §. 17.* qvamqvam autem fœminæ remotæ videbantur ab officio argentario, cum ea opera virilis sit *L. 12. ff. de edendo.* non tamen prohibentur per servum argentariam exercere, qvia mulieres removentur ab hujusmodi munere, non qvod sint respectu hujus actus incapaces; sed qvia convenire earum verecundiæ lex existimavit, ne personam suam in publicum exhibeant, *L. 29. C. ad L. Jul. de adult. c. 1. vers. de*
7. *vita & honest. Cleric.* Varia aliàs argentariis nomina fuerunt indita, qvæ recenset Calvinus *in Lexico Juris hac voce* vocantur etiam *Mensarii Mensularii*, Argentariæ mensæ exercitores, sive argenti Distractores, Cermatistæ, locutores sive collectarii, inprimis etiam nummularii, qvos ab argentariis re ipsa & effectu non differre tradunt Corasius, Hottomannus, & Sigonius *L. 2. de antiqvo jure civium Roman. c. 11. lib. 2. de A. I. qv. cas. 499.* ubi *n. 7.* hanc facit differentiam scil. argentarios magnos extitisse negotiatores, nummularios verò tenues, argentarios consvevisse suscipere custodiæ pecunias depositas, & qvidem ut plurimum sine fœnore; nummularios verò & sub fœnore recepisse, & pecuniam mutuo
8. dare consvevisse. Non verò dissimiles sunt argentariis *Collybistæ* qvi vendunt minuta æra pro alia pecunia scil. accepto collybo. Hos sive ars, sive usus longus tractandarum & permutandarum pecuniarum ita erudivit, ut auri, argenti, ærisve qvalitatem soli nosse existimentur probè. Qva de causa ad eos eunt freqventer qvasi peritissimos nummorum æstimatores, qvi de qvantitate nummorum ambigunt, ut qvanti sit nummus, aut solidus aliqvis, cujus auri, an probus, an subæratus, an ponderis æqvi, an lacuna aliqva sit in eo. vid. Besold. *Thes. Pr. voc. Wechsten.* & Finckelth. *Observ. 96.*

CAP. II.

Si argentarii pecuniâ militia emta.

1. Conceditur argentariæ mensæ præposito privilegium, ut si ipse militet, aut filios suos militare faciat, præsumatur

matur militia argentarii pecunia comparata, atq; exinde ipsi pignori obligata, ita, ut si aliunde non sit satisfactum, ex militia satisfactionem petere possit, nisi tamen filius probet, se ex bonis maternis, vel liberalitate Principis militiam comparasse.

CAP. III.

De Privilegiata argentariorum pecunia.

I. SI argentarii rem aliqvam mutuati sint, ad aliqvot 1.
mobilium, vel immobilium rerum emptionem, mutuata qvoq; pecunia res empta sit, ipsi habeant ea in re potiora jura, simulac ostenderint, pecuniis suis eam rem esse comparatam, nec debitores pecuniâ numeratâ satisfacere possint, pecuniis ejusmodi res empta perinde ipsis addicatur, qvasi revera ab ipsis argentariis emtio foret celebrata, & nuda emptoris appellatio fuisset apposita.

Ratio. Neqve enim justum est, ut qvi tam largiter 2.
pecunias suas profundunt, non item primum & extra omnem controversiam positum ordinem in rebus suâ pecuniâ comparatis teneant, modo in contractibus scripturâ interveniente celebratis aliqva hypothecæ facta sit mentio.

II. Qvod si contractus factus sit, aut fiat, nullâ scriptu- 3.
râ interveniente, ipsiqve vel pecuniam numeratam dederint, vel species aliqvot mundi fortè muliebris, aut argenti, qvod ob ejusmodi datur, venditurve, pro qvo tamen pretium nondum perceperint, liceat ipsis hæc tanqvam sua vindicare â qvocunqve possessore, etsi jus hypothecarum in iis non habeant.

Addit. Argentariis hic ferè idem privilegium qvod militi & 4.
pupillo concessum *L. 1. C. Si qvis sibi vel alteri* scil. ut res pecunia ejus emta sit ejus *L. 6. C. de R. V.* cum hac tamen declaratione à parte argen-

te argentariorum, modo sibi hypothecam in re emenda in contractu in scriptis reservaverint, alias dominium rei emtæ & traditæ non consequitur is, cujus pecunia res comparata; sed is, qui eam sibi emit, licet alienâ pecuniâ, cum & aliàs non unde originem habeat pecunia, attendi soleat, *l. 7. C. si cert. pet.* Inprimis
5. verò præferuntur in rebus pecuniâ sua comparatis creditoribus etiam antiqvioribus, *L. licet 7. C. qvi pot. in pign.* modò probent, rem pecuniâ suâ esse comparatam; & qvia ex singulari beneficio, ob publicum, qvod sustinent, officium argentarii id ipsis concessit, alii ejusmodi privilegium sibi frustra arrogant, ut v. gr. Venditor in re vendita, qvam & tradidit, & fidem de pretio habuit usuras accipiendo, si scil. emtor solvendo non sit *L. 5. §. 18. ff. de*
6. *bibit. act. l. 16. ff. de in rem verso.* Nam jure Civili nullus creditor regulariter alteri præfertur, nisi vel per legis, vel sui ipsius provisionem ipsi expressè præ aliis sit creditoribus cautum *arg. t. t. ff. in qvib. causis pignus vel. hyp. & t. t. C. qvi pot. in pign. qvod enim in lege non cavetur, in practica non cavetur,* ut post Baldum & alios
7. notat Hartm. *Pistor lib. 2. qv. 13. n. 36. in fin.* notat tamen Eberhard. Fabric. *Gailio Enucl. ad Obs. XV.* expresse ab Hassorum Principe GEORGIO dispositum & statutum esse, *im Land-Recht der ober Graffschafft Katzenelnbogen P. 2. tit. 6.* qvod etsi venditor fidem sit secutus, tamen in re vendita extante omnibus omninò creditoribus præferendus sit, per rationem, qvod vulgus apices juris negligere, neq; sibi de expressa hydotheca prospicere soleat, qvæ sanè constitutio omnem clementiam Clementissimi Principis redolet, cum aliàs jura non desidibus & dormientibus; sed sibi vigilantibus soleant esse scripta *L. 24. ff. qvæ infr. Creditor.*

CAP. IV.

De qvantitate usurarum Argentariorum.

1. Concedit Argentariis facultatem petendi usuras bessales, non solum ex stipulatione; sed absq; scripto.

2. *Ratio.* Nam qvi omnibus propemodum indigentibus opera ferre parati sunt, hos utiq: per hujusmodi minutias injuriam perpeti justum non est.

Addit.

Add. Mercatoribus & argentariis besſales uſuras i. e. 8. pro 3.
100. conceſſit Imperator hic & *L. eos 26. §. 1. C. de uſur.* ex ratione
hic addita. Cœterum apud nos hodiè multis in locis invicem, vel
loco menſarum argentariarum *der Wechſel-Bäncke*, ſunt *die Müntz-Städte*; Sic Auguſtæ vindelicorum qvotidianum eſt, qvi pecu- 4.
nia parata indiget, ſi habet vaſa argentea, armillas, catenus au-
reas, & ſimiles res, ut eas in ædes monetarias, vulgò *in die Müntz*
afferat, ac pro rebus allatis pretium condignum, vel in auro, vel 5.
in argento accipiat; ſunt enim multi, qvi conſultius eſſe putant,
ejusmodi res ſteriles vendere, qvam eas ſub uſuris ſemisſalibus
vel verſalibus pignori dari, qvô mediô & Reipubl. qvæ jus mo-
netam cudendi habet, proſpicitur, & ei, qvi parata pecunia opus
habet, ſubvenitur. Et ſic etiam Lubecæ ante 30. circiter annos 6.
obſervatum fuisſe memini. Propter hunc uſum verò, aliqvot 7.
Germaniæ Principes teſte Köppen. *dec. 59. n. 13.* in ditionibus ſuis
emptiones metallorum ſibi reſervarunt, vulgò *den Silber-Kauff: daß man kein Silber außer Land verkauffen darff; ſondern ſolches der Herrſchafft, oder in dero Müntz-Städt bringen muß*, qva de re ſcil. de 8.
auro & argento non exportando ſingulari cap. agit Klock. *de ærario lib. 2. c. 24.* & aliqvot exemplis cum Anglia, Moſcovia, Rusſia
& Gallia, ubi ejusmodi exportatio prohibita, demonſtrat. Et in 9.
omnī alia venditione auri & argenti jus illud Electorem Bran-
denb. ob defectum metallicarum fodinarum in ſuis ditionibus,
aliasq; ob cauſas & rationes ſibi asſerere, conſtat ex edicto die
9. Maji Anno 1598. publicato, & à Joachimo Scheplitz *Conſvetud. March. P. 4. Tit. 5. n. 6.* relato. Sicut & Duces Pomeraniæ illud 10.
jus ſibi ante 100. annos jam & qvod excedit vindicaſſe, manife-
ſtum fit ex Recesſu publicato *zu Wollin den 9. Martii Anno 1581.* his
verbis: *Ferner iſt vom Müntzwerck zu dem Ende gedacht worden, daß ein jeder ſein alt Silber oder Geld, ſo er zu verkauffen geſunnen, nicht außerhalb Landes bey Verluſt deſſelbigen verführen, ſondern jedes Orths auff das Rath-Hauß bringen ſoll, und haben unſre gehorſame Städte auff unſer gnädiges Begehren dem gantzen Vaterland zu Nutz und Beſten angenommen, ſolch Silber und Gold nach billigen Werth, üm was ſich unſer Wardein deßhalben mit ihnen zu bereden, und zu vergleichen, an ſich zu nehmen, und zu verlegen, und mit Gelegenheit gegen baarer Be-*

 zahlung

zahlung mit guter Reichs-Müntz an unsern Wardein, und andere Verordnete gegen Stettin zu fertigen. Da aber einer vom Land und aus Städten sein Silber selbst nach Stettin bringen wolte, soll es ihm hiemit unbenommen seyn, es sollen auch Burgermeister und Richter in allen unsern Städten solches den Ihrigen vermelden, und so viel an ihnen ist, darüber halten.

CAP. V.

De Hypotheca & usuris Argentario competentibus.

1. I. SI qvis publicum instrumentum confecerit, aut totum propria manu conscripserit, vel instrumentis, aut ratiociniis ab aliis conscriptis subscripserit, se debere argentario, omnibus modis tam ipse, qvam heredes ejus sunt obnoxii, hypothecam verò ea propter hic argentarius non habet, nisi expresse eam sibi reservaverit, aut ejusmodi qvid conscriptum, qvod intellectum qvendam hypothecæ afferat, scil. si sint verba æqvipollentia, sic enim præbet hypothecam Imperator, ne LL. in universum naturam perturbet, nec argentarii tolerabili defraudentur auxilio, usuras verò si pepigerint, pactæ præstentur.

2. II. Si scriptum fuit, qvod fœneratitium creditum extiterit, & de certis usuris aliqvid conventum fuisse probari non possit, bessales erunt solvendæ, qvasi expressis verbis essent nominatæ. In ratiociniis verò, qvæ jam sunt confecta, si nulla usurarum sit habita mentio, qvia tamen constat, qvod apud argentariæ mensæ præpositum contractus solum sub usuris ineatur, cum non possit, qvi ipse usuras deprehendit, sine usuris dare impendia.

3. *Addit.* Hypothecam in re aliqva nemo potest prætendere, nisi Lex eandem concesserit vel *expressè*, vel *tacitè*, hinc qvi ad emendum prædium mutuum dant, nulla constituta hypotheca, personali tantum fruuntur privilegio *l. 26. & l. 34. ff. de reb. Autor. jud.*

jud. Hartm. *Pist. P. 3. qv. 15. n. 13.* Idem se res habet cum argen- 4.
tario, qvi hypothecam non habet, nisi expressè sibi constituerit, vel ob justam causam consvetudo, statutum, vel etiam lex ex æqvitate & singulari ratione per æqvipollens eam subsistere faciat.
Illud qvoqve hic in argentariis singulare, ut eis ex nudo pacto 5.
vel conventione, imò etiam sine ea usuræ debeantur, cum non soleant, nec possint sine usuris mutuare, nisi damnum incurrere malint, idq; propter benè merita, & utilitatem ipsorum contra-
ctuum. Aliàs per *L. 31. ff. de Usur.* si usuræ indefinitè promissæ 6.
sint, stipulatio inutilis est, hic tamen in argentariis valet, modò non supra bessem sint stipulatæ, nec hodie solennis usurarum stipulatio necessaria, nam caritas refrixit, dum nemo sine usuris mutuare solet, hinc licet qvantitas usurarum non sit expressa, intelliguntur tamen solitæ & freqventatæ usuræ.

CAP. VI.

De Argentarii fide.

ARgentarius proferens ratiocinia à debitore subscripta, 1.
gravandus non est, ut singulas probet causas, ex qvibus obligatio contracta.

Ratio. Nam qvi propriâ manu vel scripsit, vel tradi- 2.
dit ratiocinia, qvomodo justum fuerit putare, ita dissolutum extitisse, ut qvæ data non essent, pro datis scriberet? Potest tamen argentario intra biennium juramentum deferri, à debitore pecuniam esse mutuatam, qvô præstitô numeratio est probata ab argentario.

Add. Et hic singulare qvid argentario conceditur, ut non te- 3.
neatur probare causam, in qvam contractum est, licet enim nulla debendi causa adsit in instrumento obligationis, debitor tamen ad refusionem tenetur contra *L. Generaliter 13. C. de N. N. Pec. & c. 14. X. de fide instrument.* nam officium ejus hanc pro se habet præ- 4.
sumptionem, qvod non temerè & in præjudicium publicum aliqvid admiserit, facit, qvod juramento à debitore delato intra biennium præstito sit liberatus.

NOV. CXXXVII.

De Ordinatione Episcoporum, & Clericorum.

CAPUT I.

1\. I. COnfirmat Imperator Canones de ordinatione clericorum disponentes, qvorum transgressores puniri vult, nam si illi, qvæ à laicis peccantur LL. generales extra inqvisitionem & vindictam manere non concedunt, non qvoqve patitur à Sanctis Apostolis & Patribus super omnium salute canonicè statuta despici.

2\. II. Dicit, multos ex eo maximè in peccata fuisse prolapsus, qvod non sint factæ Synodi Sanctissimorum Sacerdotum juxta ea, qvæ ab Apostolis & Patribus sunt definita; subjuncta ratione.

3\. III. Illud qvibusdam peccandi occasionem fuisse, qvod sine examinatione & rectæ fidei, atq; honestatis vitæ testimonio ordinati Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & cœteri clerici, qvod ratione & autoritate Gregorii Theologi confirmat.

4\. IV. De prohibitione Canonum, ne sacerdotes secundam ducant uxorem.

CAP. II.

1\. REpetit qvalitates personæ eligendæ in Episcopum ex *Nov. 123. Cap. 1.* & subjicit formulam juramenti ab Episcopo præstandam.

CAP. III.

1\. COncedit facultatem accusandi Episcopum ante ordinationem de vita anteacta, de qvo & agit *Nov. 123. Cap. 2. Nov. 6. Cap. 1. in fin.*

CAP. IV.

1\. INjungit Patriarchis & Episcopis, ut singulis annis Synodum habeant, & in illa accusationes contra personas clericorum examinent. *Nov. 123. c. 10.*

Cap.

CAP. V.

EXponit, coram qvo clerici ob delictum sint accusandi. vid. supra *Nov. 79.* 1.

CAP. VI.

JUbet, omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto; 1.
sed in ea voce, qvæ â fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem, & precationem, qvæ fit in sancto baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem & laudationem Dei & benedictionem efferantur. Adhæc in f. confirmat per præsentem Legem 2.
omnia â se diversis LL. sancita *de Episcopis*, *Presbyteris*, & *cæteris Clericis, Xenodochis*, & *Orphanotrophis*, & cœteris, qvicunq; venerabilibus locis præsunt.

NOV. CXXXVIII.

De usuris supra duplum non computandis.

DEsideratur hæc Nov. ab Haloandro; Idem tractat 1.
qvod *Nov. 121.* scil. Ne usuræ etiam particulariter solutæ ultra alterum tantum currant.

NOV. CXXXIX.

De indulgentia illicitarum contractarum nuptiarum.

HÆc Novella est localis & restricta ad incolas in ty- 1.
ro & syndios pago, ne cogantur dirimere matrimonia per incestum contracta, sic tamen, ut pro hujusmodi indulgentia singuli denas auri libras præbeant, & major illa pœna remittatur, & tam uxores, qvàm exinde natos jam tum & postea habeant successores, sic tamen, ne hoc in posterum trahatur in exemplum. Si qvis enim 2.
tale qvid petierit, non potietur, etiam facultates amittit,

NOV. CXXXVII.

De Ordinatione Episcoporum, & Clericorum.

CAPUT I.

1. I. COnfirmat Imperator Canones de ordinatione clericorum disponentes, qvorum transgresfores puniri vult, nam si illi, qvæ à laicis peccantur LL. generales extra inqvisitionem & vindictam manere non concedunt, non qvoqve patitur à Sanctis Apostolis & Patribus super omnium salute canonicè statuta despici.

2. II. Dicit, multos ex eo maximè in peccata fuisse prolapsus, qvod non sint factæ Synodi Sanctissimorum Sacerdotum juxta ea, qvæ ab Apostolis & Patribus sunt definita; subjuncta ratione.

3. III. Illud qvibusdam peccandi occasionem fuisse, qvod sine examinatione & rectæ fidei, atq; honestatis vitæ testimonio ordinati Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & cœteri clerici, qvod ratione & autoritate Gregorii Theologi confirmat.

4. IV. De prohibitione Canonum, ne sacerdotes secundam ducant uxorem.

CAP. II.

1. REpetit qvalitates personæ eligendæ in Episcopum ex *Nov. 123. Cap. 1.* & subjicit formulam juramenti ab Episcopo præstandam.

CAP. III.

1. COncedit facultatem accusandi Episcopum ante ordinationem de vita anteacta, de qvo & agit *Nov. 123. Cap. 2. Nov. 6. Cap. 1. in fin.*

CAP. IV.

1. INjungit Patriarchis & Episcopis, ut singulis annis Synodum habeant, & in illa accusationes contra personas clericorum examinent. *Nov. 123. c. 10.*

CAP. V.

EXponit, coram qvo clerici ob delictum sint accusandi. vid. supra *Nov. 79.* 1.

CAP. VI.

JUbet, omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto; 1.
sed in ea voce, qvæ â fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem, & precationem, qvæ fit in sancto baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem & laudationem Dei & benedictionem efferantur. Adhæc in f. confirmat per præsentem Legem 2.
omnia â se diversis LL. sancita *de Episcopis*, *Presbyteris*, *&* *cæteris Clericis, Xenodochis*, & *Orphanotrophis*, & cœteris, qvicunq; venerabilibus locis præsunt.

NOV. CXXXVIII.

De usuris supra duplum non computandis.

DEsideratur hæc Nov. ab Haloandro; Idem tractat 1.
qvod *Nov. 121.* scil. Ne usuræ etiam particulariter solutæ ultra alterum tantum currant.

NOV. CXXXIX.

De indulgentia illicitarum contractarum nuptiarum.

HÆc Novella est localis & restricta ad incolas in ty- 1.
ro & syndios pago, ne cogantur dirimere matrimonia per incestum contracta, sic tamen, ut pro hujusmodi indulgentia singuli denas auri libras præbeant, & major illa pœna remittatur, & tam uxores, qvâm exinde natos jam tum & postea habeant successores, sic tamen, ne hoc in posterum trahatur in exemplum. Si qvis enim 2.
tale qvid petierit, non potietur, etiam facultates amittit,

atq; insuper corporalibus exceptus pœnis, perpetuum incolet exilium. Nemo qvoqve illis, qvi tali jam sunt dignati indulgentia, aut eorum uxoribus existentibus vel futuris filiis aut bonis, sive ex judiciaria sententia, sive alio qvocunqve modô inqvietudinem inferat.

3. *Ampl.* Incestæ nuptiæ (qvæ ideò sic appellantur, qvasi in his minimè adsit cestus i. e. cingulum illud, qvo Venus utebatur ad honestas nuptias Beust. *de matrim. N. 5.*) propriè dicuntur, qvæ inter collaterales consangvineos in primo & secundo gradu lineæ inæqvalis contrahuntur, ut si qvis ducat matris sororem Beust. *de matrim. N. 59.* qvalis gradus & divino & humano jure est prohibitus *Levit. 18. §. fratres verò I. de Nupt.* Idem juris est inter personas ratione affinitatis in primo & secundo gradu affinitatis invicem conjunctas, ut est socrus, privignus, nurus, noverca
4. uxor Patrui *L. ab incestis C. de incest. Nupt.* hisce, ut tunc temporis probabiliter Ethnicis singularem gratiam concedit, dum matrimonia eorum non rescindit, & ex illis natos liberos successores facit, sic tamen, ne hoc in posterum trahatur in exemplum, ut adeò constet, multa jam facta tolerari, qvæ aliàs non licita, nec rectè conceduntur, exempla de conjugio cum fratris vidua jam
5. consummato & de conjugio cum patrui vidua item consummato, & judicia Theologorum de iis vide apud Brucknerum *decis.*
6. *matrim. P. 1. c. 5. ad N. 56. & 60. Optimum est de hujusmodi matrimonio* inqvit D. Jonæ, *non movere, non agitare bene conditum nodum; sed tamen similia exempla sunt posthac neqvaqvam admittenda, ut ex præsentis incommodi experientia accuratius prospiciatur talibus rebus inposterum, & ut factum infectum reddi neqveat, effici tamen potest qvadam prudentiâ, ut*
7. *qvod non benè factum est minus malè factum esse videatur.* Aliud exemplum ubi qvis ex matre sua suscepit filiam, qvam, & postmodum ignorans filiam & sororem suam esse duxit in matrimonium, qvod ob causas aliqvot & circumstantias non fuit rescissum, refert Dn.
8. Bechmannus *Theolog. Consc. Sect. 3. tit. 1. cas. 4. §. 18.* Ad exemplum Imperatoris verò hic in prohibito gradu dispensantis, etiam hodie A. C. Principes jus dispensandi de gradibus prohibitis tanti faciunt, ut id per expressum Consistoriis adimant idqve sibi solis arrogent, qvod inprimis in Saxonia observatur juxta Constitut.
Electo-

Electoralem Ecclesiasticam *Tit. von beyden Consistorien c. 8. §. fin. ibi. Wann auch in Ehsachen bey den Consistorien umb dispensation angesuchet würde, sollen sich die Consistoriales derselben nicht bemächtigen; sondern solches jederzeit an uns gelangen lassen, und unsers fernern Bescheides darauff gewarten.* vid. Anton. Faber *de relig. regenda lib. 2. c. 8. & 9.* Jure qvoqve exegit Imperator pecuniariam pœnam, qvi talia ma- 9.
trimonia contraxerunt, qvòd & hodie adhuc observatur; dispensatio enim absq; mulcta non conceditur, daturq; non tanqvam præmium aliqvod; sed tanqvam pœna seu mulcta dispensationem petentis, qvod se vinculo Legis ordinario subtrahat Carpz. *Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 125. n. 9.* Sicut verò à LL. temerè rece- 10.
dendum non est, sic nec sine causa probabili prohibitionis earū relaxationem & dispensationem facit Princeps, qvod & prudenter svadet Mev. *P. 8. decis. 151.* vid. Carpzov. *c. l. def. 124.* vid. suprà *Nov. 12. c. 1.*

NOV. CXL.

Ut consensu Matrimonium solvi possit.

HÆc Novella non est Justiniani Imperatoris; sed Justini II. 1.
qvi Justiniani filius adoptivus fuit, qvi licet in Præfat. dicat, nihil in rebus mortalibus perinde venerandum esse atq; matrimonium, qvippe ex qvo liberi, omnisq; deinceps sobolis series existit, qvod regiones atq; civitates freqventes reddit, unde deniq; optimæ Reipubl. coagmentatio fit, concedit tamen hac ipsâ 2.
Constitutione conjugibus facultatem mutuô dissensu matrimonium dissolvendi citra ullam pœnam, & sic corrigit *Nov. 117. cap. 10.*
Qvod sanè non est venerari matrimonium, si violento forte affe- 3.
ctu odioq; correpti fuerint, ut reconciliatio difficilis sit, statim qvoad vinculum dissolvere matrimonium, qvin si ad mutuas insidias procedant, venenisq; & aliis qvibusdam, qvæ lethalia sunt utantur, ut in unam voluntatem conjungi non possint, separatio potius qvoad torum & mensam instituenda, potest enim DEUS T. O. Max. voluntates & animos iterum conjungere, Asmodæum fugare, & irruptam copulam feliciter conservare. Ergo mo- 4.
ribus

ribus hæc Nov. meritò reprobatur, nam si ne qvidem sponsalia publica mutuo dissensu dissolvuntur; sed desponsatæ personæ compelluntur, ut per benedictionem sacerdotalem seu nuptias matrimonium perficiant, & consumment, multò minùs si conjugium jam tum (ut hodiè moris est) per benedictionem sacerdotalem consummatum est, qvod divini & humani juris est consociatio. vid. Carpz. *Jurpr. Eccles. Tit. de divort.*

NOV. CXLI.

De his qvi luxuriantur contra naturam.

PRÆFATIO.

1. CUm semper omnes DEI benignitate ac bonitate indigeamus, tum verò maximè hoc tempore dum propter peccatorum nostrorum multitudinem variis ipsum modis ad iracundiam provocamus. Et qvanqvã minitatus est, & clarè ostendit, qvibus secundum peccata nostra digni essemus, clementer tamen nobiscum egit, iramq; suam in aliud tempus rejecit, nostram expectans pœnitentiam, ut qvi nolit mortem nostram peccatorum;
2. sed conversionem & vitam. Qvapropter justum non est, ut omnes opulentiam bonitatis, tolerantiæ, & longanimitatis benigni Dei contemnamus, ne in obduratum & pœnitentiam refugiens cor nostrum iram nobis in die iræ accumulemus; sed cum omnes improbis studiis & actionibus abstineamus, tum verò maximè illis, qvi abominabilia illa, & meritò Deo exosâ atq; impia actione compu-
3. truerunt; Loqvitur autem de stupro masculorum, qvod nonnulli mares sacrilegô & impiô ausu præsumunt, cum masculis perpetrantes turpitudinem.

CAP. I.

1. ULterius pergit Imperator dehortari ab hoc detestando crimine & ad pœnitentiam hortatur, qvippe rectè di-

ctè dicente Matth. Stephan. *ad h. Novell.* magis concionatorem & hortatorem, qvam punitorem, & Legislatorem dignitamen verba sunt, ut integra perlegantur, qvem in finem totam præfationem & hic transcribere placuit.

Addit. Sodomiam triplici modo committi communiter do- 2.
cent Ddres. 1. Si qvis Venerem exerceat cum animantibus brutis, 3.
qvod crimen omnium est atrocissimum, & horribilissimum, ob qvem in commistione furorem supplicium intulit Deus, ut loqvitur hic in Cap. 1. Imperator, ut in hunc usq; diem terra Sodoma igni conflagret inextingvibili. vid. Menoch. *de A. J. qv. cas. 286. n. 60. C. Crim. Art. 116.* & ibi Matth. Steph. Gudelin. *de jure noviss. lib. 5. c. 18.* 2. Si qvis venere abutitur cum hominibus *L. cum vir nu-* 4.
bit. 31. C. ad L. Jul. de adult. ut vir cum puero, prout de Nerone refert Sveton. *in ejus vita*, qvod Sporum puerum qvendam exsectis membris virilibus in muliebrem naturam transfiguraverit, ac pro uxore habuerit, vel si fœmina cum fœmina detestandum hoc crimen exerceat, qvale satius est ignorare, qvam hic docere, obscurum id non fuisse videtur Martiali dum in Epigrammatibus suis dicit:

Miraris monstrum Thebanô ænigmate dignum,
Hic ubi vir non est, ut sit adulterium?

Crimen hoc ex *C. Crim. A. 116.* igne, jure divino, morte *Levit. 20.* 5.
v. 13. Saxonico capitis amputatione punitur. Carpzov. *Proc. Crim. qv. 76. n. 15. seqq.* qvo cum convenit jus Civile *§. 4. Inst. de publ. jud.* vid. Rittershus. *ad Nov. P. 12. C. 9. n. 1. & seqq.* Peretz. *C. Tit. ad L. Jul. de adult. n. 54. & seqv.* 3. Qvando qvis Venerea secum 6.
secreto exercet, qvam speciem Sodomiæ *Mastuprationem* vocant, & relegatione, aliave pœnâ extraordinaria puniendam, docent Menoch. *de A. J. qv. casu 286.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 49. th. 43.* licet hoc crimen morte puniendum videri posset, tum ex *Gen. cap. 38. v. 9. & 10.* vid. *judic. 19.* & Anton. Matth. *de Crimin. lib. 48. Tit. 3. cap. 6. n. 8.*

NOV. CXLII.

De his qvi Eunuchos faciunt.

CAP. I.

De Pœna castrantium.

1. QVi hominem castraverit, si castrator masculus, pœnâ talionis afficiendus insuperq; bonis confiscatis in insulam Gypsum mittatur, ubi locorum per omne vitæ suæ tempus esse debet.
2. Si fœmina hoc fecerit, itidem bonis confiscatis in exilium mittatur. Eadem pœna dictatur illis, qvi id facere mandaverint, sive viri sint, sive mulieres, si vel homines ad castrandum obtulerint, aut etiam domos, vel locum aliqvem ad hoc præbuerint, aut præbent, utpote qvi injustè hujus actionis testes facti sunt.

3. *Addit.* De Jure Codicis *L. 1. C. de Eunuch.* faciens qvem Eunuchum, punitur capite, & tam servus, qvam locus confiscatur, ubi sciente Domino loci factus est Eunuchus, ex qvo seqvitur, pro homicida eum habendum *L. 4. §. fin. & L. seq. ff. ad L. Corn. de Sic.* Sed jure *Nov. c. 1.* pœna talionis reus efficitur, & juxta *c. 2.* hic castratus servus libertatem conseqvitur. Cœterum illa talionis pœna justitiæ distributivæ consentanea non est, non enim si Romæ retaliationem redimere licuit, idcircò in universum talio justa esse potest in iis, qvi alteri membrum ruperunt, qvod argumentum pluribus eruditè tradit Anton. Matth. *de Crimin. lib. 47.*
4. *Tit. 4. c. 1. n. 2.* Inde licet hæc talionis pœna â natura originem suam habeat, juxta Cicer. *lib. 2. de Invent. c. 5.* nec non ab ipso Deo sancita & populo Judaico præscripta sit, *Deut. 19, 21.* illam tamen nostris in Rebuspubl. meritò non observari; sed aliam in ejus locum institutam non inscitè qvis dixerit, indubitata siqvidem est juris regula, inter delictum & pœnam proportionem ejusmodi intercedere debere, ut pœna non sit gravior delicto, nec delictum sit gravius pœnâ. *L. 11. 16. ff. de pœnis. L. 11. §. 12. in f. ff. ad*
5. *L. Jul. de adulter.* Interea mortis pœna castratori dictata injusta non est, cum ex nonaginta illorum qvi spadones fiunt, vix tres mortem effugiant, & ob hanc causam putat Perez. *C. de Eunuch. n. 3.* Imperatorem Justinianum permotum fuisse, ut hanc Constit. ederet.

ederet. Si qvis autem consenserit castrationi, dignus est pœna 6.
capitali, cum liber homo non sit dominus membrorum suorum *L. 13. ff. ad L. Aqvil.* & non nobis saltem; sed & patriæ nati sumus, cujus officiis se indignos reddunt, hinc testatur Peretz. *d. l. n. 4.* Alexandrum Imperatorem eos, nec in consiliis, nec in ministeriis adhibuisse, Julianum eos palatio expulisse, omnibusq; honoribus privasse.

CAP. II.

De servis castratis.

I. HI sint liberi, neq; ullô modô aut qvovis genere 1.
contractus in servitutem retrahantur, nec item instrumentum de ipsis vel publicum, vel privatâ manu conscriptum, qvocunqve tandem modô aut per fraudem factum, aut fiendum valeat.

II. Si usu veniat, ut servus propter morbum castre- 2.
tur libertatem debet nancisci, neq; unqvam in servitutem retrahi.

III. Si qvi eorum post præsentem hanc Legem ali- 3.
qvos apud se castratos detinere præsumserint, his secundum libertatem dentur vindiciæ, & libertas ex præsente Lege ipsis largita conservetur.

Addit. Ex qvo servi sic semel per injuriam corporis liberta- 4.
tem semel adepti, eam inviolabiliter retineant, nec in servitutem retrahantur, multò minus commercium cum iis turpe exerceatur; sicut enim ipsa castratio rectæ rationi repugnat, cum primariæ intentioni naturæ adversetur, qvæ in singulis individuis collimat ad conservationem humani generis, ita ipsum commercium Eunuchorum moralem continet turpitudinem, qvatenus negociator aliqvis non tantum emit, venditq; Eunuchos; sed & facere solet; Hoc enim factum, inqvit Dn. Textor *Synopsi Juris Gent. c. 13. n. 21.* directè tendit contra naturam, negotiatio ipsa verò tantum in conseqventiam, sive qvatenus turpitudo facti ex ea re fovetur; Nam si non essent, qvi pretio compararent Eunuchos, & venderent, forte etiam non forent, qvi facerent.

NOVELLA CXLIII.

De Muliere raptum passa.

1. REpetit hic Imperator & confirmat pœnas raptoribꝰ jam tum in *L. un. C. de Raptu Virg.* dictatas, & in specie vult, matrimonium inter raptorem & raptam non subsistere, licet Parentes consenserint, illis enim consentientibus deportatio in ipsorum persona locum habet.
2. Insuper explicat *L. unic. C.* raptoris substantiam raptæ non applicari, si raptori nupserit, & definit, raptæ ex bonis raptoris nihil hoc casu neqve beneficio Legis, neq; ex testamento conseqvi; sed raptoris bona vel parentibus, qvi in matrimonium non consenserunt, applicari, vel si consenserint, confiscari.

3. *Addit.* Sat graves pœnas constituit Imperator Justin. *in d. l. un. & tr. Nov.* raptoribus virginum fœminarum, & viduarum honestarum, maximè autem si viduæ, & Deo dicatæ virgines vestales vi & dolo malo rapiantur, qvod tantum facinus non solum ad injuriam hominis; sed etiam ad Omnipotentis DEI irreverentiam cedere censeatur, cum virginitas corrupta restitui non possit, nedum ab Imperatore; sed nec ab ipso DEO *Ddr. ad*
4. *dictam legem un. C.* Inprimis autem hic reqviritur, ut *libidinis* causa sit factus, Ergo si qvis vetulam, rugosam & detestabilem anum abducat, in qvam regulariter libidinis suspicio non cadit, nemo facilè rapuisse dicitur. *v. C. Crim. A. 118.* Ulterius & reqviritur, ut *invita* abducatur, nam si consentit in abductionem, raptus qvidem committitur de Jure Civili; sed non de Jure Canonico, secundum qvod raptor dici non debet, qvi habuit mulieris consensum *c. pen. X. de Raptor.* Nec qvoqve hic refertur
5. sponsus sponsam rapiens, *c. 6. X. eod.* eo qvod sponsus ex desponsatione aliqvid juris in sponsam habeat, *d. c.* de Jure Civili tamen ob *d. l. unic. C.* raptor dicitur, verb. *qvibus etiam connume-*
6. *ramus eum, qvi saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.* Qvia verò Jure Canonico matrimonium inter raptum & raptam concessum, *cap. ult. & pen. X. de raptor.* cui & in terris Imperii standum

dum esse refert Carpzov. *Pr. Crim. P. 2. qv. 75. n. 68. L. un. C.* qvæ itidem Justiniani Imperatoris prout hæc Novella est, vix hodie usum inveniet. Si tamen nolit nubere raptori rapta capitale sup- 7.
plicium locum habere dubium non est, qvod & locum habet in fœminis pueros vel viros rapientibus. vid. Crusius *P. 2. de Judic. delict. generalibus. c. 15.*

NOV. CXLIV.

De Samaritanis.

PRÆFATIO.

UT impiam Samaritanorum hæresin, & omni ratio- 1.
ne carentem eorum vesaniam ad meliorem frugem perduceret, nec non ipsorum animas, qvo detinentur morbo liberaret Imperator, sæpè numero tam ipsius pater pientissimus Princeps, qvàm ipse studio habuit. Non 2.
tamen potuit id, in qvod longô studiô incubuit, effectui tradere. Evaserunt enim in tantam nonnulli eorum vesaniam, ut vel salutari baptismo dignati, denuò ad id mali, unde discesserunt, redierint & eadem cum Samaritanis habere in pretio, eodem cum ipsis agitati furore dignoscantur. Ergò.

CAPUT I.

Adimit Samaritanis beneficia juris supra concessa.

SAncit, ut ipsi neq; ex testamenti tabulis, nec absq; iis 1.
heredes fiant, legatave capiant, aut donationis titulo rem aliqvam nanciscantur, imò nec ad hereditatem ab intestato vocati, successionem habeant; item nec testamenta conscribant, nec legata relinqvant, aut donent, nisi qvi ea percepturi sunt, & rectè de fide sentiant, & fideles sint in operibus; Qvorum si nemo sit, post ipsorum mor- 2.
tem eorum bona acqvirit fiscus. Ergò qvæcunq; Justi-

nianus Pater ipsis Samaritanis concesserat in *Nov. 129.* beneficia, eadem filius Justinus hic iterum adimit, neminem autem alium se accusare posse dicit, qvàm se ipsos cum à benignitate DEI & SERVATORIS Nostri JESU CHRISTI alieni sint, liberalitates autem ab Imperatoria Majestate ipsis olim concessas amittunt in hoc, ut ad meliorem mentem redeant, non ut perpetuò in perversa hac opinione sua permaneant.

3. *Add.* Indignos judicat Imperator Justinus Samaritanos privilegiis & beneficiis juris hactenus à patre pientissimæ memoriæ concessis, nam si in profanis amittitur privilegium per contraventionem, sive per actum, qvem privilegiatus directè facit contra privilegium sibi concessum, cum hoc ipso censeatur privilegio tacitè renunciare velle, Menoch. *de præsumpt. lib. 6. 41. num. 3.* Felin. *ad C. cum accessissent n. 28. X. de Constitut.* licet unius saltem actus fuerit Gail. *lib. 2. Obs. 60. n. 10.* Anton. Burgos *in repet. d. C. cum accessissent n. 300. X. de Constitut.* Rauchb. *P. 2. qv. 11. num. 97.*
4. *& seqq.* Multò magis ille, qvi intuitu salutis æternæ beneficium accepit, ut magis magisq; hanc promoveret, privabitur beneficiis juris antea indultis, nam qvi ad sacri baptismatis undam voluntarii accesserunt, nec veterem hominem omninò exûunt, ut novo perfectius induantur, Christianæ sanè religionis decorum ejusmodi commixtione confundunt, & deteriores evadunt, qvàm ante fuerunt, cum minus malum existat, viam Domini non agnoscere, qvam post agnitam retroire *C. 4. X. de Apostatis.* Huc qvadrat elegans simile Chrysostomi *in C. 7. Matth. homil. 20.* Sicut
5. domus, qvæ validum habet fundamentum, si pars aliqva parietis vel tecti ceciderit, ruina ejus magna non est, qvia potest fieri, ut iterum reparetur, si autem fundamentum ejus casum fuit passum, tunc est ruina ejus magna, qvia tota venit deorsum. Sic & Christianus, si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidium fecerit, cecidit qvidem, ruina tamen ejus magna non est, qvia pœnitentià iterum potest surgere, sicut David: Si autem de fundamento fidei aliqvid fuerit passus, i. e. si prævaricatus fuerit, mox à Christianismo & ad Gentiles, aut hæreticos transierit, tunc est ruina ejus magna, qvia totus funditus ruit. Memora-

morabile hujus rei exemplum invenire eſt in vetere hiſtoria Ec- 6.
cleſiaſtica in Eubolio Sophiſta & Rhetore Conſtantinopolitano, qvi ad genium Imperatorum ſuorum actu inqvirentium ſe accommodabat, hi ſi erant Chriſtiani, etiam pro Chriſtiano ſe venditabat, Ethnicis autem exiſtentibus, & ipſe Ethnicismum profitebatur, tandem autem, cum jam tum res conclamata cum ipſo foret, ante templi fores ſe prætereuntibus in dorſo procumbentem ſe conſpiciendum præbuit, ſonora voce clamantem: *Me qvaſi ſalem inſipidum pedibus conculcate.* Socrates *Hiſtoria Eccleſ. lib. 3. cap. 2.*

CAP. II

Qvosnam hic excipiat à Lege Imperator.

I. SCilicet excipit ruſticos, qvi Samaritanorum opinio- 1.
nibus honorem habent, idq; non ipſorum gratiâ; ſed propter conſtitutionem prædiorum, qvæ ab ipſis coluntur, propterq; reditus & tributa, qvæ exinde inferuntur publico, & *qvod ruſticitate ſæpè ſeducantur.* Hiſce enim 2.
permisſum eſt, tam aſcendentes, qvam deſcendentes, & extransverſo cognatos ſuos heredes, legatariosve ſcribere, licet Samaritanorum errore detineantur; ut tamen fundos rectè colant, qvo magis & uberior exinde proventus ad prædiorum dominos deferatur, & per ipſos ad fiſcum. Sed & ſine teſtamentis prædicti alter ad alterius hereditatem pervenient propter eandem cauſam.

II. Qvod ſi nemo horum inveniatur, prædii ruſti- 3.
cus in qvo dominus defunctus eſt, ab illo relicta capiat, & fiſci locum teneat, utpote qvi & pro illo publicis ſatisfacit tributis.

III. Samaritanum omninò neq; militiam capesſere 4.
concedit, neq; ad civilem adminiſtrationem accedere, neq; poſtulare in judicio, neqve poſtremo in conſortium diſertisſimorum Rhetorum asſumi, neqve adoleſcentes inſtituere. IV. Si

5. IV. Si qvi ex iis salutari dignati baptismo, ad pristinum denuò errorem reversi, observare sabbatha sua, aut etiam alia qvædam agere videantur, eos proscribi jubet, & in perpetuum tradi exilium, qvali qvoqve pœnæ subdit, qvi contra rectam Christianorum fidem impium ipsis patrocinium præstiterunt.

6. V. Ad incontaminatum accurrentes baptisma non temerè suscipiantur; sed cum qvadam observatione & instructione, qvæ initiationis tempore fieri solet, scilicet, ut qvi omninò sensu aliqvo bonæ doctrinæ tangi possunt, per duos primùm annos in fide instituantur, & pro viribus Scripturas ediscant. Sed pueros admodum, qvi per ætatem doctrinas intelligere neqveunt, etiam absq; hac observatione sacro dignari baptismate admittit.

7. VI. Nullus Samaritanus Christianum habebit mancipium; sed simul atq; emtum fuerit, protinus in libertatem rapiatur. Qvod si mancipium æqvè perversa opinione, ut ipse dominus fuerit, licitum ei esto, si Christianorum de fide sententiam exosculetur, illicò & Romana ipsum libertate potiri.

8. *Addit.* Licet præ cœteris rusticum hominum genus simplicitate gaudeat, ob qvam rem multa qvoq; ipsi privilegia sunt concessa, de qvibus passim Ddres. vid. Menoch. *lib. 2. A. J. qv. casu 194.* vafrum tamen astutum, & malitiosum, à qvo ut vulgò dicitur, caritas annonæ promanat, dum fructus suos nimis carè vendit, & annonam flagellat. vid. Gryph. *Oeconom. leg. lib. 1. C. 24.* laboriosum verò & interea est, qvodq; inprimis maledictio divina offendit, *in sudore vultus tui panem comedes*, à qvo & multa & varia in cœteros homines sive Nobiles, sive cives commoda proveniunt. Hoc igitur in præsente Cap. genus Imperator in specie excipit, & Civibus Romanis indulta jura relinqvit, modo fundos rectè colant, & uberior exinde proventus ad prædiorum dominos & fiscum deferatur.

9. Benè verò & Christianè prohibet Imperator non temerè Samaritas admitti, ad baptisma & fidem Christianam, nisi prima Religionis

ligionis Christianæ clementia fuerint tradita, nam ut refert B. Dn. Dieterici *in Institut. Catechet. qv. 1.* Solebant sacerdotes in primitiva Ecclesia iis, qvi baptismate initiandi erant, fidei Christianæ mysteria ac prima religionis fundamenta non scriptis commendare; sed in certas qvæstiones ac responsiones digesta, vivâ voce exponere, explicare, examinare, & à rudioribus vivâ voce reciprocè, qvasi sono reflexo rursus exigere, qvem modum in Ecclesiis nostris in informanda juventute tenera, & perducendis infidelibus ad Christum hodie utiliter imitamur, & omnibus votis optandum esset, ut doctrina Catechetica majore ardore & studio inprimis cum Senioribus traderetur, qvi sæpenumero in salvifica fide rudiores, qvàm 7. annorum infantes. 10.

11. Memoratu digna verba sunt B. Dn. Lutheri quæ habet *in den Tisch-Reden C. 5. p. 34. b.* quæ hic referre placet: *Mein Rath ist, daß man nicht disputire von heimlichen verborgenen Dingen; sondern einfältig bleibe in Gottes Wort, fürnehmlich im Catechismo. Denn in selben habt ihr einen sehr feinen richtigen kurtzen Weg der gantzen Christlichen Religion, und die vornehmsten Haupt-Articul kurtz verfasset. Denn die zehen Gebot hat GOtt selber gegeben, Christus hat das Vater Unser gestellet, und gelehret; Der Heilige Geist hat die Articul des Glaubens aufs allerkürtzeste und richtigste gefasset und begriffen. Diese drey Stücke sint also gestellt, daß sie nicht könten feiner, tröstlicher und kürtzer gestellet werden. Aber man veracht's als schlecht geringe Ding, weil es die Kinderlein täglich auffsagen, und erzehlen müssen.*

12. Quæ de mancipio Christiano à Judæis non habendo hic subjungit, eadem quoq; Imperatores Honorius & Theodosius ordinarunt in *L. un. C. Ne Christianum mancipium hæreticus vel Judæus habeat vel possideat*, aliud verò est in adscriptitio Christiano, quem Judæus habere potest, quia fundo, non Judæo servit. *c. 2. X. de Judæis.*

NOV. CXLV.

De Duce vis arcendæ.

1. OLim Biocolythæ seu latronum insectatores erant constituti in Phrygia, qvi cum sub prætextu officii sæpius tumultus excitarent, & innocentes raperent, hoc officium abrogavit Imperator, & judicibus Provincia-

rum injungit, ut ipsi per suos ministros conqvirant facinorosos.

2. *Addit*. Ante Justinianum Imperat. & ejus Novellas usu receptum erat, ut in Provinciis homines facinorosi non per ipsos judices inqvirerentur, & ad supplicia raperentur; sed per alios latronum insecutores vel latrunculatores item per *βιοκωλύτας*, qvos vetus interpres vertit *violentiæ inhibitores*, qvi scilicet ad vim, impressionem, ac deprædationes arcendas mittebantur, qvem morem tanqvam Reipubl. perniciosum sustulit, Justinianus Imperator *Nov. 8. c. 13. & N 128. c. 1.* quod nimis graves essent hominib9 Provincialibus, dum ab eis extorqvent hospitia; & alia multa, ubi sancit, ut judices ipsi *per se* reqvirant reos, suppliciis afficiant legitimis, cum ipsorum religio ac diligentia omnibus istiusmodi curis sufficere possit, qvorum etiam jurisdictionem in talibus causis nemo potest declinare. Cujac. *ad Nov. 8. circa f.*

NOV. CXLVI.

Ut liceat Hebræis seu Judæis secundum traditam Legem sacras scripturas latinè vel græcè, vel aliâ linguâ legere.

CAPUT I.

1. Concedit Imp. Judæis volentibus, ut S. Scripturam, non tantum in lingva hebraica; sed & græca & latina in Synagogis suis legere possint, ut tamen, qvi per græcam legunt, septuaginta interpretum versione utantur, qvæ omnibus certior est, & præ aliis melior judicata, licet enim diversa interpretentur loca, unam tamen tradiderunt omnes compositionem.

2. §. 1. Licentiam qvoq; concedit Imperator, versione Græca Aqvilæ interpretis uti, licet enim diversæ nationis fuerit, nec competentem in aliqvibus sermonibus habeat cum 70, interpretatione dissonantiam. Secundam verò

verò editionem interdicit omnimodo, utpote sacris libris non conjunctam, neq; desuper traditam de Prophetis; sed inventionem constitutam virorum ex sola loqventium 2.
terra, divinum verò in se habentium nihil. Deniq; pro- 3.
hibet, ne Archipherecitæ aut Presbyteri judæorum perinoeis vel commentis aliqvot utiliter sancita prohibeant, idqve sub pœna castigationis corporis & privationis facultatum.

Addit. Anno M. 4131. post Nativitatem Salvatoris 182. 4.
duas versiones & interpretationes Bibliorum Docti habuerunt, ut 70. interpretum, & Aqvilæ. De hoc tradit Gothofr. *in notis ad h. c.* eum ex Græco Christianum factum, cum verò Astronomiæ curiosis qvæstionibus plus æqvo esset deditus, ejectus Ecclesia transiit ad judæos, utq; Christianis noceret, cœpit 70. interpretationem & testimonia de Christo in scripturis probata corrumpere. Hisce accessit tertia versio, nempe Theodotionis, qvi hæreticus & discipulus Tatiani fuerat, qviq; postea ad Marcionitas & deniqve ad Judæorum falsa dogmata transiit, apud qvos lingvam Hebraicam addidicit. vid. Calvisii *Chronicon p. 356. a.* Hosce verò 70. 5.
Interpretes primus omnium correxit & emendavit S. Hieronymus, & postea ex fonte Hebraico in lingvam Latinam Biblia Sacra redegit. Judicium B. Lutheri de ipso est; qvod allegat Schneidewin *in Titio Contin. & Illustr. Loco 1. Er hätte nicht übel gethan, wenn er einen gelehrten Mann oder Herren hätte zu sich genommen zur translation; Und Dolmetscher oder translatores sollen nicht allein seyn, denn einen einigen Mann fallen nicht allezeit gute propria verba zu.*
Qvandoqvidem verò & pingvissimus sermo divinus est, omnes 6.
in se habens delicias, nihil superfluum, & nihil non necessarium, Imperator vult ut ad illum tanqvam unicum fontem & scaturiginem refugium qværant Judæi: juxta illud, *scrutamini scripturas &c.* sed meritò ipsis acclamandum qvod olim ipsis consvevit. Augustinus *lib. 4. c. 4. de Symbol. ad Catech. tit. 9.* Magi primitiæ gentium CHRISTO offerunt munera, non solum Aurum, Thus, & Myrrham, verum etiam animas suas, sed vos repudiat iniqvitas propria, ut illum, qvi vos venit obligatos liberare, clementes effecti qværatis occidere, qvod & in verbo divino Sanctissimo faciunt,

ciunt, dum Prophetas volunt intelligere juxta ſenſum & fontem, ipſum quoq; Salvatorem præſentem crucifigunt, & verbum ejus
7. prorſus abjiciunt, & repudiant. Cœterum ex quo panem vitæ interfecerunt, venit ad eos panis inopia, famesve, & qvando inſidias terræ aqvæ viventis paraverunt, venit ad eos ſitis, qvam non ſolum corpore ſunt paſſi obſidionis tempore; ſed & Spiritu famem verbi Dei ſuſtinentes, eguerunt, atq; eſurierunt; ſic verè de ipſis loqvente Baſilio M. *Pſ. 33. P. 82.*

CAP. II.

De Judæis Blasphemantibus.

1. SI aliqvi eorum impias ac Sacrilegas voces protulerint, reſurrectionem, & judicium negent, itidem Angelos facturam Dei & creaturam ſubſiſtere abnegent, hos loco omni expelli vult, nec relinqvi vocem blaſphemiæ, & præſumentes hujusmodi qvid affari, ultimis ſubdi ſuppliis, ut Judæorum gens magis magisq; emendetur.

2. *Add.* Pœnam ultimi ſupplicii hæreticis inferri neq; praxi Apoſtolorum, neq; praxi primitivæ Eccleſiæ, nec proprietati religionis Chriſtianæ convenire jam tùm ſupra fuit asſertum *ad Nov. 42. cap. 3. conf. & Nov. 129. c. ult.* hic verò ſingulare ſtatuit, dum
3. judæos blasphemantes ultimis ſubdit ſuppliciis; cœterum puniuntur hi non qva heretici; ſed qvatenus blasphemiam crimen omnium horribilisſimum, nefandisſimum, & fœdisſimum committunt Carpzov. *Pr. Crim. lib. 1. qv. 45.* ob qvod civitates pariter cum hominibus perierunt, & fames, & terræ motus, & peſtilen-
4. tiæ fiunt *Nov. 77. cap. 1. §. 1.* Qvotupliciter hoc crimen committatur, & qvô modo puniatur ſupra ad *d. N.* fuit dictum. v. Matth. Steph. *ad Conſtit. Crim. A. 106. n. 5.* Berlich. *P. 4. Concluſ. 1.* Menoch. *de A. I. qv. lib. 2. caſ. 375.* Gudelin. *de Jure noviſſ. lib. 6. c. 16. verb.* ſecundum crimen.

CAP. III.

Qvomodo ſcriptura legenda à Judæis.

Orat

ORat & hortatur Judæos, ut legentes Sacram Scripturã non literas nudas vel interpretum malignitatem inspiciant, & considerent; sed ut ipsis rebus reficiantur, & divinum veraciter intellectum excipiant, propterea enim omnem ipsis vocem aperit ad sacrorum librorum lectionem, ut omnes de cœtero eorum accipientes scientiam, doctiores ad melius fiant, cum in confesso sit, multò paratiorem ad meliora discernenda & capessenda esse eum, qvi sacrorum librorum lectione innutritus, non longè â correctione, & ut ad bonam frugem perducatur dissidet, qvàm qvi nihil horum intelligit, sed ex solo religionis nomine dependet, eiqve tanqvam sacræ adhæret anchoræ, & scientiam Dei putat in sola Sectæ appellatione versari. 1.

Addit. Quod aliàs vulgò solent dicere

multos speciosa fefellit.

Glossa, DEI verbo nitere, salvus eris.

Illud sine dubio bene secum pientissimæ memoriæ Imperator perpendit, qvando Judæis in sacrarum literarum lectione non tam ad nuda verba & interpretes jubet respici, qvam potius ad ipsum intellectum, & mentem scripturæ, nam sacra scriptura perfectè, plenè & sufficienter continet omnia, qvæ ad fidem & Christianam vitam atq; adeò ad æternæ salutis consecutionem scitu sunt necessaria. vid. Dn. Schertzerus *in System. Theol. loco 1. §. 17. 18. & seqq.* inqve necessariis articulis fidei satis clara & perspicua, scil. in his, qvæ ad fidei & vitæ informationem pertinent *Ps. 119. 105. 2. Pet. 1. 9.* 2.
qvod verò Deus non ubiq; dederit apertam scripturam & omnibus, ratio hæc esse videtur, ut olim Abbas Trithemius Maximiliano I. Imperatori hanc qvæst. proponenti respondit; *Aliter legit doctus, qvi carnis umbraculò, ac vanis desideriis æstuat, aliter intelligens, qvem exutum voluptatibus amor Dei veraciter inflammat. Unde mirum non est, occæcatos esse, qvi spiritus DEI dulcedinem nunqvam perceperunt*, & Augustinus *Ep. 44. ad Constantinum Episcopum* sic scribit: *Nostri est tarditae ingenii, qvod eam non comprehendimus, & velamen cordi manet impositum, nisi ab eo qvi habet clavem David, auf-* 3.

feratur, & lux cordibus infundatur. Imò ut observat B. Dn. Qvenst.
4. *System. Theol. c. 4. sect. 11. qv. 12. obs. 17.* voluit Deus in S. L. qvædam stylo magis recondito tradi 1. ut nostra in legendis scripturis diligentia excitaretur, 2. ut fastidium & contemtus rerum divinarum amoveretur, 3. ut humana arrogantia atq; superbia labore donaretur, 4. ut congenitæ cœcitatis admoneremur, 5. ut non nisi cum reverentia, nostri sanctificatione, & præmissis precibus ad scripturæ lectionem accederemus, qvod ultimum præcipuè haud dubiè in Judæis qvoqve desiderat Imperator, nam *pius pulsator plerumq; invenit, qvod temerarius scrutator invenire non*
5. *potest*, sunt verba Bernhardi. Sed revertimur ad Judæos, qvos divinum veraciter intellectum excipere, & doctiores ad melius fieri vult Imperator, qvod assistente gratia divina conseqvuntur, si authentico textui in lectione diligenter adhæreant, qvi in Vet. Test. Hebræus, in N. T. Græcus, licet multi Judæorum Chaldaicæ V. T. paraphrasi irrefragabilem divinam & authenticam tribuant autoritatem, eamqve scripturæ originali æqviparent. vid. Helvicus *Tract. de Paraphr. Bibl. Chaldaic. c. 4. p. 6.* B. Dn. Gerhardus *Methodo Stud. Theol. p. 61.* testantur qvoqve Brugensis & Lyra, uterq; Judæo-Christianus, targumicas versiones pari loco cum scriptura Hebræa in Thalmud haberi. Cæterum Conf. hic judicium B. Dn. Schertzeri *Syst. Theol. loco 1. §. 13.*

NOV. CXLVII.

De reliqvis publicis non exigendis, & de discussione diversarum actionum.

CAP. I.

Remittit subditis reliqva.

1. I. ITa, ut sint 22. anni continui in subjectos à se factæ largitatis, & qvidem remittit, non saltem in his, qvæ in auro solum; sed etiamsi argentum, aut triticum, aut qvædam alia species sit debita, sive pro fructibus, sive pro residuis titulis qvomodocunq; ab eis inferendis. In
2. commune enim subjectis omnibus hanc suam largitatem

con-

concedit, ut nemo pro temporibus illis super eos reliqvũ inducat, qvalemcunq; faciens reliqvorum exactionem.

II. In fine h. C. hoc restringit ad tributa â subditis 3.
nondum soluta, nam si hæc soluta, & apud hypodectas aut susceptores ut residua manserint, hæc non comprehendit, neq; partem facit præsentis donationis, sed servat publico, ne qvod â subjectis datum est, non propriũ aliorum fiat lucrum, sed fiscus accipiat.

Addit. Hominem frugi esse, non multum laudis habet in 4.
Rege, fortem justum, & gravem, magnanimum, largum, beneficum, hæ sunt regiæ laudes, jam tum olim graviter pro *Rege Deiotaro* dixit Cicero, inter hasce scilicet virtutes tantum semper valuit Principum erga subditos *liberalitas* & paterna beneficentia, ut pleraqve illorum vitia sint obscurata, qvi cum liberalitate afficiuntur, liberales diligere coguntur, cum & fera animalia benefactis cicurentur, & canis ipsa amat benefactorum domos, ut dicebat Anacharsis *Ep. ult. ad Crœsum*. Et sanè probabile est, ex nul- 5.
la alia ratione tot annorum tributa remisisse subjectis Imperatorem, qvàm ut gratiam & benevolentiam subjectorum sibi conciliaret, hac enim qvi gaudet, nullas in ditionibus suis extruere munitiones necessum habet, nec ullos formidare hostes, hinc cum aliqvando Dux Juliacensis WILHELMUS ab Imperatore MAXIMIL. I. esset interrogatus, *cur præsidia in ditionibus suis nulla faceret?* respondit; *Ego fretus primum Pace & amicitia meorum vicinorum neminem lacesso; deinde sto fidei, & virtuti subditorum meorum*. Besold. *in oper. Polit. de jure universit. c. 2. n. 4.* Cœterum, ut ad textum magis accedamus, notat Brunnem. *ad L. un. C. de Collatione Donatôr. vel Relevator. n. 5.* Remissionem ejusmodi à prædecessore factam, successorem mutare non posse, qvod omninò verum est in modica remissione, qvando nullum Reipubl. creatur periculum, nam satius est Principis famam servari, ut donatio vel remissio valeat, *c. fraternitatem & ibi gl. in verb. graves X. de donat. L. benè à Zenone 3. c. de qvadr. præscr.* Pruckm. *in rubr. C. de regal. c. 4.* Quando verò ex illa remissione periculum Reip. 6.
creatur, aliud, nam quamquam fama & autoritas antecessoris successori cara esse debet, carior tamen salus Reipubl. ideoqvè immo-

immodicas donationes à successore retractari posse communiter docent Ddr. vid. Cuno *de Pactis c. 24. n. 51.* Bartolus *in L. prohiberi §. planè ff. qvod vi aut clàm.* Sic Galba liberalitates Neronis non plus decimis concessis per 50. Eqvites Romanos ea conditione revocandas curavit, exigendasq; ut & si qvid Scenici aut Xystici olim vendidissent, aufferentur emtoribus, qvando illi absumtô pretiô solvere nequirent. Sveton. *in Galba c. 15.* Similiter immodicæ donationes bonorum dominialium revocari merentur à successore, si illis ipsis præjudicetur. v. Brunnem. *Consil. 1.* Illud
7. adhuc hic NB. donationem Imperatoris non pertinere ad susceptores aut tributorum exactores, præterqvam enim, quod donatio non præsumatur, ubi alia rei gestæ causa aliqva apparere, & haberi potest *arg. L. 25. ff. de probation.* certè de ea hoc casu non constat, vult enim hic Imperator subjectis suis benefacere, non officialibus suis, qui publico salario gaudent, ipsi igitur qvod acceperunt, & in rationes inferre obstricti sunt, non sibi acqvirant, & publicum eo ipso defraudent; sed officio suo fungantur, idq; competente loco inferant, qvo tamen ipso si qvid Reip. debeant, ejus administratores ulterius non esse prohibentur, Brunnem. *ad L. ult. C. de his qvi sponte munera publica sub n. 6.* nisi de aperta fraude & dolo constet, nam sic nec satisdatio malevolum propositum mutat, sed diutiùs grassandi facultatem præstat *arg. §. 12. I. de Susp. Tutor.*

CAP. II.

Qvid excipiatur à donatione Imperatoris.

1. SCilicet 1. excipit, de qvibus cautio vel fidejussio publica à Numerariis, Arcariis, aut Scriniariis præstita est; hisce enim nihil de æqva confert donatione, qvia hæc jam pene habet accipiens fiscus. 2. Excipit qvoqve tam
2. militares, qvàm fœderaticas discusiones, si nimirum qvid commodis militiæ sit deputatum, nec erogatum, ut explicat Gothofr. *ad Nov. seqq. Cap. 2.* ipsæ enim non contingunt qvidem subjectos, justam verò contra illos exactionem

nem inferunt, cum milites non competenter de publico ſua accipiunt. 3. Civilium pecuniarum inqviſitiones, & 3.
operum diſcusſiones, tam qvæ in civitate Conſtantinop. qvam qvæ in provinciis aliis, qvia non eſt juſtum tantô à ſe conceſſo auro pro occaſione munitionis Reipublicæ, adminiſtratores lucrum injuſtum habere, fraudari verò publica loca largitate Imperatoriâ, aut debita eis munitione, vel etiam ipſas civitates pecuniis adornatum ipſarum deſtinatis. In fine ſubjungit, qvousqve hanc ſuam remis- 4.
ſionem velit extenſam.

Addit. Prout Imperator virtute & humanitate ſua ex æqvo 5.
omnibus ſubjectis ſuccurrit, ita qvoqve vult publicum non defraudari; ſed inferri ipſi qvod ei jure debetur, adeoq; non vult ipſis ſuccurrere, qvi in publico ſunt officio nec ei ſatisfaciunt, vel expediunt, qvæ expedienda imcumbunt, nam ad Curam Officia- 6.
lium publicorum pertinet ſalus Reipublicæ, in cujus attentione pacatus reipubl. ſtatus ſvaviter reſidet, imò omnia turbantur, & læduntur, ſi Reipubl. ſtatus negligitur. *Nov. 80. cap. 1.* & dum utilitas publica verſatur in conſervando dominio & juribus Principis. *L. 3. C. de Princip. lib. 12. L. 1. C. de Condict. ex L.* Tholoſan. *de Republ. lib. 3. cap. 8.* certè illi, qvi ad hæc promovenda & obſervanda publicè conſtituti ſunt, non merentur remisſionem & liberalitatem Principis; ſed potius, ut publico conſtitutô ſalariò pri- 7.
ventur, nam qui compendia fiſci neglexerunt, æqvum eſt ut nullum ipſi de publico ſalarium percipiant, *L. Si qvos C. de Offic. Præfect. Prætor. L. amisſi C. de Exactor. Tribut.* imò nec ſolum amisſione ſalarii punitur judex aut Officialis negligens, ſed & o- 8.
mni intereſſe & damno, qvod fiſcus ſenſerit ob culpam ejus, cum etiam cuilibet privato teneatur ad intereſſe. Myler. ab Ehrenb. *Hyperbol. cap. 18. §. 6.* Igitur ſi debitores functionum publicarum 9.
ſuſceptoribus annonis & tributis recipiendis præpoſitis obtulerunt, hi verò acceptare recuſaverint, debitores ex hac nuda reali oblatione liberationem conſeqvuntur, ſuſceptores verò fiſco ad duplum tenentur, vid. Brunneman. *ad L. un. C. de Suſceptor. Præpoſ. & arc.*

NOV. CXLVIII.

De Indulgentia reliqvorum Publicorum.

1. GRatiam & Beneficium ſubditis in præced. Novella conceſſum verbis paulisper mutatis hic repetit Imperator, alias eundem cum præcedente ſenſum habet, Cujac. ad h. Nov. ſic diſtingvit, ut præcedens Novella complectatur Juſtiniani Imperatoris indulgentiam, hæc
2. verò Juſtini; Cœterum ſubſcriptio Juſtiniani ſatis arguit, ipſius eam eſſe non verò alterius Imperatoris.

NOV. CXLIX.

De Provinciarum Præſidibus.

CAP. I.

Qvid faciendum, ſi præſes de novo ſit eligendus.

1. I. HOrtatur cujusq; provinciæ Epiſcopos, eosq; qvi ex indigenis & incolis primas tenent, ut per communem libellum ſupplicem de iis ad potentiam Imperatoriam referant, qvos idoneos eſſe ad provinciæ ſuæ gubernationem exiſtiment.

2. *Ratio.* Ne peregrini in provincias ſe ingerentes illas injuriâ afficiant.

3. Igitur qvi ſic commendati, his magiſtratus inſignia
4. gratis tradere promittit, ut tamen publicum & fiſcalem
5. canonem ſe illaturos caveant & ſe contra LL. nihil exacturos, neq; cuiqvam collatorum vim illaturos, illis datis ſponſoribus promittant, ſe annonis contentos publicorum tributorum exactioni invigilaturos, iisq; qvi in ſacris illationibus probi & prompti ſunt, mites ſimul & paterno affectu ſe exhibituros, cum improbis verò & refractariis

ctariis acerbius in actionibus acturos, nec inde qvicqvam lucri ablaturos.

II. Oportebit & nihilominus illos conjectis in LL. oculis qvibuscunq; litigatoribus, æqvalitatem atq; justitiam tribuere, & ne sumtibus ac longinqvitate temporis atterantur, illos citò dirimere, tum & eos, qvi deliqverunt, in jus rapere, & secundum legem pœnas illis infligere, deniq; in omnibus justitiam exhibere. 6.

Addit. Constat ex his indigenarum potiorem rationem præ peregrinis esse habendam, illi enim obstricti magis sunt patriæ, 7. ejusq; morum magis periti censentur, & patriam magis diligere præsumuntur Alciat. *Reg. 3. præs. 73. Procesf. Cam. Tit. 7. n. 16.* in qvo argumento, cum aliàs à Doctoribus latè pertractatum sit, me ulterius non detineo. vid. Doctores *ad Tit. C. ut nulli patriæ sua administratio sine permissu Principis permittatur.* Mynf. *Cent. 4. Obs. 30.* Brunneman. *Dissert. de Jure Peregrin. cap. 1. §. 13.* Carpz. *ad L. Reg. German. cap. 10. Sect. 2. & Proces. Tit. 5. Art. 4. n. 11. & Jurispr. P. 1. Const. 13. def. 6.* Ulterius quoque hic describitur officium Præsidis satis perspicuè, quomodô in administratione se gerere debeat, præcipue, ut æqvalitatem observet in judicando, 8. nec sumptibus ac longinqvitate temporis litigantes atterat. Eqvidem in Jurisprudentia Justinianea utriusq; & denegantis & protrahentis justitiam par habetur ratio, & utriq; eadem decernitur pœna in *L. 13. §. 8. C. de judic.* Praxis tamen docet, aliud esse 9. *justitiam denegare, einem das Recht verweigern oder versagen*, aliud *justitiam protrahere sive differre, einem das Recht verziehen*, hoc etenim fit per negligentiam judicis vel in cognoscendo, vel exeqvendo, illud litigatorem, judicii limen adeuntem, vel litis Processum perseqventem apertè repellendo, ita, ut superior pro administranda justitia adiri possit; justitia autem qvando protrahitur, promotoriales pro administranda justitia inter certum tempus decernuntur, qvando verò denegatur, citatio ad proseqvendam causam Principalem in Camera conceditur. Rueling. *Cent. 2. Obs. 29.* Conf. Ziegler. *Dicast. Concl. 24.* Non verò est negandum, 10. eundem esse effectum protractæ & dilatæ, qvi est denegatæ justitiæ qvoad fori competentiam ad superiorem devolvendam, *C.*

Ex transmissa X. de foro compet. utroq; enim casu relabitur jurisdictio ad Dominum jure superioritatis, Rosacorb. *Pract. for. c. 19. n. 1. & 2.* & potest tam in casu denegatæ, qvàm protractæ justitiæ per modum simplicis qverelæ sive recursus impetrando mandatum cum vel sine clausula de administranda justitia. Mynsing. *Cent. 5. Obs. 82.* Gail. *lib. 1. Obs. 28.* vel etiam per viam appellationis superior adiri, & qvidem indistinctè sive alicui justitia denegetur, vel proteletur, ante judicium cœptum sive post. *L. fin. §. illud & ibi* Bald. *C. de tempor. Appellat.* König. *Proc. c. 4. n. 23.*

CAP. II.

De Utilitate Tributorum.

1\. HActenus præcepta non solis tantum dedit Præsidibus; sed etiam cujusq; Magistratus Assessoribus, aliisq; qvicunq; Magistratibus subserviunt. Nam si
2\. qvis illorum, aut in publicorum tributorum exactione negligenter se gesserit, aut collatores damnis contumeliosisve oblæsionibus involverit, simul bonis excidet, &
3\. summo subjicietur supplicio. Nam hoc utrum Imperatori studio est, ut provinciæ bonis LL. regantur, tutoq; habitentur, & Præsidum justitia fruantur, & publica tributa citra qverelam inferantur, impossibile enim est, ut sacris tributis non illatis Respubl. conservetur. Militares
4\. namqve copiæ assignatô sibi salario inde perceptô hostibus resistunt, & collatores à barbarorum incursionibus & truculentia vindicant, deniqve agros atqve civitates à latronum alioqve modô incompositam vitam sectantium
5\. vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt. Ex illis etiam reliqvæ cohortes ea, qvæ ipsis attributa sunt, accipiunt, muri atqve civitates itidem restaurantur, publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt, postremo spectacula, aliaqve omnia, qvæ ad delectationem subditorum inventa sunt, ex iisdem curantur, ut qvæ ab illis

illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos insumantur, & expendantur &c.

CAP. III.

Si subditi negligentes fuerint in petendo Præside.

I. QVandoqvidem igitur satis ostendit Imperator, 1.
qvanta sit erga subditos benevolentia & liberalitas, ipsi verò in Præsidum electione opinione atqve spe frustrentur, neminem præter se ipsos culpare poterunt. Neq; etiam si hos eligere, & ad Imperatorem 2.
referre distulerint, ullô amplius jure de iis, qvi in Provincias emittentur, qverimoniam instituent, si propter publicorum tributorum collectionem nihil non fecerint, omnis enim postea aditus & delatio est prohibita.

II. Nullus omninò in persolvendis, qvæ ipsi incum- 3.
bunt publicis tributis, ulla potest uti dilatione non sacra domus, non sanctissima Ecclesia, non pium pauperum receptaculum, aut Monasterium, non deniqve clarus aut obscurus qvisqvam. Nec hic excipit Imperaror qvi Rempub. administrant, nec qvos ἐκλήπτορας vocant, neq; etiam alios, qvibus publicarum contributionum cura incumbit. Qvæ enim in commune omnibus conducunt, illorum, qvi in fiscum improbi esse volunt, injusto proposito antefert.

Addit. Prout nimia festinatio in actu arduo ingens sæpe- 4.
numerò attulit nocumentum, ita supina negligentia nulli unqvam commodo fuit; sed obfuit, & in jure qvæsito præjudicavit. Definiunt autem Ddres *Negligentiam*, qvod sit socordia, 5.
non inqvirens officii & vocationis suæ partes, vel volens eas omittens, aut non libenter, vel non integrè aut assiduè faciens per *L. 8. & L. 52. C. de Episc. & Cleric.* Althus. *Dicæolog. lib. 1. c. 144. n. 2.*

hinc si alicui qvid ex necessitate facere incumbit, si ea peragere omittit, & negligit, gravius videtur peccare & majore pœnâ dignus esse, qvàm si faceret malè & injustè *L. fin. ibi per impudentiam ff. de var. & extraord. cognit. L. sancimus C. de judic.* Ubi traditur, judicem malè judicantem puniri, qvatenus æqvum visum fuerit; Si verò omittat, condemnari prout debuit, & si delinqvat in omittendo, tunc eum teneri ad totale interesse, quod argumentum plenius tractavit Excell. Dn. Stryk. *Differt. de Officii Necessit.* ad

6.

7. qvem me brevitatis amore remitto. Cum quoq; sine ulla dilatione sint tributa solvenda, satis patet nullam exceptionem exactoribus in exigendo posse objici, forte quod iterum fiscus debeat, cum in causa nulla admittatur compensatio *L. 46. §. 5. ff. de Jure fisci L. 3. C. de Compensat.* quod ideò constitutum & receptum videtur, ne civitatis aut Reipubl. nervi incidantur, & ut perpetua ei præsto sint subsidia; nec propterea dilatio facienda, qvod subditus forsan excipiat nimium sibi esse impositum, & ultra patrimonii sui vires, quod ejusmodi inæqualitatem non ferat, nam cognitio de quanto tributorum, & versione in Rempubl. non spectat ad populum; sed ad magistratum, & eos, qvibus ex pacto vel consvetudine competit. vid. Ziegler. *de Jurib. Maj. lib. 2. c. 3. §. 25.* Hocque ipsum sic extendit Imperator, ut nec Ecclesiam,

8. aut aliud pium pauperum receptaculum excludat, quod meritò intelligendum de extraordinariis tributis & collectis, quæ summa & inevitabilis imperat necessitas, nam sic æqvum est, ut à summis sarcina ad infimos usqve decurrat *L. 1. C. de qvib. minor.* & necessitatibus subveniendum cum jactura universorum non quorundam tantum. Non igitur hoc casu Ecclesia, nec Pontifex, nec Clerici, nec Princeps, nec Nobiles, nec Professores, nec ulli alii quantiscunque etiam non muniti Privilegiis, sunt exemti, maximè à contributionibus Turcicis, cujuscunq; status & conditionis fuerint. Ziegler. *c. loco lib. 2. c. 2. §. 56.* Conf. Brunnem. *ad L. 7. C. de SS. Eccles.*

NOVEL-

NOVELLA CL.

De ea qvæ raptori ſuo nubit.

COnfirmat Imperator pœnas in Conſt. *Nov. 143.* prædictas; jubet enim, ne puella raptum paſſa raptori ſuo nubat, qvod ſi fecerit, ei non ſuccedit, cujuscunqve tandem ſectæ ſit aut ætatis. Si ipſi non conjuncta fuerit, capiet omnia bona ejus, & ſi parens conſenſerit raptum pasſæ filiæ ſuæ, ut raptori ſuo copuletur, mittatur in exilium. Si mortuus eſt non præbito conſenſu, raptoris bona confiſcantur, cum nefariæ ſint ejusmodi nuptiæ, ſi denuo raptori ſuo raptum paſſa puella copuletur. 1. 2.

NOVELLA CLI.

Ne decurio aut cohortalis perducatur in jus citra juſſionem Principis.

HÆc igitur id expresſis verbis præcipiat, ideoq; citra decretum Præfecti Prætorio cui debet inſinuari, non in jus perducatur, cum ita fieri expediat publico, Ne ſi ex iis locis, ubi publicas tractant pecunias, abſtrahantur, hanc anſam arripiant nocumentum inferendi contra rempublicam. 1.

Addit. Quid fuerint cohortales, qvamq; varia eorum miniſteria tractatum v. à Peretzio *C. de Cohortalibus, & princip. &c. num. 2.* 2.

NOV. CLII.

Ne Sacræ formæ ſeu juſſiones de Publicis cauſis valeant ſine approbatione Præfectorum Prætorio.

Conſti-

1. Constituit Imperator, ne formæ sacræ i. e. rescripta in provinciis omissa valeant, nisi Præsidi provinciarum sint insinuata; Præses verò si contra utilitatem
2. Reipublicæ & per sub & obreptionem sint impetrata, suscipere qvidem ea tenetur, non tamen prius executioni mandare, qvam relationem ea de re pertulerit, qvo magis si qvid ad detrimentum Reipublicæ factum sit, id corrigamus.
3. *Addit.* Omnia decreta & rescripta principum habent hunc intellectum, qvod voluerint jure atqve æqvitati conformia Jason. *in L. 6. ff. de V. & Pup. Subst.* nunqvam enim intentio Principis
4. præsumitur talis, quod velit juri alterius quæsito derogare, ideo quicquid rescribit, mandat, aliterve fieri vult, ita intelligendum est ut nemini fiat injuria, & jus tertii illæsum relinqvatur. *L. nec*
5. *avus 4. C. de Emancip. lib.* inde omnia Rescripta, omnes concessiones tacitam continent clausulam salvô jure tertii. *c. qvamvis de rescr.*
6. *in 6to.* Mevius *P. 1. Decis. 26. num 2. & P. 4. Decis. 116.* ideò qvæstio veritatis reservata intelligitur. *L. penult. §. 1. C. de Divers. rescript.* Interea verò dum de Rescripti vi qværitur, executor qviescere debet, etsi executio mandata fuerit, *L. 4. C. si contrarius vel utilit.* nam judex relationem ad Principem instituat, an unum vel alterum corrigere malit, relationis autem effectus est, ut ad interim suspendat causam. *L. 1. C. de Relation.* Qvod si verò rescri-
7. ptum habeat annexam clausulam *motus Proprii* tollit & excludit sub- & obreptionis exceptionem, facitqve ut non possit sub & obreptitiè dici impetratum. Menoch. *de A. J. qv. casu 212. num. 12.*
8. vid. Excellentiss. Dn. Stryk. *Dissertat. de Motu propr.* Deinde & operatur, ut rescriptum plenissimam recipiat interpretationem in favorem impetrantis, Menoch. *lib. 2. præs. 23. num. 12.* quoad ea videlicet, quæ in rescripto & concessione sunt expressa, non etiam quoad ea, quæ in illo non sunt expressa. Carolus Ruinus *Vol. 5. Consil. 217, num. 110.* Gabrielius *de Clausulis Conclus. 2. num. 72.* Nihil verò operatur hæc clausula; sed vis ejus & efficacia omnis deficit, qvando rationes & causæ illius LL. *motu propriô* in rescripto expressè deprehenduntur esse falsa, sic enim nullius est efficaciæ. vid. Dn. Stryk. *dict. Dissert.* Nec qværatur qvoad ea, qvæ sunt

sunt facti; sed solum ad ea, qvæ sunt juris. Wesenb. *Vol. 5. Cons. 222. n. 56.* Qvod attinet clausulam *de plenitudine Potestatis* rescripto 6.
Principis adjectam ea est efficacissima, ita, ut omnes alias clausulas virtute sua superet, *Peregrin. de jure fisci n. 41. rubr. habeatis jure fisci.* & idem operetur, qvod clausula derogatoria ad omnem legem & Constitutionem contrariam removendam. Schrader. *Cons. 37. n. 19.*

NOV. CLIII.

De Infantibus expositis.

CRimen à sensu humano alienum, & qvod ne ab ullis qvidem barbaris admitti credibile est, committunt illi, qvi vix ex utero progressos infantes abjiciunt, inqve sanctis eos relinqvunt Ecclesiis, & postqvam educationem atqve alimoniam ab hominibus pietatis studia excolentibus promeruerunt, vindicant hos, & servos suos esse pronunciant, cupientes hoc etiam crudelitati suæ apponere, ut qvos in ipsis vitæ primordiis ad mortem exposuerunt, postqvam adoleverunt, simul etiam defraudent libertate. 1.
Ex qvo igitur hujus generis factum multa simul in se absurda complectitur, eadem videlicet & calumniam, & qvæcunqve aliqvis in tali actione facilè enumeraverit, æqvum esse putavit Imperator, ut qvi talia perpetrarentur, vindictam ex LL. proficiscentem non effugerent; sed qvo magis alii exemplo horum temperantiores fierent, extremis pœnis subjicerentur; Hinc 2.

CAP. I.

COnstituit, ut qvi ad eum modum in Ecclesia, aut vicis publicis, aut aliis locis projecti fuisse comprobati fuerint, hi omnibus modis liberi esse præcipiantur, licet qvis exinde sibi præjudicium inferri manifestò probet & ejusmodi personam ad suum pertinere dominium ostendere possit; nam si ut in LL. præcipitur, vid. *L. 2. ff. qvi sine manum. v. L. 2. §. 5. C. de bon. libert.* ægrotantes servi 1.

à dominis suis pro derelicto habiti, & qvasi desperatâ jam valetudine cura dominica non dignati, prorsus ad libertatem rapiuntur, qvantò magis illi, qvi in ipso vitæ principio aliorum hominum pietati relicti, & ab ipsis enutriti fuerunt, non debet concedi tales in injustam servitutem
2. pertrahi? Omnibus igitur modis illis vult opem ferri, & nullô modô, qvi hæc patrant, à LL. constitutas pœnas effugere, dum omni inhumanitate & crudelitate referti, tanto deteriores se homicidio polluunt, qvanto calamitosioribus id inferunt.

3. *Addit.* Expositi infantes licet exservis nati, proliberis tamen habendi, nec possunt ab iis, qvi eos recolligerunt, pro servis haberi, sed sunt ingenui, & sibi acqvirunt, qvia afflicto non est addenda afflictio, & per educationem status hominis non mutatur, imò licet servilis conditionis homo infans esset expositus, qvando tamen exponitur, & ab alio recolligitur, fit liber, *Suum enim dicere non potest, qvem pereuntem contempsit. L. 2. C. de inf. Exposit.* Sic & Patronus libertum abjiciens, Jus Patronatus amittit, Brunneman *L. 2. C. de infant. exposit.* & Vasallus Dominum in vitæ discrimine constitutum deserens feloniam incurrit, *2. Feud. 24 §. 1.* sive minus, sive majus sit periculum, quantò enim minor periculi metus, tantò probrosa magis Vasalli desertio, qvia ignaviam ejus & perfidiam apertius arguit. vid. Excell. Dn. Stryk. *Dissert. de Vasallo Desertore cap. 3. n. 45. & seqq.* Aliàs de pœna infantis exponentium pluribus traditur à Doctoribus ad Constit. Crimin. Caroli V. Imper. *ad Artic. 132.* qui vult; quod si infans expositus moriatur, quod tum istius mater juxta occasionem periculosæ expositionis vel mortis, vel corporis afflictivâ pœna sit afficienda.

NOVELLA CLIV.

De his qvi in Osdroëna illicitas contrahunt nuptias.

Non

NOn arbitratur Imperator, homines esse, qvi illicitis se jungere audent nuptiis, & Romanas LL. simul & novas transgredi, cum portio sint Reipubl. qvo factô & progeniem suam dehonestent, & confundant nomina. Unde 1.

CAP. I.

I. SI hujus generis aliqvid factum sit, extremum delinqventibus inferre supplicium vult; Qvia verò & longum tempus est, neqve credit, hujusmodi delicti aliqvid admissum esse, ut maximè hujusmodi qvid contigerit, tamen qvod præteriit, qvocunqve se modo habeat, his qvi Osdroënam & Mesopotamiam provincias incolunt, propter diversas hostium irruptiones, qvæ qvotidie in ipsis fiunt, indulgentiam concedit maximè, qvia agrestis utplurimum multitudo hæc fertur delinqvere, sinitqve ea manere sub præsente forma, non scrupulosè vel nimis anxiè in hæc inqvirendo, qvæ antea perperam admissa fuerunt. 1.

II. Igitur, si qvis post hanc L. constitutam tale qvid facere præsumserit, vult, ut extremis subdatur pœnis, nec pœnâ pecuniariâ se redimat, nam tum ipsum incestuosum, qvam uxorem & liberos ex illicitis procreatos nuptiis dignâ animadversione perseqvi contendit, & periculum capitis simul atqve bonorum animadversionem simul irrogare, nulli parcere, sive majoris, sive minoris status aut conditionis, aut sacerdotii sit; sed omnibus plectendis solennem & Romanis LL. decentem ordinem conservare, nec tantummodo partem bonorum aliqvam auferre; sed & cum toto patrimonio partem corporis, & si importunius illicitas contraxisse nuptias deprehensus fuerit, ne ipsam etiam vitam salvare, ut per omnia pœnæ consentaneæ sint delictis. *Oportet enim recta pariter ac convenientia sapere, & alios ad earundem rerum æmulationem excitare,* 2.

citare, non verò perpetrare LL. contraria, & ex mutua vitiorum imitatione refugium qværere.

3. *Addit.* Indulgentia qvæ hic ab Imperatore conceditur itidem est restricta ad certum locum & inhabitatores certos, nec ad alios extenditur, maximè indulgentia restricta ad tempus præteritum non includit tacitam prohibitionem in futurum *L. 22. ff. de LL.* ut adeò hoc & similia alia nefanda delicta in futurum omni mo-

4. dô maneant prohibita, interea verò per hanc criminis indulgentiam, infamia ejus non est sublata, pœnæ modo gratia facta est

5. *L. 3. C. de generali abolit.* nec porrò indulgentia Principis jus alterius imminuit, hinc si adulter, vel adultera ex adgratiatione Principis absolvatur à pœna, hac tamen non obstante peti potest di-

6. vortium Brunnem. *Jur. Eccles. lib. 2. c. 17. n. 23.* Ulterius qvoq; hic patet, rusticitati aliqvid tribuere Imperatorem, qvæ tamen alias regulariter excusata non est, nec ipso jure privilegiata, qvoniam privilegia ut strictæ interpretationis non sunt tribuenda illis, qvibus Lex non concedit, vid. Menoch. *lib. 2. A. I. qv. cas. 194. in fin.*

7. Inprimis in delictis contra Jus Nat. & divinum commissis, nulli est remissio concedenda, licet ignorantia allegetur, quæ tamen in hisce & similibus non potest nisi vincibilis esse. Et licet Athenienses incestum prorsus impunitum reliqvisse legantur, unde Ovid. *lib. 10. Metamorph.*

> *- - gentes tamen esse feruntur,*
> *In qvibus & nato genetrix, & nata Parenti*
> *Jungitur, ut pietas geminato crescat amore.*

8. Similiter Persæ necessarium duxerunt commisceri consangvineos, cumprimis eos, qvi ariolos & auspices certiores satagebant procreare vid. Catull. *in Gell.*

> *Nascatur magus ex Galli matrisq; nefando*
> *Conjugio, ut discat Persicum auspicium:*
> *Non magus ex matre & nato gignatur oportet,*
> *Si vera est Persarum impia relligio.*

9. Cæterum hæc Ethnicis scripta sunt, non autem Christianis, apud qvos incestus inter ascendentes & descend. commissus morte puniendus, ut communiter statuunt Doctores. Boër. *decis. 318. n. 1. & seqq.* Matth. Steph. *ad A. 117. C. Gr.* Hahn. *ad Wesenb. ad L. Jul. de adult. n. 21. verb. qvi incestu.* Berlich. *P. 4. concl. 32. n. 16. & seqq.* qvæ pœna

pœna mortis qvoq; incestui de jure divino infligitur, *Lev. 20. v. 11. Deut. 27.* Anton. Matth. *de Crimin. ad lib. 48. Tit. 3. c. 6, n. 5.* Conf. dicta *supra ad Nov. 139.*

NOV. CLV.

Ut matres etiam tutelæ rationib9 obnoxiæ sint.

I. MAter, qvæ tutelam filiorum suscepit, & ad secundas nuptias transiit, â reddendis rationibus non liberatur; qvod si autem forte liberi rationum redditionem remiserint, & exinde læsi sint, etiam contra matrem restitutionem in integrum impetrare, aliisq; remediis minori ætati competentibus uti possunt, modò tempora restitutionis non fuerint præterlapsa. 1.

II. Sancit etiam, ut omnis reverentia, qvæ parentibus 2.
debetur â liberis, item honor, atq; obseqvium Parentibus conservetur, dum tamen nihil ab ipsis in illorum fiat detrimentum; ut verò ex prioribus nuptiis filii despiciantur, neqve religioni putat consentaneum, neqve alioqvin convenire, unde res qvæ ex paterna ad ipsos pervenerunt substantia matres non possunt vel sibi vel his, qvi secunda vice ipsas in matrimonio habent, vel ex istiusmodi matrimonio procreatis liberis lucrifacere. vid. supra textum *Nov. 22. c. 24. & Nov. 98. c. 1.*

Addit. Rationes reddere tenentur quivis tutores, sive fue- 3.
rint testamentarii, sive legitimi, sive dativi. Möllerus *Comment. ad Constitut. Elector. Saxon. 11. num. 3.* adeò, ut etiam mater liberorum suorum tutrix cogatur administrationis reddere rationem, & donec hoc fecerit, dotem suam exigere neqveat. Montanus *de Jure Tutor. & Curat. c. 38. num. 31. & n. 56.* Multò magis igitur 4.
frater fratris sui tutor ad redditionem rationis, perinde ut extraneus tenebitur Montan. *d. l. n. 34. & seqq.* nisi redditio rationis tutori & curatori fuerit remissa, qvo casu non intelligitur remissum id qvod dolô & fraude ab ipso malè gestum erit *L. non solum debitorem*

torem §. ult. ff. de liberat. leg. L. §. pacta ff. de pact. H. Donell. *lib. 15.*
5. *Commentar. Jur. Civ. c. 20.* Montan. *d. l. c. 38. n. 271* Qvod si tamen prædictæ forte personæ fraudis vel doli alicujus argui possent, non statim tamen ex dolo sunt conveniendæ; sed modestius contra eas agendum, ut loco actionis ordinariæ de postulatione suspecti agatur in factum, qvæ sit verbis temperata, ut simul &
6. bonæ fidei mentio fiat. *§. 2. l. l. 1. §. 5. & l. 9. ff. de susp. tutor.* scil. ne accusantes doli faciant mentionem, nec sententia condemnatoria ob dolum fiat, neq; decreto causa infamans adjiciatur, *L. 4.*
7. *§. 1. ff. de suspect. tut.* vel ut Curator adjungatur, qvàm ut cum periculo fidei & existimationis removeantur, qvod salubrius esse dicit modestinus JCtus *in L. 9. ff. de susp. tutor.* quo sic ut hic vult Imperator, & JCtus *in L. libert. 9. ff. de obseqv. par. & patr. præst.* parentibus omnis reverentia, honor, atq; obseqvium conservetur. De non alienandis parentum defunctorum bonis à superstitibus parentibus, vel bimulis supra suis locis fuit actum, inde hic actum non ago. Id paucis repeto, qvod qvando pater liberorum decedit, vidua qvàmdiu ad alium torum non progreditur, in bonis communibus maneat, eorum habeat usumfructum, alienare verò non possit, sed suo & liberorum nomine ut communia teneat deqve suis alimentis & aliis necessitatibus providere teneatur, inde & communis omnium possessio est. Mev. *P. 4. decis. 392.* vid. *suprà Nov. 22. c. 24. & Nov. 98. c. 1. Addit.*

NOV. CLVI.

De prole partienda inter rusticos.

1. PArtus ex matre adscriptitia, & ex patre libero natus, matris conditionem seqvitur, si unus tantum natus filius, si verò pater qvoq; adscriptitius fuerit, liberi inde nati inter patrem & matrem dividendi, si æqvales sint, scilicet, ut inter duos filios unus seqvatur matris adscriptitiæ dominium, alter verò patris; si verò imparfuerit numerus, qvi superat matrem seqvitur, nam impar numerus

merus semper conditionem matris seqvitur. Conf. infrà *Nov. 162. c. 3.*

Addit. Jure Civili vel erant *liberi*, vel *servi*, qvorum hi certo 2.
prædio rustico ita erant assignati, ut cum eo transferrentur *L. 84. §. fin. ff. loc. L. 32. ff. de pignor.* neque absq; eo esse possent *L. 2. C. de agric. & censit.* Quando igitur qvis vendere vult prædium rusti- 3.
cum vel urbanum, id sine colonis vel inqvilinis vendere neqvit; sed rustici simul veniunt in venditionem, non obstante pactô contrariô & ideò contractus, quo coloni terræ adscripti sine fundo venduntur, ne juramento quidem confirmari potest ut ex Covarruv. & Peretz. *C. de agric. & cens.* concludit Brunnem. *ad d. l. 2. C.* Ejusmodi adscriptitios rectè servis annumerant H. Donell. *lib. 2. Comment. Jur. Civ. c. 9.* Arumæus *Exercit. Justin. 1. th. 25.* Forster. *L. 1. Disp. 2. th. 3.* quia quicquid acqvirebant, Dominis cedebat, *L. 6. L. 20. L. 22. & L. ult. C. de agric. & censit.* qvæ propria est nota servorum, & in eorum potestate erant, *L. 21. f. C. eod.* Et licet in qvibusdam melioris conditionis essent aliis servis, & respectu aliorum quasi pro liberis haberentur, *L. 2. C. in qvib. caus. L. un. C. de Colon. Thrac.* non tamen propterea tertia species inter liberos & servos constituenda est, cum Treutl. *2. d. 2. th. 2. lit. D. & ibi alleg.* Liberi ipsorum quomodo fuerint divisi etiam patris vel matris conditionem sint secuti, ex textu hoc patet, & ex *Nov. 162.* quæ hanc 156. tempore præcessit, soboles dividitur inæquales partes, si pari numerô constat, vid. supra textum.

NOV. CLVII.

De Rusticis qui in alienis prædiis nuptias contrahunt.

PRohibet hic Imperator consuetudinem in Mesopota- 1.
mia & Osdroëna Provinciis usitatam, vi cujus Domini nuptias inter rusticos diversorum prædiorum contractas, dirimebant; Et statuit, ut talia matrimonia non tantum sint firma; sed & ne liberi exinde nati abstrahantur

hantur à parentibus prætextu conditionis colonariæ. Qui enim tale quid facere præsumserit, etiam de ipso prædio in periculum veniet, cui eos vindicare rusticos attentat.

2. *Add.* Indignum est, jure Potestatis benè concordantia matrimonia dirimere, *L. 1. inf ff. de lib. exhib.* nec ferendum, à viris conjuges separari *L. pen. C. Comm. utr. judic.* qvod individua vitæ consvetudo non permittit, qvam quia Deus sanxit, ejusque causa omnia alia posthaberi voluit *Gen. 3. Matth. 10.* sanctior ejus est
3. ratio, quàm servitutis. Et ubi alterutrum postponere oporteat, primum magis justum est, minusq; scandalosum constare matrimonium, quàm retineri ancillam; quin si quis callidè & sciens conditionem alterius sinat alienum hominem suam fœminam ad indissolubile vinculum ducere, velut alienans caret actione *arg. L. ad hac C. de latina libertat. toll. Nov. 12. cap. 11.* quod exposuit. Mev. *in Tract. von Absfoderung der Bauren qv. 2. n. 172. & seqq.* Ve-
4. teri quidem jure Civili secus erat, qua nuptam personam liberam adscriptitio ducere fas non erat, nam inter has personas interdictum erat matrimonium *L. fin. C. de Agric. & Censit. Nov. 22. cap. 17.* Hodiè tamen, ex quo inter eos verum est matrimonium, ex jure divino, & moribus nostris aliud est dicendum, & si rusticus alterius fundi rusticam ducit in uxorem, hujus dominus non potest sibi vindicare liberos ex ejusmodi matrimonio natos, qui omninô patris conditionem seqvuntur. vid. Mev. *P. 2. Decis. 131. & P. 2. Decis. 222.* vid. suprà *ad Nov. 22. cap. 17.*

NOV. CLIIX.

Ut deliberandi jus etiam ad impuberes transmittatur.

PRÆFATIO.

1. FActi species hic talis proponitur; Mortua mater Thecla, relictâ Sergiâ impubere filiâ, qvæ vix 16. dies matri supervixit, relictâ amitâ itidem theclâ appellata, ut &

ut & avunculô Cosmâ qv. *Uter Sergiæ succedere debeat?* Resp. Thecla amita, qvia Sergia intra annum mortua, & sic jus deliberandi ad proximum successorem transmiserat, per *L. 19. C. de jure delib.* Amita verò ut agnata avunculum ut cognatum a successione excludit.

Addit. Casus hic ante *Nov. 118. c. 4.* contigisse videtur, ubi nondum erat sublatum jus agnationis & cognationis; quod tamen jam per d. textum factum, hinc si hodie talis casus contingat, uterq; & avunculus & amita succederet. Licet verò & olim is, qvi delatâ sibi hereditate annum haberet ad deliberandum; sed intra illum annum esset mortuus antequam cognovisset vel repudiasset hereditatem, jus deliberandi sibi competens ad heredes transmisisse, qua tamen deliberatione hodie opus non est, introductô in ejus locum beneficiô inventarii per *L. fin. C. de Jure delib.* 2. 3.

CAP. I.

1. SAncit Imperator, ut impubere vel infante intra annum mortuo jus deliberandi, pro residuô tempore ad suos successores transmittat, & conciliant insimul *L. Si infanti 18. C. de jure delib. §. 3.* (ubi infans non transmittit hereditatem, nisi tutor ejus nomine eandem agnoverit) cum *L. 19. C. d. tit.* (ubi hæreditas transmittitur) & statuit, *L. 18 C.* intelligendam esse de casu, ubi infans post annum decedit, ut sic non transmittat hereditatem, nisi â tutore agnitam, *L. 19.* verò esse intelligendam si intra annum, atq; ita nondum lapsô tempore decesserit.

2. *Addit.* In transmittenda hereditate hoc novum constituit in parente Imperator, ut si is neglexerit infantis nomine adire, & infans intra infantiam decesserit, nihilominus transmittatur hereditas, non ad quosvis infantis heredes; sed saltem ad parentem, cui potestatem fecit, eam hereditatem jure patrio quasi jam ante infanti quæsitam capiendi, prout *L. Si infanti 18. C.* eruditissimè explicat H. Donellus *Lib. 7. Comment. Jur. Civ. cap. 9.* Conf. Vigelius *lib. 28. p. 79.* Fachin. *lib. 6. controversi. c. 9.* Vasqvius *de Successfion. lib. 1. §. 8.* Francisc. Duarenus *ad tit. ff. de A. & A. Hered. c. 5.* Extendit 3.

hoc Carpzov. *P.3.c.17.def.17.* ut ad quoscunq; etiam extraneos heredes transmittatur hereditas, verum non aliter, quàm si infans vixerit, & cum spiritu visus fuerit, nam quod alias dicitur, ut liberi succedere valeant, sufficere eos in utero esse, id eatenus verum est, quatenus postea vivi in lucem fuerint suscepti *L.3.C. de posth. Hered. L.3. §.3. ff. de inj. rupto testam.* nec monstrosi editi, cum non sint liberi, qui contra formam humani generis conversô

4. more procreantur. *L.14.ff. de Stat. hom.* Igitur ante *L. si infanti 18. C.* Pater pro infante solus non poterat adire hereditatem de Jure Civili, quamvis petere possit bonorum poss. de Jure Prætorio. *L.1. ff. de Bonor. Possess. furioso infanti & pupillente.* nec deinde verò non adita hereditas ante hanc L. quasi adita poterat transmitti, qvæ tamen jam per *d. L. Si infanti* favore patris transmittitur, prout latè

5. & eleganter ad hanc L. explicat Sichardus. *Tutores* qvod concernit, si illorum fortè negligentia aditio sit omissa, eadem verò ob mortem infantis ad heredes ejus transmitti potuisset, tutores ipsos conveniri posse, dubitandum non est, qvod si verò in petendo tutorem negligentiores fuissent, aut hi solvendo non essent, an per beneficium restitutionis in integrum heredibus consuli possit, quærit & decidit Sichardus pluribus *ad d. l. Si infanti 18. C.* id tantum de *transmissione legati* paucis addo; Non aditum legatarium ad heredes suos transmittere, Peretz. *C. de his qvi ante apert. Tabb. n.11.* Brunnem. *ad L. un. C. de Caduc. toll. §.5.* modò non expressè repudiatum, *Id. §.5. n.25.* Noal. *de transmiss. cas. 2. num. 3. & seqq.* Richt. *P. 1. dec. 67. n. 27.* quod ampliat Carpzov. *P. 2. dec. 153.* qvamvis ergo solutio ac præstatio certa conditione sit qvalificata, vel in diem certum suspensa, maximè, quando conditio seu causa respicit favorem legatarii, non testatoris, nunquam enim ea coarctat legatum, *L. Titio §.1. ff. de condit. & demonstr. L. 2. §. ult. ff. de donat.* & licet ejusmodi causa deficiat, debetur nihilominus

6. legatum. Carpzov. *d. loco n.16.* Aliud verò in usu, usufructu, aliove jure personali legato, cum enim hæ servitutes ad hæredem non transeant, frustra cederet eorum dies à tempore mortis *L. un. §.6. C. de caduc. toll.* cedunt igitur à die hereditatis *L. 2. ff. qu. dies legat. cedat.* nam cum ante hereditatem aditam non constet, quis sit heres, non antea possunt quoq; servitutes deberi. vid. Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 13. th. 7. lit. a.* NOV.

NOV. CLIX.

Ut restitutiones fideicommissorum usq; ad unum gradum consistant.

PRÆFATIO.

FActi species h. Nov. hæc est; Mortuus est qvis condito testamentô, & prædiis suis inter liberos divisis, conditione hac adjectâ, ut nullô titulô dicta prædia è nomine & familia testatoris alienentur; sed ut unô sine liberis defunctô fratribus reliqvis ejus portio deferatur; 1.
Postea condidit codicillum, quo testamentum confirmavit; In specie verò certum prædium Hierio nepoti ex uno filio assignat cum pari conditione, ne vel â nepote, vel ejus successoribus ulla ratione alienetur; sed ut perpetuò in familia maneat; nepos Hierius hoc prædium ad pro-nepotem suum transmisit; qvi verò prægnante uxore decedit, & condito testamento posthumum sive abnepotem heredem scribit, hac tamen conditione, ut si intra pubertatem decesserit, uxor & mater sua in bonis succederent. Nascitur filia; sed ea adhuc infans ê rebus humanis abit, oritur jam lis inter matrem abnepotis ex substitutione prædium sibi vindicantis, & inter Alexandrum filium primi testatoris alienationem inhibentis, & qværitur; *an Alexander hoc prædium, qvasi extra familiam transierit, revocari possit?* 2. 3. 4.

Hanc qu. Imperator in tribus subsequentibus capitibus maximè verò in tertio decidit, præcipuè verò in

CAP. I.

STatuit; Qvod si testator filiis suis interdixerit certæ rei alienationem, hanc prohibitionem valere tantum quoad vitam filiorum, nepotes verò dictam prohibitionem non stringere. 1.

2. *Addit* Hinc igitur resultat non levis momenti quæstio, *An si alienat. omnis prohibitio facta fuerit filiis, ea quoq. ad nepotes & descendentes cæteros extendatur?* Et licet hic pro Imperatoris sententia plurimos alleget Doctores Knipschild *Tr. de fideicomm. Fam. Nobil. c. 7. n. 115.* ipse tamen *sub n. 118.* cum aliis Doctoribus ab illa recedit, & statuit, quod filiis prohibitum, idem etiam esse nepotibus, nam si nepotes bona alienare possent, ea perpetuò in familia non permanerent, dominio in alium per alienationem translatô, & sic conditio ista perpetuò repetita censetur, ubi enim dispositio facta per verba successivum tractum habentia, non sufficit momentaneum supplementum; sed necessum est, ut ipsum supplementum duret. *L. 8. ff. de condit. & demonstrat. L. 16. ff. Si servitut. vindic.* vid. Knipsch. *d. l. n. 120. & seqq.* vid. *Addit. ad C. 3. h.*

CAP. II.

1. SI verò alienationem ita interdixerit testator, ut res in perpetuum in familia maneat, hæc prohibitio ultra quartum gradum non est extendenda, præsertim in hoc casu, ubi prædium non per alienationem; sed per legitimam successionem ad matrem pervenit.

2. *Add.* Equidem licet fideicommissa, quæ pro familiarum conservatione constituuntur, suâ naturâ sint perpetua, *L. 32. §. fin. ff. de leg. 2.* cum familiæ nomen sit collectivum, & proinde suâ naturâ tractum temporis, perpetuitatem personarum implicet, Peregrin. *de fideicommiss. Art. 22. n. 25.* posse tamen eadem ex certo tempore vel ad certum tempus, vel certas personas constitui, non est absurdum, scilicet si ad certum tempus, *10. 20.* vel plures annos, vel aliud limitatum tempus constituatur, aut etiam ad certam, tertiam, vel qvartam generationem. Menoch. *Vol. 2. Consil. 197.*
3. qvô casu si certarum personarum genus alienare fuerit prohibitum, non fieri extensionem de persona ad personam constat ex traditis Phil. Knipschild. *Tr. de Fideicommiss. Famil. Nobil. c. 7. n. 111. & seqq.*

CAP.

CAP. III.

DEcidit igitur Imperator caſum propoſitum negativè, & matri prædium adjudicat, partim qvod etiam alii res in familia alienari prohibitas alienaverint, & ſic tacitè huic qvoqve alienationi conſenſerint, partim qvoqve qvod jam qvatuor ſucceſsiones à facta prohibitione præterierint, & ultimus heredum per intervenientem impuberum hereditatem acceperit, qvibus circumſtantiis concurrentibus generaliter ſancit Imperator, alienationis interdictum exſpirare. 1.

Addit. Hæc igitur Novella generaliter non vult, prohibitam alienationem qvartô gradu exſpirare, nam *cap. 2. & ex Cap. 3.* explicandum; Sed eô præcisè tantum caſu obtinebit, ſi poſt qvartum gradum per impuberem hereditas alicui deferatur. In aliis igitur caſibus prohibitio valebit in perpetuum, Fachin. *lib. 4. Controverſ. 100.* Struv. *Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 26. th. 20.* Licet autem Cujacius rectè animadvertat, deciſionem *huj. Nov.* non eſſe generalem; ſed coarctari ad caſum, qvando extraneus per medium impuberem heres exiſtit, ut patet ex his verbis: *Atq; hac non tantum præſentis cauſæ diciſio eſto; ſed & reliqvarum, in qvibus hujusmodi prohibitione factâ & ſucceſsiones præterierint, & ultimus heredum per intervenientem aliqvem impuberem, hereditatem capeſſat.* Qvia tamen Doctorum ſententia, de prohibitione alienationis ultra qvartum gradum non extendenda, communiter recepta eſt, periculoſum eſt, ab ea in judicando recedere. Volunt tamen iidem Doctores *h. Nov.* deciſionem eſſe reſtringendam, ut non procedat, qvando apparet, teſtatorem enixè voluiſſe perpetuam eſſe prohibitionem, & ad id prægnantibus verbis uſum eſſe. atqve hæc ſententia eſt Joh. à Sande *Deciſ. Friſic. lib. 4. Tit. 5. defin. 4.* cui adſtipulatur Joh. Jacob. Wiſſenbach. *Diſputat. 2. ad lib. 31. ff. theſ. 13.* qvando dicit; Illa alienationis extra familiam prohibitio teſtamento facta, ſiqvidem in rem & generaliter ſit concepta, qvartô gradu non videtur circumſcribenda; ſed perpetua eſt, *L. 67. §. 5. L. 69. §. 3. de leg. 2.* ne qvicqvam obſtante *Nov. hac 159. cap. 1. & 2.* cujus ſententia ſuis limitibus eſt concludenda, non 2. 3. 4. 5. 6. 7.

ad alias ſpecies facilè protrahenda. Extraneus ibi extitit heres per medium impuberem, ut mater per abnepotem in pupillari ætate decedentem. In perſonam verò concepta alienationis prohibitio, perſonam non egreditur. Itaqve teſtator, ſi filios alienare vetuerit, nepotes filiorum appellatione non comprehenduntur. *arg. L.38. §. 2. & 5. ff. de legat. 2.* Uſum fori qvod attinet, prohibitio teſtatoris de non alienando prædia extra familiam, eaqve in rem concepta, alibi qvarto, alibi tertio gradu terminantur, qvarto in Hollandia & Friſia, qvod citatô locô autoritate Doctorum confirmat. An verò alienationis interdictione fideicommiſſum inducatur alia qværtio eſt qvam Doctores paſſim tractant. vid. Sand. *de prohibita rerum alienat. P.3. C.4. n.5.* & Simon van Leeuwen. *Conſil. Forenſ. lib.3. cap.7. n.10.*

NOV. CLX.
EXEMPLUM SACRÆ PRAGMATICÆ FORMÆ

De Uſuris Civitatum.

PRÆFATIO.

1. NOvellæ huic occaſionem dederunt aliqvot Reipubl. Aphrodienſis debitores, qvi cum certam auri vel pecuniæ qvantitatem, qvam adminiſtratores Reip. ex legatis ei relictis redigerunt, accediſſent hac conditione, ut qvamdiu id aurum penes ſe eſſet, ſingulis annis de eo qvid ſolverent civitati; Igitur, cum hi abuti vellent conſtitutis in *Novella 121.* aliisqve juribus de uſuris ultra duplum non ſolvendis, ipſiqve exiſtimarent, ſe nihil amplius debere, ex qvo uſuræ ſortem æqvant, idcirco in

CAP. I.

2. I. HUjus Novellæ conſtituit Imperator, ut qvi aurum perceperunt in hoc, ut ſingulis annis penſionem aliqvam

aliqvam pro eo ſolvant Reipublicæ inferre teneantur id qvod pro eo ſe illaturos conſtituerunt, neqvaqvam Conſtitutione ſupra propoſitâ de uſuris ultra alterum tantum obſtante; Illa enim de creditoribus conſcripta, & de caſibus in ea comprehenſis; ſed præſens ſpecies magis annuo reditui, qvam uſurarum præſtationi ſimilis eſſe videtur, ex æqvo verò Imperator civitatum curam, ut rerum fiſcalium gerit.

II. Igitur, ſi qvis poſt hanc Conſtitutionem civitatem datô aurô defraudare voluerit, & pro univerſo tempore, qvantum debet civitati ſolvet, & præterea reddet duplum, ut malitioſæ interpretationis juſtam retributionem percipiat; *cum enim in manu ipſi eſſet, ut bonum ſe perhiberet Civem, ita improbus eſt, ut qva illum in lucem protulerit, eam non dubitet injuriâ afficere.* 2. 3.

Addit. Adminiſtratores civitatum ad eam diligentiam teneri, qvæ levi culpæ opponitur ſatis conſtat ex *L. 6. ff. de adminiſtrat. rerum ad civit.* igitur ſi pecuniam in uſus civitatis publicos certos deſtinatum non in illos ipſos; ſed in aliam cauſam publicam impenderint, reſtituere debent cum uſuris. Brunneman. 5. *ad L. 2. ff. d. tit. num. 5.* non obſtat, qvod jam plures uſuras, qvam 6. ſors ipſa eſt, exſolverint, gaudent qvidem civitates jure minorum, ſed ſicut his alios lædentibus non ſuccurritur, ita nec illis, & adminiſtratores, ſi qvid per culpam neglexerint ad ſimplum tenentur, ſi per dolum ad duplum *L. fin. §. 4. ff. de Adminiſtr. rerum ad* Civit. Sciendum verò, per adminiſtratores intelligi il- 7. los, qvibus aliqva qvidem rerum civitatis adminiſtratio eſt demandata, ipſam tamen civitatem non repreſentant, qvales ſunt, qvi loculis publicis præſunt, ut Qværſtores, Theſaurarii, Camerarii & ſimiles. Zaſ. *ad L. Civitas 27. ff. de Reb. Cred. num. 7.* nec non in plerisq; locis Conſules & Senatores præſertim illi, qvibus jurisdictio & adminiſtratio temporalis eſt, & qvæ non niſi ad certum tempus, ſubinde, aliis in eorum locum ſuccedentibus durat, cum nec hi in rebus arduis, & ubi de obliganda civitate res eſt omnes cives repreſentent, ſed potius Decurionibus 4.

æqui

æquiparentur. Gœden. *Consil. 34. num. 10.* Carpzov. *P. 2. Const. 6.*
8. *Defin. 78. num. 6.* Estquè hæc præsens Constitutio magis similis reditibus annuis, quàm usuris, illi enim, ut constitutum per Ordinationem Imperii Politicam Augustæ Vindelicorum de Ao. 1548. veram habet emptionis venditionis naturam, neque hic attenditur, an usuræ sortem excedant, an minus, quamvis alterum tantum nec hodie in usuris magnopere curari supra suo loco sit assertum. vid. *suprà Addit. ad Nov. 121. cap. 2.* Illud ad-
9. huc ex textù notandum, administratorem civitatis ex civium numero esse debere, sicut igitur cives non tantum intelligere debet, quid fini civitatis proposito inserviat; sed & qvid eidem obesse possit, ipseque omnia sua consilia & actiones eò dirigere sit obligatus, ut publica salus promoveatur, & omne qvod eidem incommodet, declinetur vid. Classenius *Polit. lib. 1. cap. 8.* ita maximè quoque hoc administratori convenit, qui civitatem quæ ipsum in lucem protulit, injuriâ non afficiat; sed ejus bonum pro virili promoveat, quod si verò qvæstio de damno dato suboriatur, diligentiam suam in actu, qvo civitati nocuit probare de-
10. bet. Qvamvis enim aliàs pro regula observetur, qvod is qvi culpam vel negligentiam allegat, ad probationem compellatur, hoc tamen non procedit in eo, qvi ratione officii ad custodiam ac diligentiam obligatur, nam is culpam à casu ac damno illato absfuisse probare debet juxta Glosf. & Doctores *in L. cum ita negatur §. species ff. de legat. 2.* Alexand. *lib. 1. Consil. 118.* Decian. *Consil. 373.* Et qvod dolus vel culpa arguatur in eo, qui non facit id, qvod pro officio suo, & ex ejus ratione facere tenebatur, est textus *in L. 8. §. 9. ff. & leg. 44. ff. mand. & L. 1. §. si qvu servum ff. depositi.* Menoch. *Vol. 3. Consil. 214. num. 8.* ita enim respondit JurisConsultus Celsus *in L. 11. ff. de Probat.* Probatio non est exigenda ab his, qvorum officii fuit prohibere, ut pupillo caveretur, qvo etiam facit, *L. fin. §. 5. ff. de Custot. & Exhib. reor.* ubi testationibus probandum est, qvod reus casu sit defunctus. Mascard. *de Probation. Conclus. 266. num. 10.* Pari modô & hic administrator se diligentiam usurpasse in administrandis rebus civitatis probare debet, & licet ejusmodi sint viri jurati, qui diligentiam suam mediante juramenti spoponderunt, quilibet

libet autem præsumatur memor æternæ salutis *L. fin. C. ad L. Jul. repetund.* Menoch. *lib. 5. Præsumpt. 5. num. 2. & seqq.* sicqve videatur dicendum, præsumtionem pro ipsis stare, & ab ejusmodi probatione esse immunes, aliud tamen est, cum de fraude manifestò constet ubi veritas potentior est præsumptione, & in plurimis sæpè verum est illud Luciani: *πολὺς ὁ μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἀκκισμός*, hoc est, *Viele stellen sich als nehmen sie etwas nicht gerne, da sie es doch zum höchsten begehren.* Firmum igitur manet, ex Sanctione Imperatoris reditus non desinere debere, cum ultra duplum ascenderint, prout usurarum cursus sistitur, quod ita constitutum favore Reipublicæ, ne ejus legata pereant, & nulli usui sint, qvod tamen facilè fieret, si hic etiam sicut in usuris duplo finirentur, & annuorum redituum præstationes sisterentur. Nec in jure novum est, ut plus tribuatur Civitatibus, Communitatibus, Corporibus, Collegiis, & Ecclesiis, quàm privatis. v. Matth. Steph. *ad h. Nov. num. 6. 7.* & Civitatibus & Collegiis approbatis magis favere LL. quàm privatis colligit ex *L. 5. C. de diversis prædiis Urb. & Rustic.* Brunneman. Unde etiam est, quod civitatibus tribuatur *Beneficium Competentiæ*; nam cum benignitas Interpretum praxi notissimâ comprobatâ illud extenderit ad liberos, libertos, fratres, ecclesias, monasteria, aliaque loca pia, imò ad qvoscunque debitores citra culpam bonis lapsos, Salgado *Labyr. Credit. P. 1. cap. 24.* Zanger. *de Except. P. 2. c. 15.* Carpz. *in Asylo debit. c. 4. num. 353. & seqq.* optimâ quoque ratione idem civitati, cujus salus & necessitas privatorum utilitate anteferenda, à Doctoribus tribuitur; vi cujus juxta ipsius dignitatem & qvalitatem sufficiens aliquod pro publicis oneribus & necessitatibus ipsi relinqvi debet, qvo status ejus commodè conservari, atque civium societas, Reipublicæ cura & administratio vigere possit. vid. Salgato *d. Tract. P. 1. cap. 24. num. 30. & seqq.* ubi hanc constantissimam, notissimam, & indubitatam esse praxin testatur, Mevius *Discuss. levam. inop. debit. P. 4. Sect. 7. num. 97. & P. 8. Decis. 263.* Carpzov. *d. loc. C. 2. thes. 48. num. 258.* Stryk. *Decis. Sabbath. C. 3. Decis. 6.* Cœterum de hoc argumento tractandi locus hic non est, tractavit id Excell. Dn. Stryk. *Dissert. de Civitate Oberata*, ad qvam me remitto.

Margin: 11. (beside "Firmum igitur manet, ex San-"); 12. (beside "finirentur, & annuorum redituum præstationes sisterentur. Nec")

NOVELLA CLXI.

De Provinciarum præsidibus.

PRÆFATIO.

1. NOn tantum decenter LL. ferre summo bono est; sed etiam sancita accuratè custodire, & ad effectum deducere, transgressoresqve competentibus pœnis subjicere. Qvæ enim LL. erit utilitas, si in literis dun-
2. taxat consistunt, non etiam per ipsa facta atqve opera subditis utilitatem de se præbeant? &c. vid. *textum satis perspicuam.*

3. *Addit.* Leges sine executione sunt veluti campana sine pistillo, ideoque Principes eas ferentes meritò curant, ut ab omnibus ex æqvo observentur; Hinc Imperator dicit *Nov. 26. cap.*
4. *4. sub fin.* Qvanto aliquem altius in sublime evehimus, si probè se gerat, tantò gravioribus rursus eum pœnis percellemus, si qvid contra LL. deliqverit. Lex enim est commune præce-
5. ptum. *L. 1. ff. de legibus.* nec debet esse similis telis aranearum, in qvibus infirmiora animalia hærent, majora perrumpunt. vid.
6. P. Pecscius *ad reg. VII. Juris Canon.* Nam qvod de inferiore in lege præcipitur, idem quoque superior sibi dictum scito.
7. Nec enim decet Magistratum ipsa lege clementiorem esse. *Nov. 82. cap. 10.* Menoch. *A. J. qv. lib. 1. qv. 96. num. 15.* Sed ejus officio incumbit, ut loqvitur hic Imperator, *sancita accuratè custodire, & ad effectum deducere, transgressoresqve competentibus pœnis subjicere.* Idque ideò, ne qvis legis abrogandæ potestatem sibi sumere vi-
8. deatur, præter eum, cui jus condendi eam competit. Qvod si autem pœnam LL. subjicit princeps, eamqve non sufficientem deprehendat crescentibns delictis, qvin & pœnas possit exacerbare, juri & justitiæ omninò est conveniens, *L. 16. §. ult. ff. de pœnis.*
9. Inde si in aliqua regione tam crebra sint furta, tot directarii, tot saccularii, tanta vecticulariorum manus, ut non possit aliter Respubl. esse salva, nisi in crucem tollantur, omninò sunt tollendi, salus enim populi suprema Lex esse debet. vid. Ant. Matth. *de Crimin. ad lib. 74. cap. 2. n. 6.*

Cap.

CAP. I. & II.

NIhil novi conſtituit Tiberius Imperator, qui eſt Autor *h. Nov.* ſed confirmat tantum Novellas Juſtinianeas ſcil. *Nov. 8. 117. & 128.* qvibus Præſidum & Collatorum vitam & officium deſcripſerat Juſtinianus Imp. Inprimis ſancit, ut illi Magiſtratum gerant, qvi & bonâ exiſtimatione noti ſunt, & in exercenda juſtitia plurimũ repoſuerunt ſollicitudinis. Sed & ut citra ullum munus & largitiones Magiſtratus ſuſcipiant, item, ut tam collatores indemnes incolumesq; conſervent, quam publica tributa diligenter expediant. &c. v. textum, & qvæ ſupra citatis locis ſunt dicta. 1. 2.

NOV. CLXII.

De Donationibus.

CAPUT I.

DOnans ſi non ſit ſtipulatus traditionem, necesſitatem habet tradere donatum. Non enim ad defraudationem, neqve ut literæ ſint nudæ interpoſitum convenit conficere inſtrumentum. 1. 2.

§. 1. Si maritus rem uxori donaverit, non verò tradiderit, per mariti ſilentium & mortem convalidatur donatio, non ſecus ac ſi ſtatim ab initio valuisſet. Et qvamvis poſt donationem maritus rem oppignoraverit, vel hypothecæ obligaverit, non tamen propter ſilentium rem donatam revocaſſe videtur, ut eapropter uxor, ſi res tradita ſit, exceptionem, ſi non ſit tradita, exactionem habeat, & ſi ſtipulatio intervenerit, vel actionem ex ſtipulatu, aut ſi non condictionem ex Lege. 3. 4.

§. 2. Si ab initio inſinuatæ fuerint donationes â marito omnibus modis ipſius ſilentio confirmantur. Si verò minimè inſinuatæ manſerint, exceſſerunt autem men- 5.

suram indigentem insinuatione, quoad hanc sunt invalidæ, qvod & super universitatis donationibus constituit & in aliis personis, inter quas,quæ in matrimonio fiunt donationes prohibentur.

6. *Addit*. Olim ad donationis perfectionem necessaria fuit vel *stipulatio* vel præsens rei donatæ *traditio*, quia non erat contractus, qvi obligationem produceret, nec nominatus aliquô nomine speciali; sed erat tantum quidam modus acqvirendi ex jure gen-
7. tium per traditionem *arg. L.3. §.1.ff. de O. & A.* Illi enim tantum contractus qui aliqvô nomine speciali erant nominati, nudâ conventione conficiebantur, donatio enim non habet nomen speciale; sed idem est qvod datio, unde adhuc hodiè apud Italos
8. *donare* & apud Gallos *donner* idem est qvod dare. Cum ergò à dando sit donatio, olim datione tantùm, & actuali traditione constabat, nullaq; inde nascebatur obligatio, *L.3.§.1.ff. de O.& A.* Imperator tamen Justinianus hoc immutavit, & voluit, ut dona-
9. tio etiam à solo consensu vires acciperet, & verbotenus facta firmitatem haberet, ita qvidem, ut licet stipulatio non intercesserit, vel res tradita non fuerit, nihilominus nudo pactô perficeretur, statim atq; donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestaverit, & eandem donatarius acceptaverit, quod si factum, nulla licet stipulatio intervenerit, competit tamen condictio ex *L.35. C. de donat.* Notandum verò *L.23.ff. de donat. inter*
10. *vir. & ux.* per quam donatio conjugi facta per nudam promissionem non secutâ traditione morte non confirmabatur, per Nov. hanc esse correctam, ut tradit Brunnemannus autoritate Doctorum, quos ad d. l. allegavit; & valet jam donatio interConjuges, si juramentô aut morte Conjugis fuerit confirmata *arg. c. 28. X.*
11. *de Jurejur.* Gail. *lib. 2. obs. 40. l.32. §.3. ff. & l. 24. l. 25. C. de donat. inter v. & u.* & aliis multis casibus à Doctoribus passim recensitis. v. *C. A. h. t. th. 6.* Scipio Gentil. *de donat. int v. & u. l. 1. c. ult.* Fachin. *lib. 13. Controv. 79.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. D. 19. th. 4. lit. D.* ut tamen ista donatio subsistat, reqvirit adhuc Imperator, ut non aliter morte donantis confirmetur, quàm si 500. aureos excedens actis insinuetur Schurff. *Cent. 1. Cons. 46. n. 6.* Hartman. Hartm. *Tit. 44. obs. 2.* & sic recipit vires, non ex eo tempore, quo facta primum

primum; sed ex tempore mortis donantis, adeoq; confirmatio hujusmodi non retrotrahitur ad tempus factæ donationis. Covarruv. *rubr. x. de testam. P. 3. n. 5.* Gometz. *ad tit. de donat. c. 4. n. 23.* Tiraqvell. *ad L. Si unqvam verbo libertis n. 122. C. de revoc. donat.*

CAP. II.

De natis ex libera & adscriptitio.

IMperator nunquam liberum ventrem adscriptitium parere concessit; sed manere liberos ejusmodi voluit, & 1.
quæ ab his acquisita sunt, sub illis esse, neq; peculium dominorum fieri, non verò debere egredi ex eo prædio; sed illud colere neq; ipsis esse licentiam hoc qvidem relinquere; alia verò aliena circumire, nisi si domini fiant possessionis alicujus propriæ, qvæ possit ipsos alere, ut non necessum habeant eas colere, & in eas migrare.

Addit. Constat igitur, natos ex adscriptitio & libera nunc 2.
esse liberos. Ne verò domini per hoc damnum haberent, & 3.
numerus adscriptitiorum valdè decresceret, vetitum simul fuit connubium adscriptitiorum cum mulieribus liberis sic, ut illi ab eis abstrahi possent, & castigari si non consentiente domino duxissent *L. ult. C. de agric. Auth. adhuc §. ult. C. de Latina lib. toll.* Si- 4.
militer adscriptitio adscriptitiam ducere fas est, licet diversorum sint prædiorum & locorum, qvamvis exceptâ ea causa aliò transire nequeant. *Nov. 157.* vid. Gudelinus *de Jure Noviss. lib. 1. c. 5.* Sanè ut qvis liber nascatur; sufficit liberam fuisse matrem, vel 5.
tempore partus, vel conceptionis, vel etiam tempore intermedio i. e. gestationis *pr. I. de Ingen. l. 5. §. 2. & seqq. ff. de statu homin.* qvod receptum est cum ob insignem libertatis favorem, tum quod iniqvum putetur, calamitatem matris ei nocere, qui in ventre est. *d. pr. I. de Ingen.* Qvò pertinet illud vulgatum; alienô o- 6.
dio neminem, neqvaqvam autem infantes & pueros, in qvibus nulla deprehenditur culpa, esse prægravandos *L. pen. in f. ff. de Fidei-commiss. libertat. L. 33. §. 1. C. de Inoff. T. L. 26. ff. de pœn.* inde excusantur

7. ſantur à pœna Legis Corneliæ de Sicariis *L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* à pœna falſæ monetæ *L. 1. verſ. impuberes verò C. de falſamon.* à pœna homicidii *X. de debit. pueror. Clement. un. de homicid.* & deniq; in univerſum ab aliis pœnis. Bald. *in L. 5. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Phil.
8. Matth. *n. 14. ff. de R. J.* & delictum infanti, æqvè ac furioſo impunitum eſt, cum alterum innocentia conſilii tueatur, alterum fati infelicitas excuſet. Modeſtinus *in d. l. infans 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 60. ff. de R. V.* Gail *lib. 2. obſ. 110. n. 20. 21. 22. & 31.* Covarruv. *releſt. P. 3. n. 1. & 5. de homicid.* Menoch. *lib. 2. A. I. qvæſt. c. 3. Caſ. 129. num. 2. 3.*

CAP. III.

1. AGit de prole, ſi forte adſcriptitia mulier nupſerit adſcriptitio alterius prædii, ad qvem illa pertineat, an ad dominum viri, an ad dominum mulieris? Reſp. ſi fœmina libera non exiſtat, liberi pertinent ad adſcriptitium; Et ſiqvidem unus genitus fuerit filius venter ſemini debet præferri, & natus debet eſſe domini matris.

2. 2. Si duo forte nati fuerint filii, ambo dividantur, electione per ſortem dirimenda. 3. Si liberorum numerus impar ſit, matris ſinus majorem obtineat, ita, ut tribus exiſtentibus, duo qvidem ſint matris, unus verò Patris, & rurſum ſi quinq;, tres quidem ex liberis ſint domini
3. matris, duo verò patris. Et juxta hoc incrementum numerus progrediatur, ſic, ut ſi æqvalis ſit, æqualis fiat diviſio, ſi verò inæqvalis, id qvod exſuperat, tanqvam gratioſius matri asſignetur. *Oportet enim ipſam dignari majore ſtudio, ut qua & parturiit & peperit, & nutriit, ſupra eum, qui voluptatis ſuperfluum, pueri fecit originem.*

NOV. CLXIII.

De relevatione tributorum publicorum.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

PRæſtantisſima inter homines bona ſunt *juſtitia* & *be-* 1.
nignitas qvarum altera æqvabiliter ſuum cuiq; tribuit,
neque appetit aliena, altera ad miſericordiam decur-
rit, & debitorum incommoditate egentes liberat. Hæc
ornare firmareq; imperium, hæc conſervare Rempubli- 2.
cam, hæc pulchrè humanam noverunt gubernare vitam.
Unde & Imperator, ex qvo divinitùs Imperii ſceptra ſu-
ſcepit, magnô affectavit ſtudiô, ut undiq; tam bonis actio-
nibus conſpicuus eſſet, qvo magis ſi utilem ſe ſubditis præ-
beat, ex virtute & gloria remunerationem haberet. Cum-
que ſubjecti ſenſim eorumq; poſſesſiones ad tantam ino- 3.
piam redacti, ut neq; reditus ſuis posſint producere poſ-
ſesſoribus, neqve ſatis idoneè publica inferre tributa. Ob
haſce & ſimiles alias cauſas curam impendit, qvanam fieri 4.
ratione posſit, ut & necesſitati ſatisfaceret, & ſubditorum
egeſtati afferret remedium, ſic, ut quod communibus de-
eſſet ſumtibus, hoc in ejus vicem ex theſauris Principali-
bus introduceretur.

Addit. Inter præcipua, qvæ augent, illuſtrant, & conſervant 5.
Reſpublicas cujuscunq; generis Principatus, Regna, & Imperia,
præcipua eſt *juſtitia*, quæ ad divina & humana miniſteria, & ad o-
mnes Reip. partes neceſſaria eſt, & tempore pacis maximè, &
tempore belli, atq; præſtantior hæc civilis regia ſcientia, qvæ de
bello conſultat, ea quæ bellum gerit, & ei dominatur. Nam ut 6.
anima corpus vivificat, qvamdiu in eo eſt, ſic juſtitia Rempubl.
ubi autē abeſt, concidit & primum cadaver efficitur ſine vitali mo-
tu, dehinc in ſua prima elementa cum fœtore & corruptione re-
ſolvitur. vid. Tholoſan. *de Repub. lib. 10. c. 2.* Altera columna Reip. 7.
& inſigne Principis jure audit *Benignitas*, qvà nihil eſt, quod me-
lius Imperatorem gentibus commendet. Hæc enim Cæſarem
DEUM fecit; hæc Auguſtum conſecravit, hæc Antoninum in-
primis Pii nomine ornavit. Hancq; benignitatem exercet Prin- 8.
ceps non ſaltem in concedenda vita, vel remisſione pœnarum de-
bitarum

bitarum infligendarum; sed & in moderata exactione tributorum, aut prorsus remissione annorum aliqvot, nam cum juxta istud Hesiodi *lib. 2. περὶ ἔργ: καὶ ἡμέρ.*

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

i. e.

Pecunia sit vita miseris mortalibus.

Omnium optimè de subditis merentur imperantes, si in hac exigenda non sint nimis avidi; sed qvolibet modo ipsorum possessionibus parcant, & magis ditare, quam ditescere intendant, & recordentur Reipublicæ veluti corpori morbos posse accedere, qvi sanandi potius sunt, qvàm exasperandi, quod fit, si severos & immisericordes se præbeant, nec subjectorum loculis parcant, inde tributorum ad tempus remissione inprimis adjutam esse & confirmatam ab Ordinibus Hollandiæ Societatem Indiæ utriusq; docet Boxhorn *Instit. Polit. lib. 1. cap. 10. ad §. 2.*

CAP. I.

1. INde Imperator Tiberius hujus Nov. Autor, in honorem Passionis & Resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI, concedit in universum omnibus agricolis pariter collatoribus & prædiorum dominis integrum unum canonem publicorum tribuorum non tantum præteritorum; sed etiam indulgentiam in solutione futurorum debitorum.

2. *Addit.* Constat ex his tributorum publicorum relaxationem provenire à summa Principis potestate, qvæ sicut ea indicit, ita
3. & minuit, relevat, vel prorsus remittit. Distingvit autem hic Matth. Steph. inter *indulgentiam & relevationem* ut hæc tempus
4. futurum, illa præteritum respiciat. Arguunt autem hæc in Tiberio Imperatore pietatem insignem, & nobile ejus ingenium, nam qvo magis nobilior, & magnanimus qvis est, eo magis ad parcendum maximè subjectis est, & esse solet, cum alias boni pastoris sit, tondere pecus, non deglubere.

CAP. II

1. TRibuta reliqva sive restantia subditis suis remittit ad exemplum Justiniani Imperatoris in *Nov. 147. & seqq.*

Et

Et reſtringit hanc conſtitutionem ſuam ad collatores 2.
tantum, qvos beneficio vult afficere, & ipſis benignitatem impartiri, non autem his, qvi publica tributa ſuſcipi- 3.
unt, & in ſuum lucrum ea conferunt, qvibus nullô modô embola diminuit. Oportet enim univerſum frumenti, 4.
aliarumque ſpecierum modum conſvetô ac ſolitô more & contribui, & importari, pretiis qvartæ partis per ſingulos annos in qvadriennium collatoribꝰ indultæ ad menſam publicam cum aliis, qvæ in auro ab ipſis contribuuntur æſtimandis ſolvendisqve è publico, ſimiliter nec remittuntur, qvæ pro reconditis, & militari ſumtu in ſpeciebus, qvæ plurimæ qvaſi navibus transportandæ dicuntur, harũ enim pretia percipient ex publico, prout in menſis Præfectorum ordinatum fuerit, unde hæ inportantur, ut & ipſi Imperatoria in hoc perfruantur benignitate. Earum enim ſpecierum illationem negligere, haud qvaqvam tutum eſt, cum & inevitabilis exiſtat impenſa, & publicas res in unum conciliet.

Addit. Qvemadmodum ut paulò ſupra asſertum in Princi- 5.
pis arbitrio eſt tributa exigere, vel etiam prorſus remittere, & ad ipſius beneficentiam ſpectat, non ultra ſubjectos tributis gravare, quàm poſſunt & idonei reperiantur, ita nec ordinaria, qvæ bonum publicum promovent, & ſine qvibus qvies gentium eſſe non poteſt, tenetur remittere, ipſe enim patrem agere, & tanqvam pater filiis præeſſe debet. *Nov. 8. cap. 8.* Hinc prout ſuprà Imperator Juſtinianus *Nov. 147. & ſeqq.* nihil indulget his qvibus executio tributorum exigendorum commiſſa, ita nec hic Tiberius Imperator, ita, ut non posſint aliquid addere, nec demere, niſi velint de ſuo reſarcire. vid. Brunneman. *ad L. 3. C. de Annon. & tribut. lib. 10.* unde nec exactoribus *in h. C.* embolæ ſolvendæ necesſitatem remittit, qvod necesſitas & utilitas Reipublicæ præponderet, à qvo onere ferendæ embolæ nec Eccleſiæ navis eſt immunis, etiamſi Reſctipto Principis munita ſit, modo bis mille modiorum capax ſit. *L. 10. C. de SS. Eccleſ.* denotat verò *Embola*

 publi-

publicaram specierum copiarumque seu annonarum transvectionem, quæ quotannis in Ægypto navibus illatæ Constantinopolim deferebantur. Justin. Imperator *Edicto 13. verb.* πᾶσαν γὰρ ὁμοῦ περίνοιαν &c.

NOV. CLXIV.

De Heredibus.

PRÆFATIO.

1. COgnovit Imperator, qvod qvidam oberrantes defunctorum perturbent patrimonia, nec testamenta valere sinant, neq; successiones ab intestato locum capere, mobilibus qvidem rebus immittentes signacula, immobilibus verò imponentes titulos, ut hac ratione ipsis illorum accrescat successio, inqve ea decentem aliqvem
2. ordinem occupent. Qvoniam verò impossibile est, in tanta multitudine exacte ea, qvæ singulatim in talibus eveniunt, perdiscere, perpulchrum Imperatori visum est, si hæc generali Lege ad certam redigeret formam. Propterea

CAP. I.

1. SAncit, ut universi citra invidiam & rebus juribusqve suis perfruantur, & ad suos ista transmittant heredes.
2. Nemo autem illorum penitus invadat patrimonia, aut successores eorum damnis implicet, aut titulos sive signacula rebus præter LL. nostrarum placitum imponat. Nam
3. & successiones ab intestato, qvô qvisq; vocatur ordine, confirmat, & ultimas horum voluntates legitimè consi-
4. stentes non subvertit. Si enim sedulò advigilat, sollicitusqve est, ut collatores bonis gubernentur LL. & de eorum incolumitate maximam curam sustinet, qvare non & hic providentiam suam accommodaverit, & alacriter suum ipsis impartiatur beneficium? nam persvasissimum habet, Imperium per hæc undiq; munitum, & qvietum futurum. &c. *Addit.*

Addit. Qvi defacto aliorum hereditatem sive legitimam, sive 5.
testamentariam sine titulo captant, raptoribus absimiles esse non videntur, adversus qvos tam petitoria, qvàm possessoria remedia de jure sunt prodita, quia si animo contrectandi violenter res alienas contrectaverint, & dolô rapuerint, etiam actione vi bonorum tenentur. Maximè verò, qvi jam coram Prætore testatus est, se amplecti hæreditatem & B. Possessionem, potest contra eum, qui de facto possidet res hæreditarias, vel pro hærede, vel pro possessore sine omni titulo coram judice interdicto *Qvorum Bonorum* uti, & petere, sibi hereditatem assignari Brunneman. *ad L. 1. ff. & C. qvorum bonorum.* Debet verò hic actor probare, se agnovisse & amplexum esse hereditatem, vel B. Poss. coram Prætore, & qvidem ex causa, qvod sit heres proximior; 2. Illam causam esse veram, i. e. qvod verè sit proximus heres, qvæ tamen probatio in hoc judicio facilior est, qvàm in petitione hereditatis. Idem *ad L. 1. C. h. n. 3.* vid. Vinn. *ad §. 3. I. de Interdict.* & Peretz. *C. ad tit. Qvorum Bon.* Confirmat ulterius hic Imperator ordines succes- 6.
sionum ab intestato *Nov. 118.* sic ut proximioribus secundum gradus proximitatem succedentibus nullo jure prætextu aut via facti præjudicari debeat, quod licet expressè hic non statuisset, nihilominus tamen valere oporteret, Lex enim semel recepta & lata prout illa de success. ab int. & illa de committenda hæreditate, in dubio vivunt, & valent, & ei qui Legem usu receptam esse negat, onus probandi incumbit. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure verb. jus c. 3. n. 19.* Alderan. Mascard. *de generali statut. in-* 7.
terpretat. concl. 6. n. 77. facit, quod Lex nova priores constitutiones firmans & declarans, non ad futura solum; sed & ad præterita negotia pertineat. *c. 5. ubi Ddr. X. de usuris. Nov. 143. in fin. pr.* ibi: *Non futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere, Nov. 19. pr.* Morta *in Empor. jur. P. 1. Tit. 1. qv. 6. n. 11. seqq.* Insuper, nec testamenta privatorum subverti vult, naturalis enim æqvitas svadet, ultimas defunctorum voluntates servari. Hinc Principem non posse ex plenitudine potestatis testamentis privatorum derogare, nec eorum LL. & conditiones tollere vel mutare tradit ex Matth. Steph. *Cent. 2. Illustr. qv. 2.* Thomas Maulius *de ultim. volunt. Tit. 1. n. 7.*

NOV.

NOVELLA CLXV.

De Prospectu in mare.

PRospectus in mare, qvi intra 100. pedes esse solet non solum per directum; sed ne per transversum qvidem novô opere impediri debet.

Addit. De hac materia suprà fuit actum *ad Nov. 63.*

Claudam versibus Clarissimi JCti p. mem. Dn. Harprechti hunc qvalemcunque laborem, qvibus & Commentarium suum ad Instit. finit.

ERgo qvod optatis ad portum veniamus austris,
Gratia sit soli debita sola DEO.
Nauclerus DEUS ipse Pater, Cynosura REDEMTOR,
Sancta mihi, Sanctus SPIRITUS aura fuit.
His potui Ducibus, sinuosa per aeqvora juris
Qvaliacunq; mea pandere vela ratis.
His qvoq; pro cunctis sit laus & gloria donis :
A qvibus & donum, qvod venit, omne venit.
TE benedicta TRIAS, qva scripsi qvantulacunq;
Hactenus, & porrò scripsero si qva precor :
Sint ea cuncta Tuo Sacrosancto congrua VERBO,
Sint ea communi commoda cuncta BONO.

SOLI DEO GLORIA!



Index Rerum & Verborum, quæ in hoc Novellarum volumine continentur, litera N. denotat Novellam, c. Caput, n. Num.

ritate

Sunt

Loco

Degra-

d Dia-

Nihilo-

Episco-

Inju-

Est

Ad

Quid

 nomi-

exigere

Quem

Juramentum.

Ejus

Natu-

Matrimonium.

Quo-

Diffe-

Gradu

Monasterium.

qui-

Inve-

In pri-

Qui

Pau-

Sæpe

Gradus

Consi-

Con-

Mo-

Ple

Habent

 Illi

ctis

postea

 Ejus

sed

V.

Varietas.

123.


2511908 D